
6
9-d
7

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 D
23

AA.9XIV.3.30
~~XXVI.4.92.~~



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EMANUELIS THESAURI.

Comitis, Majorumque Inſignium
Equitis,

IDEA ARGUTÆ

ET

INGENIOSÆ DICTIONIS,

Ex Principiis Ariſtotelicis

ſic eruta,

UT IN UNIVERSUM

ARTI ORATORIÆ,

& inprimis

LAPIDARIÆ ATQUE SYMBOLICÆ INSERVIAT.

Acceſsére ab Autore adjecti Tractatus duo;
Alter de argutis Concionatorum Enthymematis,
Alter de Emblematis.

Omnia nunc primum ex Italico Latinè converſa.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Sumptibus JOAN. MELCHIORIS SÜSTERMANNI,
Bibliopolæ Helmſtadienſis.
ANNO M DC XCVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO INTERPRES

Cap. Cörber, Eloqu. P.P. in Acad. Julia.

S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DUo ſunt dicendi genera, quæ, cum inter ſe longiſſimè diſtent, ad Oratoris tamen abſolutionem ambo concurrunt: alterum rectum, ſimplex, grave, quo res menti objicitur, qualis in ſe eſt: alterum acutum, concinnum, ingenioſum, quo res alterius rei beneficio ſignificatur. Utriuſque magna laus, magna utilitas: illius verò major neceſſitas, crebriorque uſus: hujus major admiratio, & voluptas intenſior. Nam qui ſentit verbo dici aliud, aliud mente intelligi, & miratur ingenium illius, qui novum iſtud Orationi lumen infert, nec ſuo minus ingenio plaudit, quo acumen illius, dum perſpicit, ſibi videtur æquare. Unde fit, ut &, qui valent ingenio, ruant in has eloquentiæ delicias; & qui illas capiunt, ſummo eaſdem applauſu excipiant,

Digitized by Google

diviſam ſibi cum Autore gloriam tribuentes. Accedit, quod temporum genius has dicendi Veneres & argutias nonnunquam requirit, qui purum omne propriumque pro vulgari & plebejo faſtidit & aſpernatur. Nam uti morum, ſic orationis quoque vertuntur vices, & quantum à ſimplicitate vitæ receditur, tantum cultus dictionis & concinnitudo intenditur. Succedunt ergo rudibus recta, rectis venuſta, venuſtis fucata & picta, donec expleto orbe & conſumtis veluti ingeniorum viribus ad priorem barbariem ruditatemque redeatur. Inprimis vero facilis eſt ad deteriora lapſus, cum tritis obviiſque ſpretis quærantur meliora magiſque recondita: nec ſanè quicquam dictum exiſtimatur, niſi idem novè mirabiliterque dicatur. Ingenium enim omnium difficillimè regitur, excuſſiſque rationis habenis ſpecie quâdam virtutis abripitur, iis quæ novitatis vel acuminis laude blandiuntur, præter modum indulgens. Quare videas, qui vel alieno loco argutias conſectantur, ubi pugnandum eſt, ludentes, & oſtentantes ingenium, cum illud vel maximè erat tegendum: vel ſine fine & modo eaſdem orationi inferciunt, ut nimia lux obſcuritatem, ipſa copia faſtidium pariat: vel remotas nimis alienaſque conquirunt, quæ nec rei ſignificandæ conveniunt, nec ſine interprete vel commentario intelligi poſſunt: vel denique inanes prorſus falſaſque comminiſcuntur, quæ rerum naturæ repugnant, & excuſſæ pro plauſu riſum auferunt. Unde ſeverioribus ingeniis totum illud argutè dicere diſplicet, nativumque orationis decus videtur corrumpi, cum ingenii quodam fuco incruſtatur. At, quod pulcherrimis quibuſque rebus accidit, ut, quò illarum uſus eſt melior, eò deterior ſit abuſus: idem evenit argutis ingenii commentis figuriſque, quæ eximiè ornant orationem, cum parcè & in loco adhibentur: præter rem verò & decorum frequentata laudem

Digitized by Google

laudem omnem gratiamque amittunt. Repudientur ergo ingeniorum luſus, qui nil niſi ineptiunt, laſciviunt, nugantur: retineantur, ubi velut gemmæ reſplendent, alliciunt, illuſtrant. Sunt certè quædam opera ad delectandum propoſita, quæ ingenium ſibi propriè vindicat: in quibus quis vetet oſtentare ingenii divitias, floreſque manu projicere liberali. Quin & gravis oratio jacebit, quæ nullo unquam excitatur acumine: & inſipida videbitur, cui ſal iſte argutiarum non erit aſperſus. Neque ergo deterrere quenquam debet ab argutiarum ſtudio, quod multi vel nullius vel nimii ingenii culpa in eo labantur & offendant: ſed eo magis danda eſt opera, ut rei tam præclaræ, quæ ſuaviſſimum eſt omnis orationis condimentum, veram rationem atque indolem pervideamus, ingeniique licentiam certis regulis præceptiſque conſtringamus. Ac fines quidem limiteſque cogitatis ingenioſis, quæ laudem eſſent habitura, poſuit è Sodalitio Jeſuitico *Bouhurſius* edito eleganti libello Gallico, quem inſcripſit; *de recta in operibus ingenii cogitandi ratione.* Argutiarum verò fontes, genera, varietates, ipſamq; adeo artem vix leviter à priſcis Rhetoribus indicatam, & ad id ætatis deſideratam primus explicatam perpolitamque dedit EMANUEL THESAURUS, Vir Illuſtris, quem ſummum argutiarum artificem cum inſcriptiones ejus Berolini editæ, tum alia ejus opera Panegyrica & hiſtorica declarant. Contulit verò in hoc opus, quadraginta annorum, ſi Octavio Boldono fides, ſtudio elaboratum, quicquid multo uſu variaque lectione in Græcis, Latinis, Italicisque Scriptoribus non elegans modò argutumque obſervaverat, ſed ad univerſæ elocutionis illuſtrationem facere poſſe videbatur. Nam præter ea, quæ ad argutiarum artem, ex uno principio præceptis inter ſe probè cohærentibus ſolidè deductam, propriè pertinent, de verborum delectu, componendi diligentia, & figurarum varietate luculentius præcipit, quam ab iis fieri ſolet, quid id unum Rhetoricis libellis agunt. Artis

verò totius fontem reperit in Ariſtotelis Rhetoricis & Poëticis, ex quibus ingenii ſui perſpicacia & fœcunditate exundantes illos præceptorum fluvios in omne genus arguti operis derivavit. Atque hinc titulum mutuatus operi, quod Italicè inſcribere illi viſum *Il Cannocchiale Ariſtotelico*, *Conſpicilium* ſeu, ſi mavis, *Tubum Opticum Ariſtotelicum*: quaſi hujus ope & beneficio facilè deprehenderet, quicquid in operibus ingenii vel exſplendeſceret, vel macula quadam obſcuraretur. Prima autem vice hoc opus prodiiſſe accepimus Taurini, anno hujus ſeculi quarto ſupra quinquageſimum, ſtatimque, velut Phidiæ ſignum, cum aſpectum eſt, ita placuit, ut ejus editio Romæ Venetiiſque ſæpius, &, ni fallimur, minimum ſexies fuerit repetita. Sed quod in Italia impreſſum, & Itatica lingua perſcriptum eſſet, paucis in Germania noſtra innotuit, paucioribus lectum laudatumque obſervamus. Certè ſi quicquam de eo conſtitiſſet, Maſenius, quam anno hujus ſeculi ſexageſimo evulgavit argutiarum artem, non inſcripſiſſet novam, nec locupletare illam atque perficere ex Autoris noſtri elaboratiſſimo opere neglexiſſet. Nec qui poſtea inſcriptiones argutas collegêre, adjectis quibuſdam præceptis, ullum hujus operis fecêre mentionem. Duo tantum mihi obſervare licuit Germaniæ noſtræ decora, Viros ut omni bona doctrina, ſic hiſtoriæ literariæ notitia excellentes, qui ſcriptis ſuis publicè hoc opus commendarunt. Alter eſt *Daniel Georgius Morhofius*, poſt fata quoque orbis eruditi deliciæ, qui & in polyhiſtore Autoris de figurarum varietate præcepta & exempla imitatione expreſſit & in poſthumo de argutiarum diſciplina libello fundum habuit præceptionis ſuæ Theſaurum noſtrum, quem ne in nonnullis ſecutum eſſe non diffitetur. Reprehendit quidam in eo ſubtilitates nimias, & declamanti quàm præcipienti aptiores argutiarum diſtinctiones: ſed quis non concedat ei, qui in opere ingenioſo verſatur, pauliſper obſequi ingenio? & quis eum revocet ad unius uſus neceſſitatem,

tem, qui argumentum aliquod accuratè & pro dignitate exequi conſtituit? Quam ſanè ἀκρίβειαν Philoſophicam in Autore noſtro idem eodem loco agnoſcit Morhofius. Alter vero eſt Altorfinæ Academiæ hodiè gloria, *Joh. Chriſtophorus Wagenſeilius*, qui vaſto ingenio diverſiſſima ſtudia complexus, quid in illo genere argutiarum valeret, in quo ſumma vis ingenii cernitur, oſtendit pari ſymbolorum Heroicorum in exercitatione, quæ inter ſex varii argumenti anno 1687. editas prima eſt, propoſito, quod ad leges Theſauri noſtri exigit, à ſe ibidem Latinè converſas, ubi & Autorem laudat *Virum magnæ eruditionis, & inuſitati acuminis*, & dolet *egregii hujus Commentarii agrè in Germania haberi copiam, & ſi habeatur, paucis eſſe intelligibilem.* Inter Gallos hujus doctrinæ peritiſſimus *Meneſtrerius* de eodem hoc opere ſic judicat, in judicio de Autoribus ſymbolorum Philoſophiæ imaginum præfixo: *Illud eſſe maſcula eruditione conſpicuum, & lectorem requirere eruditum. Cum enim Autor ad fontes penetrare ſit conatus, fieri non poſſe, quin ſcribendi methodus ei difficilis videatur, qui tam altè ingenio ſuo non aſſurrexerit.* Confidimus ergò nos rem gratam feciſſe illis, qui argutæ & ingenioſæ orationis tenentur ſtudio, quod opus in hoc genere unicum, & his in regionibus rarum, ex Italico paucis eruditis perſpecto in Latinum ſermonem tranſtulimus, cujus face & ductu felicius, quam vulgò fit, in arguto ingenii opere verſari, aut ſaltem rectius de eo judicare poterunt. Quæ quidem interpretatio noſtra etſi non aſſequitur argutias, quibus ingenioſus Autor ſuum de arguta dictione opus paſſim condire & aſpergere conſuevit: ſpero tamen præcepta ſatis fideliter eſſe reddita, neque artis hujus rationem legenti fore obſcuram. Suſcepta enim interpretis perſona id mihi negotii dari credidi, ut ſententiam mentemque Autori, ſi non eodem ornatu, eadem ſaltem integritate repræſentatem. Illud verò vel ipſius Autoris, ſi viveret, bona venia factum à me credo, ut omiſerim titulum operis paulo inſolentiorem,

Digitized by Google

rem, quàm Latinæ ſimplicitati gravitatique conveniat. In cæteris id mihi non ſumſi, ut quicquam mutarem, ac vel manifeſta, quæ alicubi occurrebant, memoriæ peccata & παροράματα emendarem. Si quid ergò in exemplis hiſtoriiſque allatis alicubi animadverſis erratum, diſpice, priusquam culpam interpreti tribuas, an ipſe Autor ita ſenſerit ſcripſeritque. Neque verò ita tuebor interpretationem, ut nihil in ea peccatum eſſe contendam: quam potius non juſto ſtudio à me adornatam neceſſe eſt fatear. Profluxit enim ſubita ex ore meo dictantis in calamum excipientis, vel, cum prælo eſt ſubjecta, vix tantum vacui temporis ſuperfuit, quo pagellas è Typographia oblatas relegerem, nedum ut limam adhibere verſioni, eamque perpolire licuerit. Verùm æquitati tuæ, Lector Benevole, merito permittendum eſt judicium & de opera hac noſtra & de ipſo opere; quibus cuicuimodi fuerint, utaris fruariſque, precor, in Divini Nominis gloriam & rei literariæ ornamentum. Vale.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS VENETUS
LECTORI.

AUtor celebratiſſimi hujus operis in fine primæ editionis ſignificaverat, ſe primum typis excudendam tradidiſſe unam de ARGUMENTIS HEROICIS commentationem, eaqve occaſione de aliis SYMBOLIS qvædam tradidiſſe. Ut vero magno Viro obſeqvium ſuum probaret ſe poſtea novas de ARGUTIIS & univerſa ELOCUTIONE obſervationes ad tertium Rhetoricorum Ariſtotelis pertinentes iſti libro inſeruiſſe. Cum igitur eodem tempore illas ſciberet, qvo liber imprimebatur: nunqvam opus ſuum vidit niſi poſtqvam prælo exiit. Poſtqvam igitur Autori indicavi me altera hujus operis editione officinam meam exornare velle, qvæ nullum amplius exemplum poſſidebat: viſum eſt ipſi qvædam emendare, & majoris perſpicuitatis cauſa diſtinctius tradere. Qvin ut ab inexhauſto hoc theſauro novæ ſemper divitiæ promuntur, duas hic commentationes adjicere voluit ex eodem Argutiarum fonte profectas ſacrisqve Oratoribus & ingenioſis Academicis oppidò acceptas. Vellem tàm felici ſorte fuiſſem uſus, ut cum his duo reliqva volumina dudum orbi promiſſa, alterum de PERSVASIONE, alterum de AFFECTIBUS in primum & ſecundum Rhetoricorum librum tibi exhibere licuiſſet. Horum enim materiam cum autor jam digeſſiſſet, exemplaqve & teſtimonia con-

geſſiſſet, nihil aliud reſtabat, qvam ut inter imprimendum forma & dictione convenienti expolirentur. Sed impreſſo hoc libro cum reliqva prælo ſubjicere vellet, inter ſcripta ſua non amplius illa reperit, ignarus qvâ ratione fuerint ablata, niſi forte perfidia cujusdam miniſtri jam exſtincti, qvi veluti Cacus alia ejus magni laboris opera ſurripuerat, qvorum qvædam ope alicujus Herculis amici ſui nuper forte fortuna recuperavit. Sed qvid duobus iſtis factum ſit, adhuc ignorat, non ſine memorabili Reipubl. literariæ damno. Cum enim ſcripta iſta adumbrata eſſent modo, ſine ordine & ſtudio illita potius qvam inſcripta chartæ in memoriæ tantum ſubſidium: nec alios juvare poterunt, nec famam parare illi, qvi iſta detinet. Etſi vero fortunata cujusdam amici diligentia ad manus ejus pervenerit exemplum libri de *Perſvaſione*, qvi inſcriptus erat DE MAGNO ET PARVO (omnes enim tres libri latini ſunt, qvamvis poſtea in linguam vulgarem tranſlati ob teſtimonia & exempla Italica aliarumqve linguarum qvæ Latino ſcripto ſine gratia inſeruntur, qvin etiam ut daretur hoc Aulicis qvi Latina lingua non delectantur) in qvo libro fontes omnium argumentorum qvæ ad perſvadendum faciunt, cum exemplis ſtudioſe collectis continentur: eſt tamen illud exemplum adeo male deſcriptum mendisq; fœdatum (maxime ubi autores laudantur) ut autor in eo nihil ſui agnoſcat, & perinde ipſi ſit, habeat illud an non habeat. Qvod ſi bonus qvidam genius ipſum autoris autographum aut exemplar correctius in manus ejus conferret, brevi in lucem, ut prodiret, efficerem. Et forte hæc ipſa epiſtola in animo non inhumano plus efficiet, qvam acerba qvædam admonitio. Interea fruere hoc libro qvem auctiorem ex officina mea accipis, & vale.

INDEX

INDEX MATERIARUM

Ordine Capitum diſpoſitus Qvi compendium præfert totius operis totiusqve elocutionis rhetoricæ.

Cap. I. DE ARGUTE DICENDI RATIONE ejusq; admirandis laudibus 1.

Nomina argutiarum apud Græcos, Latinos, & Italos. 3. 4. 5. 6. 7.
Proles argutiæ verbalis & LAPIDARIÆ. 8. & ſeqq.
Proles argutiæ SYMBOLICÆ 11. & ſeqq.

Cap. II. CAUSÆ INSTRUMENTALES argutiarum totiusqve artis ſymbolicæ & Lapidariæ, videlicet *archetypon*, *vox*, *characteres*, *geſtus*, *repræſentatio & ex his modis compoſitum.* 14.

De argutia archetypa ſeu mentali 15. De *vocali* 16. *ſcripta* 18. *geſtus muta* 22. *corporum figuratorum* 25. argutiæ pictæ ſimplicibus *coloribus* 28. *imaginibus* 29. argutiæ *ſculpta* 30. *Prototypi* mortui aut vivi 33. *perſona figurata* 35.

Argutia compoſita ex archetypa & vocali 38. *voce & geſtu* 40. *geſtu & figura* 41. *figura & verbis* 41. *corpore* artificiali aut naturali *& verbis* 44. *verbis & perſona humana & vera* 48. *verbis & perſona ſignificante, & ficta* 52. *actionibus & geſtibus cum perſona ficta* 54.

Cap. III. CAUSÆ EFFICIENTES *argutiarum: Deus, Spiritus, natura animalia & homines* 57.

Argutiæ DIVINÆ tropologica 58. *allegorica* 59. *anagogica* 59. *mixta* 60. qvæ ſint *argumenta concionatoria.* 63.

Argutia ANGELICÆ 64. *oracula* 65. *ſomnia* 67. *oſtenta* 68

Argutia NATURÆ in varietate florum 71. in meteoris igneis 72. in nubibus 72. in phænomenis Solis & Lunæ 73. in fulminibus 74. in corporibus terreſtribus 75. in monſtris. 75

Argutia ANIMALIUM 77. apes platonis & formicæ Midæ 78. ſerpentes Grachi 78. canis Lucii Pauli 79. Simia Regis Moloſſi 79

Argutia HUMANÆ 80. tria adjumenta humanarum argutiarum *ingenium furor & exercitatio* 80

Ingenium in qvo poſitum ſit 80. diſcrimen inter *prudentiam &* *inge-*

ingenium 81. differentia artificum *doctorum & ingenioſorum 81. argutum artificium*, ut aves conticeſcant 82. ut pictura decipiantur 83. artificium pingendi res qvæ videri non poſſunt 83. argutiæ *architectorum 85. ſtatuarum mobilium 86. argutia optica 87. tubus* ejusqve inventio 87.

Argutiæ *furoris* naſcuntur ab *affectu 88. afflatu 90. enthuſiasmo divino & poëtico 91. à dementia* arguta & ridicula 91. ſeu arguta & atroci 63

Argutiæ ab *exercitatione* hoc eſt, *praxi lectione, obſervatione & indice categorico & imitatione. 94*

Exercitatio *practica* 94. praxis conficiendi *ſymbola* 94. conficiendorum *dictorum 95*

Exercitatio *lectionis* ad componenda *ſymbola 96. dicta 97.* modus facillimè inveniendi *dicta* in qvodcunqve argumentum 97

Exercitatio *obſervationis* 98. applicatio ingenioſa ejus qvod oculis objicitur ad varia argumenta 98. etiam *fabularum* 99. applicatio *dictorum* qvæ leguntur 100. *index* obſervationum 104

Exercitatio *indicis categorici* 106. Methodus illum conficiendi ordine prædicamentorum, qvæ omnem argutiarum materiam continent 106. *exemplum* particulæ hujus indicis 107. ratio argutandi beneficio hujus indicis 110.

Exercitatio imitationis 114. nihil non diſcitur *imitatione* 114. qvæ ſit *vera imitatio 115.* nova ratio ex ſimplici metaphora infinitas metaphoras & argutias eruendi imitationis beneficio. 115. & ſeqq.

CAP. IV. CAUSA FORMALIS *argutiarum* 120. nova genealogia *rhetoricarum figurarum 122.* harum vera definitio 123. tria ſumma genera rhetoricarum figurarum *harmonicum, patheticum, ingenioſum 123.*

De figuris HARMONICIS *Anabolæ* ſeu clauſulæ prolixiores ſunt ingratæ 124. Traſymachus primus illas diviſit ut ſtrophas Odarum unde dictæ ſunt *periodi 125.* duæ ſpecies periodi harmonicæ *conciſa & rotunda 126.*

Periodus *conciſa* aut *concinna* poſita eſt in *æqualitate* membrorum *contrapoſitis* rerum & *ſimilitudine* conſonantium 127. exempla arguta harum trium dotium conjunctarum & ſeparatarum 127. nova præcepta conficiendi pulcherrimas periodos conciſas beneficio *tabularum metricarum* earumqꝫ arguta exempla 133.

De

De periodo *rotunda* 143. eam tres virtutes reddunt harmonicam videlicet *dimenſio pedum, pulchritudo vocum & quantitas juſta* 143. Menſura *quantitatis* periodicæ ſecundum Ciceronem & Ariſtotelem 143.

De *dimenſione* periodi rotundæ 145. unusqvisqve naturaliter metiri ſolet periodos 145. dimenſio artificialis eſt difficilis 146. generatim conſiſtit in regendis jambis, veluti eqvis virga dactylorum & freno ſpondæorum 146. periodus rotunda non ex pluribus membris conſtat uti conciſa 148. ſed ex pluribus interpunctionibus veluti tactibus muſicorum 148. ſatis eſt metiri ultimum pedem membrorum 148. exemplar periodi rotundæ ex Cicerone, ejusq; examen 148. nova præceptio rotundandi periodum pro eo, qvi leges dimenſionis ignorat ſola obſervatione verborum *ſaltantium & jacentium* 151. rotunditas periodorum S. Leonis Papæ unde naſcatur 152. Tacitus & Saluſtius de induſtria mutilarunt periodos cum aures illorum rotunditate non caperentur 153.

Pulchritudo verborum naſcitur à *nobilitate* rei ſignificatæ & à *ſono* vocis ſignificantis 154. nova præceptio inveniendi verba & epitheta *nobilia* & illuſtria ex qvacunqve categoria ad periodos implendas 155. exemplum orationis nobilis & illuſtris ex rebus ſignificatis 161. ſonus vocum naſcitur à tribus *vocalibus reſonantibus à conſonis* clarioribus & à vocibus grandioribus 164. novum examen cujusqve vocalis ejusq; ſonoritatis 164. nova obſervatio harmoniæ vocalium 165. voces animantium cur gratæ ſint aut ingratæ 166. antipathia & ſympathia vocalium 166. novum examen cujusqve conſonæ 169. percutiunt vocales ut plectrum chordas 168. admiranda linguæ etiam in animantibus brutis 169. cantus luſciniæ ad verſum revocatur 169. artificium nunqvam antea auditum, mutos docere loqvi 169. ſympathia & antipathia conſonarum 174. exempla periodi aſperæ mollis & temperatæ 177. *cacophonia* unde naſcatur 175. differentia *orthographiæ* Italicæ inter bonos ſcriptores 177. plerumqve decurritur ad vocem latinam 178. de *granditate* verborum 178. *verba longa* magis ſonora ſunt qvam brevia *ſuperlativa* item & *compoſita*, verba qvoqve *jacentia* magis qvam *ſaltantia* 179. exemplum verſuum una grandi ac jacenti voce inflatorum 181. examen harum perfectionum in periodo rotunda Ciceronis exempli loco propoſita 183. leges iſtæ in brevibus Inſcriptionibus ſunt neceſſariæ, in continua vero oratione inter-

dum peccatum eſt, non peccare 184. inſcriptiones *rotunda* qvæ exempli loco eſſe poſſunt 186. anatome inſcriptionis in arcum Auguſtæ Taurinorum, unde idea pulcherrimarum latinarum ac rotundarum inſcriptionum peti poteſt 189. comparatio & cenſura inſcriptionis in Conſtantinum, qvæ ſimplicioribus adeò videtur magnifica 193. Cenſura aliarum antiqvarum inſcriptionum ex rotundarum genere, qvæ pulchræ videntur 195. pulchræ inſcriptiones rotundæ Pauli V. & Urbani VIII. 197.

Periodus *compoſita* ex rotunda & conciſa eſt jucundiſſima 198. tres argutæ rationes hujus mixturæ *tabulis metricis* repræſentatæ, qvæ oculum faciunt harmoniæ judicem 198. qvæ *tabula metrica* viſui eſt gratiſſima, ea erit auditui jucundiſſima & qvare 203. *novum exemplar* tabulæ metricæ notis mutis contextæ, qvæ verbis impleta neceſſariò harmonicam concinnamqve periodum formabit 203. pulcherrima periodus Taciti in tabulam metricam redacta 204. concinnitas arguta qvoqve reddit epigrammata 205. qvomodo *rotunda* inſcriptiones fieri poſſint *conciſa* exemplo inſcriptionum de Auguſto & Conſtantino 207. celebris Bononiæ inſcriptio concinnitate, lepida ſenſu obſcura 207. inſcriptiones argutæ ridiculæ eandem ob cauſam 208

Cap. V. De figuris PATHETICIS aut *Agoniſticis* 210. duo genera orationum *hiſtrionicum* aut *contentioſum* 213. figuræ *pathetica* vim adjiciunt argutæ orationi tanqvam amentum telo & qvidem ob ſympathiam 210. harum figurarum multos rivulos cognoverunt rhetores, fontem aut nomen genericum nemo 213. Ariſtoteles ſex ſolas nominavit: *imperium, preces, narrationem, minas, interrogationem, reſponſionem*, reliqvas involvens uno *&c.* 215. nova ſubtilitas eruendi *figuras* ab illo *&c.* figurarum ſummum genus & definitionem 215. figuræ patheticæ *ſunt formulæ exprimentes aliqvam operationem aut motum animi 215.* hoc genus dividitur in duas ſummas ſpecies ſcilicet in figuras *intellectus & appetitus 216.* præcepta de figuris *intellectus* cum exemplis & uſu in inſcriptionibus 217. præcepta de figuris *Appetitus* cum exemplis ſuis 225. curioſa doctrina excitandi jacentem inſcriptionem omnibus figuris patheticis 232. *orationes, panegyrici, epiſtola*, aliaqveſcripta communia his figuris excitantur. 237

Cap. VI. De figuris INGENIOSIS aut SIGNIFICATIONIS legiti-

Digitized by Google

legitima arguta orationis prole 238. à rhetoribus non ſatis intelliguntur 238. duæ ſpecies *verborum ſignificantium* hoc eſt, *propria & ingenioſa 238 &* hæc vel *grammatica* vel *Metaphorica* 239. De verbis *propriis 239. proprius ſermo* parvam laudem habere videtur, ſed eò gravior eſt nota impuritatis 239. præcipuè in inſcriptionibus 240 lingva maximè propria & emendata eſt, *qva ætate optima ab optimis ſcriptoribus adhibita fuit 240.* qvatuor ætates latinæ lingvæ *infantia juventus, ætas virilis & ſenectus 240.* mortua eſt Longobardorum tempore 243. ſuſcitata qvidem hodiè à Jeſuitis, ſed non eſt eadem niſi imitatione 243. lingva latina moriens peperit *italicam* 243. qvæ etiam habuit *pueritiam* ſuam & *juventutem* & nunc *virilem ætatem* adepta eſt 245. etiam inſcriptionibus convenit lingva Italica 248. ſeverè judicatur 249. exemplum pulcherrimæ inſcriptionis Italicæ 250

De verbis *Ingenioſis grammaticè* tamen *ſignificantibus 253.* ſex differentiæ horum verborum: *priſca, peregrina, derivata, mutata, compoſita ficta. 253.* Exemplum inſcriptionis ludicræ ex priſcis verbis compoſitæ in fontem qvendam 256. exempla vocum & argutiarum in *ſignificatione peregrina* poſitarum 257

Cap. VII. TRACTATUS DE METAPHORA 269. eſt illa *ingenioſiſſimus* maximè peregrinus, acutus & admirabilis ingeni fœtus 270. dummodo non ſit metaphora audacior 277. exempla metaphorarum præter decorum audacium 278. In ridiculis data opera contra decorum verba transferuntur. 280. *Metaphora* parens eſt omnis argutiæ 283. tres differentiæ metaphoræ in tribus intellectus regionibus excogitatæ, videlicet vox metaphorica, propoſitio metaphorica & argumentum metaphoricum, qvæ vera eſt & ſumma argutia. 283.

Cap. VIII. De METAPHORA SIMPLICI unica radice omnis argutiæ 284. ejus vera *genealogia* rhetoribus ignorata 284. nova doctrina ad illam inveniendam 284. vox peregrina rem alterius rei beneficio velociter ſignificans 303. octo ſpecies hoc ſummum genus adæqvantes, videlicet metaphora *proportionis, attributionis, homonymiæ, hypotypoſis, hyperboles, laconiſmi oppoſitionis & deceptionis 290.* demonſtratio hujus partitionis oculis ſubjecta 305. exemplum unius vocis argutè per omnes ſpecies metaphoricas ductæ 300

Cap.

Cap. VIIII. Metaphora PROPORTIONIS aut *ſimilitudinis* eſt vox ingenioſa, qvæ rem ſimilis rei beneficio velociter cognoſcendam præbet, ut *prata rident 306,* nova *methodus* has ſimilitudinis metaphoras ex omni categoria inveniendi, videlicet ex ſubſtantia, qvantitate, qvalitate, relatione, actione paſſione ſitu, loco, motu, tempore & habitu 307. exemplum unius vocis metaphorice per omnes categorias variatæ 339.

Cap. X. Metaphora ATTRIBUTIONIS rem conjunctæ rei beneficio velociter ſignificat; ut bellum *gladio* 341. exempla ex ſingulis categoriis ducta 341. & ſeqq. uſus hujus metaphoræ in dictis, ænigmatis, ſymbolis, emblematis, trophæis imaginibus, iconologicis gravibus & ridiculis 360. & ſeqq.

Cap. XI. Metaphora HOMONYMIÆ aliud alio ex ſimilitudine nominis ſignificat 362. ejus exempla ex omnibus categoriis 362. ingenioſisſima & pulcherrima proles homonymiæ *nota grammatica dicta aqvivoca 371. ſcripta anigmatica 371. hyeroglyphica grammatica 372.* in verbis conjunctis ſeu abruptis ſeu adjectis poſita 372 inſcriptiones ridiculæ 374. gryphi verborum 375. anagrammata literarum aut numerorum 376. etymologiæ argutæ 380. luſus in nominibus aut cognominibus detortis 381. alliterationes cum exemplis ſuis, qvomodo in promtu eſſe poſſint *paronomaſia* in ſcribendo 382. porrò hinc naſcuntur *ironia, reſponſa* non categorica, deſcriptiones ænigmaticæ, homonymia inter res veras & fictas 385. geſtus æqvivoci 387. applicationes verſuum celebrium ad diverſam ſententiam & ſententiam dicentis ad diverſam mentem traducere 388. deniqve homonymiæ facti 390. nodi comici aut tragici aut epici, aut fabularum amatoriarum 390. *argumentum fabula amatoria* homonymice per omnes categorias variatum 391

Cap. XII. Metaphora HYPOTYPOSIS *vocem oculis ſubjicit vivida velocitate* ejus exempla ex ſingulis categoriis 393. fructus ingenii ab hac Metaphora decerpendi videlicet *ſimilitudo acuta brevis & ingenioſa* ab Ariſtotele dicta *imago* mater ſymbolorum heroicorum 399. ridiculorum 400. uſus varius & argutus harum imaginum in oratione 400. *imagines erudita*, hinc naſcuntur *arguta argumenta* in *picturas* aut *ſculpturas* eorumqve exempla 402. *animadverſio aut expresſio argumentoſa 405. congruentia* aut *ſingularitas*, qvæ *deſcriptiones*

Digitized by Google

nes verborum aut *pictas excitant* 406. *parentheſis arguta* 409. *enumerationis arguta* in deſcriptionibus 412. *acumen epithetorum* propriorum aut ludicrorum 414 exempla multorum *epithetorum argutorum* in fœminam deformem ex omnibus categoriis 417. hinc naſcuntur *tituli honorum* 419. ratio cur titulus MAGNIFICI qvi hodiè ſordidiſſimis ex plebe tribuitur, maximus ſit titulus, qvo Princeps honorari poſſit 420. Hinc etiam naſcuntur *verba* qvæ vividam reddunt orationem 420. arguta ratio hæc verba ex omnibus categoriis eruendi 421

CAP. XIII. Metaphora HYPERBOLES *velociter auget & minuit orationem* 423. exemplum *propoſitionis* per omnes categorias hyperbolice variatæ, qvæ ſignificat exceſſum amoris 423. examen duarum *hyperbolicarum deſcriptionum* Martialis ſecundum categorias 425. *concluſiuncula hyperbolica* & argutæ poëtarum & oratorum, qvibus argutias ſuas exprimunt & qva ratione fabricentur 428. *hyperbole* thraſonum in comœdiis 436

CAP. XIV. LACONISMI 431. una ratio hujus figuræ, qvæ *aliud dicit, aliud tectè ſignificat* 432. exemplum *dicti injurii* tectè per omnes categorias variati 432. alia ratio acutior, *quæ paucis multa dicit velociter alludens ad id, quod tacetur* 434. hinc naſcuntur *alluſiones* in dicteriis acutis & *proverbia* indicata 435. optima *dicta* ſymbolorum 435. *ſales & argutæ reſponſiones* dialogiſmorum, comicorum & tragicorum 436. *interpretationes* veloces & argutæ alienorum verborum aut characterum 437

CAP. XV. Metaphora OPPOSITIONIS argutiarum ingenioſiſſima, *quæ rem contrario ſuo velociter declarat* 437. etiam *vana & vulgaria dicta* ex anthitetis videntur admiranda decipientes auditorem ſpecie elenchi 438. differentia inter *anthiteta harmonica & ingenioſa* 438. ratio ducendi *anthiteta* ex omnibus categoriis 438. uſus hujus figuræ in exornandis *verſibus* italis & Latinis 440. variæ formæ anthitetorum argutorum 441. ex hac figura naſcitur nobiliſſimus ingenii partus nec cognitus, nec nominatus à rhetoribus, videlicet *mirabile*, conſiſtens in repræſentatione duarum rerum repugnantium 442. exemplum hujus *mirabilis* in deſcribenda variis modis *echo* ſecundum categorias 442. qvatuor arcani fontes *propoſitionum mirabilium*, hoc eſt, *natura*, *ars*, *opinio*, *fictio* eorumqve exempla 443. *definitiones mirabiles* in epigrammatis 452. conflictus continuus mirabilium

Digitized by Google

lium anthitetorum in oratione 452. *reſponſa arguta* ex oppoſitis 453. *ſententia* anthitetis excitatæ 454. *dicta ſymbolorum* ex vocibus contrariis 454. *deſcriptiones & inſcriptiones* ænigmaticæ 454. ratio optimi *ænigmatis* 455.

Cap. XVI. Metaphora DECEPTIONIS ſeu INEXSPECTATI rhetorib⁹ ignorata 457. *eſt error, in quem auditor conjicitur, ut aliud exſpectet, alind audiat*, ita mentē decipiens ut præſtigiator oculos 457. deceptio mater *facetiarum & argutorum ſalium* 457. exempla ex qvalibet categoria 458. *deceptio* fieri poteſt una voce 462. hinc naſcuntur figuræ *barbariſmi & ſolæciſmi*, qvæ cum non exſpectantur, delectant 462. item verba & ſententiæ *mutilata ac contorta* 467. *inſcriptiones ridiculæ* 463. *alterationes* ſeriæ vel ridiculæ verſuum aut ſententiarum celebrium 474. qvæ in continua oratione artificioſè ſunt *incongrua* 465. *interpretationes* miræ 466. *reſponſa faceta* non congruentia 467. *argumenta & clauſulæ* inexſpectatæ, qvibus condiuntur faceta enthymemata 468. *inductiones* præter opinionem concludentes 470. alii modi deceptionum *Logicarum, moralium & patheticarum* 471. exemplum *elogii continui*, qvod poſtrema voce laudem mutat in vituperium 476.

Cap. XVII. DE METAPHORIS CONTINUATIS & primum DE PROPOSITIONIBUS METAPHORICIS 478. hæc eſt *allegoria*, hoc eſt *metaphora per unam propoſitionem continuata* 478. qvot metaphoræ tot *allegoriæ* ſunt ſpecies 478. exempla pulchrarum *allegoriarum*, qvæ in metaphora proportionis poſitæ ſunt 478. *continuationes allegoricæ in reſponſionibus* 480. in apologis 480. *deſcriptionibus argutis* 480. Deſcriptio roſæ ſub allegoria reginæ & nova doctrina tales deſcriptiones ex omnibus categoriis conficiendi 481. *allegoria attributionis* aliarumq; metaphorarum 482.

Cap. XIIX. DE ARGUMENTIS METAPHORICIS VEREQVE INGENIOSIS ARGUTIIS 483. hæ ſunt veræ argutiæ in ſuprema intellectus regione natæ 483. decem *exempla enthymematum argutorum* ab illuſtribus viris pronunciatorum 483. non omne argumentum ingenioſum eſt argutum enthymema, ſed qvod in fallaci cavillatione poſitum eſt, ut ſunt *clauſulæ epigrammatum* 485. examen decem iſtorum *exemplorum* ut intelligatur iſtas argutias eſſe fallacias

urbanas

Digitized by Google

urbanas 486. reſponſio Caroli qvondam Ducis noſtri ad Regem Ludovicum, cur reliqvis novem ſit argutior 487. argutiæ ſunt lepida mendacia poetarum 487 novum examen decem iſtorum exemplorum, qvo oſtenditur detracto mendacio detrahi argutiam 487. *fallaciæ urbanæ* differunt à *dialecticis materia, fine, figura ſyllogiſtica & forma eſſentiali* 488. exqviſita definitio enthymematis arguti, qvod eſt *cavillatio ingenioſa in materia civili jocosè perſvaſibili ſine perfecta ſyllogismi forma in metaphora fundata* 490. qva de cauſa qvædam cavillationes ſint facetæ & ridiculæ ut iſtæ de cornibus & muribus & aliæ non item 491. ad urbanas & argutas fallacias neceſſaria non eſt cognitio Logicæ ſed ſimplicis metaphoræ 492. duæ rationes fabricandi enthymemata arguta, de qvocunqve *themate* vel adducendo rationem argutam, vel deducendo conſeqventiam argutam 493. ſed eſt tertia qvædam ratio, qvæ non eſt verè enthymematica, ſed illam imitatur, videlicet *animadverſio mirabilis* 493. ſic igitur omnia enthymemata arguta ſunt vel *adducentia*, vel *animadvertentia* 493. novum examen decem exemplorum, ut declaretur omnia eſſe vel *adducentia* vel *deducentia* & qvibusdam adjici animadverſionem mirabilem, qvæ acumen auget 494.

TRACTATUS DE ARGUMENTIS CONCIONATORIIS eorumqve exemplis 496. argumentum concionatorium eſt argutia leviter à divino ingenio indicata, eleganter ab ingenio humano eruta & autoritate alicujus ſacri ſcriptoris confirmata 496. ſtylus antiqvus concionatorum Bitonti & Panigarolæ 497. his argutiis excitatur 497. harum autores ſunt Hiſpani 498. ex Hiſpania migrarunt Neapolin 498. tot ſunt horum argumentorum ſpecies, qvot *argutiarum* aut metaphorarum 499. exemplum argumenti concionatorii ex prima ſpecie metaphora proportionis 499. exemplum ſecundæ ſpeciei metaphoræ attributionis 503. exemplum tertiæ ſpeciei metaphoræ æqvivocationis 506. exemplum qvartæ ſpeciei metaphoræ hypotypoſis 512. exemplum qvintæ ſpeciei metaphoræ hyperboles 517. exemplum ſextæ ſpeciei metaphoræ Laconismi 520. exemplum ſeptimæ ſpeciei metaphoræ oppoſitionis 523. exemplum ultimæ ſpeciei metaphoræ deceptionis 529. Methodus hæc ARGUMENTA ſuo intellectu eruendi 533. *Zachias, Caraffa Leporius*, exempla concionatorum argutorum 534. partes integrantes argumenti

Digitized by Google

concionatorii thema, argumentum ingenioſum, difficultas ſeu nodus ſolutio, applicatio, autoritas ſacri ſcriptoris ad confirmandum 534

CAP. XIX. DE CAUSA FINALI ET MATERIALI ARGUTIARUM 536. qvot ſunt rhetorices tot etiam ſunt *argutiarum* FINES ideo aliæ ſunt *demonſtrative*, qvarum finis eſt laudare aut vituperare, aliæ *deliberativa*, qvæ ſvaſionem aut diſſvaſionem ſpectant; aliæ *judiciales* qvæ accuſant aut defendunt 526 hi fines tractantur aut logicè aut moratè aut patheticè 538. MATERIA argutiarum etiam his tribus generibus continetur, hoc eſt ſunt *res honeſtæ utiles* aut *juſta* aut his *contraria 540.* certum eſt etiam *materias eruditas & theoreticas* argutiis rhetoricis aut poëticis veſtiri poſſe, ſed hæ ratione formæ reducuntur ad *demonſtrativas*, ratione eſſentiæ ad ſcholaſticas materias pertinent 541. exempla *materiarum ſcholaſticarum* argutæ dictionis veſte indutarum 541. ad hæc tria genera revocantur qvoqve *argutia heroica emblemata* & omnia *ſymbola arguta 542*

CAP. XXX. THEOREMATA PRACTICA ad condenda *enthymemata arguta* de qvocunqve THEMATE qvod in mentem venire poteſt cum perpetuo exemplo Martialis *de ape in electro exſtincta 544.*

Theorema 1. *Argutiarum THEMA conſtituere*, qvod non ſit aridum & generale, ſed fœcundum jocisqve argutis accommodatum 544.

2. *Argutiarum thema ex infœcundo fœcundum reddere 545.*
3. *Dato themate notiones abditas indagare*, cum exemplo Apis in electro 546
4. *Repertis notionibus ſimplicia tranſlata meditari 550*
5. *Data ſimplici metaphora animadverſiones argutas comminiſci 551.*
6. *Dato themate enthymema urbanum ratione confingere 554.* aut *moratum 556.* aut *patheticum 557*
7. *Dato themate argutum enthymema derivare ex metaphora proportionis 558.* aut *attributionis 561.* aut *hypotypoſis 562.* aut *hyperboles 463.* aut *laconiſmi 563.* aut *oppoſitionis 564.* aut deniqve *deceptionis 565.*
8. *Propoſitum thema unum per ſingula figurarum genera aliter atqve aliter enthymematicè verſare* cum exemplo in verſu & proſa 566
9. *Propoſitum thema ſingula per cauſarum genera finesqve rhetoricos enthymematicè variare 569*

10. Per-

Digitized by Google

10. *Perpetuam narrationem argutis vel enthymematicis animadverſionibus interpolare* 573.
11. *Dato themate argutis & conſeqventibus hinc inde reſponſis altercari* 574
12. *Ex arcanis diſciplinarum viſceribus erudita enthymemata argute derivare* 579

Cap. XXI. TRACTATUS DE RIDICULIS. 581. Doctrina de Ridiculis ex duobus ſolis Ariſtotelis verbis, qvæ rem omnem dicunt, eruta 582. Ridiculum fundatum eſt in *deformitate phyſica aut morali, qva caret moleſtia* 582. ita ut dictum qvod mordax eſt, gratioſum fiat beneficio metaphoræ 589. qvot metaphorarum tot ridiculorum ſunt *differentiæ* 590. exemplum *thematis ridiculi* per octo ſpecies metapborarum variati 590. *inſcriptiones ridiculæ* 592

Cap. XXII. TRACTATUS DE INSCRIPTIONIBUS ARGUTIS 593. Exemplum pulcherrimi *elogii* à Cicerone *periodis argutis, ſed rotundis* in continua oratione expoſiti 593. idem *elogium* forma conciſa expreſſum 595. *elogium continuatum* Taciti de Galba ad formam *inſcriptionis conciſæ* redactum nullo verbo mutato 596. diſcrimen ſtyli *oratorii & lapidarii* 597. multi hodierni autores inſcriptionum *phraſis Tullianæ* affectatione *formam lapidariam* corrumpunt 597. exemplum *ſimplicis iſtius inſcriptionis* Arcus Auguſtæi ab autore multiplici *forma ingenioſarum inſcriptionum* ſecundum regulas propoſitas variatæ 598. inſcriptiones ingenioſæ *feſtivæ populares* lætiorem & irregularem ſtylum admittunt 602. exemplum *inſcriptionis* in feſtivitate qvadam populari 603. *inſcriptiones ſuccinctæ*, non ſine gratia concluduntur *arguto diſticho* 607. *inſcriptiones populares* in proſa debent accedere ad *verſum jambicum* utpote magis popularem 608. exemplum *inſcriptionis qvæ Rivoli exſtat* in heroicas actiones Amedæi Magni 609

Cap. XXIII. TRANSITIO AB ARGUTIIS LAPIDARIIS *verborum* ad SYMBOLICAS in *figura & facto* 611. tot ſunt ſpecies *argutiarum ingenioſarum* in facto, qvot *verborum* 612. qvicqvid eſt *lepidum* ac feſtivum in *picturis ſculpturis ludis feſtis, actionibus humanis* aut *divinis*, illud ab *octo metaphorarum* aliqva proficiſcitur 613. exempla cujusqve ſpeciei *argutiarum facti* ſeria atqve jocoſa 613

Cap. XXIV. TRACTATUS DE ARGUTIIS HEROICIS, qvas vocant Itali IMPRESE qvæ ſunt argutiæ ex facto & verbis

Digitized by Google

mixtæ 624. hujus ars doceri non poteſt niſi propoſita *perfectisſima idea*, ut Plato Reipl. Ariſtotelis tragædiæ, Cicero Oratoris pictores corporis humani 624. ars *perfectisſimi ſymboli* eſt difficillima 625. methodus inveniendi *definitionem* perfectiſſimi ſymboli a *nomine*, à laudatiſſimo *exemplo* & à *communibus opinionibus 628. nomen* ſymboli heroici 628. *hiſtrix* Regis Ludovici XI. cum dicto EMINUS ET COMINUS hactenus *perfectisſimum* habitum eſt *ſymbolum* & cur? 630. *communes opiniones* de ſymbolis & qvæ nam ſint de iis controverſiæ 634. ſymbolum cujus idea qværitur eſt *Metaphora 636.* & qvidem *proportionis 637.* ſpecie *argumenti ſimilitudinis*, qvod dicitur *imago 638.* Ariſtoteles ſymbola archetypa cognovit, earumqve exempla poſuit 638. Eſt argumentum poeticum, 640. eſt *compoſitum* ex *corpore ſignificante & anima ſignificata*, id eſt ex figura & ſententia 641. corpus ſit *verum & exiſtens 642. nobile & pulchrum 643. naturale 645. non corpus humanum 647.* non obvium ſed *admirabile 648. novum* ſed *neſcibile 649. proprietas* ſit *ſpecioſa & actuoſa 651. ſingularis 651.* corpus ſit *repreſentatu facile 653. ſpatio adeqvatum 653. figura unicum 654. campus* figuræ ſit *nudus 656. ſententia* ſit *particularis 657. heroica 657.* unica 659. figuræ adjiciendum eſt *dictum 660. acutum 662. breve 662. homonymum 665. autoris claſſici 666.* cum qvadam *anthitheſi 667. latinum 667.* ſymbolum ſit *populariter ænigmaticum 669. conveniens 672.* ſymbolum Principis Sabaudi Thomæ eſt maximè proprium 674. ſymbolum ſit *ingenioſum 675.* Mauritii Sabaudi Principis ſymbolum ingenioſorum exemplum eſſe poteſt. 675. ſymbolum debet reſpicere *finem* aliqvem *rhetoricum 677.* ſervare *decorum 679. definitio perfectisſimi ſymboli 682.* definitio *minus perfecti 682.* definitio *merè eſſentialis 682.* cenſura celeberrimorum ſymbolorum etiam *hiſtricis* Regis Ludovici, qvæ exemplo fuit 683. ſymbolum autoris 688. concluſio fieri non poſſe, ut humanum ingenium *perfectisſimum ſymbolum* efficiat, & qvare? 689. & ſeqq.

Cap. XXV. TRACTATUS DE EMBLEMATIS 691. in qvo conveniant & differant ſymbolum heroicum & emblema 692. exempla bonorum emblematum 694. partes eſſentiales perfecti emblematis thema, figura, & inſcriptio 697. differentiæ emblematum cum reliqvis ſymbolis argutis 704. emblemata omnium imaginum cœleſtium in ſtatuas horti Raconiſii 709

Cap.

Digitized by Google

CAP. XXVI DEFINITIONES ET ESSENTIA reliqvorum *ſymbolorum facti 725. geſtus aqvivoci, ſaltationis, ludorum eqveſtrium, perſonatorum, tragœdiarum, comœdiarum, apparatuum & machinarum theatricarum, hieroglyphicorum, armorum gentilitiorum, trophæorum, inſignium honorum, figurarum iconicarum qvæ nummis imprimuntur, emblematum & ſymbolorum heroicorum 725. &* ſeqq.

CAP. XXVII. INSITIONES VARIÆ artis ſymbolicæ & lapidariæ 729. exemplum thematis ordine converſi in omnes *argutias ſymbolorum & verborum. 730*

CONCLUSIO *T*otius operis 733

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ARGUTE DICENDI RATIONE EJUSQUE PARTIBUS IN GENERE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cap. I.

ESt divinus qvidam ingenii partus ſpecie magis ſuâ qvam natalibus cognitus, omni ſeculo ab omnibus hominibus in tanta admiratione habitus, ut cum legitur vel auditur, tanqvam peregrinum miraculum ab iis ipſis, qvi eum ignorant, magna lætitia & applauſu recipiatur. Atqve hic eſt ARGUTE DICENDI HABITUS, parens omnis ingenioſæ cogitationis, clariſſimum oratoriæ & poëticæ elocutionis lumen, literæ mortuæ ſpiritus vitalis, jucundiſſimum civilis vitæ condimentum, ultimum humani intellectus conamen, divinitatis in mente humana veſtigium. Nullum eſt facundiæ flumen adeò dulce, qvod absqve hac dulcedine non inſulſum ſit & ingratum, nullus eſt Parnasſi flos adeò lætus, qvi ex his hortis non ſit translatus, nullum eſt Rhetorici Enthymematis tantum robur, qvod ſine hoc acumine non obtuſum & imbelle videatur, nulla eſt gens tam fera tam inhumana, qvæ aſpectu adeò blandarum Syrenum triſtem vultum non grato riſu explicet & ſerenet, angeli ipſi, natura, ſummus Deus cum hominibus agendo abſtruſisſima & gravisſima ſecreta argutiis aut verbalibus aut ſymbolicis aperuerunt.

Digitized by Google

Sed non ſolum hujus divinæ Peithus virtute ingenioſorum hominum ſermo tantum à vulgari & plebeio differt, qvantum angelorum ab humano eloqvio diſtat, ſed ejusdem miraculo res mutæ loqvuntur, inanimæ vivunt, mortuæ excitantur, tumuli, marmora, ſtatuæ, ab hac incantatrice animorum vocem, ſpiritum & motum recipientes cum hominibus ingenioſis ingenioſè verba faciunt. In ſumma id demum jacet, qvod argutiis nullis excitatur.

Verum eſt, Lector ſtudioſe, qvantum effectibus ſplendida & viva eſt argutè dicendi vis, tantum (ut dicebam) originem ejus obſcuram, naturam ignoratam, artem deſperatam in Autoribus deprehendi. Multa legi ſcripta Oratoria, multa Epica, multa Lyrica, multa Comica, multas Inſcriptiones antiqvas, & novas ejusmodi floribus eleganter exornatas, ſed illi ipſi autores qvi ſcribere argutè ſciebant, qvæ ſit ratio argutè dicendi, ignorabant, cœco Homero ſimiles, qvem ajunt, qvid roſeum eſſet ſciſſe, qvid roſa ignoraſſe, imò, multi Veterum de argutiis ſcribere inſtituerunt, revera autem omnis ipſorum præceptio eò redit, ut multis exemplis ridiculos & facetos fructus (exiguam argutiarum partem) oſtendant, radicem vero ipſam, qvæ in ſummo genere latet aut ramos præcipuos, id eſt, integras ſpecierum partitiones ſilentio prætereant. Tullius ipſe, cui argutè dicere non pluris conſtitit, qvam os aperire, longam illam de argutiis diſputationem tandem ita claudit: Naturam non artem magiſtram eſſe Argutiarum. Et qvamvis ſatis bellum faſciculum argutè dictorum exponat, ſolum tamen ubi nata ſunt nec cognovit, nec monſtravit, tanqvam facultas argutiarum Nilus qvidam ſit, cujus rivi magis qvam fontes ſunt cogniti, imò ridens eos, qvi in veſtigiis ridiculi deprehendendis operam poſuerant, illud ipſum in hac arte ridiculum reperit, qvod ad artem revocare voluerint ridicula.

Contra autem magnam ſpem, magnum animum fontes hujus artis inveſtigandi ſubjecit mihi divinus Ariſtoteles, qvi omnes Rhetoricos receſſus exqviſite inqviſivit & monſtravit, ſi qvis cum cura ipſi attendat. Ita ut ipſius Rhetorica dicere poſſimus liqvidisſimum CONSPICILLUM, qvo eloqventiæ virtutes & vitia deprehendi poſſunt. Hic igitur de omni arte Rhetorica locutus, qvam multi niſi (1.) natura matre doceri poſſe negabant, dixit, eum certe artem poſſe reperire, qvi diverſa ſcripta intuens, qvæ aut fortuitò aut ex uſu vel bona vel mala ſint, ingenio ſuo cauſas posſit inveſtigare, cur illa ſint bona, & hæc mala,

(1.) Ariſt. 1. Rhet. c. 1 Cum liceat cauſam intueri cur &

mala, illa applauſum mereantur, hæc faſtidium creent. Hac igitur ſpe & hoc duce adhuc juvenis tam nobili tam ingenioſæ facultati explorandæ animum adjeci, ut hoc ultimum ornamentum literis humanioribus compararem, qvas noſtro ſeculo excellentia patriæ meæ ingenia ad magnam gloriam feliciter evexerunt. Conſcripſi igitur de arte hac juſtum Volumen, qvod cum aliis meis Rhetoricis Operibus adhuc qvieſcit, & ne huic arti meæ qvicqvam detrahat ſcriptorum meorum inſulſitas, idem ad excuſationem mihi proderit, qvod autori meo, qvi & ipſe orandi facultatem docuit, & nunqvam cauſas oravit, poëticam docuit, nec poëma condidit, (2.) argutias docuit, excogitavit nullas, diviſam cum Iſocrate habens gloriam, qvi artem opere exhibere potuit, docere non potuit, cum ipſe docere poſſet, agere non poſſet.

Cum vero precibus amicorum jam typis permiſerim aut præmiſerim de Symbolicis Heroicis libellum, exiguam Argutiarum partem: poſtea imperatum mihi eſt ab eo, cui voluntas mea eſt obnoxia, ut in gratiam Aulæ integrè lingua patria exponerem duas jucundisſimas artes SYMBOLICAM & LAPIDARIAM, qvibus continentur omnes argutiæ verborum & figurarum, illæ qvidem in Epigrammatis, Epitaphiis, Elogiis & omni genere inſcriptionum argutarum, hæ vero in ſymbolis, Emblematis, Numismatis & omni genere imaginum argutarum. Unde ad hoc argumentum exponendum laboribus illis meis in artem argutiarum olim impenſis uti neceſſe habui repetens multa neceſſaria de ARGUTE DICENDI RATIONE præcepta, ut ea transferrem ad conſtruenda ſymbola & Inſcriptiones, pulchram & ingenioſam hujus tantæ matris prolem.

qui ex uſu & qui fortuito quod volunt aſſequantur; hoc ipſum jam artis opus eſt.

(2.) Ariſt. 3. Rhet. c. 10. Arguta & urbana dicta formare ingenioſi eſt hominis vel exercitati; videre autem & rationem eorum tradere doctrinæ hujus eſt.

NOMEN ARGUTIARUM.

PRimum veſtigium qvo tramitem definitionum, in qvibus rerum ſubſtantiæ tanqvam in cubilibus deliteſcunt, ſagax autoris noſtri ingenium odoratur, Etymologia eſt nominis proprii, qvod appoſitè ipſe vocat clarum rei ſignum & obſcuram definitionem. (3.) Sic de natura Comœdiæ & poëſeos earumqve origine diſputationem amplificat nominis inqviſitione.

(3.) Ariſt. Poët. c. 1. & 2.

Digitized by Google

Primum igitur & ipſe obſervabo, qvibus nominibus has ingenioſi Parnaſſi delitias ſignificaverit erudita Græcia, ejusqve imitatrix Latinitas, & deniqve vulgaris lingua Italica. Obſervo itaqve (4.) autorem noſtrum ſua lingua argutias appellare σχήματα, qvæ boni ipſius interpretes figuras exponunt. Placuit hoc vocabulum Ciceroni, qvi de Callidii oratione loqvens: *Erant*, inqvit, *& verborum & ſententiarum illa lumina, qvæ vocant Græci* σχήματα, *qvibus tanqvam inſignibus diſtingvebatur omnis oratio.*

Etſi vero hæc vox σχῆμα Græcis figuram ſignificat: nihilominus magis propriè notabat geſtum qvendam vividum ex figuris actuoſis repræſentandum, unde idem Cicero alibi argutias vocat geſtus orationis ad orationis qvaſi mortuæ & motu carentis differentiam. *Illam concinnitatem, qvæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci qvaſi aliqvos geſtus orationis* σχήματα *appellant qvod verbum in ſententiarum ornamenta, ab his etiam transfertur.* Unde rectè ab Italis noſtris vulgo dicuntur *Vivezze*.

Alibi noſter (5.) autor laudans argutam Metaphoram, qva Euripides verſum Æſchyli pulchriorem reddiderat, totum genus argutiarum dixit κόσμον & κοσμιότητα, qvæ interpretes Latini transtulerunt *concinnitatem* & *ornatum*, qvi ſunt illi cincinni, lemniſci, colores, qvibus mulieres ſeſe comunt & ornant. Atqve hoc ſenſu Cicero ſæpius dicta arguta & faceta *concinnitates* vocat, & alibi *venuſtates*, voce à moribus Veneris blandientibus tracta. Unde Martialis *Veneres* vocat poëtarum argutias, & Qvintilianus Iſocratem argutisſimum laudaturus: *Omnes*, inqvit, *dicendi Veneres ſecutus eſt.* Et ab eadem Etymologia Cicero intempeſtivas ridens argutias, qvibus Siciliæ prætor rapinas ſuas incruſtabat, *lepores* vocat: *Hominem*, inqvit, *Venereum omni lepore ac venuſtate affluentem.* Hisce conſeqventer alii Latini, eas vocarunt *Syrenulas*, & vulgus Italicum ſatis eleganter vocat *Gratie*.

Sed (6.) autor noſter eô capite, qvô expreſsè agit de vocibus argutis illas vocat ἀστεῖας, hoc eſt, *urbanas*. Unde homines faceti & in

(4.) *Ariſt. Poët. c. 20. Circa dictionem unum qvidem ſpeculationis genus eſt de* ſchematibus *videlicet ipſius.*

(5.) *Ariſt. Poët. c. 21. Qvãtum vero concinnatæ in carmine polleat vel ex eo conſideretur, qvod in eodem faciendo Jambo, cum Euripides unum tantum verbum peregrinum loco proprii immutavit, tam pulcher apparuit qvam ille abjectus.*

(6.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 10. Verum qvoniam jam de his jam demonſtratum eſt, nunc unde* ἀστεῖα *ducantur, & ea maxime qvæ probantur dicendum eſt.*

Digitized by Google

in vita civili bene verſati dicuntur urbani, voce qvæ inter Latinos Ciceronis temporibus primùm audita eſt: *Hominem*, inqvit ille, *ut nunc loqvuntur, urbanum.* Ex eadem ratione ab eodem Tullio, dictæ ſunt *humanitates* tanqvam humani & civilis ingenii luſus, ſicuti è contrario Itali nominant *Huomini ferini, & Villani.* Atqve in hoc genus urbanitatis præcipuè cadunt illa dicta, qvæ vitæ conſvetudinem condiunt, diverſis iisqve ferè ſynonymis appellationibus vocata *ſales, joci, facetiæ*, qvod ultimum vocabulum qvidam à faciendo deducunt tanqvam ſint factorum argutiæ, alii à fando qvaſi argutias lepidorum dictorum unde vox *affabilitas*.

Alio eoqve graviori nomine APOPHTHEGMATUM (7.) autor noſter easdem appellat, qvorum duo facit genera, alia qvæ per Ironiam diverſam rem qvam dicunt, innuunt, alia qvæ vim ſuam in brevitate habent poſitam, dicta (8.) *apophthegmata Laconica*, & hoc vocabulum Plutarchus rectè tribuit & ſententioſis illuſtrium virorum dictis, & acutis Laconicorum pronuntiatis. Raderus idem verbum ad omnes Epigrammatum clauſulas porrigit, & generatim qvidam Interpretes transferunt hanc vocem *bona dicta*: qvomodo Ennius loqvitur: *flammam facilius ore in ardente opprimi, qvam bona dicta.* Et Tullius, qvi hunc linguæ pruritum ſenſit Pæto ſcribens acutè & facetè dicta nominavit, *effugere ſi velim nonnullorum acutè aut facete dictorum offenſionem, fama ingenii mihi eſt abjicienda.* Trapezuntius vero in illum Ariſtotelis locum Apophthegmata vertit *dicta commoda*, qvoniam κόμψος Græcis eſt facetus, & Comus erat Deus facetiarum & jocorum, & Plautus: *O Jupiter, qvam pauci eſtis homines commodi*, hoc eſt, comes & faceti. Alii Latini vocarunt *dicta dulcia*, Plautus *mulſa dicta*, Marlialis *dulces nugas*, alii *mella Attica* cum Atticis & in ſermonis & in mellis dulcedine prima laus tribueretur, tanqvam aut apes ab hominibus aut homines ab apibus didicerint mellificium. Idem autor (9.) noſter vocat eas *orationis condimenta ſeu bellaria*, reprehendens enim Alcidamanta, eum iis uti non qvaſi bellariis ſed qvaſi cibariis dixit. Sed Latini ſine aliqvo appoſito per Antonomaſiam vocant *dicta*, ut Cicero: *Noſtri cum cum eſſent breviter & acutè jocati, eo proprio nomine appellari dicta volue-*

(7.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 11. Qvin etiam Apophthegmata ex eo ſunt urbana, qvod aliud ſignificant, qvā verba dicant.*

(8.) *Ariſt. 2. Rhet. c. 22. Qvibus etiam Laconica Apophthegmata accommodantur.*

(9.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 3. Idcirco qve ſcri-pſit Alcidamas frigida videntur. Non iis qvaſi bellariis ſed qvaſi cibariis utitur.*

runt. Macrobius legit *dicteria*, & hinc arguti facetiqve appellantur *dicaces* Italice *Moteggiatori.* Et arguta dicta ſymbolorum Heroicorum vocant *Motti* vocabulo à Francis accepto, qvibus *Vn Mot* ſignificat breve dictum.

(10.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 11. Cum nova dicuntur. Qvod fit cum* paradoxon *ſit, nec, ut ille dicit, ſi ad priorem opinionẽ referas.*

Obſervo porrò eundem (10.) autorem noſtrum capite illo de Urbanitate, arguta & inopinata illa dicta, qvæ cum delectatione admirationem pariunt PARADOXA appellare. Cicero explicat *inopinata & peregrina dicta*, qvanqvam ille ab argutiis Oratoriis vocem transferat ad theſes philoſophicas, qvæ raræ & admirabiles videntur, veluti: *Omnis peccans ignarus eſt, omnia peccata æqualia, Solus ſapiens liber.* Propter eandem Etymologiam dicta illa brevia & acuta qvæ aliam rem dicunt, aliam ſignificant græcè appellantur συνθήματα veluti hæc Pythagoræ, *arctum annulum ne geſtato, adverſus ſolem ne loqvitor*, eademqve voce ſignificantur verba militaria Latinis dictæ TESSERÆ, & propter acutam brevitatem argutiæ qvoqve dicuntur *acumina*, qvæ ſi mordent, aculei dicuntur ab Italis *Acutezze & Picchi*, à Gallis *Poinctes* hoc eſt *Puncta.*

(11.) *Ariſt. 7. Eth. c. 10.*

Sed veræ argutiæ, qvæ jaciuntur, non minus propriè à Græcis dicuntur σκώμματα id eſt cavillationes, unde etiam (11.) autor noſter in Ethicis hominẽ argutum & facetum nominat εὐσκώπτοντα hoc eſt, bonum cavillatorem. Placuit Macrobio hæc vox, ingenioſa & arguta dicta *cavillationes* appellanti, eodemqve ſenſu Seneca *concluſiunculas vafras atqve ludicras*, & Qvintilianus *concluſiunculas acutas & ſubtiles*, uterqve Ciceronem imitatus, dixêre. Hac nominis ratione dicuntur qvoqve *Enthymemata*, hoc eſt, notiones à mente & ingenio procreatæ, qvod nomen, etſi latius pateat ſubſtantialem illam Rhetorices partem, qvæ theſin propoſitionibus probat, una in mente reſervata, ſignificans: nihilominus ſtrictius denotat argumentum ſuccinctum & cavillatorium, qvod verbis ludens ſenſum mente repoſitum tenet, plusqve ingenii qvam ſoliditatis oſtendit. Atqve hoc ſenſu Satyricus mulierem non decere literas oſtenſurus, dixit: *nec curtum ſermone rotato torqveat Enthymema.* Ita ut vox *Enthymema* propriè ſignificet *argumentum ingenioſum aut verbum argumentoſum & acutum*, qvod Itali dicunt *Concetto.* Atqve hæc ſunt ſenſa illa ingenioſa qvæ Latini propriè dicunt ARGUTIAS, unde eſt cognoſcere, qvam ſtulta ſit Iſidori Etymologia: *Argumentum dictum eſt*

Digitized by Google

eſt quaſi arguté inventum, cum argutiæ ab argumento, non argumentum ab argutiis, denominentur. Sic Plautus: *Inter patinas exhibere argutias*, & Mercurius in Amphitruone, minatus Soſiæ jocanti: *pergin' argutarier*? Cicero qvoqve dictionem Caji Titii, eqvitis Romani & Oratoris, judicans: *Hujus orationes*, inqvit, *tantum* argutiatum, *tantum urbanitatis habent*, *ut penè Attico ſtylo ſcripta eſſe videantur*, *easdemq; argutias in Tragœdias ſatis qvidem ille acutè*, *ſed parum Tragice transtulit*, *qvem ſtudebat imitari Lucius Afranius Poëta*, *homo* perargutus. Ubi vides ingenioſas tam ſolutæ qvam ligatæ orationis urbanitates Ciceroni eſſe argutias. Et de Timæi hiſtoria ingenioſis & acutis ſenſibus aſperſa: *genus dicendi*, inqvit, argutum *ſententiis non tam gravibus & ſeveris*, *qvam concinnis & venuſtis*, ubi apparet eum arguta & ingenioſa dicta à ſolidis & prudentibus diſtinguere. Et porro differens de antiqvioribus Oratoribus: *nemo erat*, inqvit, *qvi breviter argutéq; incluſo adverſario laxaret Judicum animos atqve paulisper à ſeveritate ad hilaritatem riſumq; traduceret*. Ubi iterum videre eſt ipſum dicta faceta & Enthymematica potius Argutias appellare, qvam ſolidas & veras argumentationes. Neqve ridicula ſolum ſed & gravia ac ſevera, modo ſint figurata & acuta, nominat argutias, qvales erant Iſocratis, qvare epidicticum ſtylum omnibus ingenioſis ornamentis abundantem deſcribit, *orationis genus ſolutum & effluens & ſententiis* argutum. Et de Hyperide: *Argutiis & acumine excelluit*. Et qvæ dictio acutior fuit aut ingenioſior, qvam Sophiſtarum & Declamatorum, qvi oſtentando ingenio ex omni clauſula argumentum faciebant, ex omni argumento argutias, atqve his argutiis victoriam à judicibus obtinebant? *Nihil eſt*, inqvit Tullius, *qvod illi non aſſeqvantur ſuis argutiis* Tandem idem hoc nomen iis tribuitur apud Perſium Qvintilianum & Aulum Gellium, qvi cum Favorinum laudaſſe febrim dixiſſet, ſubjicit: *Expergiſicando ingenio vel exercendis argutiis*.

Repertis itaqve nominum differentiis, diligenterqve examinatis, duas peregrinas obſervationes hinc eruo: prima eſt mirabilem hunc & peregrinum ingenii humani partum, qvem Argutias dicimus continere (1) *verba ſimplicia ingenioſa*, hoc eſt figurata & metaphorica. (2) *propoſitiones ingenioſas*, veluti ſententias acutas & figuratas. (3) *argumenta ingenioſa*, qvæ jure maximo dici poſſunt CON-

CEPTUS

Digitized by Google

CEPTUS ARGUTI. Ita ut orationes, carmina, inſcriptiones, Epitaphia, Elogia, Epigrammata ejusmodi ſenſibus referta nomen *argutorum* mereantur. Altera eſt obſervatio priori gravior magisqve peregrina nomina illa prædicta, qvæ ad ſolas *verbales argutias* videntur pertinere, traduci poſſe ad *res depictas aut ſculptas*, & ad *actiones* ſenſum argutum continentes, qvæ dici poſſunt *actiones & objecta figurata, metaphorica & arguta*. Hinc ipſe Tullius admonet, duo eſſe facetiarum genera, unum in verbis, alterum in factis. Sic Plinium video Lyſippi in ſcutis aliisqve imagunculis ſculpendis ſubtilitatem vocare: ARGUTIAS OPERUM & Ludionis tabulas varietate & raritate imaginum inſignes PICTURÆ ARGUTIAS ET FACETISSIMOS SALES. Deniqve ſicut omne dictum ingenioſum aut ſcriptum aut pronuntiatum vocatur ARGUTIÆ VERBORUM, ſic omnis pictura aut ſculptura ingenioſa debet appellari ARGUTIA OPERUM, qvarum illa eſt LAPIDARIÆ, hæc SYMBOLICÆ mater.

Vidiſti, ſtudioſe Lector, qvantam artis notitiam clariſſimo ſuo teleſcopio ex ſolo nominis veſtigio autor nobis noſter pepererit, nunc ulterius progrediens, eodem Ariſtotelico inſtrumento exploravi, qvicqvid legendo dignum videbatur ARGUTIARUM nomine, ut OBSERVATIONIS beneficio aliud idqve certius veſtigium aſſeqverer, remqve omnem ad bimembrem hanc & generalem diviſionem revocarem.

PROLES ARGUTIARUM VERBALIUM ET LAPIDARIÆ.

PRimum igitur ſub Lapidariæ ſignis conſtituo METAPHORAM UNIUS VOCIS, veluti hanc qvam (12.) autor pro exemplo ponit: *Sol lucem DISSEMINAT*, pro, *Sol lucem emittit*. Planetam illum inſtar providi coloni repræſentans, qvi herbas & flores procreaturus radios & lucem ſeminat. Qvare & NOMINA FIGURATA ſunt arguta, veluti *ovicula* pro Fabio Maximo, qvem populus ita appellavit qvod ad literas tardior armis tantum eſſet natus, atqve Plautinus iſte paraſitus dictus *penulus*, qvod diligenter

(12.) *Ariſt. Poët. c. 20. Simili ratione dicetur cum ita ad ſoles flam-*

genter patinas everreret. Et ANAGRAMMATA, qvæ ſunt nomina transpoſita, ut *Roma amor*, & ALLITERATIONES, qvæ auribus gratæ ſunt, ut *juventus nihil eſt niſi ventus*, & EPITHETA FIGURATA ut *homo qvadratus*, vox ab autore noſtro laudata pro homine in omni fortuna firmo & conſtante. Et DEFINITIONES METAPHORICÆ, ut famoſa illa Laberii: *Jusjurandum eſt emplaſtrum æris alieni*, & TESSERÆ MILITARES, qvæ una voce ſenſum formant, ut illæ Caligulæ ad Caſſium Tribunum: *Venus*, aut alia etiam vox ad arguendam ipſius mollitiem ſignificantior.

mam ſe habeat lucem emittere qvēadmodum ſeminare ad fruges, ideoq́, ſol dictus eſt: Sator divinitus ignis.

Sub eodem verbalium argutiarum genere colloco PROPOSITIONES ARGUTAS ET FIGURATAS, qvæ Metaphoram continuant, ut illa Gorgiæ ad hirundinem, qvæ ipſum conſpurcaverat: *minus hoc ſororem tuam dedeceret qvam te, qvæ virguncula es*, dictum qvod autor noſter ut maxime ingenioſum & Tragicum celebrat, & hæc Phormionis Terentiani: *Hisce ego illam dictis ita incenſam dabo ut ne reſtingvas lacrymis.* Ubi vides ex una radice metaphorica, *ignis* efflorescere continuam propoſitionem metaphoricam. Porrò PROVERBIA ſunt propoſitiones argutæ, veluti hoc ab autore exempli loco prolatum: *Carpathii leporem*, ſignificans multos ſuo ſibi jumento malum arceſſere ut Carpathios, qvi lepores, qvibus inſula ipſorum carebat, aliunde arceſſentes mox tanta illorum copia ſunt obruti, ut coacti fuerint habitationes ſuas deſerere. Et RETICENTIÆ qvæ tacendo loqvuntur, ut illa Demoſthenis à Phalereo tantopere laudata: *Et ego certe: ſed qvæſo taceamus.* Ubi ſilentium acrius pungit qvam longa oratio. Et IRONIÆ, ut illa Comici: *O præclarum cuſtodem ovium lupum! INTERPRETATIONES ARGUTÆ*, ut illa juvenis Terentiani, qvi verba paterna: *Abi cito*, ſic interpretatur, *viſus eſt mihi dicere, abi cito & ſuſpende te.* Et *SENTENTIÆ ARGUTÆ*, ut illa Chilonis ab autore noſtro relata: *Ames ut oſurus, oderis ut amaturus*; Et hæc altera: *dignum eſt mori, dum non es dignus mori.* Et *APOPHTHEGMATA*, qvæ propriè ſunt, ut diximus illuſtrium Virorum dicta gravia, ut illud tyrannicum Ægiſti à Caligula adamatum: *Oderint dum metuant.* Et *APOPHTHEGMATA LACONICA* qvæ plus ſignificant qvam dicunt, ut illud Steſichori ab autore noſtro relatum: *Vobis cicadæ humi canent*, id eſt, tanta vaſtitas regionibus veſtris inſeretur, ut arbor

nulla ſuperſutura ſit, ex qva cantare poſſint cicadæ. Et illud mulieris Spartanæ ſcutum filio porrigentis: *Aut cum hoc aut in hoc.* Et SYNTHEMATA qvæ aliud dicunt aliud loqvuntur, ut illud Pythagoræ: Adverſus ſolem ne loqvitor id eſt vero non obloqvaris, unde convictus & confuſus maneas. Et PROPOSITIONES ÆQVIVOCÆ ut illa ab autore noſtro laudata adverſus crudeliſſimas Draconis leges: *Draconis verè leges non hominis.* Et illa Cæſaris in furem domeſticum: *Solus hic eſt cui nihil eſt domi clauſum.* Et *RESPONSIONES ARGUTÆ* ut illa Galbæ, qvem Libo interrogabat, *qvando tandem de triclinio tuo exibis? Qvando Tu*, inqvit, *de cubiculo alieno.* Et *ORACULA FIGURATA*, ut illud Delphicum tribus adoleſcentibus Romanis: *Rex erit is qvi prima ſua dabit oſcula matri.* Ab eo ſolo qvi brutâ mente videbatur intellectum. Et ALLEGORIA, ut illa Horatii: *O navis, referent in mare te novi fluctus, ô qvid agis, fortiter occupa portum. &c.* Pompejum devictum veluti navem concuſſam alloqvens. Et ETHOPOEIA aut ingenioſa & faceta alienorum morum deſcriptio, ut Cicero nobis depingit πολιτικῶν DuumViri Capuani. Et APOLOGUS, ut ille Æſopi: Gallus gemma inter paleas reperta: *mallem*, inqvit, *hordaceum granum repe riſſe*, ut indicaret vilem & ſordidam plebem eruditorum ſermones non magni facere. Et ÆNIGMATA veluti hoc: *Qvadam eſt hoſpes non hoſpes, qva domi ſemper ſedet, ſemperq́; peregrinatur*, de teſtudine. Et *APPLICATIONES VERBORUM* ad ſenſum diverſum, ut verſus ille Pacuivii ludis funebribus Julii Cæſaris recitatus, & ingrato Bruto applicatus lacrymas excuſſit populo: *Heu me ſervaſſe me qvi perderent.*

Propoſitiones argutas excipiunt *ENTHYMEMATA ARGUTA*, qvæ propriè ut ſignificabam nomen CONCEPTUUM merentur. Talis eſt acutiſſimus ille Ciceronis adverſus iniqvas Verris leges: *Mirandum non eſt jus Verrinum tàm eſſe neqvam.* Et *DILEMMATA FIGURATA* ut illud Stoici qvo disſvaſit ne uxor duceretur: *Si deformem tibi duxeris, diſplicebit: ſin formoſam, aliis placebit.* Et *CLAUSULÆ ACUTÆ*, qvæ conſiderationem rei admirabilem continent, ut illa Valerii Maximi, poſtqvam nativitatem Gorgiæ in feretro narraverat: *Itaqve eodem momento temporis altera jam fato functa peperit, alter ante elatus qvam natus eſt.* Et *IMAGINES RHETORICÆ* in clara & brevi ſimilitu-

Digitized by Google

ſimilitudine poſitæ, ut illa Demoſthenis ab autore noſtro in exemplum propoſita: *Plebs gubernaculo ſimilis eſt, robuſto ſed curvo*, ſignificans multum ipſi eſſe virium, ſed parum prudentiæ.

Jam vero omnes hæ Argutiæ, qvæ viva voce recitatæ & oratoriæ accommodatæ VOCALES dici poſſunt, ubi ſcribuntur aut æternis characteribus, in Elogiis, Epitaphiis, Dedicationibus, Epigrammatis, Titulis, dictis brevibus, & omni genere inſcriptionum inciduntur, conſtituunt ARGUTAM LAPIDARIAM, ad differentiam vulgaris Lapidariæ, cujus nulla eſt gratia, nullum acumen. Nunc accedimus ad

PROLEM ARGUTIARUM SYMBOLICARUM.

SIcuti omnes argutiæ vocales characterum beneficio Lapidariam faciunt, ſic Symbolica exiſtit ex INSIGNIBUS & FIGURIS. Ut enim Metaphoræ (13.) ſunt Imagines, ſic Imagines ſunt Metaphoræ. Primum igitur huic generi annumero STATUAS & IMAGINES, qvæ voluptatem contemplanti afferunt. Nam, ut (14.) autor noſter ratiocinatur, pictas imagines noti alicujus hominis intuentes, ſic nobiscum à veriſimili ad verum prolabentes argumentamur: *Hic revera eſt ille*, poſt errorem noſtrum & artificis ingenium conſiderantes illo oblectamur, & huic plauſum tribuimus. Ejusmodi uſus eſt Metaphora Cæſar Auguſtus, qvi cum non poſſet Cleopatram morte huic ignominiæ ereptam in triumpho ducere, vivam ejus ſemivivæ imaginem aſpides brachio admoventem, in curru triumphali poſuit, tam curioſo ſpectaculo, ut major turba ad victam illam qvam victorem videndum confluxerit, videbaturqve Auguſtus illam, iſta populum trahere. Similes Metaphoræ ſunt omnes HISTORIÆ & PRÆLIA depicta. Unde Athenienſis atrocem pugnam Marathoniam in tabula ad vivum expreſſam videns exclamabat: *Qvam fortes ſunt Athenienſes!* Cui ſalsè reſpondit Spartanus: *In pictura.* Ubi vides eodem ingenio pictorem formaſſe Metaphoram & Spartanum renudaſſe.

Argutiores ſunt illæ IMAGINES, qvibus præter ſimplicem Metaphoram naturæ imitatricem ex ingenio acumen qvoddam accedit

(13.) Ariſt. Poët. c. 21. Recte aliqvid transferre ſimile aliqvid contemplari eſt.

(14.) Ariſt. Poët. c. 2. Ideo pictas imagines inſpicientes gaudẽt qvoniã ex illarum contemplatione accidit ut hoc illud eſſe ratiocinentur.

cedit figuratæ propoſitionis vim habens, ut Alexander ab Apelle cum fulmine pictus videbatur dicere: *alium Jovem non habet orbis præter me.* Idemqve à Lyſippo oculis cœlum ſuſpiciens ſculptus videbatur terra devicta de cœlo Jovi eripiendo cogitare. Acumen alia ratione arroganter à Caligula affectatum, qvi Coloſſo Jovis Olympii caput adimens ſuum repoſuit. Ejusmodi conceptus Romana ingenia ad majorem ſubtilitatem perduxerunt, novo genere PASQVINATORUM. Cum Roma fame extrema laboraret, Neronis ſtatuæ impoſitus eſt currus agonalis his verbis adjectis: *Nunc verè agonia ſunt.* Tragica & ingenioſa fati argutia viſa eſt autori noſtro in illa Micizii occiſi ſtatua, qvæ improviſo concidens interfectorem occidit, tanqvam huic inanimæ ſtatuæ exſtincti anima ineſſet.

Omnes hæ *argutiæ* ſunt *Symbolicæ*, ſed naturam ſymboli magis habent illæ, ubi FIGURA *rem aliam*, qvam ipſa eſt ſignificat, ut ſignificaturus hominem conſtantem ſi pingas *adamantem ſub malleo*, ubi vides duplicem metaphoram in una imagine conjunctam: *Hæc pictura eſt Adamas, & hic Adamas eſt homo conſtans.* Unde ex duplicata metaphora duplicatur voluptas. Ad hanc ſpeciem Symbolorum refero SYMBOLA HEROICA vulgo dicta IMPRESE. Et conſeqventer INSIGNIA GENTILITIA qvæqve eò pertinent CORNUA, SIGILLA &c. Moralia vulgò ſed minus accuratè dicta EMBLEMATA: Sacra propriè dicta HIEROGLYPHICA, ludentium TESSERAS, ex qvibus figura *Veneris* victoriam, *canis* damnum ſignificabat, unde Ovidius: *Damnoſos effugiatq; canes.* Porrò ORNAMENTA FABULOSA PAVIMENTORUM, à Græcis propriè vocata *EMBLEMATA.* Et ornamenta allegorica vaſorum, portarum, periſtromatum, Latinè dicta *argumenta*, ut qvæ Verres Siculis abſtulit, de qvibus Tullius: *Ex ebore diligentiſſimè perfecta erant argumenta in valvis.* Et *ORNAMENTA METAPHORICA ARCHITECTURÆ* ut columnæ, palliatas matronas exhibentes, qvæ miſeriam Cariatidum ſignificant, & tot alia mirabilia ac ingenioſa Zophororum, Encarporum & Helicum ornamenta, unde Architecti merito vocantur Ingeniarii. Aliud genus SYMBOLORUM ARGUTORUM ad idem genus retuli, qvibus *res* ex aliqvo *veſtigio aut conjuncta circumſtantia* cognoſcenda exhibetur. Talia ſunt inſignia, coronæ, ſceptra perſonarum videlicet ſymbola. Generoſa

Digitized by Google

neroſa fuit illa Auguſti metaphora, qvi cadaver Alexandri Magni *corona aurea & floribus adſperſis veneratus eſt*, ut ſcribit Svetonius. Talia ſunt TROPHÆA ex ſpoliis hoſtium exſtructa, & in oculis ipſorum erecta, ut dicere videantur: *veſtra vos arma ò temerarii moneant, qvod victi ſitis.* Sic Fabius & Domitius primi fuerunt, qvi arma Allobrogum magno labore devictorum in eminenti turri ſuſpenderunt: *Cum hic mos* (ait Florus) *inſitatus fuerit noſtris, neque enim populus Romanus hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobravit.* In his argutiis ponendum eſt illud prodigium, qvo ſub Annibalis in Italiam adventum Romana ſcuta ſangvinem ſudarunt, tanqvam dicerent: *Pugna Cannenſis, ò Romani, multo ſangvine vobis conſtabit.* Eodem pertinent *arcus, triumphales, conſecrationes, pompa, Mauſolea, urbes in victoriæ veſtigiis poſita:* Veluti à Cæſare Auguſto condita fuit Nicopolis, qvo Actiacæ victoriæ memoria (ſcribit hiſtoricus) celebratior in poſterum eſſet.

Ab eadem figura deſcendunt eqveſtrium ordinum inſignia, collaria, cruces, indicia religioſæ aut bellicæ virtutis.

In ſymbolis argutis ex adjunctis circumſtantiis etiam barbarum illum morem Scytharum pono, qvi ex craniis Romanorum cæſorum in victoriæ memoriam bibebant, nec minus barbarum illud Parthorum factum, qvi aurum liqvidum infelici Craſſi ori ingerebant, exprobrantes avaritiam ſitimqve auri (ſicut Tomyris Cyro ſangvine infuſo crudelitatem) ipſi exitio fuiſſe.

Deniq; ad hoc genus reducuntur SYMBOLA ANIMATA, à qvibus qvantum abeſt fictio, tantum gratiæ & oblectationis accedit. Talis erat ars PANTOMIMORUM, qvi ſolo geſtu indicabant ſenſus, ita ut ipſi eſſent & figura & figuratum. Præcipuè ſi cum geſtu veſtibus convenit: veluti cùm Nero Homeri habitu Trojæ excidium in Romæ incendio cantabat, qvæ erat metaphora ingenioſe crudelis. Qvid multa? omnes *Comicæ actiones* ab hac figura vitam accipiunt, atq; omnes perſonatæ & figuratæ ſaltationes, ut erant Phrygiæ, Pyrrhicæ & pugna Trojana, à nobilibus adoleſcentibus Phrygiorũ Græcorumq; Heroum habitu eqvis repræſentata ab Auguſto inſtituta & à Virgilio deſcripta. Et Delia ſaltatio, ubi eqvites fugientes & in orbem pugnantes tanqvam in Labyrintho memoriam Theſei liberatoris celebrabant. Potuiſti jam, Lector prudens, in ſumma cognoſcere,

Digitized by Google

omnem elegantiam Oratoriam, Lapidariam, Symbolicam lepidiſſimos eſſe argutiarum partus à nemine niſi autore noſtro ſatis perſpe-ctos, qvi ut poſtea apparebit, hiſce ſuperſtruxit Philoſophiam Rhetoricæ & Poëticæ elocutionis, ita ut nullum præceptum perfectè qvamvis Rhetori in mentem venire poſſit, qvin ab unico hoc noſtro Oraculo aut aperte prolatum, aut in fontibus ſuis ſufficienter indicatum ſit. Cum vero hactenus veſtigium aliqvod argutiarum & parentis & prolis, autoris hujus lumine, deprehenderim, easdem hoc ipſo duce ex veris & profundis cauſis particulatim ita clarè demonſtrabò, ut tandem (ſi patienter leges) omnem artem Symbolicam & Lapidariam imò totius Elocutionis integram Theoriam & perfectam cognitionem aſſeqvaris. Et primum, Methodum autoris noſtri ſecutus, qvi poëticam, inſtrumentorum differentias inveſtigando, tradit, altius repetens orationem diſſeram

DE

CAUSIS INSTRUMENTALIBUS ORATORIARUM, SYMBOLICARUM ET LAPIDARIARUM ARGUTIARUM.

Cap. II.

(15.) Ariſt. 3. De anim. c. 2. idem accidit in intellectu qvod in pictorum tabulis, in qvibus nihil pictum eſt, ſed omnia pingi poſſunt.

INtellectus humanus inſtar puriſſimi ſpeculi ſemper idem & ſemper varius (15.) in ſeipſo rerum imagines, qvæ ipſi objiciuntur, effingit: atqve hæ ſunt cogitationes. Hinc qvemadmodum mentis internus ſermo alius non eſt, niſi internarum imaginum perpetuus contextus: ſic externus ſermo non eſt alius niſi ordo ſenſibilium ſignorum ex imaginibus mentis expreſſorum veluti typus ex Archetypo. Sed ex his ſignis exterioribus alia ſunt *loqventia*, alia *muta*, alia ex muta facundia & facundo ſilentio compoſita. Signa LOQVENTIA illa dico, qvæ verbis aut pronuntiatis aut ſcriptis ſenſa mentis explicant. Signa MUTA ſunt verborum imagines, aliæ cum motu ut *geſtus*, aliæ artifi-

artificioſè objecta ipſa imitantes, ut *figura picta aut ſculpta*. Deniqve ex mentis conceptu ejusqve tacitis aut facundis ſignis qvotidie induſtria humana alias ſignificationum formas excudit, qvas COMPOSITAS dicimus, ad qvem modum agricola varia variis inſerendo novas & peregrinas florum fructuumqve ſpecies producit. In ſumma, tanta eſt facundi ingenii fœcunditas, ut ſilentio ipſo ad diſſerendum utatur, nec lingua deeſſe poſſit, cui mens non deeſt. Sex igitur modis indicari poteſt ſymbolū aliudve argutum & figuratum dictum, hoc eſt beneficio *conceptus mentalis* tanqvam archetypi: beneficio *humanæ vocis: literarum ſcriptarum: geſtuum: objecti repræſentatione* & deniqve *modo* ex hisce *miſto*, de qvibus ſpeciatim dicam exemplis ſubjectis, qvæ obſcuris præceptis claram lucem afferunt.

ARGUTIÆ ARCHETYPÆ ſunt illæ, qvas cogitando in mente depingimus, ut ſi mecum hæc animo volvam: pro ſymbolo capio erinaceum undiqve aculeos ſuos projicientem, ut adverſariis meis, & qvi prope & qvi procul ſunt, metum injiciam. Atqve has archetypas argutias per ſymbola exteriora protractas, in alterius animo depingere ſtudemus, cum ſpiritus in nobis ſpiritui alieno absqve ſenſuum miniſterio nihil poſſit communicare. Atqve hinc profecta eſt ſtulta Socratis rabies naturam accuſantis, qvæ feneſtram hominis pectori non indiderit, ut ipſi mentis conceptus in fontibus ſuis poſſent inſpici, ſine mendacis linguæ interpretatione, qvæ qvod prodit, eo ſæpe prodit. Adverſus qvam qverelam natura poterat Apologiam adornare reponens, qvod magna voluptate tot artium ſermoni inſervientium ingenioſos fuiſſet defraudatura. Angelus igitur & anima corporeo vinculo ſoluta ſpirituales cogitationum ſuarum imagines alteri ſpiritui ſine medio indicare poteſt, alter alteri ſe & pictorem & picturam præbens, qvi brevis eſt & naturalis angelorum ſermo. Ex qvibus iis qvi qværunt *an angelus poſſit aut ſymbolum concipere, aut alteri angelo indicare, cum non ſignis conceptuum, ſed ipſis conceptibus loqvatur, eademq; res ſit, & ſignificans & ſignificata prototypus & typus:* facile ſatisfieri poteſt, qvod intellectus angeli cum ſit inſtar ſpeculi voluntarii, qvod ea, qvæ concipit pro arbitrio tegere aut oſtendere poteſt: poſſit etiam ſignificationem ita inſtituere, ut ex trunca & mutila imagine integrum conceptum alter conjiciat, ſicuti ab erinaceo picto cogitatio pingentis colligitur.

Qvod

Qvod ſi hoc ſignificandi modo omne acumen ſymbolorum & argutiarum, imo omnis poëſeos qvanta, qvanta eſt conſtat, qvis neget angelos ſi lubeat aut poëtas ſymbolorum, emblematum, hieroglyphicorum, aut alterius arguti ſenſus conditores eſſe poſſe? Qvin Deus ipſe aliqvando Prophetarum mentibus ecſtaticis objicere amat nunc *virgam oculatam*, nunc *panem volantem*, nunc *ſcalam cælo appoſitam*, nunc *librum ſeptem ſigillis munitum*, qvæ divina eſt poëſis, ingenioſæq; argutiæ & archetypa ſymbola æternæ mentis, plena myſteriorum ſub allegorico & figurato velo eleganter latentium, cum hominis ingenium amet illa qvæ miratur, magisqve miretur veritatem veſtitam qvam nudam.

ARGUTIÆ VOCIS ſunt (16.) imagines archetyparum ſenſibus expoſitæ, cum & auris ſuas habeat picturas, qvarum colores ſoni, lingua penicillus eſt. Sed imagines adumbratæ potius qvam abſolutæ, in qvibus ingenium plus intelligit, qvam lingua loqvitur, & conceptus ſupplet, ubi vox deficit. E contrario dicta nimis clara perdunt argutiarum lumen, ſicuti ſtellæ in tenebris ſplendent, in luce obſcurantur. Atqve hinc naſcitur duplex lætitia ejus, qvi argutias excogitat, & ejus qvi audit. Alter enim lætatur, ſe ingenii ſui partum nobilem in alterius ingenio excludere, alter ſe oblectat, qvod ingenio ſuo id recludat, qvod alterius ingenium furtim abſcondiderat, cum non minor ſagacitas in exponendis qvam componendis argutiis reqviratur.

(16.) *Ariſt. de Interpr. c. 1. Ea qvæ in voce conſiſtunt ſigna ſunt conceptuum qvi in anima ſunt.*

Hoc igitur genere continentur primum omnes illæ argutiæ, qvæ articulata voce aut continuis orationibus, aut recitationibus theatralibus, aut privatis etiam colloqviis immiſcentur, in qvibus multa ſymbolica dicta notari poſſunt, qvæ æqvè facile pingerentur ac dicuntur. Tales erant Junonis minæ nuptiis Laviniæ cum Ænea peregrino offenſæ

Sangvine Trojano & Rutulo dotabere virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Ciſſeis prægnans ignes enixa jugales,
Qvin idem Veneri partus ſuus & Paris alter
Funeſtæq; iterum recidiva in Pergama tædæ.

Ubi

Ubi vides omnem clauſulam verbum eſſe figuratum & ſymbolicum, calamitatis cujusdam nuptiis hiſce fatalibus & inauſpicatis præſagum. Argumentum furibundi hujus ſermonis in magna qvadam tabula eleganter poſſet depingi, in medio cerneretur Æneas ipſe cum Lavinia, dextris implicatis fidem conjugii ſibi dantes, ille cruento Paride ſtipatus, iſta Helena lacrymante. Inter utrumqve Pallas armata & Veneris puer, hic arcum telaqve fracta face ſua comburens, illa triſti vultu officio pronubæ fungens manus ſponſorum conſtringere & noctua ſua funeſta omen feſti lugubris facere. Ab una parte Trojæ adhuc fumantis ruinæ, ambuſta Trojanorum cadavera, Græci cruento ferro armati & facibus incendiariis inſtructi, ex altera parte Hecuba Ciſſei filia & Venus deſperatæ: hæc candidos capillos dilacerans, illa pectus dextra obtundens, ſiniſtra facem ab ipſa procreatam, qvæ patriam & familiam in flammam conjecerat deſtruens. Ancillæ & ſervi circum circa ditiſſimam ſupellectilem, ſed ſangvine aſperſam, ad arrhas ſponſalitias & dona nuptialia offerentes. Ita ut dicere poſſimus, poëtam egiſſe pictorem minasqve Junonis eſſe verba depicta aut picturas loqventes. Sed qvæ accuratiſſimi penicilli ſubtilitas, ingenioſi qvamvis Ludionis, vel longo ſtudio magis ridiculas magisqve argutas imagines vilium qvarundam muliercularum potuiſſet animare, qvam à lingua Plautina tribus verſiculis fuêre delineatæ?

Hæ hic ſunt limaces, lividæ,
Diobolares, ſchœniculæ, miraculæ
Scrantiæ, ſcrupedæ, tantulæ.

Nonne vides vocem omnem facetum eſſe luſum, & ductum omnem vivam imaginem? Nonne videre tibi videris faciem turpem & fœculentam inſtar limacis; ſub cujus gibbo cochlea videtur lateſcere, atqve id vult epitheton *limaces*. Aliam fuſcam ſicuti araneam, pugnis vulneribusqve lividam inſtar caniſtri, atqve hæc eſt *livida*. Aliam delicatulam, pictam, belle ornatam, à vagabundo mendico duos obulos palmâ capientem, atqve hæc eſt *diabolaris*. Aliam corpore attenuato & ſubtili magis qvam baculus, ſed contorto & magis nodoſo qvam funis, & hæc eſt *ſchœnicula*. Aliam ita

 defor-

deformem, ut qvi eam aſpicit, admiratione & ſtupore exiliat, & hæc eſt *miracula*. Aliam vehementer tuſſientem, ut videatur oculos exſpuere & pulmones excreare, atqve hæc eſt *ſcrantia*. Aliam cruribus captam inſtar arcus incurvatam & pedes ægrè trahentem, atqve hæc eſt *ſcrupeda*. Poſtremam adeo parvam; & contractam ut non corpus ſed epitome corporis & fœminæ compendium videatur, & hæc eſt *tantula*. Qvam itaqve differentiam inter has Plauti argutias dictas & Ludionis pictas deprehendes?

Deinde ejuſdem generis ſunt argutiæ qvæ narrantur, qvando acumen unius voce aliena ad aures tertii pervenit, ut ſi dicam: Scias Ludovicum XII. pro ſymbolo uſurpaſſe erinaceum, verbo adjecto: *Eminus & cominus*. Imo et ſi avis vocem humanam imitetur: qvalis illa fuit, qvam Anno fame docuit, ut eadem verba repeteret, qvæ argutias proferre poteſt ipſi ignoratas, unde Papinius Statius roſtrum pſittaci argutum vocavit, qvi menſæ Melioris pro paraſito aderat convivas facetè ludens & ridens, in qva qvidem ave magiſter agnoſcebatur & ejus voce, alterius verò ingenio argutiæ formabantur: cum æqvè poſſit animal in cavea vivens vocis imitatione ſymbolum repræſentare, ac animal in ſcuto pictum imitatione colorum.

Qvid? qvod voces etiam informes & inarticulatæ ſonum ferarum imitantes aliqvando poſſint ſenſum argutum plenè exprimere, & ſymbolum Heroicum bruta voce animare, veluti ille fecit, qvi ut rivalem qvendam ſuum Calabrum ridendum propinaret, cujus os ut roſtrum ſuillum prominebat, nihil aliud niſi grunnitum edidit, atqve hoc ſono ad vivum eum depinxit.

ARGUTIÆ SCRIPTÆ ſunt imagines vocalium, qvoniam, (ut autor noſter docet) qvod ſcribitur (17.) eſt ſignum vocis, & ſcribere eſt verba in charta ſeminare. Atqve hic modus eſt magis argutus, magisqve fœcundus ingenioſiſſimorum partuum qvam argutiæ vocales. Hinc enim naſcuntur inſcriptiones acutæ, ſymbolorum verba, ſententiæ abruptæ, literæ Laconicæ, characteres myſtici, Epigrammata, Hierogrammata, Logogryphi, notæ occultæ, qvæ mille modis ſenſa arguta obvelando indicant. Videbis ſæpius ſcripta verba mutila, qvæ ad reliqva in pectore ſcriptoris legenda te remittunt. Veluti hoc: SIC VOS NON VOBIS, qvod Anto-

(17.) *Ariſt. de Interpr. c. 1. ea qvæ ſcribuntur ſigna ſunt eorum qvæ in voce conſiſtunt.*

Antonius Leva ſignis & portis jocans inſcripſit cum Mediolanum ab ipſo captum & expetitum Maximiliano Sfortiæ reſtitui videret. Et hæc fragmenta verſus Virgiliani ſufficiebant apibus depingendis qvæ mella gignunt, nec iis fruuntur, acumen qvod inventori magnam laudem,nullam mercedem peperit.

Aliàs videbis verba primis literis notata ut ſymbolum illud Sabinorum: S. P. Q. R. hoc eſt, Sabinis populis qvis reſiſtet? Cui Romanorum prudentia opponens ſuum S. P. Q. R. ſcripturam retorſit & ſcriptores percuſſit delendo Sabinos eorumqve literas in tropæi monumentum conſervando. Sic Senatus Aretinus aqvilæ ſuæ duas literas inſcripſit S. C. hoc eſt: Sic crede. Ita qvidam rudem Philoſophum ſymbolo deſignaturus adſcripſit ipſi literam A. qvæ lingua hieroglyphicia notat bovem. Similiter detrahendo aut adjungendo literas ſimplex dictum evadet figuratum. Sic Heraclides Orator panegyricum regi Ptolomæo dedicans inſcriptum: ΠΟΝΟΥ ΕΓΚΩΜΙΟΝ, hoc eſt laus tolerantiæ: Rex argutè primam literam ademit, ut eſſet *ὄνου ἐγκώμιον laus aſini*, ut indicaret tanqvam barbarus tolerantiam jumentorum eſſe non regum virtutem. In qvo genere majorem laudem ille meruit qvi rogatus, qvibus ſignis verus amicus à ficto diſcerneretur, latinè reſpondit hac elegantiſſima Echo:

AMORE
MORE
ORE
RE.

Hoc eſt amicus cognoſcitur affectu moribus, verbis, factis. Alii non minus ſolertes eo artificio ſcriptum componunt, ut inverſum legi poſſit & ſententia contraria emergat, revocans qvod dictum eſt, vituperans qvod laudatum. Hac forma Henrico VIII. Regi Angliæ, adulteræ marito, uxoris adultero, Eccleſiæ Apoſtatæ ſcriptum eſt:

Conjugium tibi Rex fœcundent Numina longo
Semine nec ſterilis ſit tibi progenies.

Qvod diſtichon retrogradum ironice prorſum, propriè vorſum intelligendum à poëtis vocatur *Cancer*. Atqve is fuit nuptiarum illa-

rum qvibus diſtichon illud ſcriptum erat, exitus. Nec verbis ſolum ſed & qvacunqve litera retrorſum lecta cavillatorias & mordaces argutias tam græcè quam Latinè Peletarius & Rabanus fermarunt. Et quædam leguntur ſatis ſalſæ in neſcio quem, qui nomen ſuum inverſum ſcribere amabat. Huc pertinent verſus, qui verba & ſententiam inter ſe dividunt veluti

pit rem, tem pit lorem
Qvi ca Uxo li ca atqve do
ret re, te ret lore.

Aliquando ex characterum forma potius, quam vocum ſono exiſtunt argutiæ, cujus generis erant illæ Doctoris Pariſini, qui de Eraſmi quodam libro quid ſentiret rogatus, hoc de eo judicium fecit:

ER habet Auſonium liber hic: habet ERque Pelaſgum
ER habet Hebræum, prætereaque nihil.

Qvoniam enim Litera R pronuntiatur.
apud Latinos ER
apud Græcos RO
apud Hebræos RES.

Id ſatis erat ut intelligeretur nihil niſi errores libro illo contineri. Talis fuit jocus poëtæ Itali qui Italiæ defenſionem verſibus occultè pungentibus hoc modo paravit: *Tu, qvi ſpernis nonam figuram & minoris es, qvam illa qvæ præcedit, vade & duplica eam qvæ ſeqvitur: nec enim alii rei à natura es factus.* Ubi nona figura ſignificat literam I. quæ *Jota* vocatur, quæ antecedit eſt H. & habetur pro nulla, ſubſeqvens eſt K. quam vult duplicari in qua geminatione Ka Ka eſt omnis aculeus. Sæpius conſideratur figura non autem poteſtas literæ, ut in hoc ænigmate Scaligeri:

Dic mihi qvale putes Nomen qvod recta COLUMNA
Inchoat: inde TRIDENS FUSCINA nectit; item
Flexus utrinqve UNCUS ſecat: hinc BIVII nota: claudit
Idem UNCUS medio qvi ſtetit ante loco.

Atque

Atque hoc eſt nomen JESUS cujus primam literam columna, ſecundam tridens, tertiam uncus flexus, quartam bivium, ultimam idem uncus qui in medio exprimit.

Eſt alia quædam ratio argutè ſcribendi literis non vulgaribus ſed inter eruditos notis, quæ vocantur NOTÆ. Duas vidi ad pedes Crucifixi, unam cui forma erat Literæ I. cum ductu calami circa finem ad inſtar falcis reflexo, alteram quæ literam A. quinquies complicatam habebat: primæ ſubſcriptum erat TUA, ſecundæ MEA, quoniam enim apud intelligentes prima nota MORTEM altera VITAM ſignificat, inde pia hæc ſententia exiſtebat: *Mors tua vita mea.* Sic notis Aſtronomicis argutè quidam uſi ſunt verborum loco, ſicuti Hiſpanicum quoddam ingenium imagini Comitis Olivarii, quæ tota armata erat inſcripſit ſagittam circulo conjunctam, quæ eſt nota tertii planetæ, indicaturus HIC EST MARS. Ad hunc modum mordax quoddam ingenium domum fœminæ cujusdam ignominia notabat foribus ejus circulum cruci annexum adſcribens, ut hac nota Aſtronomica planetæ quinti ſignificaretur: DOMUS VENERIS. Aliqui quidam notis Muſicis vice ſyllabarum utebatur ad ſententiam acutam. Libro enim Hiſtoriographi alicujus ex eo genere, qui niſi aurata penna non ſcribunt, inſcripſit ſex notas Muſicas hoc ordine:

SOL. DO. MI. FA. LA. RE.

Qvintæ notæ ſyllabam PAR præmittens: ex quo colligitur hæc ſententia: *Merces me facit loqvi.* Alius Martis & Veneris notas Aſtronomicas cum cruce & tres notas Muſicas *Brevem, Majorem, Maximam* ſcribens hoc diſtichon voces charactere communi interſerens confecit:

In MARTIS VENERISQVE acie, BREVIS eſſe voluptas
Fertur: CRUX MAJOR: MAXIMA pauperies.

Porro argutiſſimæ ſunt notæ Arithmeticæ in ejusmodi facetiis, quibus utebatur rivalis quidam parum à domina ſua amatus, quæ dicebatur COELIA SANCTA; ipſi in magna charta pauca hæc verba ſcribens:

C C. qvare me occidis?

Simili ænigmate diabolus revera luſit juvenem mendacii ſocietate ſibi ſimilem, hic erat Nero, qvi conſulens Oraculum delphicum reſponſum tulit, ut ſibi caveret ab anno 63. & ſtultus exiſtimabat

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

tam longam vitam ſibi promitti, qvæ à Galba tertium & ſexageſimum annum nato ipſi eripiebatur.

Nobilior atqve acutior ingenii vis eſt in vocum ſonis imagine qvadam exprimendis, ut muti characteres voce æqvivoca loquantur. Vetus eſt hæc ſubtilitas celebrium Architectorum Batrachii & Sauræ, qvi templo Octavii adificando Romam vocati erant ac operam ſuam ſine ullo præmio offerebant, modo liceret ipſis nomina ſua operi inſculpere, qvod cum ipſis Romana ſuperbia non permitteret rationem ejudem rei conſeqvendæ aliam ab ingenio petiverunt ſiqvidem omni baſi, omni Zophoro templi inſculpſere RANAM & LACERTUM, quæ græcis verbis ΒΑΤΡΑΧΟΣ & ΣΑΥΡΑ ſignificantur. Nec in hoc genere noſtrorum temporum ingenia defecerunt: *Marinus Delphinus* Siculus amore nobilis fœminæ incenſus, cui nomen gentilitium erat *de Vermibus*, indicabat ipſi amorem ſuum literis ſine verbis loquentibus, quibus pictus erat DELPHINUS in AQVIS MARINIS & ſupra SCOPULUM Rex cum HAMO piſcatorio, cui eſca impoſita erat VERMIS: volens dicere, durus amor verme ineſcat delphinum marinum. In ſumma magnum eſt beneficium loquendo poſſe ſcribere & loqui ſcribendo, ita ut omnes legant pauci intelligant, & ſententia utut interdum vulgaris, fiat pretioſa, dum qværitur.

Nonnunquam vero nec minus ingenioſæ nec minus facundæ ſunt mutæ GESTUS ARGUTIÆ, quem autor noſter non vocis indicem ut literas, ſed animi (18.) interpretem vocat. Sicuti enim ex hominis aſpectu colligimus quid valeat, ſic ex motu ejus quid velit, ita ut poſſimus dicere verba eſſe geſtus ſine motu, & geſtus eſſe verba ſine ſtrepitu. Loqvuntur oculi cum oculis, & nunc riſum, nunc lacrymas pro vocibus, adhibent. Loqvuntur ſupercilia ſe incurvando & explicando. Loquitur os nunc ſubridendo nunc ſuſpirando, loquitur totum caput nunc annuendo nunc renuendo, loqvuntur pedes nunc præ gaudio exſilientes nunc ſolum præ ira percutientes, loqvuntur brachia nunc ſupplicia & expanſa, nunc erecta & geſtientia. Loqvuntur manus, quicquid lingua proferre poteſt & ars excogitare: omnes digiti ſunt Alphabetum, totum corpus charta ſemper apta ad novos characteres recipiendos & delendos. In ſumma miraculum videatur, quomodo mens ullum cogitatum

(18.) *Ariſt. 4. Ethic. c. 8. omnes nutus ſunt animorum indices, ut enim ex corporibus actionum ita ex motibus animorum argumẽtum judiciumq; conficimus.*

tum poſſit occultum habere, quæ tot proditoribus quot membris eſt cincta. Nec ſine cauſa paraſitus ille negabat ſe retinere poſſe ullum ſecretum, cum plures quam cribrum rimas habeat.

Plenus rimarum ſum, hàc illac perfluo.

Sicuti vero ex verbis Oratoriis alia ſunt propria & plana, alia metaphorica & figurata, ſic ex geſtibus, alii ſunt naturales & vulgares, alii artificioſi, faceti, ſalibusque figuratis & ingenioſis argutiis animati. Unde Qvintilianus *argutas* vocat Hortenſii *manus*, quibus non minus ac lingua argutè loquebatur. Et Cicero *argutias digitorum* vocat geſtum ſententiæ Oratoris accommodatum. Veteres Grammatici, etiam in geſtu & motu Solœciſmum notabant. Geſtus metaphoricus erat Plautini Palæſtrionis, qui ingentes fraudes ſecum meditatus:

Pectus digitis pultat: cor credo evocaturus foras,
Concrepuit digitis: laborat: crebro ſtatus mutat:
Eccere autem, ædificat. Columnam mento ſuffulſit ſuo.
Apage: non placet iſta ædificatio - -

Qvomodo obſervator ſervus hos ejus geſtus explicabat. Geſtus metaphoricus erat elatum illud ſupercilium & affectatè ſeverum, & graviter ſuperbum Capuani illius Duum-Viri, ut (oratore Romano interprete) vulgo perſvaderet *hoc ſupercilio Rempublicam ſe ſuſtinere, non ſecus atqve humeris ſuis cœlum Atlas.* Metaphoræ geſtuum ſunt etiam illæ quas Ovidius amicam docebat, ut in publico convivio inter ſe tacendo loqverentur & tacerent loquendo:

Me ſpecta nutusq; meos vultumq; loqvacem
Excipe, furtivas & refer ipſa notas.
Verba ſuperciliis ſine voce loqventia dicam
Verba leges digitis, verba notata mero.

Metaphora cum animoſa anthiteſi conjuncta fuit illa Carthaginen-

nenſis legati, qui cum Andromacho ex navi verba faciens græcæ linguæ non ſatis peritus manum extendit atqve ſupinam illam convertit, indicaturus ſe civitatem ipſius everſurum niſi Corinthios Tauromino ejecerit. Sed eadem lingua Andromachus reſpondit manum itidem extendens & invertens hoc geſtu interminatus ſe naves ipſius depreſſurum, niſi celeriter vela vertat. Simili arte petulans qvædam fœmina qvæ nec precibus nec minis nec flagellis reprimi potuerat, qvin maritum fabulam civitatis faceret jam flumini ſubmerſa, ut ſine cymba ad Plutonem trajiceret, jamqve ſpiritu & voce ſuffocatis adhuc duos digitos ſupra aqvam extulit, ut marito cornua exprobraret, & manu ſignificationem figuratam ederet. Qvomodo igitur ſexus ille taceat, qvi ſine voce adhuc loqvitur? Eadem ratione Neapolitanus Calabrum qvendam ſibi ungves præcidentē ludibrio habuit. Segmen enim ungvis ſumſit & pedi ſuo impoſuit, qvem attrahens, tanqvam ſpaſmo laboraret, dicere tacendo videbatur: *Tu es magna beſtia.* Sed lepidiſſimum fuit ex metaphoricis geſtibus colloqviū ſapientis Græci cum Romano ſtulto, qvod Accurſius nobilis JCtus deſcribit, hi enim nutu inter ſe loqventes ſe invicem ambguis interpretationibus fallebant, atque ex hac deceptione ſpectatorum voluptas naſcebatur. Verba Accurſii ſunt hæc: *Anteqvam Græci Romanis leges concederent, ſapientem miſerunt, qvi exploraret an Romani digni eſſent legibus. Hi conſilio habito delegarunt hominum ſtultum, ut cum ſapiente Græco ſermonem conferret, qvo ſuperato in jocum res abiret. Græcus diſputationem orſus digitum unum ſuſtulit, ut ſignificaret* Deum eſſe unum, *& ſtultus putans eum ſibi oculum velle eruere duos ſuſtulit, & cum iis ſimul, ut naturaliter fit, pollicem, ut Græco in utrumqve oculum involaret. Credidit Græcus Romanum tribus digitis ſignificare* Deum eſſe trinum, *hinc palmam porrexit qvaſi diceret:* Omnis res coram Deo nuda eſt & aperta. *Stultus exiſtimans eum velle ſibi alapam ducere, pugnum, ut illum feriret, monſtravit. Græcus imaginabatur illum dicere velle,* Deus omnes res qvaſi pugno conſtrinxit, *atqve ita admiratus acumen ingenii Romani Rempublicam illam legibus dignam judicavit.* Hæc Accurſii narratio ſeu fabula ſit, ut Budæus vult, ſeu vera ut Forcatulus etiam JCtus (qvoniam antiqviſſimos Græciæ Philoſophos mentionem feciſſe mentis divinæ & verbi & Spiritus videmus) tamen id oſtendit, geſtum cum figura ingenioſa conjun-

Accurſ. ad l. neceſſarium l. 8. poſtea qvaliter ſive in verbo conſtitui ff. de verb. oblig.

conjunctum aut ei qvi facit, aut ei qvi id interpretatur eſſe jucundiſſimum.

Ex hoc metaphorarum genere effloreſcit tota ars Pontomimorum, qvi veluti ſimiæ muto geſtu repræſentant actus heroicos aut ſcurriles: eſtqve omnis ipſorum geſtus ſermo figuratus etiam ſurdis intelligibilis. Sed de hiſce aliisqve theatri ludicris, qvoniam incidunt in argutias mixtas ex figura & geſtu, poſtea dicemus. Nunc venio ad mutas ARGUTIAS CORPORUM FIGURATORUM, qvæ duabus rebus, ut autor noſter innuit, priores gratia vincunt: primum in PICTURA (19.) qvæ rerum ſimulacra oculis objicit, & virtute *imitationis materialis* intellectum in errorem gratum & erroneam admirationem conjicit, ipſum ad ratiocinandum inducens, *hoc fictum eſt verum*. Unde etiam cadavera & qvæ viva horremus, imitatione expreſſa gaudentes intuemur. Deinde in POESI, qvæ *imitatione metaphorica* corporibus depictis, qvæ ſub viſum cadunt, utitur ad rem ſignificandam, qvam non videmus. (20.) Qvodſi igitur pictoris imitatio vehementer delectat ex admiratione, *qvod leo fictus ſit verus*, multo magis poëtica imitatio delectabit ex admiratione *qvod leo verus ſit homo fortis*. Atqve hic eſt ſcopus Emblematum omniumqve ſymbolorum figuratorum & metaphoricorum, in qvibus duo conſiderantur: *corporum* qvalitas eaqve *repræſentandi modus*.

Qvantum ad CORPORA, nullam rem, *qvæ* qvidem *materiam habet & ſub viſum cadit*, ſummus artifex ex cœco nihili ſinu eduxit, qvin hæc ars ſymbolica tanqvam omnipotentiæ æmulatrix ferri aut penicilli acumine ſaxi aut telæ ſuperficiei imprimat, & delineet. Nam ut omittamus Pyramidum hieroglyphica, nummorum facies, emblematum imagines, nullum eſt ex CORPORIBUS NATURALIBUS qvæ ſub viſum cadunt, qvod non celeberrimis Heroum ſymbolis typis expreſſis & laudatis inſervierit. Ex *corporibus cæleſtibus* habemus *Solem* Philippi II. *Lunam* Henrici II. *Stellam* Marchionis Piſcarii. *E ſublunaribus inanimis ſphæram elementarem* Academicorum ſecretorum Vicentiæ, *flammam Claudiæ* Rangonæ, *iridem* Thomæ Epiſcopi Pruſſinonenſis, *ſcopulum in undis* Porcellagæ, *mare* Thomæ Marini, *montes fulmine ictos* Veſpaſiani Gonzagæ, *montem Olympium* Octavii Vanneſii, *adamantem in igne* Colanthonii Cara-

(19.) Ariſt. Poët. c. 2. qvæ cum moleſtia adſpicimus eorum imagines affabrefactas gaudentes intuemur, qvia ratiocinamur qvod hoc illud eſt.

(20.) Ar. 1. Rhet. 11. Qvoniam diſcere atqve admirari jucundum eſt, neceſſe eſt, ut, qvæ imitatione aſſe-

quimur, jucunda ſint, ut pictura & poëſis, quoniam ratiocinamur, quod hoc ſit illud.

Caraccioli, *pomum aureum* Arigonii. Inter *animata roſam* Virginei Urſini, *Heliotropium* Caroli Gonzagæ, *quercum* Antonii Landriani, *pinum* Pignæ, *mala cotonea diſſecta* Cotiniolæ. Ex *ſenſitivis elephantem* Emanuelis Philiberti, *canem ligatum* Cicalæ, *cervum vulneratum* ſancti Caroli Borromei, *ſerpentem in junipero* Cotiniactii, *bufonem* Franciſci Medici, *aqvilam inter cygnos* Cardinalis Gonzagæ, *ſtruthiocamelum ferrum deglutientem* Zampeſchi, *vitulum marinum* Virginei Urſini, deniqve ex *rationalibus* de qvibus qvidam dubitant, utrum ſymbolis conveniant, *infantem ſclopetum diſplodentem* Barnabæ Adornii, *hominem ad leonis pedes proſtratum* Eqvitis Goitii & ex veteribus *Alexandrum Magnum* ab Cæſare Auguſto pro ſymbolo uſurpatum, tanqvam diceret. *Ego ſum Alexander.* Brevi, omne corpus qvod ſub viſum cadit, huic mutæ ſcientiæ pro lingua eſt & tota natura interpres ſuæ ſententiæ.

Nec ſoli naturæ partus ſed artis qvoqve, qvæ ejus rivalis eſt atqve adeò CORPORA ARTIFICIALIA magna laude ab hac arte artium non in nummis tantum ſed in ſymbolis heroum, fama per Academias latis ſunt adhibita, ut *Templum* Marchionis Vaſtii, *columna* Caroli IX. *labyrinthus* Gonſalvi Peretii, *Amphitheatrum* Rinaldi Corſi, *civitas in monte* Baptiſtæ Brembatis, *navis* Cardinalis GranVellani: etiam vilia & ignobilia corpora nobilem ſententiam referre ab hac arte docentur ut *pila* Cardinalis Ferreti, *incerniculum farinaceum* Academiæ furfuraceæ. *Arcus adeò tenſus ut rumpatur*, his verbis adjectis: AUT FERIRE AUT RUMPI Johannis Acunæ. Qvid amplius? Rex Angliæ Edoardus III. ex *faſcia* cruribus matronæ ſaltantis delapſa ſymbolum heroicum fecit, qvod nobiliſſimi ordinis eqveſtris aureæ Periſcelidis inſigne & ex profano qvaſi conſecratum eſt.

Porrò cum natura liberaliter parca multa hominibus conceſſerit, qvæ oculis ſubtraxit, ut adeò ſint CORPORA MATERIALIA qvæ ſub viſum non cadunt: ars iis homines ita donat, ut non ſolum juvent ſed etiam videantur. Tales ſunt *venti facem afflantes* Octavii Magonii: *qvatuor venti* Comitis Achillis Ladronis, *ſphara ignis* Andreæ Bolani, *cœlum* Regis Franciſci II. qvi arte & pretio

tio ſenem Syracuſanum vicit, cum hic globum cœleſtem vitro, ille gemmæ incluſerit.

Sed potentia hujus artis magis adhuc triumphat. Res incorporeas ſalutaris hæc maga præſtigioſa incantatione corpore induit: veluti ACCIDENTIA & SUBSTANTIAS ABSTRACTAS *virtutum, vitiorum, artium, ſcientiarum, temporis, fortunæ, mortis, ſpirituum, angelorum, dæmonum.* Deus ipſe, cujus prima eſt gloria, qvod in luce non tam oculorum pupillæ qvàm intellectus oculo inaceſſa habitat, quacunqve forma ab hac arte appellatur, eadem nobis offertur & divina ſua attributa cognoſcenda præbet, ſæpiusqve ex Deo fit homo. Talis erat *patientia* Herculis Ateſtini, qvæ ſpecie mulieris brachiis complicatis horologii tempus contemplabatur, *liberalitas* Focarii qvæ hominis ſpecie tenebat duo vaſa alterum aqva, alterum fructibus plenum, ex qvibus aves advolantes ſatiabantur. *Juſtitia* Willhelmi Ducis Mantuani, qvæ velo oculis obducto gladium vagina vacuum tenet & libram æqvaliter ſuſpenſam: *Victoria* Auguſti palmas & coronas porrigens: *fortuna* explicans vela Caroli Auſtriaci, atqve omnes formæ abſtractæ Divinitatis, dignitatum, provinciarum, fluminum qvæ inter imagines aut in nummis ingeniosè exhibentur, opera ſunt hujus artis, qvæ ex omni re imaginabili imaginem facit. Sed omnes hæ res reipſa tamen exiſtunt, adjungimus nunc illas, qvas ſolus intellectus vi imaginationis producit ut FABULOSÆ IMAGINES POETARUM, qvæ abhac ſymbolorum magiſtrâ edoctæ ſomniando docent, mentiendo verum dicunt. Talia fuerunt Emblemata *Argi, Icari, Phaethontis* & inter celebrata ſymbala heròica *vellus aureum* ducis Burgundiæ. *Pegaſus* Dulcis, *Atlas* Sforcæ Pallavicini, *Hercules leonem proſternens* Alberti Ducis Bavariæ. Tales ſunt *imagines cœleſtes Zodiaci*, tam variæ, totqve occultis ſignificationibus plenæ, ut magnus ille circulus videatur ſcutum heroicis ſymbolis & illuſtribus emblematis depromendis elaboratum, ex qvo *Centaurum, arietem, ſidus leonis, draconem Borealem* & mille alias pöeticæ philoſophiæ partes in ſua ſymbola tranſtulerunt, qvibus ſecreta animi ſenſa oculis ſubjicerent.

Qvin tanta eſt hujus artis fœcunditas, ut nec ingeniorum libido, nec Africæ laſcivia monſtra adèo monſtroſa generet, qvam

Digitized by Google

hæc in marmoribus & ſcutis producit. Talia ſunt CORPORA CHIMÆRICA & monſtroſus erat *Onoander*, homo-aſinus Pyramidum Ægyptiarum, *Gorgon* fœmina-ſerpens in ſcuto Palladis, *ſphinx* fœmina-leo in ſcuto Polinicis, *Chimara* dracocapra, in galea Turni, *Capricornus*, in nummis Octavii Auguſti & ſymbolo Coſmi Medicis, ut hæc ſcientia naturam invertere funditus videatur miſcendo ſubſtantias, qvas illa diligenter ſeparavit. Huc pertinent corpora naturalia Chimæricè conjuncta: talis eſt *Delphinus anchoræ involutus*, *cancer papilionem amplexus* utrumque Auguſti inventum-*ſcorpius lunam conſtringens* Angvillaræ, *penna ramo lauri alligata in montis cacumine* Petri Folligerii: *ara ſacra ad duos terminos catenis adſtricta* Cardinalis Pii, *ſagitta vulnerans cervum & hic dictamnum comedens ſub palma* Ferrantis Caraffæ, *ſaxum rotundum in monte & ſupra ſaxum arbor lauri infirmis radicibus quam triplicis venti flatus ſuſtinet*, Franciſci Turci.

Hæ ſunt ſpecies corporum figuratorum, qvæ poſſunt conſtituere argutias ſymbolicas, atqve ſic, ſymbola heroica. Nimirum corpora *naturalia viſibilia*, corpora *artificialia*, corpora *materialia inviſibilia*, corpora *abſtracta*, corpora *fabuloſa*, corpora *Chimærica*. de qvibus ſuo loco agemus, cum de perfectis ſymbolis Heroicis qværendum erit.

Jam vero omnia hæc corpora ſex DIVERSIS MODIS oculis poſſunt ſubjici in ſymbolis argutis & heroicis conficiendis, nimirum typo PICTO, typo SCULPTO, prototypo MORTUO, prototypo VIVO, PERSONA ſignificante, ACTIONE ſignificante.

Qvantum ad PICTA ſimpliciſſimus ſed idem valde argutus atqve ingenioſus Symbola pingendi modus eſt per SIMPLICES colores ſine ulla figura. Atqve hæc eſt antiqviſſima & nobiliſſima in eqveſtribus familiis inſignium ratio, atqve hinc in vexilla chlamydes & galearum faſtigia translata, qvæ res, ut dicemus, ad prima ſymbola, qvæ in ſcuto reſplendent, referuntur Nobile itaq; & ingenioſum fuit inventum ſolis ſeptem coloribus omnem heroici animi indolem exprimere *fulvo*, *albo*, *cæruleo*, *viridi*, *rubro*, *purpureo & nigro*. Significationẽ veteres Philoſophi ſuppeditarunt, à qvibus *fulvum* ſoli, *album* lunæ, *cæruleum* Jovi, *viride* Veneri, *rubrum* Marti, *purpureum* ſeu *violaceum* Mercurio, *nigrum* Saturno tribuitur. Hinc veteres pictores planetæ

planetæ cujusqve veſtitum, ſecundum eruditam hanc varietatem, ſolicitè expreſſerunt. Hinc natæ ſunt colorum in ſymbolis ſignificationes, ſiqvidem *fulvo* utpote ſolari indicatur *ſangvinis & divitiarum ſplendor: albo* lunari *fides & innocentia*, *cæruleo*, ut Joviali *alta & cæleſtes cogitationes: viridi* Venereo *ſperata aut impetrata voluptates: rubro* tanqvam Martiali *vindicta & robur: purpureo* Mercuriali *ars & induſtria: nigro* Saturnino *triſtes & profunda cogitationes.* atqve ex horum cogitatorum mixtura etiam mixtio naſcitur colorum in vexillis, armis, ſignis, ſagis, qvorum qvædam ſimplici colore imbuuntur ut adhuc hodie videmus in duobus noſtris Amedeis, alterius tota *viridia*, alterius tota *rubra* inſignia, non alia niſi hoſtilis ferri acu ſculpta. Qvædam ſunt variis coloribus diviſa, ornata, ſeparata, & pellibus murinis diſtincta, veluti proditum eſt, dominum Cotii cum tribus aliis eqvitibus à Bero Saracenorum in terra ſancta duce, ad ſingulare certamen provocatum, nec lorica munitum ex pallio pellibus murinis ſuffulto in qvatuor partes diſcerpto ſibi pectorale induiſſe, reliqvasqve tres partes ſociis ſuis donaſſe, qvibus pro inſignibus uſi ſunt in virtutis & fidei monumentum. Cum victores diſcedentes juraverint, ſe nunqvam aliis coloribus inſignia ſua ornaturos eſſe, qvalibus qvidem adhuc hodie uti cernuntur. Campus itaqve ruber cœruleis pellibus innixus, in ſcuto nihil aliud ſignificat niſi heroicam hanc ſententiam *: virtutem bellicam in gratiam cæli præ me fero.* Et revera veteres memorias replicanti ſatis conſtat, ſimplicium colorum in armis uſum & ſignificationem maximè natã eſſe in expeditionibus in terram ſanctam, qvarum milites à Papa Urbano II. *cruce rubra* pectus fuerunt inſigniti, qvo ſignificabatur certum propoſitum *cum cruce illa dimicandi ad ultimum ſangvinis ſpiritum*, & qvilibet miles ſuis ſibi propriis inſignibus ſuos etiam generoſos ſenſus expreſſit, qvos poſteritas ipſorum conſervavit. Succeſsêre poſtea Gvelphorum & Gibellinorum factiones Friderici II. temporibus, qvæ ex iisdem coloribus & inſignia & cognomina rubrorum, candidorum nigrorum, cepere. Hic itaqve ſimpliciſſimus eſt ſymbola pingendi modus.

Antiqvior tamen (ut diximus) fuit iſte mos corporeis imaginibus ſymbola figurandi, qvod priſcis Gallis in ſcutis receptum fuit. Hoc modo aliqvando res geſta in pariete depicta, argutiſſimum ſymbolum facit. Sic Rex Attila Mediolani (ut ſcribit Barbarus) elegan-

Digitized by Google

ter jocatus eſt, qvi cum videret in foro Gothos ad Imperatorum pedes proſtratos, qvo ſymbolo victoria Arcadii & Honorii de Alarico ſignificabatur, id deleri jubens in ejus locum Imperatores Romanos ad Hunnorum pedes proſtratos pingi curavit ob turpem pacem, qvam Valentinianus & Martianus ab ipſo redemerant. Hoc erat penicillis bellum gerere, & mortuos occidere, imò penicilli pro calamis erant, ſiqvidem pictura altera perſtrinxit Gothos, altera eosdem defendit adverſus Romanos. Ambæ erant mutæ & metaphoricæ argutiæ. Hoc modo ingenioſis inventis exornantur conclavium, cœnationum, xyſtorum parietes & teſtudines, qvin ſæpius acus pictoria æmulatione penicilli delicatis ſerici coloribus cogitationes in telis & ſtaminibus depingit, ut eadem Pallas ad ſymbola facienda & explicanda concurrat. Sic apud Homerum Zonæ Alcidis arte phrygia intexti erant leones, hydræ, antei, civitates expugnatæ, legiones proſtratæ, ut ipſe adeò trophæis ſuis veſtiretur, & dormiendo qvoqve triumpharet. Qvid plura? etiam ſine coloribus nuda carbonis aut pennæ delineatione ſymbolum deſignari poteſt, dummodo ingenium ſuppleat picturam. Sic Trojæ expugnatores digito vino immerſo menſæ ſua ſymbola inſcribebant:

Jamq; aliqvis poſita monſtrat fera prælia menſâ
Pingit & exiguo Pergama tota mero.

Atqve hæ ſunt argutiæ *pictæ*, majorem vim habent SCULPTÆ qvo magis ſentitur eminens qvam plana ſuperficies. Hujus generis ſunt ſymbola qvæ petræ inciduntur, ut hieroglyphica Ægyptiorum: aut imprimuntur metallo, ut facies nummorum: aut funduntur anaglypha, ut ſcutum Æneæ, in qvo Vulcanus Romæ fata aureis Hieroglyphicis indicabat: aut ſculpuntur in marmore, ligno, ebore, ut ſcutum Palladis, qvod divina manus Phidiæ fabricavit. Hoc modo ſculpuntur ſymbola in honorem triumphatorum in arcubus: in templis, in columnis, hiſtoricis aut roſtratis, cum imaginibus aut inimicorum catenatorum, aut fluminum provinciarumqve ſubactarum, aut urbium expugnatarum aut coronarum inflexarum aliisqve ſimulacris, qvæ inter fercula triumphorum & myſteria ſacrarum pomparum ferebantur: Qvæ omnes ſunt mutæ argutiæ, metaphoræ ſculptæ, ſymbola anaglypha ad gloriam victoris aut Numinis ſpectantia

Digitized by Google

ctantia. Atqve hac arte Virgilii ingenium elegans heri ſui expeditiones inſculpere meditabatur ſuperbiſſimo illi templo, qvod ſine marmore, ſine labore, ſine ullis ſumtibus ipſe animo fabricabat, pro fundamento ſubjiciens voluntatem ſuam; pro ſcalpris ſuas cogitationes, pro Architecto ſuum ingenium.

In foribus pugnam ex auro ſolidoque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Qvirini:
Atque hic undantem bello, magnumqve fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas
Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumqve Niphaten
Fidentemqve fuga Parthum verſiſqve ſagittis
Et duo rapta manu diverſo ex hoſte trophæa
Stabunt & parii lapides ſpirantia ſigna.

Nonne vides tot ſymbola in Auguſti laudem tot metaphoras hic cælatas eſſe, qvot ſunt verſus? Nonne videre tibi videris non poëtam canentem ſed Phidiam ſculpentem? qvam pulchra monumenta habuiſſet Roma, ſi lingua Virgilii ſcalprum, charta marmor aut ebur fuiſſet? Hujus generis ſunt mira illa Architectorum in navibus adornandis ſymbola, cum metaphorica nomina *Chimærarum, pardorum, balænarum*, mutuantur, tanqvem mari his monſtris & hoſtibus ſolo nomine minantes. Ejus modi ſunt facetiæ Architectorum in *Zophoris, proceribus, Metopis, Mutulis*, qvibus ædificia non elegantia fiunt minus qvam ſolida, ut & tueantur inqvilinos & delectent. Ingenioſa inprimis fuit metaphora illarum columnarum, qvæ figuram referunt palliatarum matronarum qvas *Cariatides* vocant. Cum enim celebris Cariæ civitas ab omni Græcia oppugnata qvod communem Græcorum hoſtem adjuviſſet, diriperetur & ſolo æqvaretur: ſolis matronis vita hoc pretio fuit conceſ-

ſa,

ſa, ut pallio matronali, miniſteriis ſervilibus aqvam trahentes ſarcinasqve portantes ſungerentur, ut nobilia præteritæ libertatis veſtigia pudorem præſentis fortunæ augerent. Architecti igitur columnas cum palliatis tam nobilium ancillarum imaginibus ſculpſerunt, qvibus arcus & trabes inniterentur, ita ut artis vi ſaxa in mulieres & doloris vi mulieres in ſaxa viderentur mutatæ. Hæc itaqve fuerunt arguta ſymbola mutæqve metaphoræ ex domitorum opprobio virtutem victorum exhibentes, aliisqve & ſibi ſpeculum, tanqvam ſtatuæ illæ dicerent: *cavete vobis poſteri à perfidia ne matronæ veſtræ in columnas mutentur.* Hoc exemplo Romani Architecti magnas Britannorum devictorum imagines, qvæ Auguſti tentorium ſuſtinebant, ſculpſerunt. Et barbarus hic populus ſemper victus & ſemper fugitivus ſemel ſcalpro illigatus non amplius fugit. Ex his metaphoricis lapidibus, qvot poëtici ſenſus poſſent elici? Alibi numeravi inter argutias ſculptas *ſtatuarum & publicorum monumentorum* immutationes, qvæ novam miramqve ſententiam faciunt. Talis fuit illa Caligulæ Metaphora, qvi hominem faſtidiens, caput magno Jovis Capitolini coloſſo ademit, ut ſuum reponeret, viſus ſibi Romæ omni poſſe dicere: ME INSPICITE QUI SUM JUPITER. Qvot ſalſas argutias inſulſum hoc ſymbolum peperit? Qvidam tyranni impietatem deteſtabantur tanqvam indicare voluiſſet, *Jovi fruſtra preces allegari, niſi Caligulæ ſupplicaretur.* Alii in Atheiſmum incidebant nolentes Jovem adorare, ne tyrannum adorarent. Clamabant alii eum Jovi eripuiſſe Juvantem illum blandumqve aſpectum, horrido, iſto ſuo ſetoſoque capite, qvod terriculamentum Romæ videbatur: Alii judicabant dignius eſſe verum qvam fictum Caligulæ caput, qvod tam eminenti loco poneretur. Alii negabant verum caput qvicqvam à ficto differre. Alii affirmabant ejusmodi caput vulpem Æſopi reperiſſe, cui dixit: *O qvantum caput modo cerebrum haberes.* Alii jurabant, alteram jam Metamorphoſin minimè fabuloſam, Jovis in caprum eſſe factam, deniq; omnes in rabiem fere adigebantur montem illum Capitolinum qvi dudum à capite humano nomen traxerat nunc contrariis auſpiciis à ferino capite denominandum eſſe. Eadem poëtica licentia eodemqve plauſu Domitianus Cæſar capite permutato ſe Herculem fecit, cui nulla re ſimilis erat niſi forte ſu-

te ſu-

Digitized by Google

te fuſo & ſtamine, ſymbolum qvod pariter multorum ſales provocavit, qvo Plinius ſecundus alluſit: *Statuarum capita permutantur vulgatis jampridem ſalibus*. Qvamvis mercenaria Martialis muſa odore trium elegantium Epigrammatum huic idolo ſacrificavit, ſed eum in finem ut illud adorans inauraretur.

Pergo ad Argutias PROTOTYPO VIVO AUT MORTUO repræſentatas, ita ut res ipſa fiat imago, nec aliis niſi ſuis & naturalibus coloribus pingatur. Symbolum *prototypum* fuit illud ruſticorum Tyrrhenorum & Heroum Argonauticorum, qvi, ut eos Valerius Flaccus depingit, pro lorica utebantur veris *monſtrorum* ſpoliis, & pro galea non falſis ſimulacris ſed cavis craniis terribilium ferarum ab ipſis occiſarum, qvæ & ſymboli & galeæ vice fungebantur, atqve ictus ſoliditate, ictum inferentes terrore repellebant. Hinc ferox Juno in contumeliam trahebat, qvod ſuperbus Hercules Argonautarum unus ſpoliis *hydræ* qvam combuſſerat & *leonis* qvem exſtinxerat, induebatur:

- - - Nempe pro telis gerit
Qvæ timuit, & quæ fudit. Armatus venit
Leone & Hydra - - -

Tanqvam diceret, *arrogans iſte oſtentat mihi pro ſymbolis hæc monſtra, ut mihi exprobret tot clades meas qvot juſſa, tot victorias ſuas, qvot labores*. Hæc igitur *hydra* & hic *leo* & *feræ* illæ ſpiritu humano animatæ erant *ſymbola Authentica*, & naturales ſine ſcalpro ſculpturæ. Sed inuſitata illa Marci Antonii ambitio currui ſuo jungendi indomitos leones itidem fuit Prototypum indicans (ut Alciatus interpretatur) feroces Senatus Romani ſpiritus ab ipſo domitos eſſe:

Magnanimos ceſſiſſe ſuis, Antonius armis
Ambage hac cupiens ſignificare duces.

Ejus generis argutiis puella Romana, cui nomen Gellia venuſte pupugit Valerium Martialem leporem ipſi dono mittens. Cum enim proverbio celebraretur *leporis eſu pulchritudinem parari*, callidè inſinuare voluit: *Tibi neceſſe eſt ut lepores edas*, hoc eſt, *non es venuſtus*. Sed ſtultula non impunè poëtam laceſſivit, qvi aculeum in ipſam retorſit dicens:

Ediſti nunqvam Gellia tu leporem.

Huic fundamento innititur jocus ille elegantium qvorundam ingeniorum in Alexandrum Severum Imperatorem: *mirum non eſſe cur tam pulcher ſit, qvi aſſidue leporibus veſcatur.*

Pulchrum qvod vides eſſe Regem noſtrum,
Venatus facit, & lepus comeſus,
Ex qvo continuum capit leporem.

Cui ſapiens Prrinceps ſatis habuit totidem argutis verſibus reſpondere, nec aliis armis pennas niſi pennis ulciſcendas putavit. At ſeriò luſit Petrarcha ejusmodi *ſymbolo Authentico*; Lauræ ſuæ mittens lacrymarum ſuarum ridiculum argumentum, lepores qvosdam catena vinctos hiſce animalculis ſeipſum repræſentans, qvi amiſſa libertate in prædam Lauræ ceſſerat. Unde lepores illos humana lingua ſic loqvi fecit:

In miſero ſtatu, in qvem ex vita felici recidimus, unum mortis ſolatium habemus, qvod ei qvi huc nos deduxit, vindicta ſit parata, cum in alterius poteſtate majori catena vinctus teneatur.

Eodem genere ſe urbanum oſtendit Barbarus Scythiæ Rex, cui Rex Perſarum Darius ſolum haſtis & mare velis operiens bellum illaturus legatos miſerat, ut ſecum deliberaret, utrum inermis clementiam an armatus vim ſuam experiri vellet? Scytha non verbis ſed ſymbolis reſpondit, mittens ipſi in corbe avem, talpam, ranam cum tribus ſagittis. Riſit Darius, qvid iis ſibi vellet hoſtis, ignarus, non autem riſit, qvi ipſi à conſiliis erat Gobrias, qvi annis edoctus ſic locutus eſt: *Si ſcires, ô Rex, hæc dona, qvæ levia videntur, graves ſunt minæ, volunt enim hoc dicere: Sive in nubibus te abſcondas ſicut avis, ſive terræ ſubrepas, ſicut talpa, ſive aqvæ te immergas ut rana, ſe armis te ubiqve, mari, cœlo, terra eſſe perſecuturum.* Nonne hæc eſt ſententia ſymbolica ſimilis *erinaceo* Regis Ludovici? ſatis fuiſſet corbi inſcribere: *Eminus & cominus.* Illud conſtat tam vividis argutiis Perſarum Regem exterritum, cum conſideraret, in gente nuda atqve inopi nihil ſe lucri facturum, niſi telorum ferrum, ſtatim receſſiſſe, & à tribus ſagittis integrum exercitum fugatum eſſe. Huic ſimile Ducis Mantuani Wilhelmi factum ſubjiciam, qvi cum nobilem

qven-

qvendam ſuum facinus qvoddam admiſiſſe comperiſſet, atqve is alia prætexens clam in Parmenſe territorium ſe recepiſſet, dux ipſi dono miſit Phaſianum avem caput alis occultantem, ſtoliditatem hujus avis ipſi objiciens, qvi capite occultato ſeſe tutum arbitretur. Nobilis hæc ſic accepit ac ſi jam eſſet vita privatus. Et revera ſagacior fuit auceps qvam avis, procul enim ipſum percuſſit. Hoc itaqve ſymbolum fuit Prototypum, cujus generis multa qvotidie poſſunt fabricari, veluti ſi qvis puellæ roſam florentem exhiberet, nullis verbis additis, hoc ſymbolum eſſet ſignificans: *Pulchra es ſicuti roſa.* E contrario ſi juveni affectatè veſtito & culto puella porrigeret tulipam verſicolorem, tacitè dicere videretur: *Nulla in te ſunt Veneres.* Idem annulis, gemmis, aliisqve rebus donari ſolitis fieri & ſignificari poteſt.

Sed vividæ magis magisqve jucundæ ſunt Argutiæ, ſi idem ille, qvi eas condit, exhibet PERSONAM FIGURATAM & maximè ſi conjungatur ACTIO FIGURATA, nam ut (21.) autor noſter docet, Metaphoræ *repræſentantes* gratiores ſunt *ſignificantibus* qvoniam actio rem evidenter ante oculos ponit. Unde idem ejusmodi Metaphoras dicit πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν. Hinc idem admiratur & laudat diſertiſſimi Iſocratis ingenium, qvi dicturus Græciam lugere mortem civium ſuorum, qvi in Salamine occubuerant, rem oculis ſubjicit majori acumine dicens: Græciam ſibi capillum tondere ſuper civium ſuorum in Salamine ſepulchris. Ex qvibus verbis ſymbolum poſſes formare, Græciam repræſentans deſperatæ matronæ habitu, cum hac dolenti actione, ut capillum ſibi in filiorum ſuorum tumbis evellat. Atqve ejusmodi figurata repræſentatio, qvæ picturæ abſtractæ vitam ſpiritumqve conciliare poſſet, ex viva & concreta imagine acumen auget, cum videlicet autor ipſe fictam perſonam & actionem qvandam ſymbolicam & figuratam ſymbolo ſuo præbet: cum certum ſit (ut de verbis geſtibusqve ſupra diximus) actionum humanarum alias eſſe *proprias* alias *figuratas.* In hoc genere argutiis feſtivis ſed intempeſtivis luſit Auguſtus Cæſar, qvi in extrema penuria cum ſex nobilibus adoleſcentibus totidemqve pulcherrimis fœminis nocturnum convivium celebrabat incredibili ſuperbia & luxu, ſedens ipſe ſpecie Apollinis in medio cum radiis & lyra & reliqvi ſub aliis Deorum Dearumqve formis opulenter & ſin-

(21.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 11.* *In omnibus metaphoris ſi aliqvid ſignificanter geri oſtendas maximè delectat & approbatur.*

Digitized by Google

ſingulariter expreſſis. Hæc itaqve erat blanda qvædam argutia, qvâ divinitatem ſibi augurabatur inter fragilitates, & immortalitatem inter mortuos cibos, tanqvam dicerent *hoc conclave cælum eſt, hoc convivium Deorum, hic cibus nectar & ambroſia.* Atqve ita unusqvisqve fabuloſi Numinis in ſe repræſentati proprietatem ſpectans, ſymbolum ex ſe ipſo formabat. At hæ mutæ argutiæ linguas populi provocabant. Seqventi enim luce per omnem civitatem ferebatur, *mirum non eſſe, Romæ cives fame mori, cum Dii noctu annonam omnem conſumſerint.* Alii nominabant Auguſtum APOLLINEM CARNIFICEM, qvoniam hoc cognomine Apollo Marſiæ cutem detrahens in vico aliqvo Romæ colebatur. Ejusdem ſed turpioris ingenii fuit Heliogabalus, cum ſpecie Veneris ſe depingendum curaret, eoqve habitu cibum caperet, per urbem iret, à natalibus ſuis non degenerans, ex Venere qvadam natus, Venereo ritu vixit. Simili argutia eqves Romanus, adoleſcentulus temerarius, exprobraturus Scipioni tarditatem in expugnanda Carthagine, ut ætas illa majori animo eſt qvam prudentia, in celebri convivio magnam qvandam placentam, qvæ obſeſſæ civitatis formam habebat, appoſuit, ubi ambitus muri, turrium caſtellorumqve & rupium eminentia, templorum & palatiorum ſtructura tot qvæſitiſſimis cibis expreſſa & ad vivum repræſentata erant, ut architectam fuiſſe appareret, qva nulla ingenioſior eſt, gulam. Cum itaqve ſigna canerent in hanc novam Carthaginem ſimul ab omnibus fiebat impetus, capiebatur, diripiebatur, evertebatur, atqve præda in prædonibus ſepeliebatur, & qvod vulgo fertur, hic comprobabatur, *nihil eſſe victoria dulcius.* Qvo acerbior videbatur Scipioni, qvi intelligebat inſanum illum hoc ſymbolo tacitè id dicere: *qvod ſi eſſem Scipio, tam cito Carthaginem, qvam placentam expugnarem.* Reponens itaqve mente memori hanc Allegoriam, eqvum ipſi & cingulum ademit, rationem afferens, *qvod Carthaginem imperatoris injuſſu diripuerit,* atqve ſic qvi eqves ad pugnam veniebat, pedes revertebatur. Hinc naſcuntur elegantia illa inventa *ludorum eqveſtrium, ſaltationum perſonatarum*, qvæ nihil aliud ſunt, qvam ſymbola viva & metaphoræ animatæ vel herœici vel ridiculi ſenſus. Hinc proficiſcuntur *ceremoniæ*, qvæ figuratis ſignis, publicas actiones comitantur, qvales erant ceremoniæ à Romanis in bello hoſtibus indicendo uſurpatæ.

Digitized by Google

patæ. Fecialis enim habitu lugubri ad columnam bellicam ante templum Bellonæ profectus, vultum convertens & brachium con. torqvens, haſtam omni vi verſus plagam terræ hoſtilis emittebat, tanqvam manu iſta bellum & ruinam vibraret. Unde Ovidius haſtam illam vocat belli nuntiam:

Hic ſolet haſta manu belli prænuntia mitti.

Atq; hæc erat metaphora ſymbolumqve animatum, qvod adhuc in nummis qvibusdam conſpicitur. Hinc etiam ſcaturiunt *facetiæ populares & pedeſtres*, qvæ conſiſtunt in vili qvadam *actione figurata* aut *veſtitus mutatione* veluti illa Muſici Bononienſis, qvi Muſicum qvendam extraneum, qvi Orpheus qvidam celebrabatur, adveniſſe accipiens, poſtqvam is interpoſita longa mora, qvæ deſiderium magis inflammabat, tandem experimentum dedit vocis, qvæ pinguis erat & rauca: iſte ſubito *penulam ſcorteam* ſibi injecit, atqve ſic involutus tacitusque omnibus ſpectantibus ambulabat. Non poterat nec ſymbolo magis vivo nec magis contemtibili vocem illam repræſentare qvam *penulâ*, qvæ id videbatur dicere *tempus eſt pluvium, qvoniam rana coaxat.* Ita ut *penula* iſta contineretur non ſolum *metaphora* ſed etiam *Enthymema figuratum atq; ſatiricum.* Eadem eſt ratio aliarum facetiarum, qvæ in factis ſunt poſitæ. Omnes enim metaphorico qvodam ſymbolo nituntur, qvod verbis æqvè ac factis poteſt exprimi, & ex *ſignificante* fieri *repræſentans.* Res certè digna qvæ obſervetur, ſiqvidem argutiæ omnes à duobus fontibus derivantur: puta DICACITATE & FACETIIS. Illa *dictis* hæc *factis* continetur. Utraqve unam habet ſcaturiginem nimirum SIGNIFICATIONEM METAPHORICAM & FIGURATAM, de qva copioſè in noſtro de Argutiis opere diximus, atqve hic ſuccinctè dicendum eſt.

Superſunt ARGUTIÆ COMPOSITÆ in qvibus eleganter duæ pluresve argutiæ ſimplices hactenus declaratæ permiſcentur. Sicuti enim (22.) poëſis ſibi qvidem proponit *imitationem* ſed pro inſtrumentorum varietate in varias qvoqve partes abit, *nudis verbis* utens in Epicis, *nuda actione* in mimis, & mixtim *verbis & actione* in Dithyrambicis: ſic argutiæ qvarum ſubſtantia alia non eſt niſi poëtica imitatio ut oſtendimus, miſcendo MUTAS cum LO-

(22.) *Ariſt. Poët. c. 1. imitari autē contingit vel nudis geſtibus ut*

 QVEN-

Digitized by Google

chironomica vel nudis ſermonibus ut Epopoïa vel his promiſcue ut Dithyrãbica.

QVENTIBUS ex his aut illis procreat numeroſam variamqve ac gratioſiſſimam ſymbolorum prolem, qvorum multa inter literatos adhuc hodie viſa qvidem, at nomine ſuo non ſunt cognita.

Ex argutiis ARCHETYPIS & VOCALIBUS componuntur illa ſymbola, qvæ verbulo figurato ſententiam ita dextrè annectunt, ut major pars in ejus mente, qvi dicit vel audit, legenda ſit, cum ejusmodi argutiæ Laconicæ eam ſæpe vim habeant ut unico verbo auribus tuis integrum *Enthymema* per compendium inſinuent: qvomodo Timantes in parva tabula ingentem Cyclopem exhibuit. Petronius Arbiter in convivio qvodam obſervavit, qvoties miniſtrator cibos menſæ inferebat, Dominum ingeminaret ſciſſori illud CARPE; *ego ſuſpicatus*, inqvit Petronius, *ad aliquam urbanitatem vocem toties iteratam pertinere*. Atq; ea res erat: ſiqvidem cum ſciſſor vocaretur CARPUS eodem verbo tripliciter æqvivoco, *vocabat imperabat & rationem imperii reddebat* hoc modo: *O carpe, qvia carpo es, carpere debes, carpe igitur*. Atq; hoc erat Enthymema per compendium, ideoq; ut diximus argutiæ Laconicæ vocantur *Enthymemata*, hoc eſt argumenta partim *vocalia*, partim *mentalia* & *archetypa*, qvæ qvo magis conciſa ſunt, èo ſunt magis ingenioſa, & gratius audiuntur, qvam ſi plana eſſent & diffuſa. Ad hunc modum demens Caligula Prætori ſuo ſe ingenioſum oſtendit, qvi cum eſſet miles qvidem bonus ſed fœminis addictior & libidinoſior, qvoties *teſſeram* veſperi petebat, verbum VENUS aut etiam CUPIDO ipſi à Caligula dabatur, qvo verbo morum ſuorum ſymbolum ipſi depingebatur, qvod verbum in auribus & figura in mente efficiebat. Idem ſentio de verbo *ſcripto*, qvale fuit illud Lacedæmoniorum, qvi cum plus in verbis qvam factis ponerent, nomen dederunt Laconiſmo. Hi igitur cum literas à Philippo rege Macedoniæ accepiſſent imperioſas valde & minitabundas, ſuo more duobus verbis in magna charta reſponderunt: DIONYSIUS CORINTHI. Hoc erat ſymbolum Laconicum tale, ac ſi in literis illis Dionyſium Regem Syracuſarum depinxiſſent, cum libro & ferula loco gladii & ſceptri, hoc unico verbo hanc orationem innuentes: *Memineris, Philippe, ſicuti Donyſius Syracuſanus aeqvè Rex ac tu in pœnam audaciæ ſuæ ſyracuſis ejectus vitam ferula tolerare coactus fuit ludum Corinthi aperiens: ſic idem tibi eventurum, niſi ſuperbiæ modereris.*

Digitized by Google

rû. Certum eſt duobus his verbis (ut Demetrius Phalereus obſervat) magis commotum eſſe Philippum, qvam ſi minis volumen integrum impleſſent. Qvemadmodum enim homines magis terrentur tenebris qvam luce: ſic dicta *aperta* minus percellunt animum, qvam *abrupta* & Laconicæ *reticentiæ*, de qvibus illud Virgilii poſſumus uſurpare *ipſa ſilentia terrent.* Ejuſdem generis ingenioſiſſimæ & lepidiſſimæ ſunt argutiæ, qvæ dictum alienum ad diverſam ſignificationem transferunt. Diverſa enim interpretatio ambiguum continet, ambiguum vero eſt metaphora aliud pro alio ſignificans. Unde fit, ut eadem dicta, qvæ ſenſu proprio nec ingenioſa nec arguta viderentur, ad aliam rem translata fiant dictu argutiſſima, & auditu jucundiſſima propter illum ſenſus proprii cum figurato in mente concurſum. Tale erat illud SIC VOS NON VOBIS: qvod Virgilio ſignificat *apes non frui melle, qvod* faciunt. Et apud Antonium Levam ſignificabat *ipſum non frui Mediolanenſi imperio, qvod recuperaverat.* Tale eſt UNO AVULSO NON DEFICIT ALTER, qvod Virgilio ſignificat: *ramo aureo ex ſacra arbore decerpto alterum ſuccreſcere* Coſmo vero Medicæo: *exſtincto illius ſtirpis duce alium in ejus locum ſuccedere*, adeo ut Virgilius illis non ſibi ceciniſſe videatur. Præcipuè vero lepidiſſimæ ſunt argutiæ, qvando fit translatio ſententiæ ſeriæ in ridiculam. Diogenes ejusmodi argutiis delectabatur, cum videret furem ad patibulum duci, qvi purpuram furatus erat, verſu illo Homerico ipſum allocutus eſt: *Te mors purpurea apprendit violentaqve parca.* Nec minori laude ejusmodi interpretationes fiunt in literis disjunctis. Æmilius Scaurus ambitus via ad conſularem ſedem graſſatus ambitus poſtulabat Publium Rutilium, in fidem producebat tabulas, qvibus qvatuor literæ inſcriptæ erant. A. F. P. R. qvas ille ſignificare contendebat ACTUM FIDE PUBLII RUTILII, & Rutilius contra formulam forenſem eſſe reſpondebat ſignificantem ANTE FACTUM POST RELATUM. At Cajus Canius eqves Romanus dicax exclamat neutrum illis declarari ſed hoc ÆMILIUS FECIT PLECTITUR RUTILIUS. Totum forum in riſum ſolvebatur, cum videret inexpectata hac interpretatione confoſſam eſſe Æmilii petulantiam, qvæ alii ſuum delictum affingebat, qværens Rutilium criminis illius damnari, cujus ipſe condemnari magis dignus erat. Adhuc

feſti

Digitized by Google

feſtivior erat explicatio qvarundam literarum, qvæ in pluribus locis Tarracinæ diu inſcriptæ fuerant: L. L. L. M. M. Cum enim aliqvando in urbe illa Largius & Memmius ob amicam qvandam ſuam rixati eſſent, Memmiusqve dentibus Largi humeros momordiſſet: faceta hujus rei narratio in ore omnium erat, qvam cum negaret Memmius: Marcus Craſſus, is qvi nunqvam ridebat, & ſemper erat ridiculus, reſpondit: neſcio cur hoc neges, res eſt tota Tarracina pervulgata in his qvinqve literis L. L. L. M. M. qvæ ſignificant LACERAT LACERTUM LARGII MORDAX MEMMIUS. Ita ut Memmius Largium, Craſſus Memmium momorderit, alter dentibus alter dictis.

Hæ omnes erant argutiæ ex *verbis externis & mentis conceptu Archetypo* mixtæ. Aliæ porro ſunt præter Archetypum conceptum, qvi omnes argutias condit, ex VOCE & GESTU compoſitæ, qvæ qvidem vehementer delectant, qvoniam uno tempore duos ſenſus movent & utriusqve judicio commendantur. Hujus generis fuit illa Caligulæ, qvi iratus agens in provincia cum ſenatores de reditu in patriam ipſi ſupplicarent, capulum gladii ſui tangens manuqve ſæpius verberans: *veniam*, inqvit, *veniam, & hic mecum.* Credibile eſt repulſam Senatoribus gratiorem futuram fuiſſe, qvam veniam, qvæ ipſis poſtea magno conſtitit. Demens forſan hanc argutiam à Cornelio Centurione acceperat, qvi nomine exercitus Conſulatum Auguſto Cæſari petens, perſpecto ſenatus frigore, diſcusſit illud, gladium oſtendens dicensqve: *Hic dabit, niſi dabitis*, id qvod æqvè facile in ſymbolum heroicum potuiſſet converti, picto enſe qvem manus tenet, & dicto illo adſcripto. Nulli autem felicius ceſſit hæc argutia qvam Henrico IV. Regi Angliæ qvi à Barone Perſeo ad certamen provocatus epiſtola conviciis magis qvam verbis referta gladium tangens dixit: Hic pro me reſpondebit. Et certè ſtilo ferreo & atramento ſangvineo in membranis membrorum temerarii illius Perſei reſponſionem exaravit, qvi profligatus, victus, captus & in qvatuor partes diſcerptus, alios docuit qvod ipſe ignorabat, hoc eſt, *qvomodo Regi ſcribendum eſſet.* Argutior eſt hic modus ex *geſtu & voce* mixtus, qvando noſtri ſunt geſtus, verba aliena, ingenioſè ad conceptum noſtrum archetypum detorta. Ita argutiſſimus fuit hiſtrio ille Attelanus, qvi coram Nerone & Senatu in ſcena verſum illum veteris Poëtæ recitans: *Heu*

Digitized by Google

Heu mi Pater! heu mea mater! Orcus vos tenet.

Pronuntiando *heu mi Pater* geſtum addidit ejus qvi bibit, & dicendo *heu mea mater* geſtum fecit natantis: ſcelus Neronis parricidiale ſignificans, qvi vitricum veneno ſuſtulerat, matrem mari immerſerat, qvæ natando evaſit. Poſtea dicens *orcus vos tenet* vocem ſuſtulit & digitum ad Neronem intendit, tanqvam diceret Senatoribus, *En qvam malo Dæmoni ſubjecti eſtis!* Secutus eſt theatri plauſus & his geſtus argutiis factum triſte redditum eſt jucundum. In ejusmodi argutias animo non deliberato populus Romanus incidit. Hic enim cum in ludis magnæ matris præſente Auguſto juvene tunc diſſoluto ſed Domino jam abſoluto factis, cum verſus antiqvus in juvenem imberbem hujus Deæ, qvi Gallus dicebatur, caneretur.

Viden' ut cynædus orbem digito temperet?

Ridens ſe ad Auguſtum convertit, atqve hoc geſtu ſymbolum edidit. Sicuti enim verba illa ſine geſtu populi proprie ad Gallum Cybeles pertinebant, ſic hac vultus ad Auguſtum converſione de viſo translate capiebantur, cujus ingenium & mores ad vivum Gallo Cybeles repræſentari poterant. Id qvod conſentaneum eſt illi dicto, qvo Auguſtus vitam ſuam in tres partes diſtinxit: principium Veneri, medium Cereri, finem virtuti conſecrans.

Aliæ ſunt argutiæ ex GESTU & FIGURA conflatæ, ita ut figura rem qvandam ſignificans accedente *geſtu* aliud atqve diverſum argute ſignificet. In hoc genere celebratum eſt Julii Cæſaris ingenium, ejus qvi dicta arguta & faceta condidit & collegit. Hic igitur cum Helmio Mantiæ in Capitolio vicinus eſſet, homini macro, calvo atqve diſtorto, cui de buccis fluentibus lingua aliqvatenus prominebat, dixit, vin' tu, Mancia, ut oſtendam cujus modi ſis: cum ille, oſtende qvæſo, Cæſar: digito demonſtravit pictum gallum in Mariano ſcuto Cimbrico ſub nodis diſtortum, exſerta lingva, buccis fluentibus. Nullus pictor penicillo ſuo tam ad vivum Mantiam depinxiſſet, qvam Cæſar ſuo digito. Riſus ingens fuit commotus, qvoniam gallus depictus corpus ſymboli videbatur, cui geſtus pro verbo erat.

Aliæ ſunt mixtæ ex FIGURA & VERBIS. Et primum qvidem

Digitized by Google

ſi per *figuras* intelligimus *effigies*, *imaginesqve* pictas vel ſculptas, qvot bella ſymbola, qvot ingenioſas argutias humana mens inde producit, verbum aut *ſcriptum* aut *pronuntiatum* adjiciens? Sic in magna qvadam tabula, in qva Adami malum comedentis, Evæqve illud commendantis imagines cernebantur, argute fuerunt tres hæ voculæ appoſitæ: MALUS, MALA, MALUM. Qvæ multa ingenia exercuere, qvomodo explicandæ eſſent. Qvidam ſic interpretabantur: MALUS Adamus MALA, id eſt, maxilla MALUM comedit. Alii ſic MALUS Adamus, MALA Eva, MALUM pomum, qvod nomine & re cibus erat mortalis. Aliis magis arridebat hæc interpretatio: MALUS ſcilicet arbor, & MALA, fœmina prava, MALUM parturierunt. Interdum verba imagini adjecta ſpeciem habent brevis elogii, qvo vel ipſa vel autor commendatur. Tale fuit dictum Martialis in piſces ad vivum ſculptos: ADDE AQVAM, NATABUNT. Sic alius ingenio vivido Apollini marmoreo divine à Praxitele ſculpto ſubſcripſit: PRAXITELES NIOBEM ULCISCITUR, tanqvam ſtatuarius non imaginem marmoream feciſſet, ſed Apollinem ipſum, qvi infelicem illam Nympham in ſtatuam ſuper filiorum ſepulchro converterat, in petram qvoqve transformaſſet. Cujusmodi alluſiones eò magis pungunt, qvò propius nomini, aliisqve perſonarum attributis conveniunt. Sic tapetibus in qvibus nobiliſſima puella cui nomen Dianæ, acu pinxerat *feras ludentes* promtum cujusdam ingenium ex tempore hos verſus adjecit:

Qvis hic DIANÆ ludere ingenium neget?
Ferrum feras progignit & caſſes fovent.

Interdum vero ad detrahendum falſa dicta imaginibus ſubjiciuntur: veluti mirabile qvoddam caput Doctoris medicinæ imagini ſubſcripſit: NON OCCIDES, & Legum Doctoris: NON FURTUM FACIES. Et pictor qvidam mirabilis mortales omnes pro ſtultis habens in tabula expreſſit duos *ſtultos ridentes*, pone feneſtram clathratam cum his verbis: SUMUS TRES, pro tertio ſtulto habens illum qvicunqve aſpiceret, ac tutò potuiſſet adſcribere: SUMUS QVATUOR, inter primos ſeipſum numerans. Alius in eandem ſententiam ſtultum pinxit veſte viridi flavoqve colore diſtincta cum calantica in capite, qvi una manu veſicam, altera pilam tenebat,

bat, quâ pueri ludere conſveuerunt, ſed faciei loco pinxerat mappam mundi indicaturus, mundum omnem eſſe ſtultum, adſcripſeratque dictum ejus, qvi hominum ſapientiſſimus ſe omnium ſtultiſſimum dixit: STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS. At Bonarota, Rex pictorum, atqve adeò mirabilium ingeniorum, duobus verbis in furorem dedit qvendam æmulum ſuum. Ingreſſus enim furtim illius officinam & venationem ſtudioſè depictam ibi videns, penicillo ſumto cuique figuræ nomen ſuum ſubſcripſit: HIC EST CANIS, HIC EST LEPUS, HÆC EST ARBOS. En novum Satyræ ſtylum, qvi veritatem dicens calumniatur, & verbis innocentibus mordet. Id enim tantundem erat ac ſi diceret: *Hic pictor eſt ſtipes quidam*, qvaſi ipſius formæ adeò deformes & procul à natura diſcederent, ut ægrè poſſent ſine nomine agnoſci. Sed qvi læſus erat, in arte ſua vindictam invenit, ſiqvidem ex ſcriptura ſcriptorem cognoſcens, in eadem tabula parvum diabolum in forma ſatyri pinxit, qvi penicillum tabulamqve tenens livido oculo poſt arbuſta latens venationem illam contemplabatur, atque huic qvoqve ſubſcripſit: HIC EST MICHAEL ANGELUS BONAROTA.

Eadem *verbi & figuræ* mixtura fit in *ſtatuis*. Hinc Romæ originem duxerunt periculoſi illi ſatyricorum ingeniorum abortus, qui hodie tribuuntur *Paſquino* & *Marforio*, ſanctiſſimis legibus meritò cum autoribus ſuis Vulcano addicti. Quo tempore Romæ erat magna annonæ caritas, *ſtatuæ* Neronis impoſitus fuit *currus agonalis* cum his verbis: NUNC VERE AGONIA SUNT. Duplici alluſione & principem notantibus, qui currus in ludis agonalibus agitando vitam oblectabat, & patriam deplorantibus, quæ interea fame peribat. Aculeus eſt in voce AGONIA, qvæ & *ludum agonalem & mortis diſcrimen* denotat. Sed triſtius fuit magisque tragicum ſymbolum hoc. Junio Bruto ſtatua erat in foro poſita cum pugione in manu ob libertatem patriæ donatam & tyrannis ereptam. Sed poſtquam Julius Cæſar libertatem rurſus in tyrannidem convertit, malitioſus qvidam ex ſtatua illa ſymbolum atrox fecit, ejus baſi adſcribens: UTINAM VIVERES! Id dicens, ſi Junius Brutus viveret, tyrannus hic non viveret. Tam levis ſcintilla ſatis valida erat ad Marci Bruti animum inflammandum, ut idem cum ſtylo ſuo ſuſciperet orbi oſtendens, ſi Tarquinius Superbus in Julio Cæſare renatus eſ-

ſet, in Marco Bruto Junium Brutum revixiſſe, ita ut mors Cæſari ex ſtatua loquente nata ſit. Nec permanentibus ſolum characteribus, ſed & verbis avolantibus interdum ſymbolum quoddam memoriæ poſterorum infixum componitur. Cliens quidam Othonis Imperatoris in grati animi ſignum, in villa ſua *lapidem terminalem* poſuerat, cum hac ſimplici inſcriptione: MEMORIÆ OTTONIS. Vitellius acer Ottonis inimicus, dum iter facit in memoriam hanc ſibi inviſam incidens, in ſiniſtrâ partem flexit rectâ autoris mente, dicens: DIGNUM TALI MAUSOLEO PRINCIPEM. Atque hoc erat Ironicum Epiphonema, cujus vis erat: *Otto planè erat ſtupidus, & memoria expers ſicuti petra.* Unde confici potuiſſet ſymbolum cum hoc verſu Poëtæ Itali: *Non men un vero ſaſſo, un ſaſſo pare. Non minus videtur ſaxum, ac ſi verum eſſet ſaxum.* Argutius adhuc erat Ciceronis dictum, in *corvum ex nigro marmore,* à Metello tumbæ Magiſtri ſui Diodori impoſitum, ut gloriaretur ſibi Magiſtrum contigiſſe in Rhetoricis CORACI ſimilem, qui Pater fuit Græcæ Eloquentiæ. Riſit inde Cicero & *planè,* inquit, *hic corvus Metellum volare potius quam dicere docuit:* ſimul ignorantiam Magiſtri, & inconſtantiam diſcipuli notans, qui inter factiones civiles ab una ad alteram leviter tranſibat. Sic ut ſymbolum ſit dupliciter mordax. Metellus *figuram* recte quidem accepit, Cicero *verbum* malitioſe impoſuit.

Qvicquid hactenus de imaginibus dictum eſt, idem dicas, Lector prudens, de quocunque CORPORE ARTIFICIALI aut NATURALI, quod brevi dicto animatum ex corpore muto fit ſymbolum loqvens. Sic *clepſamidium* fit emblema multæ ſignificationis, his verbis adſcriptis: NOS PULVIS, SEPULCHRUM CLEPSYDRA. Ex hac enim machina tempus menſurante ſtudioſus diſcit & horas obſervare, easque non perdere, mortales omnes conſiderans tanquam parum pulveris, qui ſenſim depluens brevi in cavum clepſydræ veluti ſepulchrum illabitur. Et *horologio ſciaterico,* cujus ſtilus formam habebat ſagittæ, eademque forma umbram jaciebat, memini me hoc diſtichon tribuere:

Hac licet exili, nulla eſt lethalior umbra.
Nam qvicqvid fugiens attigit, interiit.

Sed ingenium quoddam facetius ab Aſtronomo in aſtris cognoſcendis

Digitized by Google

dis parum verſato rogatum, ut dictum qvoddam morale horologio cuidam ſuo apponeret, poſtquam animadvertit lineas horarias parum Aſtronomicè diſtinctas eſſe, adſcribi fecit: NESCITIS DIEM NEQVE HORAM, tanquam illud eſſet mortis horologium, cujus nox ſæpe citius obrepit quam veſper adveniat. Unde ex ſtultitia prudentiam eruit.

Similiter Palatium, focus, pergula, fons ſive artificialia ſive naturalia ſint corpora ab ingenio nutu verbi arguti in ſymbola erudita converti poſſunt, ut non minus animos juvent, quam corpora. Celebris eſt in patria mea jocus avi mei Antonini, qui cum haberet palatium pro illis temporibus ſatis amplum & commodum, atque adeò à Legatis eò divertentibus ſemper occupatum, ut ipſi dominium ejus directum, aliis utile cederet, dimidium ejus vendidit, & portæ affixit tabulam marmoream his verbis: DIMIDIUM PLUS TOTO. Qvibus divinus Plato virtutem in mediocritate non exceſſu ſitam eſſe docuit. Sic eleganti atque ingenioſa homonymia documentum Ethicum factum eſt Oeconomicum, & corpus materiale factum eſt Emblema. Celebrata item & valdè conveniens eſt hæc *foci* inſcriptio: NEC PROPE NEC PROCUL, qua denotatur ſicuti corpora humana rigore brumæ nimis à foco remota congelaſcunt, nimis vicina comburuntur: ſic hominem ſapientem aulæ favori nec propius accedere, nec longius abſcedere debere, quoniam hoc injuriis malevolorum & illud invidiæ æmulorum opportunum eſt. Elegans præterea dictum eſt Martialis in villam quandam ſuburbanam:

O vinitores villiciq; felices!
Dominis parantur iſta, ſerviunt vobis.

Argutius quantum memini nobilia quædam ingenia certarunt de claro illo fonte, quondam Plinii, nunc Vice-Comitum delitiis, in margine lacus Larii hodie Comi ſito. Hic in abſtruſis ſaxi Alpeſtris viſceribus natus & florido amœniſſimi rivi ſinu exceptus ſex horarum intervallo torrentis inſtar ſemper creſcens atque auctus præcipitatur, aliis ſex horis decreſcit, ut tandem in fonte fons amplius non reperiatur. Hinc tanquam Arithmeticæ ſcientiæ conſcius, ut ne puncto quidem temporis aberret, horribilem ſonum, inſtar nolæ redi-

 tum

tum ſuum publicantis, præmittens, denuò ad curſum impotenter erumpit & huic moram æquans paribus vicibus & vomit aquam & retinet. De hoc igitur fonte inter ſe agitabant, quo verbo ex mirabili hoc naturæ partu fieri poſſet ſymbolum argutum. Qvibusdam placuit ei inſcribere: CONSTANTIA INCONSTANS. Aliis: GRATÆ VICES. Rurſus aliis: NIL PRÆPES PERPES. Aliud venuſtum ingenium eandem ſententiam extendit, ſimul & ſoli amœnitatem & aqvarum reciprocationes notans:

Alterna alternos reqvie reparare labores
Te monet hæc tellus, te mea lympha monet.

Sed Politicus quidam ei appoſuit hunc ſenarium:

Eſſe obſeqvendum tempori, hic amnis docet.

Atque alius quidam moralis Philoſophiæ ſtudioſus ſic luſit:

Cur modo dat fluctus, fluctus modo denegat hic fons
Opesq́ dubia fundit & condit manu?
Mortales donare docet, non perdere dona
Dat liberalis ſæpe, ſemper prodigus.

Alius ad doctum Plinium reſpiciens à cujus nomine non minus aqvis claro fons dictus eſt *Plinianus*:

Hic qvi naturæ ſuperat miracula fluctus:
Te ſolum Plini promeruit Dominum.
Scilicet ingeniis illudens omnibus unda,
Solius Domini vincitur ingenio.

Magis acclamatum eſt alii, qvi verſus parum amans, brevi & ſententioſa hac proſa mentem expoſuit:

BIBE DUM FLUO, MOX REFLUAM.
SIC EUNT OMNIA!

Et quoniam nunc creſcens nunc decreſcens accurata proportione horas in trabe rectæ columnæ delineatas, indicat natura & arte in hanc

hanc ſtupendam horologii hydraulici formam conſpirantibus, unde dicitur FONS SOLIS: cuidam ſic ludere placuit:

Surgit caditq́ vicibus hic certis latex,
Solisq́ curſus dum cadit, ſurgit, notat.
Fabella fontis vana Caſtalii fuit:
Arcana Phœbi Larius pandit latex.

Alius in eundem ſenſum:

Horas prius notaſſe, qvi affirmat Syros:
Injuriam protervus huic fonti facit.

Alius magis audacter & poëtice:

Hac mens in unda eſt, tacitus hanc hoſpes bibe,
Aſtronomiam potus hic amnis docet.

Id qvod alius temperatius expreſſit in hunc modum:

Habitare nymphas nemo jam lymphas neget,
Hoc fonte celſum Urania mutavit polum.

Alius adhuc ſingularius:

Si conſveta Phœbus erraret via,
A fonte Phœbus corrigi poſſet ſuo.

Qvod alii ſuggeſſit hunc impetum:

Tempora confuſis Phaëton cum perdidit aſtris,
Tempus in hoc tantum fonte ſuperſtes erat.

Alius in loci fontis commendationem ſic cecinit:

Hanc eſſe patriam Numinum & Solis ſolum,
Sideribus cognatus hic fons arguit.

Alius deniqve omnibus ſilentium impoſuit his verſibus:

Clarior hac nulla eſt, nulla eſt obſcurior unda,
Abdita dum refugæ cauſa lateſcit aqvæ.

Attoni-

Digitized by Google

Attonitas hebetant docta hæc miracula mentes,
Et linguam gelido lympha ſtupore ligat.
Larius heu Clario qvam diſcrepat amnis ab amne!
Ille loqvi Muſas, iſte tacere facit.

Hinc naſcuntur brevia dicta qvæ floribus, fructibus, gemmis, aliisqve rebus muneri inter amicos dari ſolitis conjuncta, ſymbolum vel Emblema loqvens & argutum conſtituunt. Ejusmodi luſus ſatis ingenioſi in noſtris Lyricis Italis multi, & in Diſtichis illis Martialis, qvæ vocat *Xenia & Apophoreta* inveniuntur. Cum (ut diximus) ex qvacunqve Metaphora qvæ ſub oculos cadit, fieri poſſit ſymbolum ingenioſum aut *propoſitum* aut *repoſitum*. In hoc genere pia æqve ac ingenioſa fuit reſponſio puellæ nobilis, cujus mens cœlo qvam terris erat propior. Cum enim moleſtus qvidam amator ſignificare ipſi vellet ſe illius cauſa mori & morte lætari, mittens ipſi mortem ex ſaccharo formatam cum dicto: BONUM MALUM, hæc viciſſim ipſi miſit *flagellum*, qvo Monachi corpus caſtigant, cum dicto: MALUM BONUM. Salsè ipſi inſinuans hoc antidoto utut moleſto amorem facile poſſe abigi. Alia vice ille idem odioſus miſit ipſi *horologium, cujus acus Magnete tincta*, cuſpidem cordis inſtar præferentem, verſus ſtellam polarem veluti adorans dirigebat cum dicto: IMMOTI VIS MOVET ASTRI. Cui puella eleganter reſpondens miſit *allium* cum hoc dicto: HAUD AMPLIUS ASTRA MOVEBUNT, ſiqvidem allium (ſymbolum vitæ aſperæ & jejunii) vim magnetis infringit, adeò ut nulla amplius cum ſtella polari ſympathia intercedat.

Hæc omnia ſymbola ſunt compoſita ex *verbis & corporibus, artefactis* vel *naturalibus*. Alia porro ſunt non minus arguta; qvæ componuntur ex VERBIS & PERSONA HUMANA eâqve VERA, ita ut homo ſit *corpus*, dictum autem *Spiritus* ſymboli. Sic non raro ſolo verbo *dicto aut ſcripto* melius depingitur aliqvis, qvam longo panegyrico. Valerius Cato ob ſuavitatem emendatæ dictionis Grammaticus nobiliſſimus, cum prodibat in ſcholas, ſalutabatur LATINA SIREN. Et Apio polyhiſtor (qvod nomen ipſi à multis

Digitized by Google

multis hiſtoriis qvas ſcripſit, inditum) qvoniam gloriabatur nomina eorum, qvos ſcriptis ſuis inſereret, toto mundo celebrari, appellatus fuit à Tiberio CYMBALUM MUNDI & à Plinio TYMPANUM ORBIS TERRARUM. Hæc igitur nomina de Catone & Apione duo ſymbola condebant viva, alterum grave, alterum ridiculum. Similiter ſenatus Romanus vitam ſe debere Conſuli Ciceroni agnoſcens, unica illum Metaphora immortalem reddidit decernens ipſi Nomen PATRIS PATRIÆ. Qvi ſolius virtutis erat titulus, factus eſt poſtea ſolius dignitatis titulus: cum indignis, qvi magis de conſeqvendo illo qvam promerendo erant ſoliciti proſtitueretur, miſeraque patria cogeretur patres appellare, qvi carnifices erant. Hinc argutæ inſcriptiones arcuum triumphalium ex tantis metaphoricis hyperbolis conflatæ: CONSERVATORI ORBIS, RERUM HUMANARUM OPTIMO PRINCIPI, NUMINI PROVIDENTISSIMO, AMORI GENERIS HUMANI. Unde creſcentibus titulis non arcus ſed Zodiacus tantis animalibus capiendis neceſſarius erat. Sed hominibus indignis tituli magni Ironiæ ſunt & laudes opprobria.

E contrario duo verba adverſus aliqvem jacta aut ſcripta conſtituere poſſunt ſymbolum, qvo vel optimus hominum aliis deridiculo fiat. Romani vitia principum diligentius quam ſua obſervantes de Imperatore Tiberio parva inflexione nominis mordaciſſimum ſymbolum condidere, ſiqvidem exprobrantes ipſi, qvod purum merumqve Falernum tantum ebrietatis cauſa biberet, pro *Claudius Tiberius Nero* ſcribebant: CALDIUS BIBERIUS MERO. Et de Imperatore Bonoſo pariter multibibo famoſiſſimo ſolebant dicere: NON VIVIT SED BIBIT. Hic magis aptus ad Bacchi ſcyphum qvam Martis ſcutum tractandum, ab Aureliano Competitore victus, ſervitutem morte pejus extimeſcens, è catenis ſe ſe capiſtro liberavit. Aurelianus itaqve deſcendens, ut ipſum videret de infelici unco pendentem, cum omnes clamarent: *ecce Bonoſum ſuſpenſum.* Reſpondit: NIHIL VIDEO NISI AMPHORAM PENDENTEM. Poterat, ut ſymbolum fieret, corpori illi adſcribere verſum Virgilianum.

Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.

Audacius erat ſymbolum militis cujusdam gregarii, viva voce in

Veſpaſianum Imperatorem dictum, cum mercede aliqvâ fraudatus miles in os ipſi exprobrare non vereretur: VULPES PILUM MUTAT NON MORES, hoc eſt, *induiſti principis inſignia ſed avaritiam privati non exuiſti.* Sed Helvii Pertinacis ferè lethalis erat aculeus, cum Caracalla Imperator juſſiſſet inter inſcriptionum titulos conſvetos cognomina de victoriis ſuis parta adjicere: GERMANICUS, PARTHICUS, ARABICUS, ALAMANICUS, ille ſubjecit ridens, adde: GETICUS MAXIMUS, qvo ipſo occultè in memoriam ipſi revocabat crudelitatem in fratre Geta occiſo adhibitam. Mirum erat Caracallam hoc morſu Helvii petitum non factum eſſe HELVETICUM MAXIMUM. Ad hoc genus revocantur polita & acuta dicta, qvæ in familiari vita appoſitè in homines conveniunt. Caligula acutioris qvam ſolidioris ingenii, cum Liviam aviam ſuam callidiſſimam anum adſpiceret, dicere ſolebat: EN ULYSSES STOLATUS! Et Tiberius perverſam Caligulæ naturam ſucceſſoris ſui inſpiciens dixit: EN PHAETHON IMPERII. Argutius Latinus Comicus videns tres puellas, qvæ ſibi invicem pulchritudine non cedebant, ſed aliis omnibus forma inferiores erant, dixit: FERIÆ APUD INFEROS, ac ſi diceret, neceſſe eſt ut apud inferos feſtus dies agatur, qvoniam tres furiæ ambulatum prodivere. Cujus modi morſus cum ex ingenii ſubtilitate non odii furore naſcuntur, & aculeus ſine veneno & oblectatio ſine vitio, mutuaqve lætitia & jaciuntur & accipiuntur: à noſtro autore pro legitima prole liberalis virtutis habentur, qvæ græcè dicitur εὐτραπελία hoc eſt affabilitas, de qva ſuo loco nobis dicendum erit.

Ad hoc genus pariter referuntur Epitaphia *arguta*, qvæ idcirco diſtingvuntur à planis & communibus, qvæ nudè rem exponunt, cum illa figuratè in perſonis notandis ludant & verbo mortuum ſuſcitent. Apud Veteres Romanos ejusmodi merces ignoratæ nec æſtimatæ fuerunt, qvoad Muſæ è Capitolio exulabant, nec aliud Numen Roma præter Qvirinum ſuum adorabat. Unde Epitaphia illorum temporum latina qvidem erant, adeò ut etiam hodiè inter mutos illos cineres latinam linguam ſcrutemur: Sed adeo macra & exangvia, ut cadaveribus, qvibus affigebantur, hac parte reſponderent. Tale erat hoc:

DIIS.

DIIS. MANIBUS. PONTIÆ. GNESIÆ CONJUGIS. KARISSIMÆ. ET. SANCTISSIMÆ.
L. PONTIUS. HORÆUS FECIT.

Sed cum victâ Græciâ inter barbara ſpolia humanæ literæ repertæ & à ſervis artes liberales allatæ fuiſſent, qvidam Epitaphiis colores ſed dilutos & parum vivos adjicere cœperunt: veluti Plautianus aviæ ſuæ Sulpitiæ hoc ſcripſit.

Vix dum bene vixi. Jam mea peracta eſt fabula.
Mox veſtra agetur. Valete & plaudite.

Ubi ex poëtarum formula in finiendis Comœdiis acumen duxit, tanqvam vita humana ſit ſcenæ ludus. Et hoc alterum.

DIIS MANIBUS SACRUM SEXTI PERPENNÆ.

Vixi, qvemadmodum volui. Qvare mortuus ſim, neſcio,
Viator, noli mihi maledicere. Neqveo in terris reſpondere.

Sed brevius idemqve plenius & diſertius fuit illud magni cujusdam Viri, qvi cum orbem terrarum fama rerum à ſe geſtarum impleſſet, pôſt abiit in cineres paucos.

QVIS HIC? OMNIA.
QVID OMNIA? NIHIL.

Sed hodiernæ Muſæ gloriam illam abſtulerunt, ut ſepulchra amœnis ſententiis efflorescere & cadavera Inſcriptionum ſpiritu vivere faciant, qvalia multa qvà ſeria, qvà jocoſa juſtis voluminibus collecta leguntur. Mihi ſemper viſa eſt arguta æqve ac magnifica illa Jacobi Trivultii, cui Magni cognomen datum eſt, ſepulchralis Inſcriptio, cujus nomini nihil aliud adjungitur qvam hoc dictum:

Digitized by Google

QVI NUNQVAM QVIEVIT, HIC QVIESCIT.

Nonne Tibi occurrit, magni illius Imperatoris ingenium, qvi inter cineres ſuos videtur labores militiæ exantlatos enumerare? Et revera ſi hiſtoriis celebratus eſt ille, cui Epitaphium ſcribitur, hoc eo erit argutius, qvo magis archetypum: ut famæ qvod reſtat, lectoris memoriæ inſcribendum relinqvatur. Sic rogatus, ut celeberrimi Menochii tumbæ Epitaphium inſcriberem, hoc dictum pro magno elogio, qvod alius excogitaverat, ſufficere credidi.

MAGNUM ILLUD JURISPRUDENTIÆ
ORACULUM
JACOBUS MENOCHIUS
HIC SILET.
QVID ENIM RESPONDERE PERGERET,
CUM PLURA QVAM SCRIPSIT, DICI
NEQVEANT?

Aliæ argutiæ mixtæ ſunt ex VERBIS & PERSONA FICTA ac REPRÆSENTATA. Ejusmodi ſymbolum, utut crudele, erat illud incendiarii Neronis, qvi cum oculos paſceret flamma Romæ à ſe incenſæ, Homeri perſonam induens cum lauro & lyra de porticu Palatii proſpiciens, Trojæ incendium cantabat. Sic habitus & vox triſtem metaphoram & verba ſymbolum atrociter jocoſum formabant, in publico illius patriæ dolore, qvæ non alio nomine Troja vocari digna erat, niſi qvod tam brutum animal produxerat.

Ex hac ſcaturigine derivantur *Tragœdiæ harmonicæ*, qvæ lacrymas mœſtorum carminum vocis ſvavitate mitigant. Hinc qvoqve deſcendit omne *ſpectaculum Scenicum*, ubi aliqvis alterius perſonam induens mortuisqve vivam vocem præſtans metaphora fit loqvens, & ſymbolum animatum. Hæc cauſa eſt, cur triſtia quamvis objecta Tragœdiis repræſentata ita nos oblectent, ut eodem tempore frons mœreat, cor lætetur. Siqvidem imitatio in veſtibus ad oculos & imitatio in voce ad aures tranſiens efficiunt, ut hi duo ſenſus ab objecto ſuo non decepti phantaſiam decipiant, atqve hæc

Digitized by Google

decpta lacrymas cieat, qvæ à mente fictionis conſcia deriſæ mixtum illum ex gaudio & triſtitia affectum producunt.

Hinc porrò naſcitur lætitia *ludorum familiarium*, in qvibus nobiles pueri puellæqve perſonam ſuſcipiunt hic *regis*, illa *Amazonis*, iſte *eqvitis errantis*, hic *ſervi* & fabulam Romanenſibus,qvas vocant, ſimilem pertexentes verba perſonæ conſentanea loqvuntur, & qvi peccat ac labitur,pignore multatur. In aliis ludis qvilibet conſabulator jucunda fictione *ſe florem* fingit, & vicinus in illum proprietatem qvandam floris verſu extemporaneo accommodat, & pariter, ubi deficit, pignus deponit. Sed oblectatio magis ingenioſa eſt in ludo,recens ab aulis hiſce invento, qvem vocant LABYRINTHUM ARIOSTI. Eſt enim Labyrinthus in magna eaqve rotunda menſa formatus, ſitum orbis terræ referens, ubi una continua via per ſinus & anfractus ducta ad centrum reducit, & illinc per diverſos flexus in porta oppoſita deſinit. In hac via variis terminis diſtincta ordine cernuntur præcipua Arioſti loca in furioſo ſuo deſcripta, *ſylva* Angelicæ fugitivæ, *antrum Merlini* fatidicum, *Caſtellum Atlantis*, Heroum carcer, *ſolitudo Dalindæ pœnitentis*, *pons* ab Eriphila gigante defenſus, *hortus* Alcinæ amœniſſimus, & ſic etiam alia: pro locis vero adſcripti ſunt verſus ejusdem poëtæ de loco illo agentes, qvi demonſtrant qvid ludentibus eò delatis faciendum ſit.

Cum enim tabulæ mixtim aſſideant pueri puellæqve nobiles præcipuas illius poëmatis perſonas referentes hæc Angelicæ, ille Orlandi, iſte Bradamantis, alius Rogierii, unus qvisqve ordine talos jacit & prout numeri indicant, in via procedit, locum parvis ſimulacris perſonæ ſibi impoſitæ notans. Sed in præcipuis locis prout argumentum & poëtæ verſus jubet,alius captivus detinetur, alius pergit,alius rejicitur,alius captivos liberat, alius pignus deponit, alius ſolvit aut accipit tributum, alius pœnitentiam agit, alius orat & contemplatur. Qvi centrum attingit ubi infernus eſt,inde amplius exire non poteſt, & perdidit luſum, ſecundum proverbium: *Ex inferno nulla redemtio.* Qvi primus ad portam pervenit,victor evadit, & ludus finitur, ſecundum verſum poëtæ in ultima cantione.

Venuto al fin di coſi lunga via.

Ita omnis ludens ſymbolum eſt heroicum, omnis talorum jactus

Digitized by Google

fortunæ eventus, omnis eventus gravis aut ridicula allegoria, cui verſus pro verbo adeſt, omne verbum vividis ludentium ingeniis *facetum argutiarum* argumentum ſubminiſtrat. Unde menſa eſt poëma & ludus omnis, ſtudium.

In aliis argutiis PERSONÆ FICTÆ cum GESTIBUS & ACTIONIBUS ſine *verbis* conjunguntur. Atqve hic inprimis pantomimorum facundia ut dictum eſt exercetur, qvæ *veſtitus* myſterio & *geſtus* miniſterio rem omnem tacent & omnem rem dicunt. Nam vario perſonæ manuumqve motu adeò ad vivum argumentum hiſtoricum aut fabuloſum exhibetur, ut clarè intelligatur actionem ſine voce eloqventiorem eſſe voce ſine actione. In hoc genere vidimus à nobiliſſimis hominibus tragœdias mutas elegantibus ſaltationibus & convenientibus geſtibus repræſentatas, ubi ſingulæ ſcenæ ſinguliqve actus fabulæ ex *Aſtrææ* libris contextæ actiones argutas & colloqvia Pathetica exhibebant, ut Poëtis in poſterum fons Caſtalius non adeundus eſſe videatur, cum ſaltando poëma & pedibus melius qvam voce verſus facere liceat.

Huic ipſi generi annumerabimus *ſaltationes pedeſtres & heroicas*: qvales olim erant *Pyrrichiæ* à feroci ingenio Pyrchi Achillis filii in funere Patrocli natæ, ut autor noſter docet, ſeu ut Ariſtoxenus credit, à Pyrricho Spartano in præliorum imitamentum excogitatæ. Luſus ſanè atrox, dignus tamen rigidis illis turbidi Eurotæ alumnis, qvi ſangvinem cum lacte ex virili Amazoniarum Matronarum pectore ſugentes & ſaltando qvoq; ictus aut inferentes aut repellentes, inſultus aut caventes aut ſpernentes, hoſtem aut fugientes aut fugantes geſtibus ordinatis ſaltibusq; numeroſis in bello ludere docebantur, dum luſibus bellabant. Aliæ contra erant ſaltationes effœminatæ, & molles veluti *Phrygia*, exhibentes *matronas Jlienſes* dolore confectas, qvæ circa rogum maritorum pio dolore manus complodebant, pallidam faciem lacerabant, paſſis comis vim inferebant, caputqve tepidis rogi reliqviis fœdabant. Aliæ deniqve erant ſaltationes animorum corruptrices veluti *Ionica*, qvæ reſpondebant laſcivis ſeculorum diſſolutorum moribus, etiam à Poëtis Ethnicis vituperatis:

Motus

Digitized by Google

Motus doceri gaudet Ionicos,
Matura virgo, fingitur artibus
Jam tunc: & inſanos amores
De tenero meditatur ungve.

Sed argutiores gratioresqve ſunt *ſaltationes ſymbolicæ* in his aulis uſitatæ, qvæ bellicis laboribus honeſte interponuntur, cum ejusdem ingenii ſit (ut Themiſtocles dicebat) aciem & convivium eleganter inſtruere, præcipuè cum jucundum utili miſcetur: veluti in his moratis & elegantibus figuratarum ſaltationum inventis, qvæ admirabili apparatu, ſingulari veſtitu, geſtu vivido, miro pedum poſitu ad ſvavem Muſicorum inſtrumentorum ſonum, ſalutare aut civile quodam documentum tot mutis metaphoris qvot actionibus, tot myſteriis qvot metaphoris, ſignificant, unoqve tempore ſpectatores & recreant & docent.

Ex eodem fonte prodeunt *ludi eqveſtres, & ingenioſi decurſus*, qvæ *torneamenta* vocant, tacite heroicum aliqvod atqve honeſtum propoſitum innuentes, in qvo genere nobiliſſima, & meo judicio ſine exemplo elegans & arguta fuit illa eqveſtris decertatio, qvæ in nuptiis noſtri principis cum regia filia Henrici Magni ſpectabatur. Campus totus *hortum* exhibebat, ubi cum Februario ludebat Aprilis, & horrorem hiemis vincebat Flora. Carceres campi erant *ſepes*, qvæ in qvadratum diagonale diſtinctæ recentibus floribus virebant. Hæc inter ſurgebant miræ ac monſtroſæ *ferarum* formæ, qvæ terribili ſpecie auro & argento ornatæ horrorem & gaudium injiciebant. Adverſus has, clare canentibus buccinis, eqvites armati multis vicibus certamen ſuſcipiebant, pro ſe qvisqve ſuſtinens: FLOREM A SE AMATUM ESSE PULCHERRIMUM. *Veſtes, arma, ephippia*, limbis florum cuiqve propiorum ingenioſe erat diſtincta, *ſymbola* ſcutorum ad proprietatem ejusdem floris ingeniosè erant accommodata. *Literæ provocatoriæ* tot poëticis floribus erant adſperſæ, ut unus flos parnaſſo omnes flores detraxiſſe videretur. Ingenioſiſſima ac nobiliſſima erat inventio, ſiqvidem hortus metaphoricè repræſentabat Pedemontium à priſcis hiſtoricis *hortus Italiæ* appellatum, clauſtra ſignificabant *Alpes* cum omnium fluminum

minum imagine, qvæ de candidis illis jugis in viridem hanc vallem delabuntur. Flores erant ſymbola *Matronarum* omnibusqve floribus præferebatur LILIUM ſymbolum regiæ ſponſæ tanto reliqvas fœminas ſuperantis, qvanto lilium aliis floribus eſt excelſius. Monſtra deniqve denotabant *invidos & calumniatores*, adverſus qvos arma dirigebant eqvites, cum nihil tam humanum tamqve generoſum ſit, qvam tueri veritatem oppreſſam & imbellem ſexum virtute militari defendere. Decurſu eqveſtri finito & monſtris ferarum dejectis omnia in flammam lætitiæ abibant, & ex fluminibus aqveis ignes erumpebant, hortusqve omnis à Vulcano in cœlum uno impetu rapi videbatur. Non ſine cauſa magna fuit hujus commenti fama, cum omnes argutiarum heroicarum perfectiones hic conjunctæ eſſent: videlicet *proprietas*,(Erat enim inventio in metaphora FLORIS LILII fundata,) & præterea unitas, novitas, facilitas popularis aderant. Qvilibet enim ſpectatorum radice intellecta in totam allegoriam facile penetrare, eaqve lætari poterat. Sufficit dixiſſe hunc luſum fuiſſe partum magnæ mentis CAROLI, MAGNI ILLIUS Sabaudiæ Principis, qvi appoſitè ſibi florem elegit, cui apud Italos nomen eſt PENSIERO, qvod cum cogitationem ſignificet, indicabat Ducem in his ludorum remiſſionibus ſeria & gravia meditari.

Deniqve ab hoc fonte procedit qvicqvid eſt in LUDIS MUTIS ingenioſum & jucundum. Ejusmodi luſus, qvibus heroicum qvoddam argumentum ſubeſt, fiunt *chartis luſoriis*, illis qvidem, ubi mixtim vides omne genus hominum ſymbolo ſibi conveniente inter ſe concurrere, *divites* denario, *ebrios* poculo, *milites* gladio, *paſtores* baculo, *Imperatores*, *Epiſcopos*, *angelos*, *dæmones*: tanqvam ludens faſciculum chartarum comprehendens mundum pugno contineat, & ludere per Metaphoram nihil aliud ſit, qvam univerſitatem invertere, & qvi maximum in detrimentum fert, victor eſt. Sed ludus magis heroicus & argutus imo bellica qvædam ſchola eſt *ludus Scachicus*, ubi in exiguo campo tibi occurrunt duo exercitus acie qvadrata: alter *alborum Aſſyriorum*, alter *nigrorum Afrorum*, & ecce Rex, Regina, milites armati, eqvites, elephantes turriti, pedites ad nutum duorum ludentium, tanqvam Imperatorum concurrunt, invadunt, cavent, opprimunt, prædantur, ſubveniunt, colliduntur, ſeſe tegunt,

Digitized by Google

gunt, captivos ducunt & è medio tollunt, eo usqve donec acie adverſa diſſoluta & Rege in anguſtias redacto (cui ſoli vita conceditur) non moleſta qvidem, ſed dulci victoria prælium, ſine ſangvine, ſed non ſine ira perdentis terminatur. Luſus convenienter excogitatus à bellico ingenio Palamedis in græcis tentoriis otium hoc modo oppugnantis. Unde mirum non eſt è Jovis cerebro Palladem armatam extitiſſe, cum ex cerebro militis exercitus prodierint. Hic igitur ludus qvid aliud eſt, niſi ſymbolum heroicum, metaphora continuata, ubi parva illa ſimulacra viva manu animata, ingeniorum conflictum allegorice exhibent, & pro verbo ſymbolum declarante motu utuntur, ita ut ludens in perſonas figuratas armatorum lignorum convertatur, & in mortuis imaginibus mens ludentis vivat.

Habes hic generatim de ſymbolis, & inprimis heroicis, pro varietate cauſarum inſtrumentalium, ex qvibus naſcuntur ſymbola LOQVENTIA, MUTA, & COMPOSITA. Nunc par eſt exponere illam ſymbolorum varietatem, qvæ ex cauſis naſcuntur, qvas ſcholæ vocant EFFICIENTES. Unde cognoſcere poteris, qvanta ſit argutiarum jucunditas, cum omnes res creatæ & increatæ, ut ſe ingenioſas oſtendant, illas oſtentare ſtudio habeant.

CAUSÆ EFFICIENTES ARGUTIARUM DEUS, SPIRITUS, NATURA, ANIMALIA, HOMO.

CAP. III.

ETiam DEUS Maximus interdum poëtam agere & argutum fabulatorem amat, dum hominibus angelisqve profundas ſuas cogitationes variis dictis ſymbolisqve figuratis veluti ludens indicat. Et qvidem merito: primum, ne divinum ingenium humano cedere atqve mens illa ſterileſcere videatur, qvæ aliarum mentium cogitata fœcundat. Qvantum enim mundus habet ingenioſi aut Deus eſt aut à Deo.

 Deinde

Digitized by Google

Deinde, ne divinæ majeſtatis ſtilus vulgare aliqvid & triviale ſapiat, ſed nobilibus figuris ita attollatur, ut ſublimitas admirationem, admiratio venerationem pariat. Porrò ut veritas in ſe amara argutorum ſenſuum condimentis dulceſcat. Deniqve ne obtuſa & temeraria turba divinos ſenſus interpretari audeat, ſed felicia tantum & acuta ingenia cœleſtium ſecretorum conſcia de cortice literæ myſteria occulta exſculpant, & uti Numen à ſe ſolo, ſic ſapiens à Numine & rudis à ſapiente diſcat. Rectè igitur dixit Sophocles:

Myſteria Numen tecta ſapientes docet,
Fatuis Magiſter prorſus eſt inutilis.

Atqve ideo in templorum portis ſolebant collocari *Sphinges*, ut indicaretur (veluti explicat eruditiſſimus Plutarchus) divinam ſapientiam per ſymbola & arguta ænigmata ſapientibus ſeſe impertiri.

Talis itaqve eſt Dei ſtilus in Scriptura Sacra, præcepta ad ſalutem neceſſaria plano & aperto ſermone fuerunt pronuntiata, ut à qvovis homine etiam rudi poſſint intelligi: NON OCCIDES: NON FURTUM FACIES, qvæ idem menti qvod auribus ſignificant. Atqve hic eſt ſenſus LITERALIS, ſed res ſublimiores & peregrinæ adumbrantur tribus *ſymbolorum figuratorum* generibus, qvæ à Sacris Interpretibus græcè vocari ſolent ſenſus TROPOLOGICUS, ALLEGORICUS & ANAGOGICUS, ſed omnes ſunt METAPHORICI.

ARGUTIÆ TROPOLOGICÆ ſunt illæ, qvæ figuratè nos docent *præceptum morale*, ad modum Metaphorarum & ſymbolicorum ſynthematum Pythagoricorum, veluti hoc: QVICQVID OBTULERIS SACRIFICII, SALE CONDIES. Qvo indicatur in liberalitate adhibendam eſſe prudentiam, cujus ſymbolum eſt *Sal*. Sicut enim autor noſter qvoqve docet, Liberalitas ſine judicio non eſt virtus, ſed profuſio. Et hoc alterum: SACERDOTES BARBAM NE RADUNTO, ut ſcilicet Eccleſiaſtici in rebus divinis defendendis ſeſe viros præſtare debere admonerentur. Qvapropter etiam Diogenes rigidus ille Cenſor rogatus, cur tam prolixam barbam aleret? reſpondit: *ut me virum eſſe meminerim.* Sic igitur *barba* ſacerdotum & *ſal* victimæ aſperſus erant metaphoræ mutæ, ſymbola moralia & argutiæ divinæ.

ARGU-

ARGUTIÆ ALLEGORICÆ ſunt illæ, qvæ ſub velo metaphorico recondunt fidei myſteria ad res hujus orbis ſpectantia. Exempli cauſa: EGREDIETUR VIRGA DE RADICE JESSE, ET FLOS DE RADICE EJUS ASCENDET; qvo venuſtè indicatur beatiſſimam virginem Mariam, ex Davide filio Jeſſe & Meſſiam ex virgine naſciturum eſſe. Illam qvidem veluti caulem de *radice*, hunc veluti *florem* de caule. Et hoc alterum; VERBUM divinum in mundum venturum eſſe: DUM NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET. Qvemadmodum enim eo tempore qvo Chriſtus natus eſt, Sol in angulo, templo Hieroſolymitano è Diametro oppoſito, verſabatur, unde Judææ nocturnæ tenebræ ſupra verticem incumbebant, & Sol antipodes ſub altero Hemiſphærio illuſtrabat: Sic Salvatore in mundum veniente, lux fidei ingratum Hebræum deſerens, ad gentes tranſitura erat, qvæ in angulo nocturno cœcorum errorum jacebant, ſicut ipſis argutè erat prædictum: *Ambulantibus in regione umbra mortis lux orta eſt.* Hac ratione ſymbolum duas illas res miraculoſas præſagiens depingi poſſet in RADICE FLORENTE & SOLE in angulo è diametro Judææ oppoſito per mediam noctem deliteſcente.

ARGUTIÆ ANAGOGICÆ ſeu ſurſum trahentes, ſunt illæ, qvæ Metaphoricè aliqvod ſecretum rerum cœleſtium & æternarum innuunt, mentem à rebus viſibilibus ad inviſibiles & ab hac ad alteram vitam ducendo. Ejusmodi: BEATI QVI LAVANT STOLAS SUAS IN SANGVINE AGNI, UT FIAT POTESTAS EORUM IN LIGNO VITÆ. Depingas nunc arborem vitæ & candidum agnum occiſum, in cujus purpureo ſangvine homo coronatus pallium abluat, & habebis ſymbolum Anagogicum & admirabile, qvod ſignificat *neminem regno cœleſtis beatitudinis frniturum, niſi cujus anima ſanctificata ſit per meritum ſangvinis Chriſti, cujus purpura candorem affert.* Tale eſt illud Apocal. ubi qvatuor animalia undiqve oculata, *aqvila, leo, vitulus & homo* ſemper vigilantia, & ſemper laudantia canum illum Regem, qvi in throno ſedet, ſine fine exclamant: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. Metaphora qvâ Hierarchiæ glorioſæ *Doctorum, Martyrum, Pontificum & Confeſſorum* depinguntur, eorumqve beatitudo in duobus actibus perpe-

Digitized by Google

tuis poſita, uno intellectus altero voluntatis, hoc eſt, Dei viſione & divinorum attributorum amore exprimitur.

Sed argutiæ Dei infinitis modis ingenioſiores ſunt qvam mortalium: ſiqvidem in humana eloqventia ſermo proprius excludit figuratum, at in divina Mythologia in proprietate LITERÆ latet acumen TROPOLOGICUM, & in hoc rurſus ALLEGORICUM & deniqve omnia concurrunt in ANAGOGICUM, ita ut in uno verbo habeas tres ſententias & in una ſententia tres metaphoras. Unum exemplum ex oraculis divinis petemus: STETERUNT SOL Et LUNA DONEC ULCISCERETUR SE GENS DE INIMICIS SUIS. Ubi ſententia plana & literalis hiſtoricè explicat, ad Joſuæ imperium *ſolem & lunam*, qvoad Cananæi armis victricibus ſuccumberent, tanqvam geminas faces illorum exeqviis prælucentes reſtitiſſe. Sed Rupertus invenit ibi occultatam TROPOLOGIAM moralem. Per *Cananæos* enim intelligit vitia rationi rebellia; & per *planetas* bona fortunæ, unde infert: Hominem vitia expugnare non poſſe niſi bonis externis ita utatur, ut iis imperet non obſeqvatur. Sed Irenæus detracta TROPOLOGIA interius ALLEGORIAM reperit dicens: Neminem poſſe de hoſtibus infernalibus per Cananæos ſignificatis triumphare ſine benignis ſolis & Lunæ hoc eſt *Jeſu* & *Mariæ* viribus. Deniqve Auguſtinus ſagaciſſimus ille divinarum argutiarum ſcrutator Cananæos pro ſymbolo *Damnatorum*, ſolem pro *divinitate*, lunam pro *humanitate* beatorum habens, hunc ANAGOGICUM ſenſum eruit: in altera vita perpetuam fore antitheſin inferius damnatorum immortali morti addictorum & ſuperius beatorum ſine viciſſitudine Deo perpetim conjunctorum.

Sed divini ingenii ſubtilitas longius adhuc progreditur, ſiqvidem non ex ſuis modo ſed alienis verbis argutas metaphoras componit: Ita, ut eædem voces aliud homini, qvi illas profert, aliud Deo, qvi illas inſpirat, ſignificent: qvin ex blaſphemia ſanctam divinamqve ſententiam elicit. Pontifex Judæorum Caiphas animo verè perverſo ad ſedandum popularem tumulum, parricidialem ſententiam contra Chriſtum innocentem evomuit: *Expedit ut unus homo moriatur, ne tota gens pereat.* Qvorum verborum ſecundum literam ſenſus hic eſt: EXPEDIT id eſt, ſic vult reipubl.

utili-

utilitas UT UNUS HOMO, homo plebejus, MORIATUR cruci ſuffigatur, NE TOTA GENS PEREAT ne laniena civium ſeqvatur. Sed Deus in ſalutarem hunc & Propheticum ſenſum eadem metaphoricè trahebat. EXPEDIT ſic poſtulat divina juſtitia, UT UNUS HOMO ut Chriſtus, qvi ſolus homo appellari meretur cum alii in bruta degeneraverint, MORIATUR in cruce fiat ſacra hoſtia, NE TOTA GENS PEREAT ne totum genus humanum damnetur. Sic idem Caiphæ dictum ab ipſo ſecundum literam, à Deo figuratè capiebatur: in ore humano erat blaſphemia, in mente divina Oraculum, & ſacrilegus ſacerdos ſtultè ſapiens delirando vaticinabatur & mentiendo verum dicebat. Similiter dictum hoc Pilati: QVOD SCRIPSI, SCRIPSI, ſi proferentem audis, nil aliud eſt, niſi frigida nec cogitata affirmatio, qvæ hoc dicit *crucis titulum talem manere volo, qvalem ſemel ſcripſi.* Sed autographum mentis divinæ inſpiciens, ſententiam invenies argutam & ingenioſam. Qvodſi enim conſideras titulum illum crucis J. N. R. J. à Pilato ſcriptum eſſe ad Regem ludicrum ridendum, ſed à Deo dictatum, ut Jeſus Chriſtus regium Eccleſiæ caput declararetur: dictum hoc: QVOD SCRIPSI, SCRIPSI, argutè ſignificabit ſcripturam Veteris Teſtamenti in Chriſto exſpirante finitam eſſe, idqvod diverſis, ſed idem valentibus verbis à moribundo Salvatore declaratum fuit: CONSUMMATUM EST.

Magis adhuc ſtupendum eſt, interdum ad mutam phyſicamqve actionem tot divinos conceptus & tot myſterii plenas metaphoras concurrere, qvot eodem tempore circumſtantiæ in toto mundo caſu videntur accidiſſe. Redeo ad prius exemplum. Chriſtus naſcitur in *præſepi* inter muta *jumenta.* Hæc eſt actio phyſica, qvæ multas ſymbolicas & profundas argutias continet. Qvicqvid enim naturaliter in cœlo apparet, qvicqvid caſu in terris accidit, omne id myſterium eſt futurorum eventuum prænuntium. Naſcitur, dum planeta lucis ſator antipodes illuſtrans meridianum Judææ deſerit, hæc eſt metaphora, ut dixi, divina, qvæ lucem Evangelicam à *ſynagoga* recedentem *gentibus* patefaciendam eſſe innuit, unde ex longinqvis regionibus capita coronata ad hoc præſepe acceſſerunt, *qvaſi de remotiſſimo altiſſimoqve ſecreto* (inqvit S. Leo papa) *iis, qvibus erat ignotus adveniens cæcitatem ignorantiæ*

ſuſtulit, ſicut ſcriptum eſt: Sedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. Naſcitur in puncto ſolſtitii brumalis, cum ſol Tropico junctus metam ponens noctibus longiſſimis ad nos revertitur. Hic eſt ſenſus argutus denotans, cum humana malitia ad culmen pervenerat, ſolem gratiæ ad nos reverti cœpiſſe, & ſolſtitium in præſepi egiſſe. *Vides noctem* (inqvit Nyſſenus) *ad ſummam longitudinem perveniſſe & cum progredi ulterius neqveat, conſiſtere ac regredi. Cogita exitioſam peccati noctem, qvæ malis omnibus aucta ad ſummum malitiæ cumulum creverat, hodie reciſam eſſe, ne longius ſerperet, atqve illuc ſenſim redactam, ut plane deficiat ac dilabatur.* Naſcitur, dum ſignum virginis Aſtrææ in Horizonte apparet, & Saturnus in medio cœli regnat. Hoc eſt ſymbolum ſeculi illius aurei à Sybilla Cumæa prædicti verſibus illis duobus, qvos gentiles de Octavio Cæſare acceperunt, ſed S. Auguſtinus, Juſtinus, Aliacenſis & Albertus M. de horoſcopo Salvatoris natalitio ſummæ felicitatis præſago interpretati ſunt.

Jam redit & VIRGO, redeunt SATURNIA regna
Jam nova PROGENIES cœlo demittitur alto.

Naſcitur, dum Octavio honoratum nomen AUGUSTI decernitur, qvod *incrementum gloriæ* ſignificat, hoc eſt tacitum acumen ſignificans Chriſtum eſſe natum, ut electos ſuos glorificaret. *ſub Auguſto naſcitur*, (inqvit Aimo) *qvia electos ſuos virtutibus auget.* Naſcitur, dum Auguſtus univerſi triumphator manu pacifica portas templi bellici claudit & ſtrepitum armorum toto mundo tollit. Hoc acumen eſt ſignificans pacem, qvam Chriſtus amavit, & fidelibus ſuis in hæreditatem reliqvit. *Voluit* (inqvit Beda) *pacatiſſimo tempore naſci: qvia pacem magnopere qvæſivit & amavit.* Qvod ſymbolum ex tacito fit loqvens, ſi apponas verbum angelorum: ET IN TERRA PAX. Naſcitur, dum nomina omnium imperio Romano ſubjectorum libro inſcribuntur atqve in hoc profano libro ſanctum nomen *Jeſu* ſcribitur. *In totius orbis profeſſione deſcribi oportuit Chriſtum,* (inqvit Origenes) *ut cum omnibus ſcriptus omnes ſanctifi-*

ſanctificaret. Naſcitur dum tributum exigitur Cæſareum à liberis capitibus non à ſervis: atqve hoc qvoqve ſymbolum eſt argutum, qvo demonſtratur, qvod ſub lege Evangelica (ut dicit Theophylactus) *ultra ſervi non ſunt, qvi Domino ſerviunt.* In ſumma natura omnis (ut Nyſſenus concludit) plena fuit illo die ſymbolicis figuris divinisqve argutiis, ſi attentè conſideres. *Mihi videor naturam ita loqventem audire: Conſidera ô homo, qvi hæc adſpicis, ex his qvæ videntur, ea tibi aperiri qvæ non videntur.* Qvæ ipſa eſt Metaphoræ natura. Qvin omnes hiſtoriæ Scripturæ S. huc tendunt & qvot verba tot fuerunt arguta dicta figurarum ſymbolicarum, ut divinus Interpres notat: OMNIA IN FIGURA CONTINGEBANT, hoc eſt Omnes Creaturæ erant argutæ & divinum illum Heroëm figuratè ſignificabant.

Atqve hic leviter indicabo, qvæ ſint *cogitata* illa ſacrorum Oratorum, qvæ vulgo ſolent appellari CONCETTI PREDICABILI hoc eſt argutiæ ad concionandum aptæ, qvæ tanto favore, tantaqve admiratione in Sacrum Theatrum receptæ ſunt, ut divinum verbum hodiè videatur jejunum & inſipidum, niſi his bellariis conditum ſit. Disqviſitio profectò curioſa, atqve adhuc (qvod ſciam) nullius ſcriptoris calamo animadverſa & tractata. Primum enim illud exploratum eſt, nec textum Evangelii literalem, nec nudam Veteris Teſtamenti hiſtoriam, nec ſimplicem Sacri Scriptoris autoritatem, nec ſolidam atqve eruditam rationem Theologicam, nec caput qvoddam S. Thomæ vulgò *harum argutiarum* populo acceptarum nomine intelligi. Multo minus ſubtilitas philoſophica, nec plana & evidens ratio moralis, nec exemplum qvantumvis admirabile, nec profana eruditio, utut curioſiſſima à populo habebitur pro argutiis ad prædicandum aptis. Duæ res itaqve inprimis ſunt, qvæ ſacrum hunc ingenii partum conſtituunt, videlicet *materia ſacra* in divina auctoritate fundata & *forma arguta* ſuperſtructa cuidam metaphoræ, qvæ ſenſum vel *Tropologicum*, vel *Allegoricum* vel *Anagogicum* ab illo, qvi primus ſe ex litera textus offert, diverſum conſtituit. Atqve in his planè poſita eſt natura ARGUTIARUM, ut argumentum ſit ingenioſum, inexſpectatum & populare. Qvare Theologi theſes ſuas ejusmodi *argutis conceptibus* non confirmant, ſed argumentis planis & literali-

Digitized by Google

ceralibus, & contra Orator ſacer, qvi ex argumentis Theologicis orationem texit, habetur magis doctor Scholaſticus qvam concionator popularis. Rem itaqve ſic ſe habere conſtabit, ſi in expendendis ejusmodi ingenioſis fœtibus operam impendes, qvorum reperies fundamentum aut metaphoram, aut homonymiam aut Laconiſmum, aut aliam metaphoræ ſpeciem de qvibus ſuo loco ſpecialius agetur. Eſt itaqve ARGUTUM & CONCIONATORIUM ENTHYMEMA nihil aliud qvam *argutia leviter ab ingenio divino indicata, eleganter ab ingenio humano explicata, & autoritate Scriptoris ſacri confirmata*, ita ut laus inventionis ad Deum, laus indicationis & opportunæ applicationis ad oratorem redeat. In iis vero maxima eſt commendatio, qvæ de dotibus argutiarum qvamplurimum participant, hoc eſt de *proprietate, novitate, alluſione ingenioſa & conſideratione admirabili*. Præcipue vero ſi cum in litera textus prima ſpecie contradictio apparet ad explicandum difficilis, in fine demum ad ſenſum figuratum confugiamus, ſubtilem aliqvam doctrinam aut peregrinam eruditionem aut claram ſimilitudinem aut elegantem difficilium locorum concurſum, ingenioſè & præter exſpectationem ſolutum, afferentes. Nam duo dicta obſcura ſibi invicem oppoſita fiunt illuſtria. Hic forte expectas clariora hujus doctrinæ exempla, ſed qvoniam in argutiis conſiſtit & qvot argutiarum ſunt ſpecies, tot etiam ejusmodi *conceptuum concionatoriorum* ſunt genera: revertar ad particularem de iis tractationem ſub finem capitis noni, cum de qvalibet ſpecie CONCEPTUUM METAPHORICORUM egero.

ARGUTIÆ ANGELICÆ.

ARgutiis divinis ordine ſubjicio ARGUTIAS GENIORUM & ANGELORUM. Intellectus enim angelorum eſt divini intellectus repercuſſio nec nudi ſpiritus alios niſi ſpirituales conceptus poſſunt emittere. Id qvod evidentiſſimè excellentiam ſymbolici & arguti ſermonis arguit, qvoniam non intelligentiæ tantum beatæ, qvæ ſemper in gaudio vivunt, ſed æternæ mortis damnatæ inter inconſolabiles illas flammas in partem ſolatii arripiunt ſalſis facetisqve dictis ludere. Tribus itaqve modis immor-

mortales illæ mentes cum mortalibus ſymbolice ſolent agere, videlicet ORACULIS, SOMNIIS, OSTENTIS.

Qvantum ad ORACULA, nulla habemus clariora, qvam *Delphicum & Colophonium*, ſine qvorum conſiliis nec Græci nec Romani, nec Barbari ullam rem majoris momenti ſuſcepiſſent. Delphicum vero appellatum eſt *Loxias*, hoc eſt, cavillatorium, & Colophonium reſpondebat (ut Tacitus ſcribit) *per ambages.* Minus ſcilicet voluptatis ex plana ſenſorum explicatione capiens, qvam ſi Metaphoris argutis eadem involveret. Unde ex antro clari illius Apollinis exibant reſponſa tam caliginoſa, ut interpres ſæpe alio interprete indigeret. Metaphoricè loqvebatur *Delphicum* illud *dæmonium* Tarqvinii Superbi filiis, cum interrogatum, qvis à morte parentis regnaturus ſit, reſpondit: *Is, qvi primus matri oſculum tulerit.* Stulti hi juvenes ſatis cati habebantur, at Junius Brutus pro ſtulto habitus illis ſolertior erat. Illi enim fatale hoc dictum ſenſu proprio & communi explicantes certarunt inter ſe, qvis matris oſculum occuparet; ſed Brutus ad metaphoricum ſenſum ab Oraculis freqventatum advertens animum, ſic ratiocinabatur ſecum: *Novi terram ſolere per Metaphoram appellari communem matrem, hic itaqve regnabit, qvi de illa oſculanda erit ſolicitus*, & ſtatim oſculatus illam factus eſt Dominus. Ejectis enim Tarqviniis habenas imperii tenuit & pater matris ſuæ factus eſt. Hinc *terram oſculari* ſymbolum evaſit ſecuræ poſſeſſionis omen. Unde Julius Cæſar bellum in Africa geſturus è navi exſiliens, cum caſu in terram procidiſſet, ex infortunio augurium fecit & terram oſculatus exclamavit: TENEO TE AFRICA. Et re ipſa de illa triumphavit.

Non minori ingenio luſerunt oracula ambiguo illo argutiarum archetyparum genere, qvæ *æqvivoca* dicimus, laqveos viſcoſos mentium ſimplicium, qvæ profunditatem ſententiæ non penetrantes, alis qvaſi hærent in ſuperficie verborum. Diocletianus adhuc privatus Oraculum Druidum de fortuna ſua conſuluit, ex qvorum pulvinari reſponſum excepit hujusmodi.

Imperii frenum capies, ſi occideris Aprum.

Demens qvaſi imperium venabulo capi poſſet, ex bellatore venator factus, per ſylvas, per paludes, apros inveſtigans oberrabat. Ma-

Digitized by Google

gnam illorum ſtragem edebat, ſed nullo fructu. Cum itaqve ſpem omnem abjeciſſet, incidit in ipſius manus homo audax, qvi imperatorem Numerianum occiderat. Diocletianus pro tribunali ſedens de hoc ſua manu ſupplicium ſumſit, ob qvod meritum à Romanis legionibus ſalutatus eſt Imperator. Tunc reſponſum Oraculi apparebat, ſiqvidem parricida vocabatur APER. Facetior erat alius qvidam Dæmon, qvi à Magno Alexandro urbem oppugnante conſultus ſic reſpondit:

Devictam Macedo tibi ſpondeo protinus urbem,
Si mihi ſacrifices, qvi primus ab urbe recedet.

Exſpectabat Alexander heroëm aliqvem, victimam cultro ſuo dignam, qvi urbe egrederetur, & ecce pauper qvidam cum aſino ſuo lignatum iturus prodiit. Huic infelici cum Alexander fatalem Oraculi ſententiam aperuiſſet, fidenter reſpondit: *Non recte intellexiſti, Alexander, Oraculum: neqve enim me, ſed aſinum meum, qvi me præceſſit, ſacrificare juberis.* Leve pro victoria ſacrificium: Alexander ſacerdos, aſinus victima.

Certum eſt divinum verbum, ſolum veritatis Oraculum, multis mendacibus oraculis æternum ſilentium impoſuiſſe: Adhuc hodiè tamen conjurationibus & Exorciſmis à patre mendacii verum exqviritur. Sed plerumqve ſic obvelatum & argutum, ut is qvidem verum dicat, ſed tu non intelligas, aut tunc intelligas, cum intellexiſſe non amplius juvat. Seculo ſuperiori nobile & memorabile exemplum in conjuratione adverſus Petrum Ludovicum Farneſium Placentiæ Ducem apparuit. Is enim cum à Papa & Cremonenſibus generatim eſſet admonitus, ut ſibi à ſecreta conſpiratione caveret: ſacris adjurationibus conſpirantes in caput ſuum inqviſivit. Spiritus ab illo interrogatus: *Dic qvi ſint conjurati, & unde oriundi?* Reſpondit: *INSPICE MONETAM TUAM IBI INVENIES QVOD QVÆRIS.* Inſpecta moneta non aliud deprehendit, qvam hæc compendia characterum circa imaginem ſuam. *PET. ALOY. FAR. PLAC. DUX.* hoc eſt, *Petrus Aloyſius Farneſius Placentiæ Dux.* Qvod reſponſum qvæſito obſcurius videbatur. Sed facto perpetrato ſenſus argutus diabolici ingenii intellectus eſt. Qvatuor enim hiſce literis PLAC. Cognomina

na & patriæ qvatuor conjuratorum qvi Ducem occiderant, continebantur, videlicet *P. Pallavicini, L. Landi, A. Angviſciola, C. Confalonerii.* Omnes *Placentia* oriundi, imò flos Placentiæ.

Porrò de SOMNIIS qvædam ſunt propria & naturalia, qvædam *ſymbolica & arguta*, qvæ à bonis maliſve geniis tanqvam muta oracula dormientibus inſpirantur, dum intellectus angelicus liberius ſeſe exerit, cum hominis intellectus vinctus eſt & ligatus. Imo Oracula quædam reſponſa dediſſe legimus in *ſomniis*, veluti in templo Serapidis, Amphiarai, Iſidis, & Æſculapii, in qvibus adoratorem ſubito profundus ſomnus invadebat, in quo diverſæ imagines phantaſiæ objiciebantur, quæ ad interpretem delatæ, veluti ex tenebris in lucem protractæ metaphoræ, rectum ſenſum accipiebant. *Argutum* erat *ſomnium* illud Cyri, qui SOLEM ante pedes ſuos circumvolvi ſomniabat, quem utraque manu complexurus ter digitis elapſum vidit. Qvo audito, interpres reſpondit: *Sol, Cyre, ſplendorem imperii ſignificat, numerus digitorum, inter qvos Sol evolutus eſt, notant decennium, & triplici manuum ad ſolem extenſione decennium triplicatur, ita ut per triginta annos nec amplius clariſſimus regnaturus ſis.* Atque ſic factum eſt, nam quadraginta annos natus regnare cœpit, & ſeptuagenarius cum vita regnum poſuit. Sed antequam idem naſceretur, aliud ſymbolicum ſomnium Aſtyagis Medorum regis avi ſui materni, pene vita ipſi conſtitiſſet. Huic enim videbatur filia, Cambyſi deſponſa, grandiſſimam VITEM parturire, cujus pampini mirabiliter luxuriantes totam Aſiam obumbrabant. Haruſpices vocati reſponderunt: *Puella hac tua, ô Aſtyages, infantem pariet, qvi viribus anniſq; auctus Aſiam omnem occupare, & teipſum regno deturbare debet.* Partus in lucem edebatur, & ſtatim tenebris deſtinabatur. Crudelis enim Aſtyages, ut fatum crudele crudeliori facto expiaret, innocentem hunc reum feris objiciendum eſſe decrevit. Sed per miraculum conſervatus, præſagium implevit, nec aliud tyrannus fato ſuo objecit, niſi delictum ſuum, quo illud, quod timebat, meruiſſe videbatur. Nec lætius erat ſomnium Tarqvinii ſuperbi, qui per qvietem duos HIRCOS ſibi ſacrificare videbatur, & dum alter ſeſe eripiebat, alter cornibus ipſum petebat: unde ſupinus cadens, ſolem ad dextram inſolitam atqve ſereniorem viam deſignare videbat. De qvo Haruſpex conſultus ingratam reſponſionem dedit:

Digitized by Google

Cave tibi, Tarqvini, homo, qvem pro bruto habes, tam cordatus erit, ut te regno dejiciat & Roma (ſole indicata) poſt caſum tuum formam imperii magis proſperam ac ſerenam accipiet. Sic tyrannus bis ruinam ſuam adſpexit atque in animali illo *Brutum* illum cognovit, cui nihil aliud Bruti inerat, niſi nomen. Ita ſomnus ſæpe prodit fatum, & ſuam ipſe ſororem proſtituit. Majori acumine alius quidam dæmon rem magni momenti Alexandro aperuit. Cum enim hic Monatcha Tyro aſſidens, tempus operamqve perderet: indignabundus & defatigatus ſub arbore frondoſa ad frigidi fontis murmur ſomnum cepit. Et per qvietem vidit SATYRUM eo venientem ad ſitim ſedandam, qvem ipſe ſæpius at fruſtra capere anniſus, tandem tamen in poteſtate habuit. Harioli (qvorum ingenio ſæpius quam machinis bellicis ſolebat uti) hoc accepto reſponderunt: *Bona nova Alexander, multum qvidem temporis te detinebit hac inimica civitas, ſed demum in prædam tibi cedet, divide græcam vocem* ΣΑΤΥΡΟΣ *& duas integras voces habebis* ΣΑ ΤΥΡΟΣ, *quod tua lingua ſignificat, TUA TYRUS.* Qvis neget, hunc Satyrum fuiſſe dæmonem admodum argutum? Non minus argutus erat ille, qvi ſpecie pulchri *juvenis* per qvietem diro Hannibali apparuit eadem nocte, qvâ is de littore Africano ſolvebat, bellum, qvod puer juraverat, Romanis illaturus. Videbatur ipſi hoc phantaſma ſe præcedens ſignum dare buccina & læta claraqve voce dicere: *Seqvere me Hannibal.* Qvo dicto, apparuit ipſi vaſtus ingensqve *Draco* venenum ore, flammam oculis ſpirans, qvi qvocunqve incedebat prata viridia & læta in ſqvalidas & inhabitabiles ſolitudines convertebat. Hannibali autem qværenti, qvid monſtrum tam enorme ſibi vellet, reſpondit Genius, eſſe VASTITATEM ITALIÆ. Atqve hæc planè Cannenſi clade Italiæ illata eſt, ubi Romani revera, non Annibal ſomniabant: & Hannibal qvinto die in Capitolio cœnare potuiſſet, niſi magis poſt, qvam ante victoriam ſe ſomno tradidiſſet. Brevi: ſomnia ſæpe nihil aliud ſunt, qvam argutæ mirabilium ſpirituum metaphoræ.

Nunc de OSTENTIS dicam, qvæ & ipſa nihil aliud ſunt, niſi *argutia geniorum* non fallaci imaginationi ſed oculis fidis & vigilantibus rerum futurarum inſtar exhibentes. Sic Cæſari fluctuanti utrum patriæ ingratæ bellum inſerret, cum ad fluvium Rubiconem veniſſet, qvi tunc belli civilis principium aut meta debebat

bat eſſe: oblatus eſt *Gigas* qvidem habitu *paſtoris*, qvi tibias concordiæ ſymbolum abjecit, & manu tubicini eripuit buccinam belli ſymbolum, eamqve ita ut claſſicum bello canitur, inflans fluvium trajecit. Intellexit Cæſar ingenioſi ſui genii verba, &: *Eamus*, inqvit, *qvo Dii nos vocant*, JACTA EST ALEA. Atqve hæc alea Romanam libertatam perdidit. Contrarium accidit inimico ſuo. Nocte enim illa, qvæ atrox illud prælium anteceſſit, qvod in campis Philippicis Octavium victorem interfectorum, & occiſi vindicem declaravit: Brutus, cui parricidii conſcientia turbabat ſomnum, cum lumen inferri cubiculo juſſiſſet, *larvam* vidit nigri & importuni *Æthiopis* ſpeciem habentem, qvæ torvo & atroci vultu ipſum intuebatur, & interrogata: QVIS ES? reſpondit: SUM MALUS TUUS GENIUS. Probè intellexit ſine pluribus verbis, qvid ſibi vellet nigrum illud *luctus mortisqve* ſymbolum. Sic factum eſt: ſpectrum evaneſcebat, atqve ipſe ſpectrum ſeqvebatur.

Oſtentis geniorum annumero mira qvædam & ſignificantia effecta, qvæ ſicuti naturæ vires excedunt, ſic ſpirituum ingenio minora ſunt. Bello inter Thebanos Spartanosqve flagrante *arma publica* in templo Herculis Thebis ſuſpenſa inter ſe colliſa cum ſtrepitum ediderunt, qvem exercitus prælium flagitans ſcuta verberando ſolet facere. Hæ erant metaphoricæ ac terribiles minæ, qvaſi Hercules iratus contra patriæ ſuæ inimicos ad arma conclamaret, ejusqve rei triſte experimentum fecere Spartani prælio Leuctrico, qvod qvidem ipſis noctem non cladem attulit. Sic paulo ante quam Britannia Romano imperio rebellaret, *ſtatua victoriæ* motu proprio tergum obvertit Claudio Imperatori, qvæ erat inaudita qvædam metaphora. Sic nocte illa, qva Alexander natus eſt *ſtatua Orphei* ſudavit, qvod argutum erat ſymbolum cum victoriis ſuis ſcriptorum calamos fatigaturum eſſe. Sic Sabinus Libero Patri ſacrificans ex vino in aram fuſo flammam vidit exhalare, qvæ templum implens & faſtigium tranſcendens ad ſtellas usqve adſcendit, qvod ſacerdotes videntes dixerunt *tantus ſplendor, Sabine, denuntiat tibi natum eſſe orbis terræ dominum, atqve hic erat Veſpaſianus tunc ipſi natus.* Et quoniam hic incidit de *ſacrificiis argutis* materia, non omittam *oſtentum* illud Julii Cæſaris mortem præcedens,

Digitized by Google

cum poſtremo ſacrificio, qvod is tanqvam pontifex faciebat *victimam* ſine *corde* reperit. Unde exterritus Haruſpex Spurinna ænigma hoc ſolvit in hunc modum: *Timendum tibi eſt, Cæſar, ne uno tempore & conſilium & vita te deſtituat, ſiqvidem & conſilium pariter & vita in corde naſcuntur.* Hoc ſymbolum ipſum in fugam conjicere potuiſſet. Adhuc mirabilius argutabatur *Romæ Genius* cum Tarqvinio, dum is fundamentum templi famoſi in monte Tarpeio Jovi conſecraret. Statua enim Dei Termini, qvæ ibi fines regebat duorum prædiorum, cum amovenda eſſet ad ædificii opus continuandum nulla nec manuum, nec machinarum vi vel latum ungvem ab operariis dimoveri potuit. Qvod oſtentum augures in hunc modum ſymbolicè interpretabantur: *Tibi, Rex, promittit Numen, Romanum imperium cujus ſedes erit hic collis, nullam temporis finiumqve metam habiturum.* Qvo Virgilius argutè reſpexit, Jovis ori hæc verba imponens,

His ego nec metas rerum nec tempora pono,
IMPERIUM SINE FINE DEDI.

Qvod dictum marmori illi terminorum inſcribi potuiſſet, ſed rariori *oſtento* idem Genius ſententiam illam confirmabat. In fundamentis enim illis ponendis reperiebatur humanum caput, facie adhuc molli & qvaſi viva. Adſtantes ſtupebant, ſed haruſpices Etruſci conſulti inter ſe ſtatuunt, caput hoc portendere, Romam fore aliqvando caput rerum atque ita Thuſcos Romanis ſervire oportere. Unde ad prodigium hoc expiandum, & genii ingenium humano ingenio eludendum haruſpicum princeps, Romano legato arceſſito, ſibi ſitum collis & templi, ubi monſtrum hoc viſum erat, delineari fecit, & exactè qværens digito ad locum depictum intento dixit: *Qvid ais, Romane, HIC igitur nec alibi repertum eſt illud caput?* Qvi callide reſpondit: *non HIC ſed Romæ.* Unde haruſpex videns artes ſuas intelligi, intelligenter & apertè locutus eſt: *Viciſti, Romane, ſit igitur Roma caput Hetruriæ, non Hetruria Romæ.* Ab his geniorum argutiis, mons iſte ante Tarpejus dictus appellari cœpit MONS CAPITOLINUS hodienum ab omnibus montibus, tribusqve mundis adoratus. Habes igitur Le-

ctor

Digitized by Google

ctor prudens, qvomodo ſtulti gentiles *fatum* appellaverint eventorum ſigna qvædam, qvæ dæmones aut caſu aut divino conſilio admoniti aut ingenii bonitate conjectantes exhibebant, iisqve non plene ſed ſymbolice mortalibus aliquid ſignificabant. Omnis itaqve hariolorum vatumqve ars eo redibat, ut in ſymbolis & metaphoris argutis interpretandis uſu eſſent eruditi. In qvibus & ſi major viſa eſt interpretis gloria, qvi intellexit, qvam ſpiritus qvi indicavit, obſervatum tamen eſt, interdum interpretem deceptum decepiſſe, interdum ſpiritum partes Sphyngis & Oedipi impleſſe, ſymbolum proponendo illiusqve interpretationem docendo.

ARGUTIÆ NATURÆ.

VEnio ad argutias naturæ ſupra omnem fidem ingenioſæ & Philoſophorum admirationem provocantis. Et certe ſi humani ingenii vis in *dictis argutis* naturæ potius dos eſt qvam artis, qvomodo fieri poteſt, ut tam docta magiſtra id qvod doceat ignoret? Imò ſicut illa in rebus ad communem utilitatem deſtinatis ſapientiſſimam ſeſe oſtendit; ſic in rebus jucundis ingenii qvadam oſtentatione ſe argutam facetamque videri ſtudet. Et qvæ eſt iſta varietas FLORUM? qvorum alii ſunt ſpinoſi & hirſuti, alii molles & delicati, qvaſi illi ad ornandam Bellonæ caſſidem, hi ad Veneris capilitium comendum eſſent nati. Alii nigri ſunt & funebres, alii candidi puriqve: illi ſepulchris, hi altaribus dedicati. Alii ſunt rubei flammantesqve, alii varii & diverſicolores, ut amor in illis faces ſuas, & Iris in his coronam ſuam reperiat. Alii deniqve variis ſvavisſimisqve modis ſunt collecti, inflexi, disperſi, acuti, globoſi, plani, ſtellati, pyramidales, ut ſol naſcens ex terra cœlum facturus, ſtellas de cœlo in terram dejeciſſe videatur. Hæ aliæqve ejus generis mille ſunt ingenioſæ profecto naturæ elegantes luſus & argutiæ vividæ. Qvemadmodum enim poëtarum argutiæ vocantur flores, ſic naturæ flores vocantur argutiæ, ita ut ſupervacaneum ſit qværere, cur Aurora Muſis adeo ſit amica, qvoniam natura tunc mille argutis atqve ingenioſis conceptibus ludit & jocatur. Qvodſi vero *argutias ſymbolicas*, in qvibus flos intellectus ſitus eſt, præcipuè reſpicimus: nocturnæ il-

læ

læ *ex igne imagines*, qvæ in cœlo nunc ſplendent, nunc terrent, à phyſicis appellatæ *ſtella crinita, barbata, caudata capra, trabes, ſcuta, faces, ſagitta*, qvid aliud ſunt niſi metaphoræ naturales, conceptus figurati, ſymbola arguta, emblemata ingenioſa, naturæ ſeu indignantis ſeu faventis, qvæ imaginibus illis & tanqvam armis ad feriendum, & tanqvam Hieroglyphicis ad ſignificandum, qvos populos ferire velit, utitur. Qvin, cum acumen ingenii ſui in his ſymbolis Metaphoricis mirabilius eluceat: naturæ myſtæ obſervant, ingenioſam hanc poëtricam occulto artificio imagines illas ignitas ſtellatis Zodiaci imaginibus congruentes reddidiſſe, qvo conjunctione ſubordinata majorem vim ad nocendum & gemina Metaphora majus acumen occulta indicandi habeant. Hinc ſicut SAGITTA eruditis Hieroglyphicum eſt *ſtragis, mortis, præliorum*: ſic meteoricæ illæ naturæ impreſſiones, ſi figuram SAGITTÆ IGNITÆ habent, eaqve capiti Tauri directo ſubjecta ſit, cuſpidem verſus Occidentem tendens, ſignificat *peſtilentiam* armentorum agricolis occidentalibus: Sub *ſpica* Virginis calamitatem denuntiat Hiſpanorum meſſibus; ſub *ſagittario* monſtro ex homine feraqve compoſito hominibus æqvè ac ſtabulis minatur. Plinius ſagax ille naturæ Scriba: *referre arbitrantur*, inqvit, *quas in partes ſeſe jaculentur ejusmodi formæ aut cujus ſtellæ vires accipiant, quasq́, ſimilitudines reddant, quibusq́, in locis emicent. Tibiarum ſpecie Muſica arti portendere. Obſcœnis moribus in verendis partibus ſignorum. Ingeniis autem & eruditioni, ſi triquetram figuram quadratamve paribus angulis ad aliqvos perennium ſtellarum ſitus edant. Venena fundere in capite ſeptentrionali, Auſtrinive ſerpentis.* Vides igitur cœlum qvaſi vaſtum cœruleum *ſcutum*, in quo natura ingenioſa, qvæ meditatur, delineat, ſymbolaqve heroica & myſteriorum plena, ſecretorum ſuorum arguta indicia, effingit.

Hinc totus ille aëris tractus à priſcis Philoſophis naturalibus appellatus fuit PROTEUS ob formas monſtroſas, in qvas vapores elati ſeſe induunt, nunc lupi, nunc leonis, nunc eqvitis, nunc gigantis, argutè reſpicientes facetum aliqvod aut ſeverum ludentis naturæ propoſitum. Unde Ariſtophanes Socratem doctum in hunc modum loqvi facit:

Videsne

Digitized by Google

Videsne ſimiles Tigridi, Tauro, Lupo
Volitare nubes? Qvod vident, fiunt cito.
Si qvem comatum forte Ganymeden vident:
Specie comati vanulum irrident eqvi.
Rei voracem publicæ ſi qvem vident;
Specie voracis improbum irrident lupi.
Nuper fugati ſumſerant cervi pedes,
Cleonymus cum caſtra deſeruit fugax.

Ecce ut tot vaporum *Chimæris* hominum *Chimæras* natura ridet!

Argutiora adhuc ſymbola ſunt duo *magna luminaria*, in qvorum ſymbolis agricolæ nautæqve fata ſua legunt. Si ſcutum lunare *purpureo* colore pingitur, prælia ventorum exſpectant: ſin *fuſco*, nimbos frugibus peſtiferos: ſin candore puro, mari agrisqve pacem: ſin *album* vincitur *nigro*, plus timendum qvam ſperandum: ſin circa lunæ cornua vapor qvidam colligitur, hoc qvod proverbio exprimitur, indicatur: FOENUM HABET IN CORNU, LONGE FUGE. Idem de ſole dico, oraculo naturæ haud paulo veraciore qvam Sol Delphicus & Colophonius. Virgilium audi:

Sol tibi ſigna dabit. Solem qvis dicere falſum
Audeat? Ille etiam cæcos inſtare tumultus,
Sæpe monet: fraudemq́, & operta tumeſcere bella.

Hic enim Fecialis inſtar nigra tunica indutus toti mundo populares Julii Cæſaris exeqvias denuntiavit, & è contrario primo die, qvo Auguſtus ipſius ſucceſſor Romam ingreſſus eſt, Sol claro pulchroq; diademate coronatus apparuit & orbis terræ imperium arguto ſymbolo illi portendit. An illo tempore Sol in Auguſto, an Auguſtus in ſole ſe admiratus ſit, neſcio. Illud certum eſt mutua translatione Solem cœli, Auguſtum, & Auguſtum terræ Solem appellari potuiſſe. Ipſe qvidem arguto hoc ſymbolo magnopere elatus ſtatuam

ſuam radiis ſolaribus coronavit, ſeqve fratrem ſolis appellavit, qvaſi orbis imperium cum ipſo diviſum haberet.

Ad imagines has meteoricas refero prodigioſos *fulminum ictus*, argutias formidabiles & ſymbolicos naturæ characteres, & mutos ſimul & vocales, qvibus telum pro corpore, & ſonus pro verbo eſt. Fulmine tacita conjuratio Catilinæ indicabatur, cum illud legum tabulas in Capitolio disjiceret. Qvo ſymbolo ſenatus admonebatur ejus, qvod poſtea hiſtoricus aperte ſcripſit: *Tum Catilina polliceri novas tabulas, proſcriptiones locupletum, Magiſtratus, ſacerdotia, rapinas, alia omnia, qvæ bellum & victorum libido fert.* Fulmine qvaſi laconico verbo ingenioſiſſime vicina Auguſti mors indicata eſt. Illud enim baſin ſtatuæ tangens, cui inſcriptum erat: AUGUSTUS CÆSAR, literam C. ſolam delibavit, integrum relinqvens AUGUSTUS ÆSAR, qvod ad augures delatum ſic expoſitum eſt: Sua lingua ÆSAR ſignificare Deum, & literam C. eſſe notam numeri centenarii, ex qvibus effecerunt, Auguſtum poſt centum dies moriturum à populo conſecratum iri. Evenit qvod prædixerant, & gentilium ritu ἀποϑεώσις celebrata. Ictu fulminis, non aliter ac pennæ ductu, ſignificabatur interitus totius familiæ Cæſareæ in ſcelerati Neronis morte. Cum enim ſerpens hic ignis in palatium, ubi omnes Cæſarum ſtatuæ ordine erant poſitæ, incidiſſet; omnes uno ictu capite truncavit. Et recentiori ætate fulmen Reipubl. Florentinæ palatium feriens *lilium* in inſignibus delevit, & urnas ſortium, qvibus communibus ſuffragiis Dictator eligebatur, combuſſit. Nec mora fuit, qvin Republ. in Monarchiam converſâ, uno tempore & Francorum tutela, & dignitas Dictatoris exſpiraret. Aliud fulmen in Eccleſia Lauretana huc illuc ſerpens nihil aliud effecit, niſi ut in omnibus feneſtris GALLUM ex inſignibus Cardinalis Protectoris deleret, cujus mors ſtatim eſt ſecuta. Et noſtra memoria nimis argutum fuit in hiſce præſagium, magno noſtro dolore. Adhuc nos exterret recordatio infelicis iſtius anni, qvo tribus prodigioſis fulminibus uno tempore tres præcipuæ arces hujus principatus de cœlo tactæ ſunt, Niceenſis, Mommelianenſis & Taurinenſis, in qva poſtrema dejecit qvoqve Caroli, magni illius Sabaudiæ Ducis, arma, de ſublimi antenna ſuſpenſa, & brevi poſt Nicæa à Gviſio oppugnata, Mommelianum à Rege Ludovico obſeſſum, Taurinum peſtilenti conta-

Digitized by Google

contagio vaſtatum fuit, & immortalis ille princeps moriebatur, qvem natura ipſa inuſitatis inundationibus deflevit, ut intelligas naturam, utut communem matrem, magis tamen eximiorum qvam plebejorum capitum morte tangi, ſicuti etiam eclipſes luminarium majorum magis qvam ſtellarum ſentiuntur.

Qvod de corporibus meteoricis & ſublimibus dixi, interdum etiam in *corporibus terrenis* perſpicitur. Veluti, in qvercu illa ſtirpem factumqve familiæ Sabinæ exhibente, natura ſymbolicas argutias edidit. Nam qvoties mater Veſpaſiani partum edebat, *ramus* ſucceſſum illius præſagiens ſuccrevit Primus exilis erat breviqve exaruit, & puella tunc nata ex cunis in tumbam tranſiit, lucemqve prius qvam vidiſſet, amiſit. Alter ramus felix robuſtusq; prodiit, ſymbolum filii natu maximi magno animo magnæqve dignationis Viri. At Flavio Veſpaſiano naſcente tertius ramus prognatus eſt, in eamq; altitudinem excrevit, ut viridi coma arborem ipſam ſuperaret. De qvo augures à Sabino patre conſulti reſponderunt: infantem illum ſortem communem transgreſſurum, & ad imperii culmen perventurum eſſe. Sic ſæpe accidit: liberi natu minores ingenio & virtute majores ſuperant, qvaſi natura non minus qvam ars ante opera perfecta rudimentum edat. Contrarium vero accidit in familia regis Theodorici, cujus *ſtatua* in publico Neapoli poſita capite minuebatur, atqve is vitâ. *Pectore* concidente Athanaricus nepos & ſucceſſor cecidit. *Ventre* cadente Amalaſunta filia ipſius, improba fœmina, laqveo vitam finiit. *Femoribus* procidentibus Theodatus ultimus illius ſtirpis ſurculus moriebatur, & in Italia barbarum Gothorum imperium terminabat. Nonne vides in una ſtatua typum familiæ regiæ expreſſum, cujus ruina à capite incipiens mortiferi cancri inſtar per totum corpus ſerpendo progreditur?

Ad naturæ argutias refero qvoqve MONSTRA. Monſtra enim nihil aliud ſunt, niſi myſteria hieroglyphica facetæqve imagines à natura ſeu ad ludendos ſeu ad docendos homines formatæ. Cum enim certum ſit naturam, ſicuti nec Deum aliqvid fruſtra operari, res omnis ſubordinata finium ſerie ad hominem & homo ad Deum dirigitur. Qvid itaqve nobis indicet humanæ vocis latratus, cum homines qvidam in Aſia inferiore *corpore humano capite ca-*

Digitized by Google

nino generentur? Eſt hoc miræ inventionis emblema, qvo natura *Cynicorum* maledicentiam nobis repræſentat, illorumqve morem imitando vituperat. Qvid duorum corporum in uno conjunctio, duorum capitum uni pectori incumbentium geminatio, ut ambiguum ſit, num in uno homine duæ animæ, an in duobus hominibus una ſit anima? Eſt hoc ſymbolum perfectæ *amicitiæ*, qvæ definitur UNA MENS IN DUOBUS CORPORIBUS. Qvid genus ſignificet Sciopodum Africanorum uno pede ſed tam magno, ut illis in terram projectis adverſus ſolem pro umbraculo ſerviat? Symbolum eſt hominum *degenerantium*, qvi ignavia ſua majorum gloriam obſcurant. Qvid pedes ambo fœminis Indiæ Auſtralis ablati, eorumqve maritis immenſa magnitudine dati ſignificent? Eſt ſymbolum qvo fœmina ad domum ſervandam & mares ad negotia foris obeunda incitantur. Qvid Troglodıtas ſine capite naſci oculo humeris inſerto? Symbolum eſt *negligentium*, & judicio carentium, qvi præterita ſolum intuentur, futura non proſpiciunt. Qvi ſunt illi ad Gangis ortum homines aſtomi, qvi ſine ore nati ex ſpiritu florum odorato naribusqve attracto vitam tolerant? Symbolum ſunt hominum *contemplationi deditorum*, qvi ſpiritu magis qvam ſenſu viventes palatum in intellectu, & ſapientiam pro alimento habent. Qvid deniqve illud, qvando mira metamorphoſi *fœminam in marem* ſubito converti videmus? ut fabula fabulis detracta & lis poëticis inventis moveri videatur. Pro certo refert Licinius Mutianus, ſe vidiſſe puellam, à parentibus nominatam *Areſcuſam*, qvæ pluribus annis cum marito transactis ſexui ſuo rebellavit, & ex muliere maritus factus Hymenæi ſimplicitatem eluſit, qvi duas tantum perſonas à ſe junctas credens, puellam duosqve homines ſe conjunxiſſe vidit. Et virginem qvandam *Triditanam* Plinius ſe vidiſſe affirmat, qvæ nuptiis matura ipſo ſponſaliorum die in marem converſa eſt, *Lucius Coſſitius* poſtea vocatus, & marito abdicato uxorem ducens. Hæ igitur ſunt metaphoræ argutæ & ſymbola naturæ ſagacis faceta, qvibus vel inconſtantia fœminarum depingitur, qvæ ne in eo qvidem qvo mulieres ſunt, conſtantiam ſervant, vel Grammaticorum ſubtilitas irridetur, ut violatis regulis ſuis declinare debeant: *Hic uxor hæc maritus, hic & hæc fœmina.*

Sed qvæ res eſt (dicis) alma iſta NATURA, cui tantum ingenii

Digitized by Google

nii, tantum argutiarum ineſt? Reſpondeo breviter eſſe ipſum intellectum divinum, qvatenus materiæ ab ipſo in rerum principio conditæ & ad conſervandam univerſitatem directæ conjungitur. Qvis itaqve eſt, qvi dubitet aut tam mirabiles providasqve naturæ operationes ſine perfectiſſima *intelligentia* adminiſtrari, aut aliam ipſi qvam autoris ſui *intelligentiam* adeſſe? Una itaqve NATURÆ voce duo ſignificantur videlicet *intellectus creans*, *& materia creata*, qvæ cum nec infinita nec perfecta ſit, hinc qvicqvid boni natura operaratur, divini intellectus perfectioni; qvicqvid mali, materiæ imperfectioni debetur. Sic natura qvatenus juvat *benigna mater* dicitur, qvatenus nocet *injuſta noverca*. Utraqve qvatenus opinionem improvidorum mortalium ſuperat, *caſus aut fortuna* dicitur.

ARGUTIÆ ANIMALIUM.

NEc minus lepidæ nec Tragicæ minus ſunt argutiæ figurataqve ſymbola ab ANIMALIUM induſtria compoſita. Evidentiſſima res eſt ab animalculis etiam contemtis artificia humanum ingenium excedentia proficiſci: Sic ab *araneis* vincimur in ſubtiliſſimis ſtaminibus ſine circino dimetiendis, à *bombycibus in* opere circa mortis tumbam, in qva renaſcuntur, faciendo, & ab induſtriis *apibus*, in civili mellitæ civitatis adminiſtratione: unde non ſolum gentiles:

Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere:

Sed Philoſophi Chriſtiani in animantibus ratione carentibus *veſtigium rationis* agnoſcere coacti ſunt. Qvin Deus ipſe hominibus proponit *apium* ſolertiam, *formicarum* providentiam, *ſerpentium* calliditatem. Sic igitur quemadmodum inſtinctu generali una ſpecies animalium aliam induſtria vincit: ſic particulari inſtinctu alterum individuum alterius induſtriam ſuperat. Præterea ſicut natura ipſa interdum ſingulariter rerum futurarum ſecreta tam animantibus qvam hominibus credit, unde mutatio ſereni aeris in ſubitam tempeſtatem nautis præmonſtratur à *fulicis* & agricolis præcinitur à *ranis*: *ſic* ſeu ſpeciali qvodam inſtinctu, ſeu doctæ il-

 lius

Digitized by Google

lius magiſtræ dictatu, ſeu altioris mentis impulſu, multa animalia miros gravesqve caſus præſagierunt & ſymbolis figuratis argutè præſagium ſuum indicarunt. Sed ſeu inſtinctus ſeu impulſus ſeu fortuna ſit, illud certum eſt omnes animalium actus à more conſveto recedentes nobis admirationem aut voluptatem parere, in iisqve & lepidum & admirabile eatenus animadvertam, qvatenus ad metaphoricam qvandam argutiam ſymbolumq; argutum accedit.

Duo ſymbola arguta *apes & formica* præbuerunt, illæ in tenero Platonis ore dulces favos ponentes, hæ frumenti granula in os Midæ congerentes. Unde augures à mutis his parvisqve feris edocti, alterius facundiam, cum nondum loqvi ſciret; alterius avaritiam, cum manus adhuc faſciis ligatas haberet, prædixerunt. Ex qvo eruditi Myſtagogi pro hieroglyphico *facundiæ* apem, & pro *avaritiæ* ſymbolo formicam pingunt. Non minus argutum ſymbolum dabat aqvila, qvæ ſtupido Diadumeno in anguſto prædiolo verſanti pileum detraxit & ſtatuæ regis impoſuit, atqve hæc erat metaphora, dicens: TU EX PRIVATO REX FIES. Ingenioſior atqve argutior erat alia quædam aqvila, qvæ procul adſpiciens gallinam roſtro lauri ramum tenentem, poſt facta aliqvot volando ſpatia illam unguibus corripuit, & in altum ſublatam cum lauro ſua in ſinum Liviæ placide demiſit. Hic tria ſymbola argutè conjuncta cernuntur: AQUILA rempubl. Romanam, qvæ illa pro inſigni utebatur, GALLINA Liviæ fœcunditatem, LAURUS imperii dignitatem, cuius ramus ille in victoriis inſigne erat, ſignificabant. Aqvila igitur iſta idem occultè dicebat, qvod augures aperta interpretatione: *Ex te, Livia, filii nepotesqve naſcentur imperii Romani rectores.* Augebantur argutiæ cum fatalis iſta *laurus* in terra plantata in magnam arborem excrevit, ex qva Cæſares iſtius familiæ ſerta decerpebant, cujusq; ramo qvodam exareſcente Cæſar aliqvis moriebatur, arbore exareſcente tota familia fuit exſtincta. Atqve ſic actum eſt cum plumatis gallinæ fœtibus, qvi Nerone pereunte omnes perierunt.

Symbolum magis ſtupendum erat illud duorum ſerpentium maris & fœminæ, arctiſſime complicatorum, & ante torum Sempronii Gracchi & Corneliæ volutantium. Cum haruſpices prædixiſſent, ſi Gracchus marem occideret, illum moriturum: ſin fœmi-

nam,

nam, conjugem ipſius: maluit is fœminam conſervare, & non multo poſt mortuus eſt. Qvod hodiè certe plures admiratores qvam imitatores inueniet. Similiter vipera in cunis reperta ab Ægyptiis ſacerdotibus ſymbolum triſte habebatur, qvo infelicem ejusmodi infantem annis procedentibus parricidam fore notaretur, ſiqvidem partus viperini ventrem rumpentes mortem ei afferunt, qvæ vitam ipſis dedit. Hinc ſapientes legislatores, ne judices ejusmodi profano ſangvine polluerentur, conſtituerunt ut vipera cum parricidis inſueretur in culeum in mare projiciendum. Qvare eadem fera & ſupplicium & ſymbolum parricidarum facta eſt, ut in ipſo ſupplicio ſine alio titulo crimen cognoſceretur & carnifex reo non diſſimilis eſſet. Qvid dices vero, ſi parvum animal morte ſua argutiſſimum ſymbolum feciſſe audies? Lucius Paulus eadem die, qva bellum ipſi adverſus Regem Perſeum demandatum erat, domum reverſus obviam habuit filiolam ſuam *Tertiam*, qvam ſinu complexurus lacrymas vidit profundere & qværens, *quideſt mea Tertia, quid lacrymaris?* reſpondit illa: Mi Pater, PERSEUS EST MORTUUS. Hoc nomen erat canis, qvem in deliciis puella habuerat. Paulus adhuc tenerius illam complexus: ACCIPIO OMEN inqvit. Atq; ſic evenit: Rex Perſeus ab ipſo captus & in triumpho ductus præ pudore & dolore in catenis exſpiravit. Et qvaſi nomen ſuum morti in uſuras commodaſſet, forte illam non fraudavit.

Deſinam in triſti qvadam animalium maxime ridiculi facetia, qvæ in Tragœdiam demum converſa eſt. Spartani nondum vinci ſoliti paucos dies ante cladem Leuctricam legatum miſerunt ad Oraculum Dodonæum tanta ſecuritate & fiducia, ut de numero ſpoliorum non autem prælii ſucceſſu Oraculum conſulere viderentur. Sortibus itaq; in medium allatis (neqve enim muto illi dæmoni verbum ex ore eliceres) *ſimia* regis Moloſſorum vinculis ſoluta inſperato in ſacrarium irrupit & urna ſortibusq; everſis confundere illas & hac illac diſpergere pro luſu habuit. Hinc deforme tergum legatis obvertens qvaſi ridens & inſultans aufugit. Sybillæ non videbatur ridiculum, qvæ mataphoram intelligens terrore obſtupuit, dixitqve: *O miſeri de vita & ſalute, non*

de

de triumpho cogitare debetis, ſors mutata eſt. Dixiſſes non ſimiam ſed dæmonem vinculis ſolutum urna everſa bellicam ſpartanorum ſortem planè invertiſſe. Illi qvi victoriam ſub ſignis habuerant, victi fuere omnes acie ferri abſumti & Sparta Leuctra reddidit populoſa. Sic ſtulta gentilium natio adorabat Numina ſua, nec iis parebat: conſilium rogabat, & pro arbitrio agebat.

ARGUTIÆ HUMANÆ.

RESTANT ARGUTIÆ HUMANÆ de quibus hic pauca dicemus, cum per totum volumen diſperſa ſit earum tractatio. Sed qvoniam de *cauſis efficientibus* argutiarum dicere inſtituimus, proprius hic locus eſt differendi *qvi homines ad condendas illas ſint aptiſſimi.* (23.) Autor noſter de Metaphora agens, qvæ (ut antea innuimus poſtea demonſtrandum) appellari poteſt magna omnium argutiarum parens, tria eſſe docet, qvæ nunc conjuncta nunc ſeparata mentem humanam admirabilibus inventionibus fœcundant: Videlicet INGENIUN, FUROR, & EXERCITATIO. Ita ut tria ſint hominum genera ad ſenſus argutos nata factaqve nimirum *ingenioſi, furioſi & exercitati:*

(23.) *Ar. 3. Rhet. c. 7. & c. 10. & 11.*

INGENIUM naturale eſt admiranda qvædam intellectus vis, qvæ duas naturæ dotes in ſe comperhendit: PERSPICACIAM & VERSATILITATEM. Perſpicacia in remotiſſimas ac minutiſſimas cujusqve argumenti circumſtantias penetrat, qvales ſunt, *ſubſtantia, materia, forma, accidens, proprietas, cauſa, effectus, fines, ſympathia, ſimilia, contraria, paria, ſuperiora, inferiora, ſigna, nomina propria & æquivoca.* Qvæ res omnes in qvocunqve ſubjecto conglomeratæ & concluſæ jacent, uti ſuo loco dicemus.

VERSATILE Ingenium velociter omnes has circumſtantias inter ſe aut cum ſubjecto componit, eas copulat aut ſeparat, auget vel minuit, alteram ex altera deducit, alteram per alteram innuit, & mirabili dexteritate unam pro altera ponit ut præſtigiatores calculos ſuos permutare ſolent. Atq; hæc eſt metaphora poëſeos, argutiarum, Enthymematum, Symbolorum communium & heroicorum mater, (24.) isqve eſt maximè ingenioſus, qvi, ut dicemus, attributa rei maximè remota & cognoſcere & copulare poteſt.

(24.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 1. In multo*

Non

Digitized by Google

Non parvum itaqve eſt inter *judicium & ingenium* diſcrimen. Ingenium enim eſt perſpicacius, judicium prudentius, illud eſt velocius, hoc ſolidius, illud ſpeciem, hoc veritatem conſiderat, & ubi illud ſibi proponit utilitatem, hoc admirationem & plauſum populi captat. Hinc non ſine ratione homines ingenioſi *divini* appellantur. Sicuti enim Deus ex nihilo aliqvid producit, ſic ingenium ex *non ente ens* facit, *leonem* in *hominem*, *aqvilam* in *civitatem* convertit, *fœminam piſci* copulat, & *Sirenem* adulatoris imaginem conſtituit. Corpus capræ caudæ ſerpentis applicat, & *chimaram* ſtultitiæ hieroglyphicum format. Unde inter antiqvos Philoſophos ingenium qvidam vocarunt *mentis divinæ particulam*, & alii donum à Deo datum iis qvos maxime charos habet. Qvanqvam ſi verum amamus, à Deo potius flagitanda prudentia qvam ingenium, ſiqvidem prudentia fortunæ imperat, ſed ingenioſi plerumqve ſunt infelices, & cum illa ad dignitatem & vitæ commoda homines perducat: hoc ad ptochodochium relegat. Sed qvia multi gloriam ingenii fortunæ bonis anteponunt, ingenioſos qvoqve à natura argutiis excogitandis aptiores eſſe dico. Qvin idem valet ARGUTUM qvod INGENIOSUM.

diverſis perſpicere ingenioſi eſt atq ſolertis, decenter autem uti tranſlationibus verſatilis ingenii indolem praefert.

Illud ſatis perſpicitur in *pictura & ſculptura:* ſiqvidem illi, qvi *συμμετρίας* corporum naturalium exactè ſervant, *artifices docti*, ſed qvi argutè pingunt, ſoli *ingenioſi* appellantur. Pictor ingenioſus erat Timantes, qvoniam (ut Plinius Secundus ſcribit) *in omnibus ejus operibus intelligitur plus ſemper qvam pingitur*, qvæ eſt natura argutiarum Laconicarum: *& cum ars ſumma ſit, INGENIUM tamen ſupra artem eſt.* Ab ingenioſa ejus manu profectum eſt ſacrificium *Iphigeniæ*, tot linguis calamisqve celebratum, in qvo cernebatur virgo infelix ante aram, feræ ferarum Deæ victima deſtinata: adſtantes omnes vultu adeo mœſto, ut homines picti lacrymas vivis excuterent. Sed cum in avunculi vultu dolorem extremum repræſentaſſet, & in patris facie majorem ſe exprimere poſſe diffideret, eum lacrymas velo abſtergentem pinxit, atqve hoc velo tanqvam metaphora *conſeqventis pro accedente* dolorem pinxit, qvem pingere neſciebat. Alia metaphora *partis pro toto* in anguſto tabulæ ſpatio vaſtam Polyphemi molem repræſentavit. Satyrum enim pingens, qvi thyrſum pollici pedis Polyphemi jacentis applicabat: ratio-

tionem giganteæ molis hoc argumento inibat: *Si pollex thyrſo æqvalis eſt, qvantum erit totum corpus?* Certè ſi pes ſeptimam partem corporis facit, & pollex eſt ſeptima pars pedis, neceſſe eſt ut corpus illud fuerit novem ſupra qvadraginta thyrſorum, &, ſi thyrſum facimus qvatuor palmarum, corpus totum centum ſex & nonaginta palmas extendebatur. Ingenioſus pariter erat Nealcus, qvi navale prælium inter Perſas & Ægyptios commiſſum depingens, ut illud in Nilo factum eſſe ſine ſcriptura indicaret, *aſinum* bibentem & *crocodilum* ibi in inſidiis latentem pinxit. Eadem erat inter Lyſippi & aliorum artificum ſculpturas differentia, quod hæ qvidem veræ imagines viderentur, ſed in illis ingenium ſpiritusqve Autoris perſpiceretur. Qvod præcipuè in Alexandro ipſius notatum fuit. Hunc enim, ut opprobrio humeri gibboſi levaret, cervicibus retroflexis exhibuit, tanqvam cupidè cœlum intuens, ſtellarum imperium terris debellatis affectaret. Inventum poſtea in baſi ſtatuæ græco qvodam diſticho explicatum:

Debeo multa Jovi, ſed debeo plura Lyſippo,
Ille mihi terras tradidit, iſte polum.

Hoc itaqve erat ex argutiis metaphoricis, qvæ ex *imagine & geſtu* componuntur, ut dictum eſt. Sed qvid dicam de faceto illo ingenio, qvod picta metaphora delicato cuidam Triumviro ſomnum fugientem reddidit? Lepidus homo moroſus & difficilis à nobilibus qvibusdam amicis ſuis ad villam umbroſam invitatus, poſtridie furens eos ſic corripuit: *Egregiam mehercule oblectationem mihi attuliſtis. Neſcio certe utrum me in has ſylvas perduxeritis, ut veſtris ſolatiis recreer, an mea morte vos conſoler. Tota nocte qvanta qvanta fuit, non oculis palpebras obducere potui, adeo importunus luſciniæ cantus auribus meis obſtrepuit. Male ſit oſſibus veſtris! agreſtes peſſimiq; homines.* Hic primo die fremitus præſagiebat ipſis magnam poſtridie tempeſtatem, niſi ingenium Romanum illam avertiſſet, magni *ſerpentis* imaginem ante palatium ſuſpendens, qva viſa, canoræ aves, innoxii ſylvarum muſici, teſtudine magis mutæ factæ ſunt, nec amplius hero tam imperioſo moleſtiam crearunt. Sed cum aves canere ceſſarent, clientes ipſius diſceptare cœperunt, qvomodo buccinas Octavii perferre poſſet, cui gravis eſſet luſciniæ cantus. Ejusmodi metaphora

Digitized by Google

phora Vitruvius docuit formare DRACONEM VOLANTEM duplicem telam extenſam, duabus virgis decuſſatis circumdans & pro capite auri diducti laminas, pro cauda longum rete adjiciens. Itaqve monſtrum hoc ridiculum funi alligatum, & de ſublimi loco projectum volare viſum eſt, atqve alas verſus cœlum movens & in varios gyros caudam flectens aves exterruit vulgiqve oculos oblectavit.

Magnum qvidem eſt metaphora qvadam decipere bruta: at majus eſt homines fallere. In celeberrimo penicillorum certamine, qvale unqvam vidit Græcia, Xeuxis cum Parrhaſio commiſſus uvam ſe exprimere velle jactavit, ut aves ipſæ ad carpendam eam advolarent. Sicuti re ipſa magna judicum admiratione turdi ad eſcam hanc fallacem accurrere viſi ſunt. Æmulus vero tabulam ſuam produxit, in qva velum reticulare uvæ videbatur obductum, adeò feliciter expreſſum ut Xeuxis experimento ſuo edito, veluti triumphans, exclamaret: Heustu, velum hoc de tabula tolle. Magnus coortus eſt riſus, judicumqve applauſus ſecutus eſt, cum viderent Parrhaſium aucupem ipſum cepiſſe, atqve ſic qvi arte ſe vincere poſſe deſperabat, ingenio vicit. Verum hi eas demum res pinxerunt, qvæ pingi poterant. Argutior atqve ingenioſior erat Apelles, qvi ut idem ſcribit hiſtoricus, *pinxit ea, qvæ pingi non poſſunt.* Hic primus fuit, qvi res qvæ ſub viſum non cadunt, oculis ſubjecit. Unde pictura explicaturus Alexandrum non ſolum bello viciſſe Perſas, ſed bellum ipſum pace ſuperaſſe: metaphoricè pinxit furorem bellicum, ſpecie juvenis furioſi & temerarii, oculis igneis, labris ſangvine ſpumantibus, plagis catenisq; onuſti, armis fractis, manibus è tergo ligatis ad currum triumphalem. Ab hoc exemplari Virgilius imaginem furoris bellici ab Auguſto intra Jani templum vincti expreſſit:

Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma & centum vinctus habenis,
Poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento.

Pari ingenio Antiphilus mirabilis pinxit *ingenium mirabile* ſub

ſpecie *grylli* ſingulari geſtu ac veſtitu exornati, unde in proverbium abiit: *Suus cuiqve eſt gryllus*, & pictores omnes inventa ſua mirabilia & ſingularia vocant *gryllos*, in qvo genere admirabile erat Parrhaſii illius, cujus modo mentionem fecimus, ingenium, qvi ut populum Athenienſem ob miram ipſius atqve inconſtantem naturam, eandem & optimam & peſſimam, reprehenderet: Genium Athenarum ex moribus contrariis effinxit ferum eundem & humanum, conſtantem & fugacem, intrepidum & pavidum, bellatorem & pacificum, in ſumma & ab aliis populis & à ſeipſo diſſentientem. Pictura verè arguta ſed qvæ ejus imago fuerit, proditum non eſt. Crederem *dæmonem* fuiſſe duorum capitum, unius humani alterius belluini, cum uno pede, qvæ *columnæ* inſtar, & alio, qvi ſerpentis ſpeciem habuerit, veſtitu ex *leonis oviſqve* pelle conſuto, altera manu *gladium* altera *ramum oleæ* tenentem. Et qvis huic monſtro confidere potuiſſet, in qvo vitia virtutibus adeò vicina erant, ut ſine pietatis detrimento improbitas ex medullis ejus evelli non poſſet.

At qvod ingenium unqvam argutiorem metaphoram magisqve hyperbolicam excogitavit, qvam Staſicratis illud, qvod in Alexandri effigie exprimenda cum Lyſippi elegantiam aſſeqvi non poſſet, ingenii exceſſu illum vincere laboravit, audax propoſitum animo verſans montis Athus in ſtatuam magni illius monarchæ convertendi. Summum illius montium gigantis jugum, qvod omnem Thraciam & Macedoniam deſpicit, atqve umbram in Lemnum uſqve projicit, *caput galeatum* illius coloſſi eſſe voluit, qvi pedibus undas maris Ægæi calcaret, & manu *civitatem* populoſam teneret, ad prudentiam ejus civilem declarandam, dextraqve flumen perenne funderet, liberalitatis nunqvam ſtagnantis ſymbolum. Deniqve totum corpus ære nativo armatum & ventis nivibusqve reſiſtens immotam herois illius conſtantiam repræſentaret. Laudavit Alexander, ſed idem recuſavit tanti inventi operam, ſeu ne ſtatua ipſius patriam ab ipſo illuſtratam obumbraret, ſeu imagini ſuæ invidens, ne alius eſſet ſe major Alexander, ſeu ne invidioſa hac & temeraria magnitudine fulmina provocaret. Sic enim reſpondit: *Athon ſinito qviſcere, nimia qvippe eſſet petulantia montem unum unius hominis eſſe monimentum.* Qvicqvid ſit, magnus certe animus fuit Staſicratis, qvem tantæ rei cogitatio ſubibat; hac cogitatione ſola Lyſippum vicit.

Nulla

Nulla igitur pictura, nulla ſculptura glorioſum ingenioſæ elogium meretur, niſi arguta ſit. Atq; idem de architectura dico, cujus ſtudioſi ob ingenioſorum operum argutias vulgo appellari ſolent INGENIARII. Qvod apparet in tot miris ornamentis in fronte ſumtuoſorum palatiorum eleganter ludentibus. Sunt *capitella foliata*, *Zophyri*, *triglyphi*, *Metopa*, *caryatides*, *termini*, *mutili* metaphoræ omnes ex lapide, mutaqve ſymbola, qvæ elegantiam operi addunt & myſterium elegantiæ. Nec architecturæ militari deſunt arma tam ad offendendum qvam ad defendendum argute fabricata. Sunt *dracones* ſignis ventilatis aërem magno ſibilo trajicientes. Sunt *teſtudines* à corporibus humanis ſub ſcutorum ſqvammis animatæ. Sunt *arietes* muros cornibus ære obductis ferientes. Sunt *hiſtrices*, *ſcorpii*, *lilia*, *ciconiæ* ingenioſæ omnes ſed feræ & homicidæ metàphoræ. Sed hæc omnia nihil ſunt præ argutis qvibusdam nobilium architectorum ſubtilitatibus, qvæ naturam ipſam ad invidiam provocarunt. Tale fuit opus illius *porticus Olympiæ* qvæ *ſeptem artibus liberalibus* conſecrari debuit, eoqve ingenio adornata fuit, ut ſi carmen recitares, idem carmen ſeptem vicibus ex marmoreis illis buccis tibi redderetur, tanquam ſeptem Muſæ doctæ illius ſcholæ incolæ fiduciam ſucceſſuum diſcipulis inſpirarent, ubi ſaxa ipſa facundiæ non eſſent expertia. Magna ingenii vis marmora docere *loqvi*, nec minor eſt eadem, ut *audiant*, comparare. Id præſtitit architectus qvidam Syracuſanus in gratiam Dionyſii, qvi ut ſuſpicax tyrannus, qvid de ſe diceretur, audire geſtiebat. Incidit is ſaxo auris humanæ formam cum omnibus ſuis plicaturis & cavitatibus, eamqve conclavis, in qvo aulici deambulabant, fornici inſeruit, ita ut voces qvantumvis ſubmiſſe colloqventium in ſinuoſis iſtis meatibus interceptæ intus mirabiliter augerentur, & exiguo foramine per ſurdam ſaxi aurem transmitterentur ad vivam tyranni aurem, qvi in ſuperiori cœnaculo tacitè auſcultabat. Infelices aulici! qvorum exploratores ipſi erant parietes, ut in proverbium abierit: *etiam regum parietibus ſuas aures eſſe*.

Ulterius proceſſit ingenium architecti Ægyptii, qvi, qvod natura terribile in ſecreta nubium officina fabricat, in terris efficiens, horrenda metaphora & homines terrebat & illorum terrorem ridebat. In Ægypti labyrintho inter ſeptem mundi miracula qvo-

Digitized by Google

tidie novum parientis miraculum hoc præ cœteris celebratum fuit, qvod portis templi Jovi tonanti ſacri apertis ſonus adeo tremendus audiebatur, ut mundus repentino diluvio mox inundandus ac ſepeliendus videretur. Hoc arcanum forte Claudius Pulcher theatrorum architectus in ſcenas Romanas tranſtulit, ubi magnus qvidam globus profundo & cœco æreo vaſi, qvod in ſpatioſas & conicas ſpiras formatum erat, injectus ſonum edebat tonitru ſimilem, qvi principio obſcurior demum ad tantum fragorem perveniebat, ut ſimul & oculus & auris obſtupeſceret, dum hæc cœlum iratum audiebat & ille ſerenum videbat. Qvid itaqve ingenio humano reſtabat niſi ut fulmina inveniret poſt tonitru? magna neſcio gloria an temeritas eſt Salmoneorum horum & forſitan ideò infelicium temporum qvæ fulminum ſemen reperire potuerunt, eoq; chartarum cylindros innumerabiles replent, qvi in circulum inditi illius machinæ, qvam Romani architecti vocant *Girandolā*, puncto temporis pariunt totidem inferni colubros, qvi fragilis cannæ alis ſubvecti & huc illuc tartareis ſibilis volitantes, ignemqve vomentes adſcendere videntur, ut fulmina fulminent, ignis ſphæram incendant & ad arma! adverſus ſtellas conclament. Cito autem temeritatis mercedem accipiunt parvi hi Typhæi, dum animam fumoſam cum riſu diſrupti in alto exhalant, eorumq; nigra fœtidaq; cadavera ad eandem terram, unde ſplendide exilierunt, præcipitanter recidunt. Qvod argutius ſymbolum reperire poterant architecti, ut ſine verbis idem explicarent, qvod poëta de ſuperbis ad dignitates nullo ſuo merito evectis?

Ut lapſu graviore ruant, tolluntur in altum.

Sed & trium pulcherrimarum artium mechanicarum OPTICÆ, VECTICÆ & PNEUMATICÆ ſexcentos partus argutos intuemur, qvi tales ſunt, ut fidem non inveniant apud eos qvi non viderunt, & apud eos qvi viderunt, etiam incredibilibus fidem adſtruant.

Qvantum enim ad PNEUMATICA qvibus pro anima eſt flatus, qvalia fuerunt illa Siculi Hieronis, ſtupidum eſſe oportet, qvi inter amœnitates Tuſculanas non obſtupeſcat novem *Muſis* adſpectis, qvæ ex ligno factæ ſecreta aura ex rivo labente agitantur & chor-

Digitized by Google

chordis *Apollinis* citharœdi canoris ex perforatis buxeis tibiis conciñunt, ut chorus hic Aonius rivum pro fonte Caſtalio & flatum pro afflatu habere videatur. Qvodſi Parnaſſo Bœotio reſpondet Tuſculanus: reperies in vero fabulam & in fabula veritatem. Ibidem eodem ingenio videbis *Polyphemum* effictum, qvi ex cornu paſtorali vocem non fictam edit, ſono tam atroci ut neſcias utrum armenta advocet an abigat, atqve homines ipſi timentes ſimul & gaudentes inter delicias ſuas terrorem numerent. Hæc igitur qvid ſunt niſi metaphoræ ventorum & ingenii ſymbola?

Admirabiliores ſunt argutiæ VECTICÆ, qvæ ex arcano motus principio vitam acqvirunt: dictæ propterea à Græcis *αὐτόματα*, hoc eſt, qvæ ſe ipſa movent. Tales erant Archytæ Tarentini *columba* volantes, & tales apud ſubtilem Cardanum *puellæ* eboreæ, qvæ in orbem ſaltabant pedes, brachia, oculos, adeò appoſitè moventes, ut ſpectatores præ ſtupore viderentur ſtatuæ & ſtatuæ qvaſi vita animatæ ſpectatrices. Qvanqvam in hoc qvidem genere forte minor admiratio locum habeat, cum ſatis ſit puellam eſſe, ut eadem mobilis credatur. Simili arte in templo Apis ſtatua *genii* ſole ſurgente ſeipſam ad orientem convertebat, eoqve cadente ad occidentem revertebatur. Qva re artifex ſymbolum perfectæ amicitiæ dare voluit, qvæ te felicem amplexa infelicem non deſerit.

Argutiſſimæ denique ſunt OPTICÆ argutiæ qvæ certa viſus proportione mira atqve ingenioſa apparentia illud, qvod non vides, te videre faciunt. In hoc genere celebres ſunt duæ imagines, altera *Dianæ*, *Palladis* altera. Illa ab Antermi filiis ſculpta, hæc ab Amulio depicta. Illa in ejusmodi proſpectus puncto collocata erat, ut templum intrantibus mœſta, exeuntibus læta videretur, ut iram Numinis culpa hominum accendi, ſacrificiis vero placari intelligeretur. Altera eo artificio picta erat, ut oculos qvacunqve exparte illam adſpiceres, in te dirigere videretur, ut prudentiam, cujus hæc Dea ſymbolum eſt, ubiqve humanis actionibus adeſſe debere notaretur.

Neſcio autem utrum angelicum an humanum fuerit inventum illius Batavi, qvi noſtris temporibus duobus Opticis ſpeculis, qvaſi duabus èx vitro alis, humani viſus aciem per cannam perforatam eò deduxit,

deduxit, qvò avis pervenire non poteſt. Hiſce mare ſine velis trajicit, naves, ſylvas, civitates, qvæ arbitrium pupillæ fugiunt, prope adducit, imò in cœlum evolans veluti lampade admota maculas ſolis obſervat, cornua Vulcani cum Veneris pudore detegit, montes, maria, in globo lunæ metitur, ſatellites Jovis numerat, & qvod Deus recondidit, parvum vitrum aperit. Unde intelligere potes, qvam decrepitus præ ſenectute ſit mundus, cui conſpicilla, ut procul videat, admovenda ſunt. Qvæ res igitur hodiè à malitia humana ſatis tuta aut tecta eſt? Argutè igitur luſit Mauritius Auriacus Princeps, cui primum ejusmodi conſpicillum ab inventore dedicatum erat, illo ipſo tempore, qvo de induciis inter Hiſpanos & Batavos agebatur, qvas ille utpote miles omni ope impedire laborabat. Ut enim annalibus illorum temporum proditum eſt, in Concilium Batavorum hoc nondum conſpectum inſtrumentum attulit, atqve *offero Vobis*, inqvit, *Domini, novum inſtrumentum, qvo poſſitis aſtutias Hiſpanorum ſub his induciis latentes eminus agnoſcere.*

Tantum de ingenio, nunc dicam de FURORE, qvi mentis commotionem ſignificat, ſeu ab AFFECTIBUS ſeu ab AFFLATU ſeu à DEMENTIA profectam, ita ut tria hominum genera, etſi non ſint valde ingenioſa nec arguta: tamen reddantur talia, videlicet *Affectu correpti, inſpirati, dementes.*

Certum eſt affectus animi vehementer ingenii acumen accendere, & ut (25.) autor noſter dicit, perſvaſioni vim addit perturbatio. Ratio eſt, qvod affectibus ſpiritus accenduntur, qvi veluti faces ſunt intellectus: & imaginatio in uno objecto fixa, omnes ejus qvamvis remotas circumſtantias, minutatim obſervat. Et cum ipſa ſit alterata, mirè qvoqve rem immutat, augendoq; eam vel contrahendo hyperbolicos mireqve figuratos ſenſus de ea condit. Iolus Tragœdus cum cineres filii Oreſtis deberet alloqvi, in ſcenam attulit urnam, in qva cineres erant filii ſui paulo ante mortui, & pictum filium in vero ſibi repræſentans ex oſſibus illis mortuis tot vividos conceptus elicuit, ex urna illa tam copioſum flumen rariorum ſenſuum produxit, ut nec Polus nec alius actor Comicus unqvam argutius ingenioſiusqve verba facere auditus ſit. Similiter Pollio Romanus Orator, qvi paulo frigidius declamare ſolebat, illo die, qvo filium extulit, tanto eloqventiæ ardore tantaqve ingenioſarum argutiarum copia

(25.) *Ar. 3. Rhet. c. 16. Hi maxime perſvadēt qvi perturbationibus affecti ſunt.*

Digitized by Google

copia declamavit ac ſi funebres faces mentem ipſius illuſtraſſent & pueri mors Muſæ vim habuiſſet. Unde Seneca Pater, qvi audiit ipſum infert: MAGNA PARS ELOQVENTIÆ EST DOLOR.

Idem dico de *indignatione* & teſtes affero Poëtas duos, alias nullius pretii, Archilochum & Hipponactem, qvi ira incenſi alter contra Licambem, qvi deſponderat ipſi nec collocaverat filiam, alter contra Bupalum, qvi ridicule ipſum depinxerat: Iſte Jambis, hic Scazontibus, qvod genus carminis rabies ipſorum recens invenerat, & mordaciſſimis argutiis infecerat, adverſarios ſuos adegerunt, ut vitam ſuſpendio finirent, ita ut rabies, ſicuti Horatius dicit, fuerit, qvæ ipſos his ſenſibus armaverit. Et certe ipſorum ingenium cum tot aliis obſcura nocte premeretur, niſi iræ faces illud apud poſteros illuſtraſſent.

Hinc admodum decore (ut (26.) autor noſter obſervat) Homerus Achillem *ira* & *amore* furentem repræſentans, qvod Rex ancillam ipſi eripuerat, loqvi facit hyberbolicas figuras & inuſitatas argutias. In (27.) perorationibus qvoqve, ubi Orator inflammatus auditores qvoqve *ira*, *odio*, *amore*, *commiſeratione* inflammare debet, *verba compoſita*, *peregrina*, *translationes & epitheta arguta & ingenioſa* permittuntur, qvæ in exordiis, ubi animus adhuc ſedatus eſt, intempeſtivæ & juvenilis licentiæ accuſarentur, & hoc non alia de cauſa qvam qvoniam affectus proprium excitare ingenium, qvamvis in ſoporem det judicium.

Nec *ſpeculativum* modo *ingenium* ſed etiam *practicum* ab affectibus expolitur. Tale erat illud Fenellæ, cujus cum Rex filium innocentem occidiſſet, ad vindictam ſumendam machinam adeò ingenioſam excogitabat, ut *dolorem* paternum ejus architectum fuiſſe facile appareret. Hic igitur odium ſimulatione, qvæ fida eſt magnæ iræ cuſtos, obvelans regem in amœnum qvendam locum invitavit, ubi cibo capto illum, ut multis curioſisqve palatii ſui ornamentis oculos paſceret, circumduxit. Poſtremo oſtendit ipſi tanqvam ſpecioſiſſimum munus pulcherrimam ſtatuam, qvæ pomum aureum magnis ſplendidisqve adamantibus diſtinctum, in qvibus artis elegantia cum materiæ pretio certabat, regi porrexit. Vix manum Rex extenderat, cum neſcio qvomodo ſagittarum nimbus inde provolaret, atqve regem configeret. Ingenium verè diabolicum, qvod

(26.) Ar. 3. Rhet. c. 12.

(27.) Ar. 3. Rhet. c. 7. compoſita vero verba ſi plura ſint & Epitheta & inuſitata ex affectu dicenti congruunt & tunc maxime qvando jam commovit auditorem laude ac vituperatione, odio vel amore, qvod &

Digitized by Google

Iſocrates facit in Panegyrico circa finem.

qvod tyranno non ſecus atqve Adamo mortem *pomo* attulit. Non minus ingenioſus eſt *amor* pecuniæ. Nam avarus qvidam theſaurum ſuum à fraudibus & dolis ſalvum præſtare cupiens, talem ex ferro dentato arcam conſtruxit, ut fur ad arripiendum eum ſe demittens, ſubito utraqve manu captus, ex prædone præda fieret, & ſingulari oppido metaphora theſaurus furem, non fur theſaurum raperet. Sed qvis laudati illius pictoris Belgæ cui Maliſchalco nomen, Magiſter fuit niſi amor, cujus opera ejus ſunt pretii, ut fragmenta etiam pro theſauris habeantur. Hic cum pauper eſſet ſed diligens faber ferrarius, dum carbones tractat, totus accenditur amore vicinæ puellæ majori forma qvam fortuna, ſed non minori animo qvam ſpecie. Hæc ſæpius ab ipſo de nuptiis appellata ſemper repulſam dederat, & ſemper eundem obvium habens, tandem mentem ſuam ipſi expoſuit: *Vide*, inqvit, *amorem tuum acceptum habeo, teq; ipſum haberem acceptiorem, niſi fuligines ſordidæ tuæ officinæ averſarer, aut tinnitum matutinum tuorum malleorum perferre poſſem. Qvod ſi igitur de bono fabro fieri poſſes bonus pictor, ſtatim tua forem.* Hæc non verba erant, ſed faces. Dixiſſes amorem, qvi Sappho poëſin docuit, hunc fabrum picturam docuiſſe. Mutata enim officina fabrili in pergulam, malleis in penicillos, incudibus in tabulas brevi tempore mira metaphora ex Vulcano factus eſt Apelles, ſicut æterno marmori in ſepulchro ſuo hoc verſu inſcriptum eſt:

Conjugalis amor de Mulcibre fecit Apellem.

Alius furor argutus eſt AFFLATUS qvem Græci vocant ἐνθουσιασμόν. Hic clarè perſpicitur in Sacris *Prophetis*, qvorum admirabiles viſiones nihil aliud ſunt, niſi ſymbola metaphorica & divinæ argutiæ à S. Spiritu ipſis ſuggeſtæ. In qvibus hic immorari nihil neceſſe eſt, cum ſupra de iis egerimus. Similiter ex *Oraculis* profanis qvædam afflatu reddebantur, veluti in antro Delphico & Trophonio, ubi rudes & illiterati ſpiritum auræ ex terra exhalantis accipientes res admirabiles, argutis & myſterii plenis probi atqve elegantis ſtyli carminibus prædicabant.

(28.) Ar. Poët. c. 14. Qvapropter vel

Hinc duo poëtarum genera (28.) autor noſter diſtingvit alios ingenioſos, alios afflatos. Iſtos à natura ad carmen factos, hos à ſpiritu qvodam raptos. *Afflati* fuerunt Orpheus, Heſiodus, Homerus,

qvi

qvi ut cantare diſcerent, ſub ferula non gemuerunt, ſolo inſtinctu ſub allegorico metro res altas & divinas cecinerunt. *Ingenioſi* fuerunt Sophocles, Æſchylus, Euripides, qvi arte & ratione poëticas dotes ſibi compararunt, & Muſas potius in Parnaſſum rapuerunt, qvam ut ab illis rapti fuerint. Omnes tamen à ſacro qvodam furore afflatos ſe eſſe videri voluerunt. Ut credulo vulgo ſe divinos poëtas venditarent, ſeu ut inventorum ſuorum ſingularem rationẽ excuſantes culpam in Muſas transferrent. Sed Epici potius qvam Tragici utpote magis ingenioſi & ſublimes in veſtibulo poëmatum ſuorum muſarum afflatum implorant. Veluti Virgilius, qvi poëtarum laborioſiſſimus fuit: *Muſa mihi cauſas memora.* Qvin Statius, qvi ſtylo præ cœteris ſcaber eſt & reconditus, ſtatim à primo ingreſſu non inſpiratum ſed ſpiritu obſeſſum ſe demonſtrat:

Fraternas acies, alternaq; regna profanis
Decertata odiis, ſonteſq; evolvere Thebas
Pierius mentis calor incidit, unde jubetis
Ire Deæ?

verſatilis ingenii perciti Poëtica eſt. Enim poëtarum aliqvi ab ipſa natura ad poëticam bene formati ſunt, aliqvi autem à mẽte abſtrahuntur.

Diceres Virgilium muſas qvæſiviſſe, Statium à muſis qvæſitum eſſe. Sed Ennius, Horatius, Martialis non alium furorem divinum niſi vini fervorem implorarunt, & fontem Caſtalium urceo incluſum ad latus habuerunt. Sine dubio alterum alteri ſuffragabatur, ſiqvidem imaginatio à ſpirituoſo hoc liqvore incenſa affatim Metaphorarum generat, ſtilumqve in ſublime evehit. Unde ſicut ſenibus & infirmis cum imminuto calore ingenium deficit: ſic ubi calor abundat, vigor ingenioſorum ſcriptorum abunde adeſt. Hic vero medicaminibus atqve etiam generoſis vinis excitari poteſt, dummodo copia non opprimat ingenium, veluti alimentum nimium lumen opprimit. Sic ex ſacris etiam Prophetis, alii *poculo* veluti Joſephus, alii *lyra* veluti Eliſæus naturales mentis vires excitabant, ut radium luminis prophetici eò clarius ſentirent.

Ultimus furor eſt DEMENTIUM, qvi melius qvam ſani (qvis credat?) metaphoras facetas argutaqve ſymbola vi phantaſiæ ſuæ fabricare poſſunt, imò *Dementia* nihil aliud eſt, niſi metaphora qvæ rem pro re accipit. Hinc plerumqve fit, ut dementes ſint lepidiſſimi

 ingenii,

Iſocrates facit in Panegyrico circa finem.

qvod tyranno non ſecus atqve Adamo mortem *pomo* attulit. Non minus ingenioſus eſt *amor* pecuniæ. Nam avarus qvidam theſaurum ſuum à fraudibus & dolis ſalvum præſtare cupiens, talem ex ferro dentato arcam conſtruxit, ut fur ad arripiendum eum ſe demittens, ſubito utraqve manu captus, ex prædone præda fieret, & ſingulari oppido metaphora theſaurus furem, non fur theſaurum raperet. Sed qvis laudati illius pictoris Belgæ cui Maliſchalco nomen, Magiſter fuit niſi amor, cujus opera ejus ſunt pretii, ut fragmenta etiam pro theſauris habeantur. Hic cum pauper eſſet ſed diligens faber ferrarius, dum carbones tractat, totus accenditur amore viciniæ puellæ majori forma qvam fortuna, ſed non minori animo qvam ſpecie. Hæc ſæpius ab ipſo de nuptiis appellata ſemper repulſam dederat, & ſemper eundem obvium habens, tandem mentem ſuam ipſi expoſuit: *Vide*, inqvit, *amorem tuum acceptum habeo, teq́, ipſum haberem acceptiorem, niſi fuligines ſordidæ tuæ officinæ averſarer, aut tinnitum matutinum tuorum malleorum perferre poſſem. Qvod ſi igitur de bono fabro fieri poſſes bonus pictor, ſtatim tua forem.* Hæc non verba erant, ſed faces. Dixiſſes amorem, qvi Sappho poëſin docuit, hunc fabrum picturam docuiſſe. Mutata enim officina fabrili in pergulam, malleis in penicillos, incudibus in tabulas brevi tempore mira metaphora ex Vulcano factus eſt Apelles, ſicut æterno marmori in ſepulchro ſuo hoc verſu inſcriptum eſt:

Conjugalis amor de Mulcibre fecit Apellem.

Alius furor argutus eſt AFFLATUS qvem Græci vocant ἐνθουσιασμόν. Hic clarè perſpicitur in Sacris *Prophetis*, qvorum admirabiles viſiones nihil aliud ſunt, niſi ſymbola metaphorica & divinæ argutiæ à S. Spiritu ipſis ſuggeſtæ. In qvibus hic immorari nihil neceſſe eſt, cum ſupra de iis egerimus. Similiter ex *Oraculis* profanis qvædam afflatu reddebantur, veluti in antro Delphico & Trophonio, ubi rudes & illiterati ſpiritum auræ ex terra exhalantis accipientes res admirabiles, argutis & myſterii plenis probi atqve elegantis ſtyli carminibus prædicabant.

(28.) Ar. Poët.c.14. Qvapropter vel

Hinc duo poëtarum genera (28.) autor noſter diſtingvit alios ingenioſos, alios afflatos. Iſtos à natura ad carmen factos, hos à ſpiritu qvodam raptos. *Afflati* fuerunt Orpheus, Heſiodus, Homerus,

qvi

Digitized by Google

qvi ut cantare diſcerent, ſub ferula non gemuerunt, ſolo inſtinctu ſub allegorico metro res altas & divinas cecinerunt. *Ingenioſi* fuerunt Sophocles, Æſchylus, Euripides, qvi arte & ratione poëticas dotes ſibi compararunt, & Muſas potius in Parnaſſum rapuerunt, qvam ut ab illis rapti ſuerint. Omnes tamen à ſacro qvodam furore afflatos ſe eſſe videri voluerunt. Ut credulo vulgo ſe divinos poëtas venditarent, ſeu ut inventorum ſuorum ſingularem rationē excuſantes culpam in Muſas transferrent. Sed Epici potius qvam Tragici utpote magis ingenioſi & ſublimes in veſtibulo poëmatum ſuorum muſarum afflatum implorant. Veluti Virgilius, qvi poëtarum laborioſiſſimus fuit: *Muſa mihi cauſas memora.* Qvin Statius, qvi ſtylo præ cœteris ſcaber eſt & reconditus, ſtatim à primo ingreſſu non inſpiratum ſed ſpiritu obſeſſum ſe demonſtrat:

verſatilis ingenii perciti Poëtica eſt. Enim poëtarum aliqvi ab ipſa natura ad poëticam bene formati ſunt, aliqvi autem à mēte abſtrahuntur.

Fraternas acies, alternaq́ regna profanis
Decertata odiis, ſonteſq́ evolvere Thebas
Pierius mentis calor incidit, unde jubetis
Ire Deæ?

Diceres Virgilium muſas qvæſiviſſe, Statium à muſis qvæſitum eſſe. Sed Ennius, Horatius, Martialis non alium furorem divinum niſi vini fervorem implerarunt, & fontem Caſtalium urceo incluſum ad latus habuerunt. Sine dubio alterum alteri ſuffragabatur, ſiqvidem imaginatio à ſpirituoſo hoc liqvore incenſa affatim Metaphorarum generat, ſtilumqve in ſublime evehit. Unde ſicut ſenibus & infirmis cum imminuto calore ingenium deficit: ſic ubi calor abundat, vigor ingenioſorum ſcriptorum abunde adeſt. Hic vero medicaminibus atqve etiam generoſis vinis excitari poteſt, dummodo copia non opprimat ingenium, veluti alimentum nimium lumen opprimit. Sic ex ſacris etiam Prophetis, alii *poculo* veluti Joſephus, alii *lyra* veluti Eliſæus naturales mentis vires excitabant, ut radium luminis prophetici eò clarius ſentirent.

Ultimus furor eſt DEMENTIUM, qvi melius qvam ſani (qvis credat?) metaphoras facetas argutaqve ſymbola vi phantaſiæ ſuæ fabricare poſſunt, imò *Dementia* nihil aliud eſt, niſi metaphora qvæ rem pro re accipit. Hinc plerumqve fit, ut dementes ſint lepidiſſimi

 ingenii,

Digitized by Google

ingenii, & ſubtiliſſima ingenia, veluti poëtarum & Mathematicorum ad inſaniam maximè ſint proclivia. Qvanto enim phantaſia eſt agilior, tanto promtior eſt ad ſcientiarum phantasmata concipienda. Sed phantasma nimis altè impreſſum & calore excitatum, ſæpius in opinionem ſingularem, & hæc inveterata in dementiam degenerat. Unde licet cognoſcere, qvam fragili vaſe qvantus theſaurus contineatur, cum ſapientia ſtultitiæ adeò vicina ſit. Talem nobis phantaſiam Galenus depingit ejus, qvi imaginem magni dolii à ſe viſi tam alte menti impreſſit, ut in phrenesin prolapſus ſe eſſe illud *dolium* ſibi imaginatus ſit, unde cuicunqve prætereunti inclamabat: *Diſcede à me ne frangar, ſum dolium.* Nec ambulare, nec ſe vertere audebat, ſed in pedes erectus manibus ad femora admotis, dolium videbatur cum anſis, & ſicut dolium mirè vinum amat, ita dicebat qvoqve: *impleamus dolium, ne ſiccum graveoleſcat.* Hæc ſtultitia erat metaphora, phantasma unum pro alio accipiens, ex qvo naſcebatur arguta allegoria. Qvicqvid enim faceret aut diceret, ad illud dolium ſuum referebat. Magis ridiculus erat Nicolaus Gazzia, qvi ſe *titionem* factum eſſe imaginatus, unumqvemqve orabat, ut afflaret ipſi auram, ne exſtinguatur. Et ſtultior adhuc Petrucius Pratenſis, qvi ſe granum ſinapis eſſe credens, cum in foro venum expoſitum cerneret magnum urceum muſto plenum, ſe illi immerſit dicens: *Muſtum ſine ſinapi non ſapere.* Qvid de altero dicam, qvi (ut ſcribit Altomarius) firmiter concipiens ſe eſſe *Gallum* in celeberrimis congreſſibus, qvando ſtulta hæc imaginatio ejus mentem ſubibat, repente criſtas erexit & collo protenſo & axillis in modum alarum excuſſis vocem ejusmodi acutam & canoram, qvæ gallorum eſt, emiſit, cui galli omnes reſpondebant. Vivit adhuc hodie vir magnæ dignationis, qvem alibi cognovimus, qvi cum attente conſideraſſet fornaculum, de cujus vitrea cucurbita ſtillabat aqva odorata, ſe qvoqve eſſe finxit ejusmodi cucurbitam cum longo *naſo vitreo.* Unde per plateas incedens manum faciei obtendebat, ne naſum forte in parietem impingeret, & collocutus cum aliqvo, caput, ne collideretur, retrahebat, & qvod naribus deſtillabat, videbatur ipſi *aqva roſarum.* Sunt etiam qvi plus ſtultitiæ qvam dementiæ oſtendunt, ſed & ſtultitia ipſa, qvæ qvidem ridicula eſt, neceſſario ab aliqva ſpecie metaphoræ proficiſcitur. Talis erat ſtultitia illa Sebaſtiani de Monte

Monte felici, cui cum eqves Neapolitanus hæres ipſius in convivio imperaſſet: *affer mihi aurantium*, evulſam arborem aurantii in humeros tollens menſæ impoſuit. Omnes riſerunt, riſus cauſa erat metaphora *à parte ad totum*. Sed hæc eſt ſtultitia à ridiculis atqve innoxiis phantasmatibus orta. Aliæ ſunt *metaphoræ atroces & joco ſeriæ*, qvæ ſimul riſum & terrorem concitant, qvando horribile aliqvod phantasma ab atra bile fovetur. Unde naſcuntur argutiæ flebiles, & facetiæ nonnunqvam mortales. Talis erat dementia Alcidis, cui cum cerebrum corrumperetur, qvo tempore animum feris vindictæ ſimulacris adverſus Lycum tyrannum impleverat, ſpolia leonis poſt ſe traxit, dicens: *Hunc eſſe leonem cæleſtem, qvi ſtellas venaturus ſit*. Et imaginatus ſibi nubes eſſe gigantes cœlo rebelles, in partem victoriæ adverſus inimicam Junonem venire voluit. Inde vi brachiorum portas palatii ſui cardinibus evellens, credebat ſe *regiam Jovis* arietare, & fruſta columnarum in altum projiciens jactabat, ſe Oſſam & Pelium cum centauris ſuis, offenſis Numinibus in faciem ingerere. Deniqve ferream clavam adverſus proprios filios ſtringens, ſe delere gloriabatur inviſam *Lyci ſtirpem*. Et uxore ſua Mægara occiſa, ſe novercam *Junonem* occidiſſe clamabat, & patrem ſuum fœdo & indigno hujus mulieris jugo liberaſſe. Sic cum deplorandus eſſet, felicem ſe exiſtimabat, & ruinam ſuam veluti trophæa oſtentabat. Hæ igitur erant argutiæ terribiles, & metaphoræ flebiliter ridiculæ ab hodiernis poëtis in *Rolandi & Armidæ furore* expreſſæ, ubi audis tot aptas ineptias, ut ſicuti *gryllis* pictorum accidit, nihil ſit artificioſius qvam in artem peccare, nihil judicioſius qvam judicium deſerere.

Inter argutas *ſtultitias* locum qvoqve habet *ebrietas*, ſomnium vigilantium & brevis furor, eo violentior qvo vinolentior. Sicut enim ſomnolentis ſtomachi fumus, ſic ebriis vini vapor diurna phantasmata perturbat, & una imagine pro altera accepta & inter ſe confuſa mirabiles conceptus & ridiculas metaphoras format. Talis fuit ebrietas illorum Ligurum, qvi in celebri diverſorio montis Flaſconis vino ſuccumbebant eo momento, qvo de naufragio inter ſe colloqvebantur. In hac enim imaginatione incitati cœperunt imaginari ſe adhuc in mari degere, atqve adeo diverſorium ipſis videbatur navigium jactatum, ſcamna navium roſtra, menſa flu-

 ctus

ctus maris. Hinc per tumultum alter alteri inclamabat: *ad vela, ad antennam, ad malum, manum ad funes.* Alii dolia evacuabant, putantes, ſe exhaurire ſentinam: alii ex diſco deſignabant pixidem nauticam & ventos notabant, alii in ſocios evomentes de nauſea marina qverebantur, deniqve omnes conſentiebant ad navem levandam jactum eſſe faciendum, & ſedes, ſcamna menſam hinc cultros, ſupellectilem & arculas diverſorii ex feneſtris deturbabant. Deniq; unus clamans *hoc onus nimis grave eſt*, uxorem ſuam projecit. Nemo in hoc naufragio minorem jacturam fecit.

(29.) Ar. 3. Rhet. c. 16. Poſſe argute dicere aut ingenioſi eſt aut exercitati.

(30.) Ar. ibid. c. 11. qvale in Philoſophia qvoqve ſimile eſt, qvod vel in multo diverſis perſpicere ingenioſi eſt atq; exercitati.

Ultimum atq; efficaciſſimum hujus artis præſidium eſt (29.) EXERCITATIO, qvæ in omnibus humanis artibus ingenio ſuccenturiatur, cum & juvet magis & tutior ſit *exercitatio* ſine magno ingenio, qvam *ingenium* magnum ſine exercitatione. Qvodſi utrumqve conſpiret opemqve mutuam conjungat, tunc artifex eo pervenire ſolet, ut non amplius homo terreſtris ſed cœleſte Numen in arte ſua videatur. Unde & autor noſter ad inveſtigandas remotas notitias tam in philoſophicis qvam poëticis & argutis ſcriptis *ingenium* reqvirit *cum exercitatione conjunctum*: in hac autem eleganti nobiliqve arte variis modis ſtylus eruditus exerceri poteſt, videlicet PRAXI, LECTIONE, MEDITATIONE, INDICE CATEGORICO, & deniqve IMITATIONE.

Multum, inqvam, te juvabit PRAXIS in ſymbolis hiſce argutis, tibi ipſi varia argumenta primum faciliora poſt difficiliora proponens. Et qvod de *ſymbolis* dico, idem de omnibus aliis ingenii partubus intelligo, puta *metaphoris*, *enthymematis* atqve omnibus artis poëticæ & oratoriæ *argutiis*, tam ſymbolicis qvam lapidariis. Sed principio de ſymbolis præcipere melius erit, ut pote qvæ incipientibus, cum ſub ſenſum cadant, notiora ſunt. *Symbola facilia* ſunt illa, qvæ metaphorice vocabulo ſimplici indicantur, veluti hieroglyphica & facies nummorum, qvibus capiendis ſimplex mentis operatio ſufficit, cum emblema ſymbolumqve heroicum *argumentum figuratum* reqvirant. Porro faciliora ſunt ſymbola *generalia* qvam ſpecialia, qvoniam hæc pluribus circumſtantiis involuta majorem *perſpicaciam* in percipiendo, majoremqve *velocitatem* in comparando poſtulant. Qvod ſi te juberem *ſymbolum* excogitare FORTITUDINIS res multo facilior eſſet, qvam ſi FORTITUDINEM PUELLÆ

Digitized by Google

ELLÆ in mediis FLAMMIS te ſymbolo exprimere juberem, veluti B. Martyris Agnetis. Nam in primum argumentum una tantum notio ingreditur, videlicet fortitudo in genere: qvam facilè metaphoris depingere poteris, ut pote *qvercus, columnæ, auri in fornace, ſaxi altisſimi, loricæ, ſcuti, incudis ſcopuli, leonis,* & generatim cujusvis rei ſolidæ & reſiſtentis. Sed cum ſecundum argumentum tres notitiæ componant: FORTITUDO, VIRGINITAS, FLAMMA, metaphora reqviritur, qvæ tres proprietates exhibeat: *ſoliditatem, candorem, & incombuſtibilitatem.* Unde non conveniret qvercus, qvæ qvamvis ſolida nec candida eſt nec incombuſtibilis. Nec magis aurum in fornace, qvod qvidem & incombuſtibile eſt & ſolidum neqve tamen candidum. Rectius itaqve tibi ſerviet *linum aſbeſtinum* qvod ex immortali illo lapide confectũ, flammis non comburitur ſed candidius puriusqve redditur, ut ignis ipſi pro aqva pura ſit.

Idem de *verbis* dico. ſicut enim figura ſymboli eſt *metaphora* aliud pro alio repreſentans: ſic verbum eſt *Laconismus*, qvi multa paucis ſignificat. Ex his igitur alia ſunt facilia, hoc eſt brevia qvidem ſed non profunda, qvalia plerumqve ſunt nummis inſcripta, qvæ breviter qvidem ſed perſpicuè ſenſum animi indicant. Veluti in numismate Adriani altari corimbis ornato adſcriptum eſt: PIETAS AUGUSTI. Et in alio qvodam Auguſti *Crocodilus* palmæ ſubjectus pro verbo habet: ÆGYPTO CAPTA. Et in nummo qvodam Philippi Imperatoris *victoria* in *ſede* ſomnum capiens habet hæc verba: SECURITAS ORBIS. Hæc verba qvantum ad brevitatem vere ſunt Loconica: qvantum ad profunditatem non item, cum pleniſſime ſenſum exponant. E contrario brevia & profunda atqve adeo difficiliora ſunt illa verba, qvæ ſenſum non abſolvunt ſed eleganter innuunt, ut lector intellectus ſui acumine reliqvum aſſequatur. Veluti illud EMINUS & COMINUS regis Ludovici. Sic ingenium in ſymbolis verbisqve primo facilioribus mox acutioribus exercens ſæpiusqve operatus & errans non nunquam laudabilem partum edes, atqve hic alii lucem afferet, tandemqve actus iterati faciliimam aptitudinem in ſymbolicis argutiis atq; hinc architectonicis qvoqve & mechanicis afferent, ut argutis & decoris ornamentis illuſtrare poſſis *conclave, fontem, templum, arcum, tropæum*

aut

Digitized by Google

aut etiam ingenioſis inventis animare *pompam triumphalem*, *ſcenam*, *feſtum ſolenne*, *machinam*, *quæ* ſeipſam movens animos moveat & oculos ſpectantum in ſe convertat. Sic Alcides puer cum ſerpentibus luctatus, virilem dextram adverſus hydras & leones armavit. Neqve enim virtutes noſtræ eſſent, ſi abſqve ſudore noſtro à natura nobis donarentur.

Secundum genus exercitationis eſt LECTIO, qvæ *praxi* tantam facilitatem confert, ut, qvamvis pedem non intuleris Muſarum atrio, ſymbolorum faciliorum collectiones, qvalis eſt hieroglyphicorum cum Pierii Valeriani explicatione, attente legens à te ipſo ſatis doctus evadas. Legenda ſunt deinde numiſmata Cæſarum cum notis Golzii, & deniqve ſymbola argutiora: veluti emblemata Alciati cum Variorum autorum notis à Jano Tuillio collectis & deniqve ſymbola Heroica Virorum Illuſtrium à Typotio magno labore collecta. Sic imaginum copia imaginationem qvoqve tuam fœcundabit & fœcunda qvoqve imaginatio artem procreat, præſertim ſi non infantum more ſolas imagines intuearis, ſed hiſtoriæ face adhibita illuſtrare easdem & arcanos heroum ſenſus, qvi illarum autores ſunt, penetrare labores. Qva in re compilatores qvidam non ſatis bene de Muſis ſunt meriti, qvi magnorum principum ſymbola cum frigida & ſuperficiali explicatione ſæpeqve divinatoriâ magis qvam certâ nobis exhibent. Ruſcellius (ut exemplum habeas) *columnas* duas *coronatas* atqve illud PLUS ULTRA nobis depingit ita, ac ſi Imperator Carolus V. ad felicem in novum mundum navigationem reſpexiſſet, cum metas ſcopuloſas Abilam & Calpim ab Hercule victore audacibus navigantibus præſtitutas transgreſſus eſſet. Sed idem non obſervat glorioſum illum trajectum, ut pote Caroli imperio anteriorem, non eſſe propriam ipſius laudem ſed Ferdinandi regis Catholici, cujus auſpiciis Columbus Ligur columnas Alcidis prætervexit, veluti columba Jaſonis Symplegades. Imperator itaqve ſymbolum hoc columnarum Herculis cum verbo Burgundico PLUS OVTRE (qvod ineptus qvidam barbare extulit PLUS ULTRA) aſſumſit poſt geminam de Guletta & Tuneto ultra mare mediterraneum victoriam: gloriatus ſe in plaga Africana duas portas munitiſſimas aperuiſſe, qvibus fidem Catholicam ulterius proferret, & barbariem

barbarie

Digitized by Google

barbarie eriperet. Hinc Ferrantes Gonzaga conſiliorum ipſius particeps & ſupremus exercituum Dux ſvadens inſtandum eſſe victoriæ atqve arma in Mauritaniæ Tingitanæ & Cæſareenſis viſcera inferenda, epiſtola qvadam prudenti etiam hoc incitamentum adhibuit: *Majeſtatem Cæſaris glorioſum illud verbum* PLUS ULTRA *ſic perfectè impleturam eſſe, qvod ex Guletana & Tuletana victoriis natum erat.*

Eandem tibi utilitatem præſtabit LECTIO, qvantum ad verba ſymbolorum tam ſimplicium qvam heroicorum & cujuscunqve dicti arguti: ſi illorum in ſymbolis illuſtribus gratiam, vim, brevitatem & profunditatem conſideres. Sed ſi facilem rationem verba bonorum autorum cuicunqve ſymbolo, qvod in mentem venit, convenientia reperiendi expetis: adi Parnaſſum Poëticum Nomeſeii, & ad titulos illos, qvi corpus aut ſenſum ſymboli tui conſtituunt, te confer. Raro fiet, ut hemiſtichium aliqvod ſatis argutum non reperias, qvod duplex habebit & ab auctoritate & ab elegantia pretium. Ut Nomeſejus Parnaſſum ſuum pro illis Muſis videatur condidiſſe, qvæ in ſymbolis heroicis occupatæ ſunt. Afferemus unum alterumqve exemplum. Si pingeres fulmina in montes excelſos cadentia, ut elatiores majoribus calamitatibus percuti indicares: qvære in Parnaſſo titulum *fulminis*, ibiqve reperies hemiſtichium Horatii: *feriuntqve ſummos fulmina montes.* Unde Veſpaſianus Gonzaga ad ſymbolum de jugis fulmine percuſſis animandum mutuatus eſt has duas voces: FERIUNT SUMMOS. Aut qvære titulum *ſuperbiæ*, & ſuppeditabitur hemiſtichium Claudiani: *nimium ſublata ſecundis*, aut titulum punire, & habebis verba Virgilii: *haud impune.* Similiter ſi favorem Magnatum ad arduum aliqvod propoſitum implorare velles: ad titulum *Ductor* decurre, ibiqve invenies voces Æneæ ad columbas divinitus ſibi à matre miſſas.

Eſte duces, ô ſi qva via eſt, curſumqve per auras
Dirigite.

Unde Bartholomæus Viteleſchius duas voculas decerpſit ESTE DUCES, illas applicans duabus illis divinis *columnis*, qvæ populum Dei per deſertum ducebant: aut ſi qværas tituli relatum, *ſeqvi*: habebis

bebis preces Anchiſis ad illa Numina, qvorum ſtella divinitus ipſi apparuit mirabilium eventuum prænuntia:

Jam jam nulla mora eſt, ſeqvor, & qvà ducitis, adſum

Dii patrii ſervate domum.

Unde eqves Sbarra pro ſymbolo aſſumens ſtellam Reguli, qvæ in tertio & vigeſimo leonis gradu ſplendet, apud Aſtrologos magnorum honorum donatrix, verbum adjecit: QVA DUCITIS ADSUM. Tertium exercitationis genus poſitum eſt in MEDITATIONE certiſſima cote ad ingenium qvamvis obtuſum acuendum. Id conſeqveris, ſi ſolus aut aliqvo comite deambulans res omnes, qvas vides, meditando in moralem aliqvam ſententiam traducere nitaris. Similitudo enim mater eſt metaphoræ, & hæc omnium argutorum ſenſuum omniumqve ſymbolorum genitrix. Qvod ut exemplis oſtendam, ſi membra humana conſideres *oculum* videns, ſic poteris meditari, *hunc facerem imaginem providentiæ*: ſi *aures*, *has curioſitatis facerem Metaphoram*: ſi *manum extenſam*, *hæc eſt liberalitas*: ſi *reſtrictam*: *hæc eſt avaritia*: ſi *pedem*: *eſt imago conſtantiæ*: ſi *totum corpus*: *talis eſt Reſpublica*: ſi *cor*, *talis eſt princeps*, qvi *illam conſervat*. Similiter hortum ingreſſus, ſi inter ſpinas *roſam* purpuream eſfloreſcere vides: dices, *ſic inter aſpera triumphat virtus*: ſi roſam, qvæ defloruit: *tam fugax eſt pulchritudo*. Si *allium* multis bulbis involutum: *tales plane ſunt cavillatores*. Si *heliotropium* fixo pede planetam ſuum oculis proſeqvi vides: *talis eſt vera amicitia*. Si hederam parietem amplexu perdere vides: *talis eſt proditor*. Si *liguſtra* ſole cadente contrahi & caput demittere cernis: *ſic ingenia Mecenate ſuo deſtituta concidunt*. Idem de inſtrumentis Mechanicis atqve artium licet dicere. Si officinam fabri ferrarii ingreſſus ſtrepitum *malleorum* ſuper ſolidam incudem audias, tibi repræſentabis *cordis invicti patientiam*. Si *maſſam ferream* dum fervet, figuram omnem à percusſionibus recipere cernis: *ſic animus juvenum tener à rectoribus & cenſoribus facile omnem perſvaſionem admittit*. Si *folles* prunarum afflatu animari cernis, *recordaberis ſuſurratorum*, *qvi diſcordias delationibus ſuis accendunt*. Si levi aſperſione frigidæ flammam augeri videas: *ſic*

ſic parca beneficia cupiditatem inflammant, non exſtingunt. Ingredere navim atqve in mole hac natante nullam videbis partem, nullam nautarum operam, qvam non ſymbolicè ad moralem aliqvem ſenſum poſſis flectere. Vela ventis dare eſt *animum ſpe implere.* Ad ventum vela vertere eſt *tempori inſervire*, antennarum, velis non mutatis, periculoſa converſio docet, *qvam periculoſum ſit in factionibus ad alias tranſire partes.* Si vides *acum nauticam* ad unam ſtellam conſtanter ſeſe vertere: *conſtantiam animi uni rei ſemper intenti* contemplaberis. Sed eo magis peregrinæ fiunt applicationes, qvò magis novæ & curioſæ proprietates illæ ſunt, qvas vides aut legis. Si rigidum ferrum ignobili magneti ſuccumbere cernis: in mentem veniet bellicoſi Achillis à puella Briſeide capti. Si legis *Tarandum* colore carentem ex locis illis, qvibus applicatur, colorem induere: ecce *paraſitum aulicum qvi ingeniis hominum ſubſervit.* Si legis perdicibus Paphlagoniæ duo corda ineſſe, *hominem fallacem atqve fraudulentum* vocabis *Paphlagoniæ perdicem*; & ſi *ſerpens Amphisbena* duo habet capita, qvæ qvacunqve illa parte perimas, te veneno inficiunt: qvod ſymbolum magis apertum eſt *hominis perfidi & intractabilis*? Et ejusmodi curioſa & admiranda *animalium, plantarum, ſaxorum, fontium* immenſo cumulo reperies in *diebus canicularibus* novi Plinii Simonis Majoli.

Idem dico de fabulis Poëtarum, qvarum qvælibet adhibita meditatione acri moralibus documentis applicari poterit, ex qvibus emblema fiat. Si inter imagines cœli (qvod nihil aliud eſt niſi index poëticus) ſignum *arietis* intuearis, qvi Phryxum trans mare cum detuliſſet, ſtatim à Phryxo in littore ſacrificatus fuit: in mentem veniet *illorum Principum, qvi obtentis iis, qva concupierant, illos ipſos, qvorum miniſterio uſi erant, abdicant & perdunt.* Si *taurum* ſimplicis Europæ raptorem, qvæ coronam ipſi adornabat: *qvam periculoſum ſit ludere cum potentibus*: ſi *Geminos* adeo concordes, ut in duobus corporibus unum cor habeant: ô qvam nobile *concordiæ fraternæ* adeo raræ ſymbolum! Si cancrum retrogradum, in qvem Neptunus transmutatus fuga ficta nympham ſeqventem fefellit: habes imaginem *ingenii muliebris qvod fugit, qvæ ſeqvitur, & ſeqvitur qvæ fugit.* Si ferum *leonem* ab Afris, ut Africæ afflictæ pacem daret, immolatum, dices: *ſic mens humana nunqvam fruetur pace, niſi feroces cupiditates immolaverit.*

Etiam *Apologi* qvales ſunt *Æſopici*, ingenioſa meditatione eleganter ad peregrinam aliqvam & ſymbolicam allegoriam tranferri poſſunt. *Gallus* gemmam reperit, & hordei granum mallet. Sic *agreſtes res pretio ſuo non æſtimant*: ut Helvetio illi accidit, qvi inter ſpolia victoriæ grandi adamante Caroli Burgundi reperto tribus vini poculis illum vendidit. *Lupus* agnum devoravit eo colore, qvod rivum ipſi turbaſſet multo qvamvis inferius bibens. Sic principes fortiores inani prætextu turbatæ jurisdictionis arrepto minores evertunt, ut referunt de Rege Ludovico Undecimo, qui erga eundem Carolum adhuc adoleſcentulum ita ſe geſſit. Dum *rana & mus* de imperio in paludem inter ſe contendunt, devorat eos *milvius*. Sic *dum principes infirmiores inter ſe disſident, potentior utilitates ſuas anget*: veluti Solimannus Turca Rhodum Chriſtianis eripiebat, dum illi ſe invicem conſumebant. *Canis* carnem dimiſit, cum umbram majorem captat, & nec hanc nec illam accipit. Sic multi principes majoribus parandis inhiantes parta perdunt, veluti accidit Carolo Octavo qvi comitatum Ruſcinonenſem Hiſpanis reddens ut regnum Neapolitanum pace ipſorum acqvireret, Lutetiam reverſus eſt ſine comitatu & ſine regno. *Grus* roſtri longi forficibus os qvoddam lupi gulæ extraxit & pactam mercedem poſtulans reſponſum à lupo accepit: Satis magnam mercedem eſſe, qvod caput ipſi dentibus non comminuerit. Sic poſt mortem regis Sebaſtiani cum Hiſpani magna præmia qvibusdam Luſitanis adminiſtris promiſisſent, ſi Antonio excluſo Philippi Regis partibus faverent: voto potiti præmiumque rogati reſponderunt, Regem ſatis ſuperqve eos remunerare, qvod capite eos non minuat.

Multò elegantiores atqve ingenioſiores meditationes circa ſymbolorum corpora per teipſum inſtituere poteris: tibi ſufficiet, ut his exemplis ferarum cubilia tibi demonſtrem, qvò canis ſagax multo celerior illas venetur.

Contentus tremulo monſtraſſe cubilia loco.

Idem ſtudium impendes *verbis*, legens Poëtas & laconica maxime hemiſtichia argumento cuidam applicans, illaq; tantum verba, qvæ qvàm aptiſſima ſunt, delibans. Si legis Claudianum inter poëtas argutiſſimum in verſus illos in laudem Stiliconis adverſus Ruffinum ſcriptas incidens.

HIC

HIC Cunctis OPTATA QVIES; hic ſola pericli
Turris erat;

Poſſes illos transferre ad eum, qvi ex mundi procellis in ſacrum clauſtrum ſeſe recipit, pharum portus pingens adjecto hoc dicto: HIC OPTATA QVIES. Ita ut idem poëta gemino beneficio tibi & corpus & dictum ſubminiſtret. Idem popularia feſta ludosqve eqveſtres in lætitiam pacis ab Honorio partæ deſcribens ſic canit.

Perpetuisqve immoto cardine Clauſtris
Janus bella premens, læta ſub imagine pugnæ
Armorum innocuos PACI LARGITUR HONORES.

Qvod poteris applicare Principi, qvi armorum virtute pacis tranqvillitatem imperio ſuo reddidit. Pingens *haſtam Romuli*, qvæ ſolo fixa arbor evaſit umbræ amœniſſimæ, adſcripto verbo: PACI LARGITUR HONORES. Et in qvarto Honorii Conſulatu ad venationes ejus alludens ſcribit:

Sic Amphioniæ pulcher ſudore palæſtræ
Alcides pharetras dircæaqꝫ tela ſolebat
Prætentare feris OLIM DOMITURA GIGANTES.
ET PACEM LATURA POLO.

Unde ſymbola duo ſibi reſpondentia formare poſſis, duplicem Principis virtutem *belli & pacis* reſpicientia. In uno pingens nodoſam Alcidis clavam cum verbo: OLIM DOMITURA GIGANTES. Et in altero eandem clavam, qvæ olea ſit facta cum verbo: ET PACEM LATURA POLO. Similiter ubi caſum Phaëthontis deſcribit, ſubjecit:

Crede mihi SIMILI BACCHATUR CARMINE, qvisqvis
Adſpirat Romæ ſpoliis.

Poſſis alludere divino illorum ſupplicio, qvi Romam armis ceperunt veluti Caroli Qvinti Dux Borbonius. Et qvod de *Sole* dicit, qvi nusqvam declinans lineam Eclipticam, qvæ medium eſt Zodiaci, percurrit:

MEDIUM NON DESERIT UNQVAM.

Tibi ſerviet pro ſymbolo, cui idem ſit corpus, ut adminiſtri cujusdam à recto juſtitiæ tramite nusqvam deflectentis virtutem exhibeas. Et pro bellatore qvi ſolo adventu vicit, veluti Rex Ludovicus Seguſio ſeſe monſtrans, inſerviet tibi hoc, qvod idem de *ſcuto Palladis* dicit: ASPECTU CONTENTA SUO. Etiam Ovidium in verbis argutè transferendis fœcundiſſimum reperies. Qvod idem de exilio ad amicum ſuum ſcribit:

Nam cum præſtiteris verum mihi ſemper amorem,
Hic tamen ADVERSO TEMPORE creſcit amor.

Tibi ſymbolum præbebit amoris perfecti, qvi in adverſitate magis elucet, ſi pingas *Pulegium* inter nives media hyeme efflorеſcens, cum hoc verbo: ADVERSO TEMPORE. Et qvod Achelous in varias formas ſeſe mutans dicit:

Inferior virtute MEAS DIVERTOR AD ARTES.

De Imperatore dici poſſet, qvi viribus inferior & ingenio ſuperior hoſtem ſtratagemate ſuperat. Et ſi qvis inſolentes & contumelioſas adverſariorũ minas armis caſtigaret, ſicuti Henricus Qvartus Angliæ Rex Perſii injurias: Et corpus & verbum ſymboli poſſet capere ex verbis *Herculis Archeloum reprehendentis*:

- - - MELIOR MIHI DEXTERA LINGUA EST
Dummodo pugnando vincam, tu vince loqvendo.

Et qvod idem ſcribit de celebri duce Vaſtali:

conſpicuus LONGE FULGENTIBUS ARMIS,
Fortia non poſſunt facta latere tua.

Conve-

Conveniret bellatori claro, ſi pingeres cultrum Delphicum, qvi cultri & lucernæ uſum præbuit. At mendacii ſymbolum ex eo decerpi poſſet, qvod idem de *fama* ſcribit: SUA PER MENDACIA CRESCIT. In Symbolum ejus qvi amore inſtigatus res heroicas geſſit, qvadraret id, qvod idem de Ciri dicit:

Conſeqviturq; rates FACIENTE CUPIDINE VIRES.

In aulicum qvi gratia excidit:

Non ſemper violæ, NON SEMPER LILIA FLORENT.

In bonum maritum qvi alienos filios pro ſuis imprudenter educat, congrueret id qvod idem de *inſitis* dicit:

SUCCOS ALIENO PRÆSTAT ALUMNO.

Nec minus fœcunda reperies Lucani Poëmata, in cujus ſcriptis acumen Hiſpanicum & paternum conjunguntur. In primo libro invenies hæc Cæſaris verba:

Viribus utendum eſt qvas fecimus: arma tenenti
OMNIA DAT QVI JUSTA NEGAT.

Qvod verbum gladio, qvem manus tenebat, in nummo argenteo adſcribi fecit Dux noſter Carolus Magnus eo tempore, qvo Hiſpani terras qvasdam in Monſerrato ab ipſo vindicatas concedere recuſabant. Cui cum ſucceſſiſſet Dux Victor Amadeus ſententia pia magis qvam invidioſa indicaturus fiduciam, qvam in cœleſti tutela ponebat, easdem acqvirendi: hujus principis mentem cum paterna & pietatem cum fortitudine conjunxi hoc verbo: NEC NUMINA DESUNT, qvod proxime ſeqvitur in eodem Lucani verſu.

Omnia dat, qvi juſta negat, NEC NUMINA DESUNT.

Qvo ipſo ad *beatum* illum ex regia hac familia principem, unde hic noſter nomen trahebat, reſpiciebatur, & revera terras illas conſeqvebatur. Legens porro illum alterum verſum;

Invida

Digitized by Google

Invida fortunæ ſeries ſummuſq́ negatum
Stare diu - - IN SE MAGNA RUUNT.

Poſſes applicare civilibus magni cujusdam imperii converſionibus pro corpore pingens *turrim Babelis.* Illa porro verba: NESCIA *Virtus* STARE LOCO ingenio bellicoſo convenirent inſcripta *globo ignito diſſilituro* in qvo ignis incluſus detineri non poteſt. Et hæc verba.

- - Lenta tuas TEMNIT PATIENTIA VIRES*

Conſtantiæ, ſymbolo *incudis inter malleos*, indicatæ. Et his: LASSO *jacuit* DEFECTA FURORE pingi poſſet cadaver pyroboli diſrupti & in terra jacentis, ut ſymbolum ſit inſolentis dejecti. Hæc porro: COELUM Mars SOLUS HABET convenirent regioni continuis bellis vexatæ ut Pedemontio, ſi pingeretur *Mars Sphæra inſidens.* Et qvi declarare vellet prudentiam Ducis Victoris Amadei, qvi pace Cherascenſi flammam belli per Italiam exſtinxit, depingere poſſet *incendium Phaethontis, & Padum* aqvam ei ingerentem, & verbum & corpus ab eodem Poëta mutuatus:

Hunc habuiſſe PARES PHOEBEIS IGNIBUS UNDAS.

Siqvidem ſecundum Poëtas ſolum hoc flumen totius mundi flammam exſtinxit. At ex iis verbis Cæſaris argutè de Romanis conquerentis:

- - jam non EXCLUDERE tantum INCLUSISSE volunt.

Præfectus urbi alicui obſeſſæ ſymbolum formare poſſet, qvo obſeſſoribus minaretur, gladiū & catenam pingens, cum verbo EXCLUDAM aut INCLUDAM. Relinqvam tuas tibi partes in jucundiſſimo hoc ſtudio ut intentiori meditatione legas *Silium Italicum, Horatium, Senecam, & maxime Poëtarum principem*, qvi inimitabilis Latinitatis pretio incomparabilis autoritatis pondus adjungit. Cujusmodi conſiderationes in tuo indice notabis tanqvam in ingenii horreo nunc diſſolutas, nunc ſub argumento qvodam diſpoſitas. Ut ſi tibi propo-

Digitized by Google

propoſuiſſes varios fortunæ luſus exprimere, qvibus conclave aut muſæum adornares: Separatim omne id notares, qvod legens themati propoſito applicare poſſes. Verba Lucani ſupra laudata:

INVIDA FORTUNÆ SERIES ſummisq; negatum
Stare diu.

Argumentum facere poſſunt qvadrati, in qvo fortuna cum malleis & dolabris turrim demolitur. Et hæc ejusdem: IMPATIENSQVE LOCI FORTUNA SECUNDI. Fortunæ regio ſolio inſidenti, unde virtutem dat præcipitem, adſcribi poterunt. Et hæc:

Sed qvo fata trahunt VIRTUS SECURA SEQVETUR.

Aliud qvadratum tibi dabunt, in qvo *virtus* ſuis armis onuſta *fortunam* per arctum ſpinoſumqve callem ſeqvitur. Et ab his:

DUM fortuna CALET, dum conficit omnia terror.

Argumentum ſumes fortunam pingendi in fabri ferrarii officina, in qva ferrum candens ſagitta percutit. Et in Horatio legens:

Fortuna ſævo læta negotio
LUDUM INSOLENTEM LUDERE PERTINAX.

Concipere poteris *fortunam* cum philoſopho chartis ludentem eiqve obvertentem eam, in qva *ſtultus* cernitur. Et aliud ejusdem dictum: SEU RATIO *dederit* SEU FORS *objecerit*, tibi exhibebit *virtutem* & fortunam ſortes urna extrahentes, qvas bellatori avide eas exſpectanti porrigunt. Legens poſtea hos Juvenalis verſus:

Qvales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit QVOTIES VOLUIT FORTUNA JOCARI.

Habebis verbum ad *fortunam* depingendam, qvæ *ſimiam* regiè veſti-

tam in alta Pyramide collocat, ex qva illud, qvod in eò turpiſſimum eſt, monſtrat. Et hoc Ovidii:

- - IGNAVIS PRECIBUS FORTUNA REPUGNAT.

Tibi repræſentabit Philoſophum in bibliotheca ſua flexis genibus manibusqve implicatis ſupplicantem & fortunam tergum ipſi obvertentem & recalcitrantem. Ad hunc modum ſine multo labore poteris ordinatam ſeriem ſymbolorum & verborum de argumentis ſeriis & jocoſis contexere, qvæ ab aliis qvacunqve ſint ingenii vi concipi non poterunt, cum vel una pagina totam hominis vitam ſibi vendicet.

INDEX CATEGORICUS.

QVartum genus exercitationis (ut diximns) inſtituitur beneficio INDICIS CATEGORICI. Arcanum verè arcanum, nova profunda & inexhauſta vena infinitarum metaphorarum, ſymbolorum argutorum atqve ſenſuum ingenioſorum. Ingenium enim (ut ſupra dictum eſt) nihil aliud niſi virtus penetrandi in objecta ſub diverſis categoriis altè recondita eaq; inter ſe componendi & comparandi. Unde gratia infinita noſtro autori debetur, qvi primus aditum hunc ad omnes ſcientias ſecretum aperuit, cum philoſophari aliud non ſit, niſi mente per omnes Categorias diſcurrere ad inveſtigandas notitias, aut etiam circumſtantias argumentis eliciendis idoneas, & qvi plurimum harum rerum tenet (31.) optimè philoſophatur.

(31.) Ar. 2 Rh. c. 23. nam quò plura eorum, quæ in re ſunt, habebis eò facilius demonſtrabis.

Svadeo igitur ut *libro te* inſtruas formæ maximæ, in qvo diſtinctis capitibus *categorias* jam indicatas notes. Veluti *ſubſtantias, qvantitates, qvalitates, relationes, actiones, paſſiones, ſitum, tempus, locum & habitum.* Hinc ſub cujusqve categoriæ ſignis ſeparatim diſtribues ejus membra cum titulis differentibus, & deniqve ſub qvoqve membro collocabis res illi ſubjectas. Res forte ardua atqve obſcura tibi videbitur, ſed opere ipſo evadet clara & perſpicua.

Sub Categoria ſubſtantiæ locantur *Deus ſummus & verus*, etſi omnem categoriam tranſcendat. *Perſona divina, idea, Dii fabuloſi*, alii ma-

majorum,alii minorum gentium, alii infimi, *Dii cœleſtes, aërei, maris, terræ, inferni, Pluto, Proſerpina furiæ, heroes*, id eſt homines in Deorum aut ſtellarum numerũ, relati *angeli, dæmones, lemures, cœlum omnesque ſtellæ* errantes& fixæ, *ſigna cœleſtia* eorumq; *conſtellationes, imaginesq;* ſphæræ octavæ, *Zodiacus* via ſolis omnesq; *circuli & ſphæræ* utut imaginariæ. *Aura ætherea* & qvatuor *elementa*, aut corpora ſimplicia,& qvicqvid in ipſis eſt,& qvicqvid mundus effingit. *Vapores* qvi ſunt fumi natura frigidi & humidi,ſed ex accidente calefacti: *exhalationes*, qvæ ſunt fumi frigidi & ſicci, ſed calefacti: utriqve inter elementa & mixta medium tenent. *Ignes*, ſphæra ignea, *ignes ſubterranei, ſcintillæ, aër*, ejusqve *meteora*, veluti *ſtellæ cadentes, cometa, faces, fulmina, venti, grandines, nives, pluviæ. Aqva, maria, flumina, fontes, lacus, ſcopuli. Terra, campi, prata, ſolitudines, montes. colles, promontoria, valles, præcipitia.* Corpora *mixta inanimata, lapides, marmora, gemmæ, metalla, mineralia. Plantæ, herbæ, flores, virgulta, arbores, corallia. Animalia, terreſtria feræ, aqvatilia, aërea, aves, monſtra. Homo, fœmina hermaphroditus.* Porrò ſubſtantiæ *artificiales* hoc eſt opera cujusq; artis, veluti ſcientiarum *libri, calami, atramentum.* Mathematicarum, *globi, mappæ, pyxides nauticæ, norma.* Architecturæ, *palatia, templa, tuguria, turres, munimenta.* Rei militaris *arma, ſcuta, gladii, tympana, buccinæ, ſigna, tropæa*, & ſimilia. Picturæ & ſculpturæ *tabulæ, penicilli, colores, ſtatuæ, ſcalpra &c.* Artis fabrilis *ſecures, ſerra, machinæ. &c.* Atqve ſic in aliis. Præter has *ſubſtantias phyſicas* ſunt etiam *metaphyſicæ*, veluti *genus, differentia, ſpecies, proprium, accidens* in genere, *nomen, cognomen* ſimilesqve notiones. Debes enim obſervare ad metaphoras magis facere accidentia qvam ſubſtantias ut videbis.

Categoriæ QVANTITATIS includuntur hæc *membra*: qvantitas molis, *parvum, grande, longum, breve*; qvantitas numeri: *nihil, unum, duo tres &c. multa, pauca:* qvantitas ponderis: *grave, leve:* qvantitas æſtimationis: *pretioſum, vile:* qvantitas in genere, *menſura, pars, totum, perfectum, finitum, infinitum, diviſibile, indiviſibile, proportionem aliqvam vel nullam habens, majus, minus, æqvale.*

Categoriæ QVALITATIS hæc *membra* ſubjacent: qvalitates ad viſum pertinentes: *viſibile, inviſibile, apparens: pulchrum, deforme, clarum, obſcurum, album nigrum, purpureum viride, &c.* Ad auditum:

ſonus, *ſilentium*, *ſonus gratus & ingratus.* Ad odoratum: *odor ſvavis & fœtidus:* ad guſtum: *ſapor bonus & malus:* ad tactum: *calidum*, *frigidum*, *rarum*, *denſum*, *ſiccum*, *humidum*; qvalitates figuratæ *rectum*, *curvum*, *rotundum*, *qvadratum*, *triangulare*, *acutum*, *obtuſum &c.* Qvalitates extrinſecus denominatæ: *fama*, *infamia*, *honor*, *ignominia*, *fortuna*, *infortunium.* Qvalitates internæ: *naturales*, *ſanum*, *infirmum*, *jucundum*, *moleſtum.* Qvalitates paſſivæ: *lætitia*, *triſtitia*, *amor*, *odium*, *ſpes*, *timor:* qvalitates intellectuales: *ſapientia*, *ignorantia*, *ars*, *inertia*. Qvalitates morales: *virtus*, *vitium.*

Ad Categoriam RELATIONIS pertinent *cognationes*, *ſocietates*, *amicitiæ*, *ſympathia*, *inimicitia*, *antipathia*, *ſimile*, *contrarium*, *ſuperius*, *inferius*, rerum cauſæ *efficiens effectus*, *materia*, *forma*, *finis*, *privatio*, *nomen* aut *tituli*, *veritas*, *falſitas.*

Circa ACTIONEM & PASSIONEM *potens*, *impotens*, *facilis*, *difficilis*, *nocens*, *juvans*, *utile*, *damnoſum.* Operationes naturales: *producere*, *nutrire*, *&c.* Operationes politicæ: *regnare*, *judicare*, *bellare*, *&c.* Actiones ceremoniales: *feſtivitates*, *funebria*, *ſacra.*

Circa SITUM *altum*, *humile*, *planum*, *jacens*, *pendens*, *decuſſatum*, *dextrum*, *ſiniſtrum*, *medium*, *intus*, *extra.*

Circa TEMPUS *durabile*, *momentaneum*, *novum*, *vetus*, *incipere*, *finire.*

Circa LOCUM *capax*, *incapax*, *plenum*, *vacuum* Motus *velox*, *lentus*, *directus*, *obliqvus: ex loco*, *circa locum*, *in locum.*

Qvantum ad HABERE *pauper*, *dives*, *veſtitus*, *inſignia*, *arma*, *ornamenta*, *inſtrumenta.*

Tot itaqve ſunt cujusqve categoriæ *membra*, & ſuam cuiqve membro deſtinabis paginam, in qva res omnes ſub illa categoria comprehenſas notabis. Et ut intelligas, qvem uſum tibi præſtet index hic categoricus, afferam pro exemplo argumentum, in qvo velles argutari. Videlicet nanum aut hominem exiguum qvi poſitus eſt ſub categoria QVANTITATIS, qvæ prima eſt accidentium. Sub titulo igitur RERUM PARVARUM reperies hæc,

EXIGUA.

Angelus, qvi in puncto verſatur, *ſpiritus indiviſibiles*, *formæ incorpo-*

Digitized by Google

corporea, qvæ ſunt res ſupra cœleſtes. Res cœleſtes, *polus* ſeu punctum ſphæræ immobile, *Zenith*, *Nadir*.

Elementares *ſcintilla ignis*, *aqvæ gutta*, *ſcrupulus lapidis*, *granulum arenæ*, *gemmæ*, *atomus*, *ex qva ſecundum Democritum omnia componuntur: minutiſſima particula*, *qvæ inter radios ſolares in conclavibus perſpiciuntur*, *qvinta eſſentia*, *extractum*.

Humanæ *embryo*, *abortus pygmæus*, *nanus*, *infans*, *auricularis*, *unguis*, *pilus*, *pupilla*, *nævus*, *aſtragalus* ſive os *parvum*.

Animales *formica*, *pulex*, *pes muſcæ*, *aculeus apis*, *culex*, *regulus avis*, *piſciculus Arni*, *Acarus*, animalculum minimum, *ſqvama piſcis*, *ovum lacerti*, *nidus papilionis*.

Plantæ *ramus*, *ſemen ſinapis*, *gluma frumenti*, *acinus uvæ*, *farina*, *mica panis*, *hilum fabæ*, *acumen ſpicæ*.

Scientiæ, *punctum mathematicum* qvod lineam terminat, *punctum qvo ſphæra planum attingit*, *centrum extremum*, *indiviſibile phyſicum*, *nota verborum*, *litera*; *ſyllaba brevis*, *epitome*, *liber in forma ſexta decima ligatus*, *nota nullius*, *digitus geometricus*, *nota brevis muſicorum*, *diminutivum aut verbum contractum grammaticorum*, *libræ æqvamentum*, *drachma pharmacopœorum*.

Militares *criſta galea*, *umbo clypei*, *ſagitta acies*, *baliſtæ ſignum*.

Architecturæ, *Armarium*, *ſcrinium*, *pyramidis faſtigium*, *exemplar*, *columna Tuſca*, *cardo portæ*.

Picturæ & ſculpturæ *lineamenta*, *compendia*, *pupæ*, *pictura contracta vel ſcenographica*.

Mechanicæ *cardo*, *clavicula*, *limatura*, *pulviſculus*, *clepſamidii ſtilus*, *teſſera*, *cribri foruli*, *feſtuca*, *fragmentum*. Laneæ *nodus fili*, *caput*, *acies*, *foramen acus*, *pannus*, *titivillitium*.

Fabulæ *Pſicharpax* Imperator murium adverſus ranas, *myrmidones* formicarum filii, *muſculus* qvem mons parturiit, *ovum Ledæ*.

Hiſtoricæ *formica eburnea Callicratis*, *qvadriga Myrmecydis*, *qvæ ala muſcæ tegi poterant*; *Apollo & novem Muſæ in Pyrrhi Achate. Gigas Timantis* in exiguam tabellam contractus, *linea Apellis*, qvam ad extremam ſubtilitatem perducere laborabat.

Jam ex qvocunqve horum ſubjectorum poteris metaphoras aut ſimplicia ſymbola rerum exiguarum deſumere, ut ſi *homunculum* jocoſe dicas *naturæ ſcrinium*, *infantium popam*, *hominis epitomen*,

hominem in compendio. Atqve ſimilia talia, qvæ tu per te indicem ſuperiorem legens facilè poteris excogitare. Eadem ratione ſub titulis rerum MAGNARUM, atqve aliis omnibus titulis deſcripta habere debes ſubjecta eo pertinentia, atqve ex omnibus ſylvæ integræ *metaphorarum ſimplicium* naſcentur.

Sed ut *propoſitiones argutas & enthymemata* inde colligas: neceſſe eſt ut aliam diligentiam majoris ingenii nec minoris difficultatis adhibeas, qvo proprietatis illius exceſſum exprimere magnaqve evidentia ante oculos ponere liceat. Cujus rei ratio hæc eſt: *Indici* cujusque membri, qvi ſecundum claſſes *ſubſtantiæ* diſpoſitus, ſubjicies alium *indicem*, qvi ſecundum *categorias* ordinetur; qvi aut ad ſymbola aut ad dicta aut ad Epigrammatum clauſulas aut ad continuas amplificationes proderit. Et ne recedam à propoſito exemplo, abſoluto indice EXIGUI inchoabis hunc alterum ex omnibus categoriis decerptum.

PRÆDICATIONES DE REBUS EXIGUIS.

Ex Qvantitate: *qva re menſuretur, ſitne res in mundo unica an rara, qvanti ſit ponderis, valoris qvas partes habeat, ſitne pars an totum, ſitne diviſibilis, cui rei proportione reſpondeat, qva re ſit major an minor.*

Ex Qvalitate: *ſitne viſibilis, & qvam procul, qvam deformitatem aut pulchritudinem habeat, qvem colorem, qvantum ſonum, odorem, ſaporem, ſit ne ſenſibilis aut tangibilis, ſitne rara an denſa, calida an frigida, quam figuram, qvem affectum timorem, amorem, qvam artem aut ſapientiam ſanitatem vel infirmitatem habeat, ejusne detur ſcientia.*

Ex relatione: *cujus ſit parens, cognatus, filius amicus, inimicus, ſimilis an contraria, ſitne materialis, qvam formam habeat, cui fini ſit nata, ſine eo qvid foret, ſitne cauſa vera, falſa an imaginaria, ſit ne res ſubſtantialis an accidentalis, ſenſitiva, vegetativa, an rationalis, qvod ſit nomen ejus, & qvomodo ipſi conveniat.*

Ex actione & paſſione: *quantum poſſit vel non poſſit, cui proſit vel obſit, qvam artem calleat, qva re nutriatur, qvid pace bellove valeat, cui ſolennitati ſervire poſſit.*

Ex ſitu: *in qvali ſitu ſit poſita, alto an humili an jacente.*

Ex tempore: *qvando ſit nata, qvamdiu duret, ut vivat, ut mori aut finire debeat, ſitne res nova & inaudita.*

Ex

Ex loco: *qvantum ſpatium occupet, cujus ſit capax, qvam patriam qvod hoſpitium habeat, à qvo poſſit capi & circumſcribi, num moveri poſſit & qvomodo.*

Ex habitu: *qvis habitus illi conveniat, qvæ inſignia, qvæ arma, qvæ inſtrumenta, ſi cujus rei inſigne eſſe poſſit.*

Qvod ſi itaqve *rem parvam* tibi propoſueris, de qva argutè dicas: præter *metaphoras ſimplices* qvas primus index tibi ſubminiſtrat, infinitam argutarum propoſitionum copiam in ſecundo indice ſecundum capita ibi annotata reperies. Cui rei totum volumen inſerviet, ſicuti ei, qvi latine ſcripturus eſt, totum dictionarium, dummodo eo uti ſciat. Primum *caput* eſt, *qva re menſuretur.* Confer te ad titulum MENSURA in Categoria *Qvantitatis* & minimam menſuram invenies *digiti Geometrici*, dices igitur *ad metiendum illud corpuſculum menſuram nimis immenſam eſſe digitum Geometricum.* Atqve ſic etiam in aliis capitibus verſaberis, cujus exemplum tibi dabo in ſchediaſmate hoc latino, per omnes categorias diducto. Duas vero res te admoneo, primum ſicuti non omne granum terræ mandatum germinat: ſic nec omnia hæc capita propoſitiones utiles & acutas proferent. Unde in delectu debebis inutiles & frigidas removere. Deinde non adeo ſtrictè ordini propoſitionum aut categoriarum te adſtringes, qvin pro arbitrio anteponere, poſtponere, alteram alteri miſcere, ubi videbitur, poſſis, cum judicium comes ingenii individuus eſſe debeat. Illud certum eſt, qvascunqve *propoſitiones* inſeqventi exemplo leges, omnes ex primo aut ſecundo *indice* defluxiſſe cernes.

DE PUSIONE NANO.

Qvem vides, imo qvem non vides PUSIO eſt, homo ſuo nomine brevior, embryo verius qvam homo, vel homuli fragmentum, cui metiundo geometricus digitus longe ſit immenſior. Infuſis per feneſtram radiis grandiores pervolitant minutiæ, talium puſionum ſi clepſydram impleas, tenui fluxu horas diriment, propius inſpice, nec artus numerabis nec membra, pes eſt ubi caput, unde incipit, ibi deſinit, lineam diceres in puncto, punctum in linea. Qvanti veniret tam rara parvitas ubi ineptiæ ſunt in pretio. Sanè majora ſubhaſtari poſſunt non minora: rerum minimarum phœnicem *A Qvantitate.*

nicem publicari putes. Hunc ſi alloqveris, anhelitum preme, ne afflatu diſfletur, ſi corruat nec lædi poteſt nec lædere, adeo nec onus eſt nec oneri.

A Qualitate. *Deformis an elegans, furvus an fuſcus ſit neſcias. Tantillæ ſubſtantiæ neſcit color hærere, eſſe tamen fateare neſcio qvid, hilo ſimile puſillisve maculis, qvas fucata puëlla pro nævo gerunt in gena. Mirum: tam parva res vocem edit ac ſonitum: nocturnis culicibus ſimilis, qvos audis non vides. Iratum caveto: ſcintilla eſt puſilla & ardens, vel ſinapis granulum parvum ſed pravum.*

à Relatis & Cauſis. *Sunt qvi affirmant Ledæo ex ovo genitum, ſunt qvi ridiculum Æſopici montis fœturam vocent, utrumq; falſo. Nam puſioni comparatus mus mons eſt, & lacerta ovulum pantheon. Alii myrmidonia putant ex formica natum, ſed nihil ſecius: nam longe grandiores formicarum partus erumpunt. Sola hujus genitrix concepto fœtu non tumuit, neqve cum peperit ſe matrem ſenſit. Qvid ſi nubat? ſanè ſi pari nubat, atomum atomo junxerit hymenæus, ac ſi thalamum fœcundet, duo tantuli NIHILUM gignent. Nugari voluit repuerascens natura, talem ſibi pupam molita, vel in oſtentum ingenii hominem contraxit in epitomen. Formicam ex ebore ſudavit Callicrates, qvam videre non erat, Myrmecides currum qvem abderet muſca, utriusqve diligentiam natura vicit, artis gloriam affectans maxima in parvo. Eburneus ſit an carneus, haud ſatis liqvet fallente oculos materia. Qvicqvid eſt ad perfectum hominem nihil deeſt. Materiam dixeris ſine forma, formam ſine materia, corpus ſine corpore, qvod Sophorum barbara claſſes ENS vocarent RATIONIS, hoc eſt figmentum ingenii.*

Ab actione & paſſione. *Conjice qvas vires habeat vix verus vir, ne cum muſca qvidem certaverit æqvo marte. Nullo tamen victricis præmio cum ſangvinis non habeat, qvod ſorbeat muſca. Agere nihil poteſt, ſed nihil pati, ignem non pavet nec gelu, qvi neqve rareſcere poſſit, neqve denſari. Invictus æqvè miles & pugil, munitus qvia minutus, qvem ſua parvitas pugnis intactilem, ferro inſectilem facit. Obſeſſus obſidium ridebit, cui unica hordei uncia in annum ſufficiat.*

A tempore. *Qvam degat ætatem rogas? ſeculum Neſtoreum facile tranſiliet morti inobſervatus, qvæ certius in majora collineat, qvanqvam cum homo ſit & non homo jam vitam inter ac lethum medius tendet. Majori periculo eſt bruma, dum pygmæis inimicæ volitant grues. At ſi diris calculis ſuſpendium puſioni decernas: arachnes carnifex erit & laqveus filum.*

Sedeat,

Sedeat, an ſtet, an jaceat dubites, in puncto planitiem tangit. Hunc in ſubula acumen indue, acumini accreſcit nihil. Hunc rheda impone, proceriorem aurigam myrmecidis auriga ſenſit. In Pyrrhi Achate major Apollo ſedit inter Camœnas. Eqvo imminens nihil eminet, craſſiora corpuſcula jumenti è dorſo eqviſones dentata diſtringunt ſtrigili. *A ſitu.*

De domicilio qværitas? nimis amplum theatrum foret limacis cochlea, in cochleari naufragabitur ut in oceano, in frumenti gluma pilâ ludet, per acicula forulum triumphum aget, felix latro, qvem neqve arcere poſſis neqve coërcere, ferrum non rumpet at erumpet, apparitoribus non apparens, abeat, redeat, ambulet, redambulet, ultro citroqve hoſtilia caſtra & aciem diſcurrat, ubiqve apertus, ubiqve opertus, clandeſtinus in turba exploratorem aget ex tuto. *A loco & motu.*

Qvale induſium tam minutulo corpori? acinaceum paſſæ folium braccas dabit, manicas, caracallam, pallium, abollam, ac dimidio majus ſupererit pro baſilico ſyrmate. Qvod ſi armigerum malis, Arnici piſciculi ſqvamulam pro clypeo induet, ariſta acumen pro lancea, arenula micam pro lorica. *Ab habitu.*

Qvid multa de modico? hunc alii galeæ criſtam, baliſtæ ſignum, clypei umbonem, menſæ analectum, auricularis ungviculum, pedis aſtragulum appellant. Sed ſuperba hæc nomina. Alii cumini ſemen, arenæ ſcrupulum, aciculæ caput, limæ ramentum, areæ pulviſculum, pulicis pupillam, acari particulam, ſed nimis adhuc adulatorie! Plus dicunt qvi minus dicunt. Nonæ literulæ apicem vocant alii, brevem poetarum ſyllabam, libræ æqvamentum, Democriti atomum, impalpabile momentum, Mathematicorum individuum, Arithmeticorum nihil. Sed nondum acu. Vis doceam qvid ſit parvus homo? MAGNUM MALUM. *Metaphoræ conglobatæ.*

Ad exemplum hujus *tituli* ſine multo labore jam progredieris in *primo indice* omnes res *magnas* eodem ordine notans, hinc omnes

res *longas*, *breves*, *&c.* & omnes res *unicas*, *ut Deum ſolem*, *monarcham*, *phœnicem &c.* & omnes res qvarum *duplex eſt numerus*, *ut duo poli*, *duo tropici*, *duo oculi*, *duæ columnæ Herculis &c.* Similiter in Categoria *Qvalitatis* omnes res *inviſibiles*, *& apparentes*, *pulchras aut deformes*, *claras vel obſcuras*, omnia *alba ut viam lacteam*, *nivem*, *pruinam*, *faciem nitidam*, *lac*, *cygnum*, *lilium*. Eandem collectionem inſtitues in *relatione & actionibus*, ex qvibus pulchræ & vividæ metaphoræ verborum naſcuntur. Et deniqve omnia alia membra ſic deſcribes, & ſingulis ad propoſitiones formandas, *indicem ſecundum* ſubjicies. Sic primus index ubiqve erit diſſimilis, at ſecundus ſemper idem erit, mutata tantum applicatione ad materiam & dicendi ratione. Ad hunc modum, acumen ingenii exercere poteris in formandis metaphoris, torqvendis Enthymematis, & ſymbolis argutis, in qvocunqve argumento pingendis. Sicuti enim omne ſymbolum aliqvam *proprietatem* exprimit, omnis vero *proprietas* neceſſario ad aliqvam categoriam reducitur: ita ad categoriam illam in tuo *indice* diſpoſitam decurrens ſylvas integras elegantium ſymbolorum argutorumqve ſenſuum produces.

Ultimum genus exercitationis reliqvis omnibus efficacius & ingenioſius eſt IMITATIO. Hæc fuit priſca omnium hominum magiſtra, qvibus natura videtur parum æqva fuiſſe, dum alterum alterius hominis diſcipulum eſſe voluit, cum animaliū illa ipſa ſit magiſtra. Loqvi, ambulare, natare, cantare, ſcribere ſola imitatione diſcuntur. Virtutes moresqve civiles in cera animi teneri ſola patrum & educatorum imitatione imprimuntur. Deniqve artes omnes tam fabriles qvam liberales ab exemplaribus optimorum artificum cognoſcuntur, atqve hi illas (adeo iniqva fuit natura) animalium imitatione didicerunt. Arcum tendere docuit *hiſtrix*, architecturam *apes*, navigationem *cygni*, muſicam *luſciniæ*, picturam *umbræ reflexio*, ita ut imitatio dici poſſit *magiſtrorum magiſtra*. Hæc igitur (ut (32.) autor noſter ſapienter docet) prima fuit poëſeos inventio, cujus anima in imitando poſita. Et qvoniam (33.) metaphora atqve adeo

(13.) *Ar. Poët. c. 19. Cæterum à duabus cauſis & quidē naturalibus videtur poëtica habuiſſe principium, nam & inſitum eſt natura hominibus imitari & primas diſciplinas imitando acquirunt.*

(33.) *Ar. 3. Rhet. c. 1. Cœperunt autem ſicut natura poſtulat id primo poëtæ movere: Metaphorica enim nomina imitationes ſunt.*

adeo argutiæ omniaqve ſymbola partus ſunt, parteſqve poëſeos: neceſſe eſt ut his qvidem IMITATIO ſit certiſſima & maximè neceſſaria præ reliqvis exercitatio. Illud certum eſt imitari non eſſe metaphoris uti & argutiis, qvas vel audieris vel legeris, ex qvibus non laudem imitatoris ſed opprobrium invaſoris referes. Apollinem Praxiteles non imitatur, qvi ſtatuam illius ex horto, in qvo ſita eſt, in domicilium ſuum transfert, ſed qvi aliud ſaxum eadem proportione effingit, ita ut Praxiteles illud intuens admirabundus poſſit dicere: *Hic Apollo non eſt meus, & tamen eſt meus.* Prærerqvam qvod etiam *novitas* cuicunqve partui arguto eſt neceſſaria, ſine qva admiratio minuitur, & cum admiratione gratia & applauſus. Voco itaqve IMITATIONEM ſagacitatem, qva propoſita qvadam metaphora, aut alio humani ingenii flore, attente radices ejus conſideras, & in alias Categorias, tanqvam in ſolum fœcundum transferens, alios ejusdem ſpeciei ſed non ejusdem individui flores propagas. Unum exemplum abunde te inſtruet.

Nemo eloqventiam vel à limine ſalutavit, qvin ſæpius Rhetoricam hanc figuram audiverit: PRATA RIDENT, hoc eſt *prata vernant, ſunt amœna.* Hæc qvidem non eſt integra argutia ſed metaphora ſimplex, fœcunda tamen genitrix argutiarum innumerabilium. Eſt itaqve elegans *flos Rhetoricus*, ſed flos qvi hodie defloruit, atqve adeo in ſcholis contritus eſt, ut putere incipiat. Qvare ſi in oratione aliqva velis, hanc metaphoram adeò nudam jactare: PRATA RIDENT: homines ridere non prata cerneres. Sic riſum nobis exprimit qvando audimus *liqvida cryſtalla & radios Phœbi*, ſed hæc metaphora rejuveneſcet, ſi conſideratis ejus radicibus eleganter illam variaveris. Prima radix eſt, vocem RIDENT eſſe partem orationis, ſcilicet verbum neutrum abſolutum. Hinc poteris leviter atqve eleganter illam variare in alios modos Grammaticos eam deflectens & in nomen ſubſtantivum transferens: *jucundiſſimus pratorum* RISUS: in cumulativum: RIDIBUNDA *vidimus prata.* In participium *vernant prata* RIDENTIA: In adverbium: RIDENTER *prata florent.* In Gerundium RIDENDO *nos excipiunt prata:* In freqventativum: *ſuaviſſime* RISITANT *prata.* In abſtractum: *pratorum* RISIO *oculos beat.* In ſuperlativum: RIDENTISSIME *prata gliſcunt.* In diminutivum: *nos dulci* RISULO *prata pelliciunt.* In

denominativum: RIDICULA *prata*. Et in compoſitum: *Sub æquinoctium leviter incipiunt SUBRIDERE prata.* Sic vides forma grammatica tantum mutata hanc metaphoram eſſe eandem & non eſſe eandem, veterem in ſubſtantia, & novam in modo.

Altera *radix* eſt localis, hoc eſt vocem RIDENT aliqvid ſignificare, unde illam variare poteris aliis ſynonymis & affinibus in hunc modum: *Pratorum HILARITAS homines hilarat, vere novo LÆTA ac feſtiva exultant prata. Blande prata GESTIUNT, lepida pratorum ALACRITAS. VULTUM jam EXPLICANT prata*, & græca voce: GELASINUM *agnoſces in pratis.* Præterea voces abſtractæ & fabuloſæ huc faciunt: RISUS *&* CHARITES *libero pede prata perſultant.*

Tertia varietas à vocibus relativis proficiſcitur, cum poſſis condere metaphoram *correlativam, reciprocam, contrariam, privativam & ſimilem.*

Correlativa erit ſi dices: *Ridenti juventa* ARRIDENT *prata.* Reciproca: ſi, qvemadmodum alii amœnitatem vocant *pratorum* RISUM, ſic tu riſum voces AMOENITATEM *faciei.* Contraria, ſi qvemadmodum alii amœno prato riſum tribuunt, ſic tu ſterili mœſtitiam tribuas: *hac in ſolitudine* MOESTISSIMA *videres prata. Sub Canopo ſqualida ubique prata* LUGENT. Privativa erit, ſi riſum hominis pratis qvidem tribuas, ſed proprietatem aliqvam auferas, qvæ cum riſu humano conjuncta eſt. *Prata RIDENT ſine ore, riſus eſt ſine cachinno.* Similis erit deniqve, ſi, qvod alii prato tribuunt, tu partibus ejus tribuas puta *ripis, herbis, floribus. Virides rident RIPÆ, læta exultant GRAMINA, fragrantiſſimi rident* FLORES. Et ſimiliter de omnibus terræ partibus idem affirmare poteris: *alma ridet TELLUS, rident SEGETES, VINETA rident, rident floripara* VALLES. Qvin ſicut pratorum riſus perfectionem qvandam in iis denotat, qvæ intuentes recreat, ſic rem omnem, qvæ alium recreat & oblectat, *ridere* poteris dicere: *veliſicantibus nautis ridebat MARE, ridente COELO perreximus.* Etiam *ſi* res ſint inanimæ. *Tibi ridet* FORTUNA.

Ecce qvot metaphoras una ſola metaphora pariat, qvæ omnes unam proprietatem ſignificant. Qvod ſi nunc proprietatem illam riſus pratorum cum *antecedentibus, concomitantibus, conſequentibus,* combi-

combinaveris, tot *propoſitiones & enthymemata arguta* inde propullulabunt, ut non ipſa prata vere novo tot flores proferant. Antecedentia voco cauſas hujus riſus metaphorici; videlicet ſolis à Tropico hiberno reverſionem ad ſignum arietis, ſpirantes Zephyros, terram fœcundantes: tepidos ventos Auſtrales, pluvias veris, fugam nivium, ſementem Autumni. Hinc ludens dices: *Amico* SOLI *prata reditum* GRATULANTUR. Vis ſcire cur prata rideant? PHRYXEI ARIETIS *cornibus petitum Boream irrident, tepentis ZEPHYRI proritata blanditiis prata ſolvuntur in riſum. Suaviſſimis AUSTRI delibuta ſuaviis ſubrident prata. Dubitas cur prata rideant?* IMBRIBUS *ebria ſunt. Excuſſis* NIVIBUS *prata reſpirant. Vomeribus fracta, vulneribus fœcunda tellus, quod lugens CONCEPERAT ridens parit.* *Concomitantia* voco ea, qvæ eodem tempore contingunt, qvo prata rident. Tunc Favonius ſpirat, terra panditur, plangunt hirundines, aves concinunt, rores cadunt, paſtores lætantur. Hinc alterum cum altero conjungens has propoſitiones procreabis. FAVONII *ſuſpiria rident prata. Ludente Flora tellus riſu* FATISCIT. *Dum garrit PROGNE prata rident. Rident arva dum modulantur* AVICULÆ. *Tam effuſe prata rident, ut ROSCIDAS exprimant lacrymas. Pratis LACHRYMÆ cadunt gaudio. Certat cum PASTORUM alacritate pratorum alacritas.*

Conſeqventia deniqve voco effectus amœnitatis pratorum: videlicet paſturam armentorum, ſpem agricolarum, cadere ſub falcem, radiis ſolis exareſcere. Hinc dicere poteris: *Grato riſu avios* GREGES *invitant prata.* AGRESTIUM *votis arridet tellus. Heu brevis voluptas! ſubito* PALLORE *funeſtatur pratorum riſus. Ridentibus pratis* FALX *dira ſupervenit. Læta pratorum juventa ad letum properat,* eodemqve necatur SOLE *qvo naſcitur.*

Vides qvam copioſam metaphorarum venam in una Metaphora tibi recluſerim, copioſior inde proveniet ſi profundius ſcrutaberis. Nam ſi pratis riſum hominis concedis cur non iiſdem ea qvæ riſum comitantur tribuas? Si riſus ſubjectum eſt facies, eleganter dices: *pulcherrima pratorum* FACIES. Si faciei ſua ſunt membra etiam dices: *Tondentur falce virides pratorum COMÆ. CRINITA frondibus prata virent, micantes pratorum* OCULI *flores, gregibus pandunt prata* SINUM. Et qvoniam ridere eſt naturalis

paſſio: hinc qvamcunqve naturalem paſſionem ab homine ad prata transferre poteris dicens: MIRANTUR *prata ſuas opes, agra tellus morantem* SUSPIRAT *zephyrum, amici ſolis reditum* SPERAT. *Boream prata* PAVENT. &c. Qvodſi illa reddis affectuum non expertia: neceſſario virtutis qvoqve & vitii facies capacia. BENEFICA *tellus nativas ſuas opes gregibus indulget.* INGRATUM *colentibus ſolum.* INOBSEQVENS *alumna tellus cultorum ſpei minimè reſpondet. Vere novo prata* LASCIVIUNT. CEREBROSUS *ager domari neſcit. Terra* CICUR & MITIS *aratro.* Et ſimiliter virtutes & facultates intellectuales ut ingenium ſapientia, artes. *Mira pratorum* INGENIA *in herbarum florumqve varietate.* SAPIENTISSIMA *tellus ſingulis hominum morbis ſingulas herbarum virtutes excogitavit. Ingenioſa* OPIFEX *terra phrygiata floribus periſtromata ſine radio* TEXIT: *ſine acu* VARIAT: *ſine penicillo* PINGIT. Si itaqve terræ actiones morales tribuis, cum eadem naturales communicare conveniet veluti *concipere, parere, nutriri, qvieſcere,* &c. Argutè igtur dices *alma parens* tellus *felicia* CONCIPIT *ſemina, marito fœta zephyro partus odoratos* PROGIGNIT. COELEBS *ibi terra nullo violatur aratro. Genialibus toris Cereales partes* INNASCUNTUR. *In Aqvilonari ſolo planta* GIGANTESCUNT. *Nova herbarum pubes* SOBOLESCIT *rivo* LACTATUR. *Virentes alumni materno pratorum gremio* EDUCUNTUR Matutina *roſcidum nectar* EBIBUNT *prata. Favonio* NUBENTIA *prata, Divitem gemmantium florum dotem pendunt. Noctu* CONSOPITA *pratorum lilia ſurgente aurora* EXCITANTUR. *Æſtivis laſſata laboribus per brumam prata* REQUIESCUNT. Qvin & vocabula ætatum humanarum appoſitè transferuntur. *Vere novo nova pratorum* ÆTAS, *læta herbarum* INFANTIA *ludit, unius horæ momentis* ADOLESCUNT, SENESCUNT, OCCIDUNT *roſæ. Effœta prata nivibus* CANESCUNT, *Hieme* PEREUNT, *vere novo* REDIVIVA. Deniq; habitus inſignia inſtrumenta humana metaphorice terræ conveniunt. *Qvam raptor* SPOLIAVERAT *Boreas liliato ſyrmate,* CONVESTIT *Zephyrus terram præpoſtere inſaniens tellus æſtivo tempore* VESTES *induit, hyberno exuit. Viridi inſtructa* PALUDAMENTO *tellus triumphat.* BACCATA *rore* CORONATA *floribus prata genium ſolvunt. Hic horrentibus dumis* ARMANTUR *prata. Jam* HASTATI *late ariſtis militans*

Digitized by Google

militant campi. Brevi: percurre totum indicem Categoriarum ſupra laudatum, & ſicut ex qvalibet voces homini propriæ ducuntur, ſic easdem figurate pratis terræqve tribues.

Qvin non *metaphoras* ſolam & *propoſitiones argutas* ſed etiam *ſymbola ingenioſa* hinc poteris formare vivos earundem metaphorarum, qvas diximus, colores deſumens. Qvod ſi igitur oculis velis exhibere *amœnitatem terræ*, poteris depingere *puellam* RIDENTEM viridi VESTE indutam MARGARITIS tanqvam rore diſtinctam, cum frondium COMIS, florum SERTIS, cum ZEPHYRIS alatis & roſa coronatis ludentem, ipſisqve vicinum ARIETEM cum aureo vellere, qvi illas intueatur. Et pro contrario ſymbolo terram ſterilem poteris depingere forma *vetulæ plangentis* pallidæ, rugoſæ & macræ, *comis* inſtar ramorum frondibus nudatorum nigra *veſte* ſemiinduta, ſed nive polluta, *Boream* canum & ferum ſenem cum faſce ſpinarum illam flagellantem & *Capricornum* cœleſtem qvaſi cornibus illam *petentem.* Ecce qvam fœcundum ingenium humanum virtute *imitationis* reddat metaphora, forte ulterius procedi non poſſe putas, ſed idem hic ampliſſimus campus in alium æqve ſpatioſum & ſpecioſum te deducet ubi cum jam ad finem perveniſſe tibi videris, denuo translatis & argutiis ludere incipies à ſola *analogia* (34.) depromtis, hoc eſt à *metaphora ex proportione* reſultantibus. Nam ſicuti amœnitatem vocaſti *riſum pratorum*, ſic riſum humanum (ut dicebamus) potes vocare *amoenitatem vultus*, atqve adeo voces omnes *pratis, floribus terræ* convenientes transferri poſſunt eleganti metaphora ad perſonas una cum *relativis*, *contrariis & ſimilibus*, atqve in omnes *grammaticas formas*, qvas diximus converti, *propoſitiones argutæ* cum *antecedentibus*, *concomitantibus & conſeqventibus* illa conjungendo fabricari, & deniqve infinita *ſymbola & emblemata* conſtruere, ſi hominibus proprietatem plantarum accommodaveris. Poſſem hic novum exemplorum Catalogum tibi retexere, ſed operam hanc tibi ipſi tuo commodo peragendam relinqvo, cum mihi pergendum ſit ad intima hujus artis ingenioſæ arcana, & diſſerendum de

CAU-

Digitized by Google

CAUSA ARGUTIARUM FORMALI QVANTUM AD FIGURAS.

Cap. IV.

IN omnibus argutiis eſt FIGURA, ſed non omnis figura habet *argutias*. Iſtæ figuræ proprie vocantur argutæ, qvæ habent SIGNIFICATIONEM INGENIOSAM. Qvin ne omnes qvidem ingenioſæ ſignificationes regiæ argutiarum ſtirpi merentur inſeri, ſed illæ demum qvæ altos natales ab illuſtriſſima & nobiliſſima ingenii parte ducunt. Hoc diſcrimen, Lector prudens, me inducit, ut veram Rhetoricarum FIGURARUM genealogiam tibi retexam, non ſolum ut à reliqvarum vulgo illam unam ſegregem, qvæ una nobis hoc libro eſt propoſita, ſed qvia eadem à reliqvis omnibus tanqvam ancillis domeſticis coli vult & obſervari. Sicut enim ars ſymbolica ex *corpore & anima* conſtat, hoc eſt, imaginibus & verbis ſic etiam verba continent omne genus *dictorum argutorum*, *aculeatarum reſponſionum*, *inſcriptionum ſeu ligatæ ſeu ſolutæ orationis*, *Epigrammata*, *ſtatuis vel picturis ſubſcripta*, *titulos tumbarum arcuum*, *tropæorum*, *dedicationes ædificiorum templorum*, *altarium*, *luſus in munera*, *fontes*, *villas*. Hæc omnia ut vidiſti, fœcundi ſunt hujus generis ſurculi, atqve ex omni genere *figurarum* effloreſcunt. Sed è diverſo qvoqve verum eſt ſeriem iſtam Rhetoricarum figurarum adeò difficulter poſſe diſtingui ut etiam priſci Rhetores Latini illam texturi confuderint, & explicaturi obſcuraverint. Qvin ipſe Romanæ eloqventiæ parens in libris de Oratore figurarum confuſam enumerationem faciens ſatis oſtendit, ſe nec verum genus, nec juſtam partium diviſionem tenere, cum infinitas illas vocet, qvarum videlicet principium non cognovit. Qvare & hanc materiam ab alto Ariſtotelicæ doctrinæ fonte repetens ſic ratiocinabor.

Solis

Digitized by Google

Solis hominibus non animalibus, non angelis (35.) natura inſitum eſt, ut rerum qvotidianarum etiam ſi utilium eos faſtidium capiat, niſi utilitas varietate, varietas delectatione commendetur. Primis navigantibus à timore potius qvam vento impulſis ad æqvor ſulcandum lignum rude ſed ſolidum ſufficiebat.

Frondenteſq; ferunt ramos, & robora ſylvæ
Infabricata fugæ ſtudio.

Hodie vero avarum mare minime morigerum fore exiſtimant, niſi pretioſo inauratorum remorum flagello percutiatur, nec proram ferre niſi pardis leonibusqve animatam, ut regnum aqvæ in ſylvas imperium habere videatur. Qvantum ad habitationem, qvid amplius reqvirat architectura, niſi ut te ab injuria hominum cœliqve defendat: ab illis qvidem murorum ſoliditate, ab hoc tecti firmitate. Jam vero ſuperbia virtute major hoſpitium ſubire dedignatur, niſi idem ſeſe cum omnibus ornamentis effundat, nec pluvias digne depelli exiſtimat, niſi culmen figuratis frontiſpiciis nubes tranſcendat. Idem de aliis rebus, qvæ in qvotidiano ſunt uſu, dices. Delicatos bibere nil juvat niſi ex figurata chriſtallo bibant, qvæ ſitim etiam oculis excutiat: non dormire juvat niſi in oſtris & gemmis, ut ea ſomnum gratiorem reddant, qvæ ſororem ipſius acerbiorem faciunt; non pavimentum calcare, niſi marmoribus coopertum, tanqvam homo ingratus matrem ſuam intueri dedignetur: Nullis veſtiri pannis, niſi tot figulis diffluant, tot plicaturis rideant, tot auri argentiqve ramentis ſplendeant, ut hodie homines fœminæ videantur, & fœminæ ſtatuæ Cybeles in pompa geſtatæ. Eadem ſatietas etiam circa orationem reperitur, qvin hic eo magis qværuntur delitiæ, qvo ſenſus aurium eſt faſtidioſior, utpote cui humanus ſermo non uno momento exhibetur, ſed ſenſim ac veluti guttatim inſtillatur. Hinc nullam rem avidius expetunt homines qvam *ſcire*, & nullam rem magis abhorrent qvam *diſcere* ita ut etiam profundas ac ſalutares doctrinas negligenter & oſcitanter audiant, niſi acumen novitasqve ſtyli, qvæ ingenium pungit, eos excitatos teneat.

Sicuti igitur omnia ornamenta qvæ navium, murorum, vaſorum ſoliditatem eleganter variant, græcè vocantur ΣΧΗΜΑΤΑ

(35.) *Ar. 1. Rhet. c. 11. varietas atqve viciſſitudo jucunda eſt, in naturam enim mutatio fit. Qvodcunq; autē uno modo ſemper ſe habet ſatietatem generat. Unde dictum eſt, viciſſitudinem rerum omnium jucundā eſſe.*

Latine FIGURÆ: ſic (36.) omne id qvod ad tædium auditoris levandum verba ſententias aut Enthymemata à nudo ſimplici & qvotidiano ſtilo diſtingvit SCHEMA rhetoricum & FIGURA dicitur. Hinc naſcitur oblectatio & plauſus Auditorum in vocabulis qvæ aliqvid novi & peregrini habent, non aliter ac ſi aliqvis novo & peregrino habitu ſeſe oculis offerat. In cujus rei argumentum (37.) autor noſter eundem verſum duorum arte poëtica æmulorum affert, qvorum alter voculæ mutatione ex propria & vulgari in figuratam & peregrinam cum mirificis acclamationibus palmam reportavit. Nam in Tragœdia qveruli Philoctetis ſui ipſius vulneratoris Æſchylus eum ſic loqvi facit:

Meiq́ carnes ulcus ABSUMIT *pedis.*

Sed Euripides dixit:

Meiq́ carnes ulcus EPULATUR *pedis.*

Unde ſubjicit (38.) tam parva ac peregrina varietate tam Euripidem viſum eſſe elegantem qvam Æſchylus videbatur plebeius. Idem in *integris propoſitionibus* obſervavit Macrobius, qvæ & ſi natura ſint lepidæ: tamen ſi figuratè veſtiuntur, majorem acqvirunt gratiam. Et pro exemplo affert *dictum* alicujus cauſidici, qvi cum in ruborem dare vellet adverſarium hoc dicto: *Tace tu, qvi es filius ſordidi ſalſamentarii*, (qvod judicibus modeſtis nimis immodeſtum videri poterat) dicere maluit: *Tace tu, cujus pater ſe cubito emunxit.* Qvoniam ejusmodi homines manus, qvas, pollutas habent, ad ejusmodi neceſſitatem adhibere non poſſunt. Sic convitium veſtitum erat urbanitas, & pro indignatione applauſum retulit. Aliud Laberii dicterium, qvi individuus erat Cæſaris amicus, nobis idem refert Macrobius. Hic theatrum aliqvando ſerius ingreſſus Ciceronem præteriit, qvi mordaciter pro more: *Tibi locum*, inqvit, *apud me darem, niſi tam arctè ſederemus.* Cæſarem ipſius taxans, qvi ordinem Senatorium infinita turba auxerat. Cui ſtatim Laberius repoſuit: *Atqvi ſolebas duabus ſellis ſedere*, exprobrans

(36.) Ar. Poët. c. 21. id qvod præter uſum communẽ dicitur qvatenus à proprio diverſum eſt illud minimè plebejum efficit. Et 3. Rhet. c. 3. quibus quidem uti oportet quoniã à qvotidiani ſermonis conſvetudine orationẽ immutãt & elocutionem peregrinã faciunt.

(37.) Ar. 3. Rhet. c. 2. inuſitata vocabula graviorem reddunt orationẽ, quod enim ad peregrinos & advenas patimur id etiam ipſum erga dictionem ſuſtinemus.

(38.) *Ariſt. Poët. c. 21. Cum Euripides unum duntaxat vocabulum, lingua non trita immutaverit, tam pulcher viſus eſt, qvam ille abjectus.*

Digitized by Google

brans ipſi inconſtantiam fidei, qvod bellis civilibus victoriæ curſum non cauſæ æqvitatem ſecutus ſit, leviter nunc Pompeio nunc Cæſari adhærens. Dictum hoc ſenſus duplicis tantum riſum excitabat, ut etiam offenſus ridere cogeretur. Qvin tanta eſt ejusmodi duplicitatis gratia, ut etiam res parum honeſtæ non inhoneſtè ſignificentur. Sic callidus qvidam cum ipſi demonſtraretur puella, qvæ decocta exiſtimatione famoſa habebatur, atqve *domini judicis uxor* eſſe dicebatur: *Qvin hac* inqvit, *ipſa eſt juſtitia, qvoniam ſuum cuiqve donat.* Hinc ſymbolvm in ipſam potuiſſes formare pingens *juſtitiam* cum dicto: CUIQVE SUUM. Deniqve omnis res odioſa & turpis ſine moleſtia auditur, qvando ſub peregrinis formis apparet. Nam utut moleſtum ſit id qvod exhibetur, nihilominus modus exhibendi jucundus eſt. Ita ut Tarantula, buſo, aſpis, ſcorpius viſi qvidem propius terrorem incutiant, ſed microſcopio inſerti cum delectatione videantur ob novitatem ingenioſi inſtrumenti, qvod illos exhibet. Hinc infero figuras rhetoricas nihil aliud eſſe niſi *morem qvendam peregrinum, qvi ſtilum vulgarem & qvotidianum orationis immutat, ut doctrinam cum novitate conjunctam afferat atqve auditor eodem tempore gaudendo diſcat, & diſcendo gaudeat.*

Cum vero omne gaudium humanum in eo poſitum ſit, ut aliqva harum trium facultatum *ſenſus, affectus, intelligentia* jucunde afficiatur: Etiam figurarum qvædam deſtinatæ ſunt ad *ſenſum* auditus harmonica periodorum ſvavitate demulcendum: qvædam ad *affectus* efficacitate vivida commovendos, qvædam ad *intellectum* ſignificatione ingenioſa demerendum. Atqve ſic habes tria ſuprema & adæqvata genera, unde omnes rhetoricæ figuræ latè deſcendunt: videlicet HARMONICUM, PATHETICUM & INGENIOSUM.

FIGURÆ HARMONICÆ.

ET ut ab HARMONICIS incipiamus diu apud apud Græcos dicentes viguit garrulus qvidam & diſſolutus ſtilus ab (39.) autore noſtro appellatus ORATIO PENDENS. Hæc bonis qvidem atqve elegantibus verbis, Sed ſine aurium judicio ſine

(39.) Ar. 3. Rhet. c. 9. dico antem pen-

Digitized by Google

dentem qva nullum per ſe habet exitum niſi res qua dicitur, ad exitum pervenerit.

ſine intervallis moderatis, verboſo, uniformi, atqve perpetuo curſu longiſſimarum clauſularum ſimilis garrientibus cicadis nullum exitum ſermoni dabat, niſi materia integre ad finem eſſet perducta. Diceres argumentum non tractari ab Oratore ſed oratorem ab argumento, & cum auditor ad metam ſe perveniſſe putabat, nondum ad dimidium pervenerat. Et poſt longos circuitus tandem ad finem deductus Oratori applaudebat, non ob ea qvæ dixerat, ſed qvod tacuerat. Tranſiit hæc peſtis oratoria, ex Areopago ad priſca roſtra Romanorum, implendis attonitæ turbæ buccis, eaqve in orationibus juvenilibus aliqvantum infectus fuit oratorum princeps. Unde Auguſtus admonuit Tiberium, ut ab ejus imitatione ſibi caveret: Antonius illum irriſit: Largius ipſi compoſuit FERULAM: Tacitus, qvi ipſi palmam tribuit non ubiqve tamen palma dignum reperit, primas ejus orationes vocans *enervatas & vitiis antiqvitatis infectas*. Sed ille ipſe ſuum agnoſcit peccatum & qveritur ſibi potius tacendum fuiſſe, cum dicere incepit: in ultimis orationibus canam qvandam maturitatem recognovit. Tales erant Philippicæ ultimus cygni moribundi cantus, qvibus famam nomenqve *ORATORIS* DIVINI qvæſivit. Nomen qvod nimis ſero, & nimis magno comparavit. Primis idiomatis Italici Scriptoribus æqve hæc ſermonis profuſio accepta fuit. Johanni Boccacio inprimis adhuc juveni in Flammula ſua atqve Atmeto ſplendenti. Stilus cognomini ejus vere conveniens, qvem multi poſtea hiſtorici Itali imitati ſunt qvi facundiæ pulchrum & elegans in eo poſuerunt, ut res omnis uno anhelitu diceretur. Exemplum habes in prima periodo hiſtoriarum Goſelini, cujus palmo metiri potes alias ejus periodos. *Familia Gonzagarum* inqvit, *qva ſecundum diverſos auctores varie aut à primariis Germania familiis aut à Teutonibus aut à Cimbris aut à regibus Longobardorum in has regiones delata dicitur, tam alta jecit nobilitatis ſua fundamenta ut hac antiqvitatis & imperiorum nobiliſſima mater & nutrix Italia non pro externa aut peregrina, ſed pro genuina & nativa illam agnoſcat & in ſinu foveat, non qvidem lacte ut tenellulam infantem ſed ut jam adultam atqve provectam ea laude atqve immortali gloria illam paſcit, qvam propria virtute ſibi comparavit, dum hanc veluti genitricem dilectam fortiter pugnando à fero exterarum nationum impetu defendit, multosqve annos tutata eſt & tandem inter illas fortiſſi-*

Digitized by Google

fortiſſimas familias eam numerat chariſſimamq́ habet, qvarum excellentia & pulchritudine ipſa plurimum ornamenti & ſplendoris accepit, & accipit.

Nonne loqvaci ejusmodi Oratori ad omnem periodum adhibenda eſſet refectio, qvo animam poſſit recipere? Propoſuit ſibi res geſtas narrare Ferrantis Gonzagæ, & cum neceſſario de inclyta ejus ſtirpe dicere deberet pro eo, qvod tam magnificum argumentum in plures periodos diſpergere potuiſſet, totas buccas implet, atqve uno anhelitu totum illud efflat, eadem linguæ lubricitate de argumento in argumentum delapſus, Auditorem ſemper ſuſpenſum tenet, & inſtar accipitris circumagit. Hæc igitur eſt oratio pendens à noſtro (40.) autore rejecta qvi eam comparat *anabolis dithyramborum*, qvæ recitabantur tanqvam cœcorum cantilenæ à Bacchi laudatoribus. Stilus dictu æqve ac auditu ingratus, cognitu & retentu difficilis. Unde ejusmodi locutuleis dici poſſet id qvod Senatus Spartanus reſpondit legatis Athenienſium, ejusmodi anabolis ſubſidium petentibus: *Orationis veſtræ dimidium prius è mente exiit, & dimidium poſterius mentem non intravit.*

Thraſymachus primus fuit qvi obſervans *pendentem orationem* tam tædioſe audiri, qvam jucunde odæ lyricæ accipiebantur, ſeipſum admonuit hanc differentiam à grata viciſſitudine pauſarum & ſvavitate poëticarum menſurarum proficiſci. Cœpit itaqve maſſam clauſularum illarum anabolicarum in brevia intervalla diſcerpere, vocans illa PERIODOS, hoc eſt, *circuitus* ad exemplum & menſuram Stropharum & Antiſtropharum, in qvas Odæ pindaricæ diſtributæ erant ſæpiusqve reſpirandi, & & ab initio repetendi facultatem habebant. Jam periodi iſtæ rotundæ, & ut autor noſter nominat (41.) *ſupinæ* etſi uno ſtili tractu ſonoræ decurrebant & veluti ſerpentes caudam caput conjungentes verbum in finem differebant: idem nihilominus beneficio proſodiæ reperit ſecretam qvandam modulationem, qvæ in principio curſu & fine aures nova admirabiliq; dulcedine implebat. Sic (42) Auditores, effectum artis ſentientes ſine artis cognitione, audientes illum lætabantur & cauſas ignorabant. Sed ſicut inventis facile eſt addere, *Gorgias Leontinus* diligentior obſervator ex

(40.) *Ar. 3. Rhet. c. 9. pendentem orationē conjunctione unam ut quæ in Dithyrambicis anabolæ ſunt.*

(41.) *Ar. 3. Rhet. c. 9. Periodum ſupinam appello quæ uno membro.*

(42.) *Ar. c. 8. reſtat etiam Paan, quo quaſi ſecreto à Thraſymacho invento incipientes utebantur ſed neſciebant dicere quis eſſet*

(43.) *Ar. 3. Rhet. c. 9. ex mẽbris conſtare dicitur cum oratio abſoluta ſit & diſtincta faciliſq; reſpirationis. Mẽbrum vero eſt altera particula.*

ex rotundis iſtis periodis magis conciſas effecit (43.) ſecans illas in exiguas particulas, qvas *membra & articulos* vocant, qvæqve eleganter ſibi reſpondebant & menſura pares erant. Unde periodus ſupina & plana cum fieret figurata & conciſa, non rotunda magis nec tamen abrupta, non metrica nec ſine metro, non ligata nec poëticis legibus ſoluta, ſine verſu nec ſine rythmo ut verſus videretur oratoribus, & proſa oratio poëtis, utriſqve mirifice erat accepta. Hæc peregrina merces apud Romanos tandem ultima ætate Ciceronis ſuum pretium nacta eſt, cujus ſtilus cote forenſi adeo ſeſe acuit ut Verrem cæſim, Antonium punctim petiiſſe videatur. Hinc idem confitetur pulchritudinem periodi conciſæ præferendam rotundis olim ipſi adamatis & familiaribus. *Jucundior eſt periodus*, inqvit, *ſi eſt articulis membriſq; diſtincta, quam ſi continuata & producta, quia ſuas reſpirationes habet, & mens reſpirat cum Oratore, deinde magis dilucida eſt, quia memoria facilius tenetur & magis patet.* Qvas conſiderationes ab autore noſtro deſcribit. Nec ſine magna argutia periodos figuratas & conciſas idem appellavit CONCINNITATES. Unde de Gorgia dixit: *Cujus in oratione numerum plerumque efficit ipſa concinnitas.* Et ſtilum Æſchyni & Æſchylis comparans: *In iis erat admirabilis curſus orationis:* (ecce periodum rotundam) *ornata ſententiarum concinnitas non erat.* Periodum ſupinam comparare videtur capillis pulchris ſed diſperſis & pendulis. Conciſam & figuratam iisdem capillis, ſed in cincinnos collectis, qvorum unusqvisqve candenti calamiſtro inuſtus ſeſe contrahit & in annulum coit. Qva metaphora facete utebatur Auguſtus Rhetoricas figuras Mæcenatis ſui appellans CONCINNOS. Illud certum eſt ex eo tempore Romanam eloqventiam abjecto pallio maniciſqve ſtili illius Aſiatici & rotundi Spartano more ingredi cœpiſſe, Attica veſte ſuccinctam, & pro ſceptro ſagittis uſam; ſeu hic genius erat auribus Auguſti ſenilibus accommodatus, qvas verborum odium ceperat: ſeu novum ſtudium exſplendeſcentis exercitationis in nobilibus illis declamatoribus Ceſtio, Aſinio, Argentario, Seneca, Porcio Latrone Arelio, Silone & Oſco, qvibus omnis periodus ſine acumine & brevitate ſordebat. Illorum veſtigiis inceſſerunt poſtea Plinius, Nazarius, Auſonius, & omnes illi celebres Panegyriſtæ, in qvibus renatus videbatur Gorgias Leontinus.

Hæ

Digitized by Google

Hæ ſunt iſtæ periodi, qvas HARMONICAS & FIGURATAS voco. Variat enim periodum qvotidianam eamqve peregrinam efficit harmoniæ elegantia, qvæ naſcitur ex triplici proportione qvæ vehementer aures juvat: ÆQVALITATE membrorum: CONTRAPOSITIS vocum & SIMILITUDINE literarum. ÆQVALITAS à Doctore noſtro appellata (44.) *Iſocolon* harmonia eſt reſultans ex ſimplici menſura unius partis periodi ad alteram. Talis eſt hæc Iſocratis ab *Autore* noſtro laudata: *Sæpe numero eos miratus ſum qvi feſtos dies celebrarunt, & agones gymnicos inſtituerunt.* Ubi vides tres illas voces *agones gymnicos inſtituerunt* reſpondere tribus ſuperioribus *feſtos dies celebrarunt.* Et hæc Ciceronis: *Speremus qvæ volumus, qvod acciderit feramus.* Et eadem ejusdem: *Alterum optare crudelitatis eſt, alterum conſervare clementiæ.* Ad hoc genus referuntur parva membra nullo vinculo conjuncta, qvorum alterum altero metimur. Illud fit interdum verbis ſingulis ut Plautus: *Magnus, Criſpus, Craſſus, Caſius.* Interdum verbis conjunctis, ut Plinius Orator Domitianum pingit: *Superbia in fronte, ira in oculis, pallor in corpore, in ore impudentia.* Et hic Aphoriſmus adverſus peſtem:

(44.) *Ar. 3. Rhet. c. 9. Iſocolon eſt cum æqualia membra ſunt.*

Cito fuge: longe vade: tardè redi.

Et in deſcriptione navis tempeſtate jactatæ:

Mugit mare: fremit malus: antennæ gemunt.

Et pulchrum illud Tullii dictum in qvarta invectiva à Domitio Marſo merito inter Apophthegmata relatum: *Si qvid obtigerit, æqvo animo paratoqve moriar. Neqve enim poteſt accidere turpis mors forti Viro, neqve immatura Conſulari, neqve miſera ſapienti.* Qvodſi dixiſſet tantum: *Non poteſt accidere turpis mors forti Viro*, ſententia qvidem fuiſſet gravis & profunda, at harmonica non item.

Ad hoc genus refero qvoqve illa membra qvæ certis intervallis ſibi reſpondent: qvale eſt hoc diſtichon ſcriptum vel adſcriptum Virgilio:

Paſtor, arator, eqves, pavi, colui, ſuperavi,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Et

Et hoc ad imitationem illius gratia minori ſcriptum:

Anguis, aper, juvenis, pereunt vi, vulnere, morſu,
Hic fremit, ille gemit, ſibilat hic moriens.

Dixi minore gratia, qvia in membrorum proportione non eſt exacta æqvalitas.

Qvin etiam reſponſiones ex ejusmodi proportione harmoniam & gratiam acqvirunt. Talis fuit illa Romanorum, cujus ante meminimus Sabinis data. Cum enim in horum inſignibus extaret:

Sabinis Populis Qvis Reſiſtet?

reſponderunt illi:

Senatus Populus Qve Romanus.

Argutior fuit illa reſponſio Ageſilai, cui medicus qvidam, qvi ſe Jovem ferebat literas inſcripſerat, hoc titulo:

Menecrates Jupiter Ageſilao Regi ſalutem.

Sed is prudenter reſpondit:

Ageſilaus Rex Menecrati Jovi ſanitatem.

Innuens cerebri ſanitatem.

(45.) Ar. ibid. Antitheſis eſt cum in utroque membro contrarium eſt alteri contrario conſtitutum, vel idem ex contrariis conſtat.

CONTRAPOSITIO, qvam (45.) autor noſter appellat *antitheſin*, harmonia eſt naſcens ex membrorum oppoſitione, cujus acumen nonnunqvam in duobus verbis latet. Veluti illud de palma: *Inclinata reſurgo.* Et illud de ſole nubibus cincto: *Obſtantia ſolvet.* In qvibus dictis neſcio qvam harmoniam ingenii ſentis, cum una vice menti tuæ duo conceptus oppoſiti exhibeantur.

Magis harmonicum eſt ejusmodi dictum, qvod ſeipſum evertit. Qvale fuit illud Iſocratis ab autore noſtro laudatum: *ſæpius accidit, ut imprudentes feliciter, prudentes infeliciter agant.* Et pervulgatum illud: *Non ut vivat, edit: ſed ut edat, vivit.* Et hoc: *Dum cogitas agenda, non agis cogitanda.* Et hoc noſtrum in Claudium: *ſtultus prudentibus: prudens ſtultis viſus.* Et hoc Senecæ Tragici: *miſer ex potente fiat ex miſero potens.* Et argutiſſimum hoc diſtichon:

Infelix

Digitized by Google

Infelix Dido, nulli bene nupta marito
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Aut etiam directe verba verbis, membra membris opponuntur, ut Iſocrates: *Aut vivos amplifica, aut mortuos derelinque.* Et Virgilius:

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Et hoc ejusdem:

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Qvod Alberti Ducis Bavariæ dictum familiare fuit. Aut ſpeciem habent nervoſi *dilemmatis*, ut hoc Vibii Galli adverſus miſeram virginem veſtalem, qvæ improvide hunc verſum ſcripſerat:

Felices nuptæ! moriar, niſi nubere dulce eſt.

Illam enim hac antitheſi ſtringens ream mortis fecit: *Aut experta juras: aut non experta pejeras.* Et hoc Phædræ: *Morere, ſi caſta es viro, ſi inceſta, amori.* Et hæc exprobrato Acheloi in Herculem: *Jupiter aut falſus pater eſt, aut crimine verus.*

Pulchra etiam hæc eſt antitheſis ubi idem eſt *agens & patiens*: Veluti Ovidius de invidia: *Carpitqve & carpitur una Suppliciumqve ſuum eſt.* Et de iis qvi ludos gladiatorios ſpectantes à pulchra qvadam forma incaute vulnus hauriebant:

Et qvi ſpectavit vulnera, vulnus habet.

Atqve idem:

Nempe tuis qvi terras ignibus uris
Ureris igne novo.

Interdum contrapoſitum non eſt affirmans ſed negans, ut illud Triarii: *Sparta ibi muros habet, ubi non habet.* Et hoc de Myrrha patris amore correpta apud Ovidium:

Nunc qvia tam meus eſt, non eſt meus: ipſaqve damno
Eſt mihi proximitas, aliena potentior eſſem.

Et Tertullianus de pavone ſcenam colorum ſuorum aſſiduè mutante: *Semper ipſe, nunqvam ipſe.* Et Martialis illud ingenioſiſſimum in puellam cui Græce nomen erat Chione, qvod nivem ſignificat:

R *Frigi-*

Frigida es & nigra es: non es & es Chione.

Nix erat frigore, non erat nix nigrore. Nec ſolum ſermo continuus, ſed etiam reſponſiones promtæ ab antithetis acumen & ſonum accipiunt. Talis erat hæc Galbæ, qvi in medio foro interrogatus à Libone: *qvando tandem Galba de triclinio tuo exibis?* reſpondit ſubito: *Qvando tu de cubiculo alieno.* Sic Liboni par pari referebatar. Alterum enim ebrioſum arguens ipſe adulterii inſimulatus fuit. Sed hæc figura cum ad duo genera pertineat videlicet HARMONICUM & INGENIOSUM ſuo loco commemorabitur.

(46.) *Ariſt. ibid. Paromoioſis eſt cum extrema partes utriusqve membri ſimiles ſunt.*

SIMILITUDO à noſtro vocata (46.) PAROMOJOSIS eſt harmonia ex utriusqve membri in principio vel fine periodi conciſæ conſonantia reſultans. Qvæ conſonantia naſcitur ex variis inflexionibus aut repetitionibus verborum nominum aut particularum. *In principio conſonans* eſt illud encomium Nirei ab autore noſtro recitatum: *Nireus Aglaja: Nireus Abſymo, Nireus qvi pulcherrimus.* Et illud Spartanorum apud Statorium declamatorem: *Trecenti ſumus ſed viri, ſed armati, ſed Lacones, ſed ad Thermopylas: nunqvam vidi plures trecentos.* Et iidem apud Ceſtium: *Nos ſine delitiis educamur: ſine muris vivimus; ſine vita vincimus.* Idem Ceſtius in conſolationem Ciceronis, cui inſidiæ parabantur: *Qvandocunqve perieris, ad deſiderium populi parum vixiſti, ad res geſtas ſatis, ad præſentem Remp. nimium, ad memoriam operum ſemper.* Qvod argutè dictum magni Viri tumbam hoc modo ornare poſſet:

VIXIT AD DESIDERIUM POPULI PARUM:
AD RES GESTAS SATIS: AD MEMORIAM OPERUM SEMPER.

Hinc naſcuntur flexus caſuum, qvos conjugata vocant: *Mars omnia dirimit, Martis veſanus eſt furor, Marti obtemperat virtus.* Et illud vulgatum:

Mors mortis morti mortem niſi morte dediſſet
Cœlorum nobis janua clauſa foret.

Ex conſonantia finis exemplum eſt in noſtro autore *erat in cogitatione maxima & in ſpe minima.* Et hoc in ſcholis tritum: *Tabula figuntur, immunitates dantur &c.* Atqve hinc elegantiam accipiunt rythmi,

rythmi, unde verſus Italicos extollunt poëtæ, qvanqvam hi non ſua vi ſuſtineantur ut Latini, qvi in ſingulis ſyllabis metrum obſervant, etſi & inter Latinos prioribus ſeculis non defuerunt Muſæ adeo ſtultæ & inſipidæ, qvæ in verſibus leoninis rythmum qvæſiverunt, veluti hi:

Gaudent anguillæ, qvia mortuus exſtitit ille
Presbyter Andreas, qvi capiebat eas.

Interdum qvidem invenias qvosdam ſatis ingenioſos, ubi rythmi vocem aliqvam æqvivocam habent, ut præter harmoniam etiam adſit argutia, ut hi:

Poſt res egeſtas multas comitatur egeſtas.
ſi vis eſſe comes mihi mores accipe comes.
De re qva venit gratia nulla venit.

Porro ab (47.) autore noſtro valde commendatur ejusdem vocis in unoqvoqve membro repetitio, ut in hoc memorabili dicto Anaxandridæ: *Dignum eſt mori, dum non es dignus mori.* Et hoc Spartanæ, cum filio clypeum porrigeret in militiam eum dimittens: *Aut cum hoc aut in hoc.* Et illud Iſocratis: *Olim in vivum dicebas male, nunc in mortuum ſcribis male.* Et Plinius Cæcilius in oratorem nimis exactum: *Orator hic nihil peccat, niſi qvod nihil peccat.* Et Catullus in roſam, unde Fridericus Cornarius corpus & animam ſymboli heroici ſumſit:

(47.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 11. & commode ſi ſemper bis.*

Una dies aperit, conficit una dies.

Interdum & in medio ejusmodi conſonantia ſvaviter auditur. Unde naſcitur pulchra illa figura qvam *Subjectionem* vocant, ut hæc: *Qvid agam infelix? clamem? ſed ſurdum eſt littus. Taceam? ſed urget me dolor. Vivam? ſed exul ſum. Moriar? ſed inſepulta. Nec viva patria datur, nec mortua qvies.*

Interdum in ſingulis verbis fit (48.) *rythmus*, ut in hoc verſu, in qvo Ennius adeo ſe mirabatur:

Mærentes, flentes, lacrymantes & miſerantes.

Et verba tropæi Cæſaris triumphantis.

VENI. VIDI. VICI.

(48.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 12. & articulos ſimiliter, veni, oſtendi, ſupplicavi.*

R 2 Et

Et illud qvod in fragmento veteris ſepulchri legitur in domo mea paterna, cujus Pighius & Gruterus meminerunt:

FUGE. TACE. QVIESCE.

Ad hoc genus pertinent *gradationes*, qvas *Climaces* vocant, ut illa Ovidii: *ferox ſua viſcera traxit,*

Tractaqve calcavit calcataqve rupit.

Et hæc ejusdem:

Qvam mater cunctas, tam matrem filia vicit.

Huc pertinent & *alliterationes* qvas *paronomaſias* vocant, qvæ ſimilitudine vocum leviter mutatarum aures tenent ita, ut nunc Ecchus ſpeciem habeant nunc homonymiæ. Mutata eſt hæc Senecæ: *Nihil in natura tam ſacrum eſt, qvod ſacrilegum non inveniat.* Et hoc: *Lyæo potius qvam Lyceo deditus.* Et in Bonoſum: *Non vivit ſed bibit.* Et in ſymbolum virtutis inter adverſa auctæ pingebam thuribulum cum thure injecto cum dicto: DUM FLAGRAT, FRAGRAT. Et Martialis in eum qvi primum laborabat morbo qvem *ficum* vocant & poſtea caprum olere incipiebat:

Qvi modo ficus eras, jam caprificus eris.

Ecchus ſpeciem habebit paronomaſia ſi dices: *juventus nihil eſt niſi ventus.* Et hoc Cæſaris, qvot *inſectatores habuerat, tot habuit ſectatores.* Et ſententia hæc moralis: *Nullum eſt diſcrimen, niſi ubi crimen.* Et hoc dictum in torrentem: qvi ex alto dum præceps fertur omnia ſecum rapit pro ſymbolo deſperati: DIRUIT DUM RUIT. Æqvivoca autem ſunt illa, qvæ jam allata ſunt & præterea hæc in Saturnum filios comedentem: *Edit qvos edit.* Et hoc qvod in Eunuchum inter milites nomen profitentem ſcriptum eſt. *Tela te decet non tela.* Et Rhetori, qvi leporum venatu ſummopere delectabatur *citius camporum lepores qvam Oratorum lepores aſſeqveris.* Et illud ex Græco & Latino mixtum in Judicem qvi pecus erat, & tamen nullum ſibi honorem haberi dolebat:

Qvando regnat onos, deperit omnis honos.

Ubi eadem vox cum aſpiratione ſignificat *honorem* & ſine adſpiratione *aſinum.* Sed de his redibit mentio inter *figuras* ingenioſas. Cœterum qvoniam figuræ Oratoriæ, ut plantarum inſititii rami,

inter

Digitized by Google

inter ſe innexæ novam miramqve prolem progenerant: etiam inter figuras harmonicas hæ præ cœteris laudem habent, in qvibus tres iſtæ virtutes (49.) concurrunt: ÆQVALITAS CONTAPOSITIO & SIMILITUDO. Tale eſt hoc dictum Iſocratis qvod Ariſtoteles pro exemplo affert in temeritatem Xerxis Perſarum regis, qvi bellum Græcis illaturus Athon montem à continente diremit, & ponte Helleſponti littora conjunxit. Qvanqvam verba græca magis ſonora ſint: *Pedibus maria calcavit, remis terras tranavit. Nam Hellespontum conjunxit, Athon montem diviſit.* Magis harmonica qvamvis argura eſt hæc periodus Iſocratis latini in Miloniana, qva tanqvam perfecta idea periodorum figuratarum gloriatur: *Eſt enim Judices, hæc non ſcripta ſed nata lex, qvam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipſa arripuimus hauſimus, expresſimus, ad qvam non docti ſed facti, non inſtituti ſedimbuti ſumus.* Ubi animadvertis inſerta eſſe uni periodo velut plantæ *æqvalitatem* membrorum *antitheſin* ſententiarum *& conſonantiam* vocum. Qvodſi ad harmonicam conſonantiam accedit materia *ſententioſa aut gravis aut ingenioſa aut admirabilis aut mordax*, de qvibus ſuo loco dicetur: tunc applauſus & admirationes exiſtunt, tam in verſu qvam in proſa: Cum ſententiam gratiorem reddat figura & figuram ſententia. Sed novo & ſub ſenſus cadente præcepto tibi planum faciam, *unde naſcatur harmonia in periodis iſtis conciſis, & qvare altera præ altera magis videatur harmonica, & qvomodo periodus conciſa ſupinæ miſceri poſſit.* Atqve hoc tibi demonſtrabo beneficio TABULARUM METRICARUM adeò diſtincte, ut non aures magis qvam oculi ipſi harmoniæ iſtius judices idonei futuri ſint. Nam qvam oblectationem *oculus* capit proportionem verborum in tabula intuens, eandem *intellectus* ſentit in mente oratoris eam contemplata. Oculus enim tacitus eſt intellectus explorator. Prima *tabula* eſt plana & in lineam continuam verbis diſſolutis extenſa, ut

(49.) Ar. 3. Rhet c. 9. concurrunt au:ē nonnunqvā contentio cō- par, & ſimiliter deſinens.

VENI. VIDI. VICI.

Et hæc: *fuge, tace, qvieſce.* Aut particula aliqva *copulativa, disjunctiva, adverſativa aut cauſali* devincta. Ut dictum Regis Ludovici:

EMINUS & COMINUS.

Et hæc: *ſuſtine & abſtine*, *labore & conſtantia* & dictum Canacæi in Leonem domitum: *Dies & ingenium*. Et hæc: *Cita mors aut victoria*, *per tela per hoſtes*, *ſpero dum ſpiro*. Et dictum hoc morale in fontem qvi aqvam in altum projicit: *Aſcendo, qvia deſcendo*. Qvæ dicta propter ſenſus convenientiam multum qvidem habent gratiæ: at ex harmonia periodi non item. Cum enim nullam tabulam ramorum ſibi reſpondentium de ſe emittant: (50.) Membra potius ſunt & articuli periodi qvam vera periodus, qvæ ex pluribus membris conſtare debet. Interim ad ſymbola heroica præbere poſſunt dicta aliiſqve ingenii partubus ſervire.

(50.) *Ar. 3. Rhet. c. 9. qvi brevi membres nimium ſunt, periodi non ſunt præcipitẽ enim agunt auditorem.*

Sunt igitur aliæ periodi magis harmonicæ, ubi tabula jam incipit in duplicem ſeriem ſub communi capite dividi, ita ut altera alteri pro vinculo ſit & conſiſtentia: veluti hæc Senecæ moroſi

MALIM

OFFENDERE qvam ADULARI.

Ad hunc typum formatæ ſunt ſeqventes: *Malo mori qvam fœdari*: *Sapiens amat merentes & immerentes*: *Hoſtem occidit dum occidit*: *Hominum vita eſt flumen, imo fulmen*. Et hoc dictum in Doctorculum qvendam libris magis qvam ſcientia inſtructum: *Libros ſervat non verſat*. Et hoc qvod Pollio in Tullium ſcripſit: *Majore animo ſimultates appetebat quam gerebat*. Sunt & aliæ ſatis multæ, in qvibus eadem eſt harmonia ſed inverſa cum nodum in fine & caput in pedibus habeant. Veluti in milites ab aratro lectos dictum fuit

Aruis qvam armis

Aptiores.

Et

Digitized by Google

Ad hoc exemplar effictæ ſunt hæ: Aut *dolori aut vitæ finem faciam.* Et Plinius in Panegyrico Trajani: *Summis & infimis charus.* Et Virgilius: *oculos telumq́, tetendit.* Et Ovidius de uxore regis Ceycis maritum mortuum ante oculos vidente: *Ora, comas, veſtem lacerat.* Aliæ ſunt bicipites qvæ duos habent nodos, alterum ſuperiorem, alterum inferiorem, qvod auget harmoniam, cum proportio multiplicetur. Veluti hæc Plinii in Panegyrico:

Melius

Omnibus qvam ſingulis

Creditur.

Ad cujus formam hæ factæ ſunt: *Tempus – magiſter & miniſter omnium rerum. Romani – conjugium ab inceſtu ſunt - auſpicati.*

In aliis duo ſunt nodi, ita ſibi oppoſiti, ut ſuum qvisqve membrum claudat, unde tabula non ramis ſed columnis conſtituitur, ut hæc Syri Plautini:

Male.	*Male.*
Si dixeris	*Audies.*

Et hæc de Cæſare à Seneca dicta: *Ferendarum injuriarum impatiens, faciendarum cupidisſimus.* Et hæc: *Flavus diſceſſi, albus revertor.* Et numerus hic adeo laudatus à Cicerone: *Qvod ſcis nihi prodeſt, quod neſcis multum obeſt.* Et Martialis in eum cui nulli ſunt filii: *Minus gaudebis & minus dolebis.* Pariter ad columnas poterunt referri hæc: *Mare mugit, fremit malus, antennæ gemunt.* Qvæ faciunt tres columnulas.

Sed creſcit harmonia, qvo magis creſcunt rami tabulæ, unde poſſumus jam illas periodos perfectas dicere, ubi unus nodus duo membra geminat copulata velut hæc Ciceronis:

MORS

MORS EST

IN FUGA — FOEDA.

IN VICTORIA — GLORIOSA.

Et hæc ejuſdem in Cæſarem & Pompejum: *Utinam ſocietatem aut nunqvam iniviſſent aut nunqvam diremiſſent.* Et Crito Terentianus: *Si mihi pergit qvæ vult, dicere, qvæ non vult, audiet.* Et Senecæ Tragici: *Pacem reduci velle victori expedit, victo neceſſe eſt.* Et hoc proverbium: *Dum canunt cygni, tacent graculi.* Et dictum Senecæ Philoſophi: *curioſa ſcientia eſt, qvæ nec tuto nàrratur, nec tuto auditur.* Ac ejusmodi periodus interdum qvoqve invertitur, ut hæc Carbonis cui & voce populi & Ciceronis calamo adeò applauſum eſt:

Patris — *Dictum Sapiens*

Filii — *Temeritas*

Comprobavit.

In qva idem laudem omnem tribuit nodo, hoc eſt, pedi Dichoræo COMPROBAVIT. In his enim inverſis periodis nodus debet eſſe grandis & canorus. Interdum ejusmodi qvoqve periodus cum multa gratia erit biceps, ut hæc Auli Gellii

Indignus cui

Vel improbi — *Bene*

vel Probi — *Male*

Dicant.

Major

Digitized by Google

Major porro erit harmonia, ubi membra ſunt triplicata, imo hæc eſt ſvaviſſima propter ternarii proportionem, qvi numerus eſt perfectiſſimus, ſuumqve habet principium medium & finem, ac inter parum & nimium mediocritatem ſervat, qvæ præcipua eſt periodi (51.) virtus. Et porro qvoniam nec defraudat nec obruit intellectum, qvo minus memoria retineri poſſit, hinc eſt æqve commoda qvam canora. Hanc proportionem ſervabam in encomio Cæſaris.

(51) *Ar. 3. Rhet. c. 9. Periodum appello compoſitionē, quæ per ſe principium habet & finem.*

DUM

LAURUM	PALMAM
ACQVISIVIT	AMISIT
REGIAM	POPULAREM.

Talis eſt hæc Terentii: *Iſta -- hic ubi opus eſt non verentur, illic, ubi nihil opus eſt, verentur.* Et hæc Tragici: *Qviqve dum -- falſum nefas exeqvor, incidi in verum ſcelus.* Ubi in his atqve infinitis aliis periodis tam Oratoriis qvam Poëticis obſervare debes, etſi ordo verborum oppoſitorum interdum confunditur, nihilominus mentem auditoris (modo non ſint nimis disjecta) ea ita ordinare ac ſi dictum eſſet; *Qviqve dum exeqvor falſum nefas, incidi in verum ſcelus.* Atqve hæc qvoqve ſæpe invertitur aut biceps fit, ut hæc Ciceronis:

Ut

Vel in Negotio.	*Vel in Otio,*
Sine	*Cum*
Periculo	*Dignitate*

Eſſe poſſent.

S Termi-

Terminis qvadruplicatis,qvi ſi breves ſunt ab harmonia triplicatorum non multum recedunt, ad hunc modum fit progreſſio, ut in his:

ÆQVE	NOCENT
ET QVI NOLENTIBUS	ET QVI VOLENTIBUS
VITAM	MORTEM
OFFICIOSE	MALITIOSE
IMPERTIUNT	NEGANT.

Et hæc altera: *Socrates — à prælio temerarios conſiliis revocabat & in prælium timidos increpationibus impellebat.*

Etiam ad qvinqve terminos geminatos Marcus Tullius periodum extendit harmonia non ingrata, qvoniam articuli ſunt breviores

AN

TU	EGO
ME	TE
PER HOS	PER EOSDEM
IN PATRIAM	IN PATRIA
REVOCARE	RETINERE
POTUISTI	NON POTERO?

Atqve etiam ſine aliqvo nodo, ſi advertas, dulcedine & harmonia non carent hæ periodi per columnas diſpoſitæ, veluti ſi hic amoveres

Digitized by Google

veres particulam AN: ſed revera nodi iſti neſcio qvid perfectionis afferunt.

Hæ vero ſunt periodi conciſæ & concinnnæ ſed *ſimplices*. Sed aliæ ſunt COMPOSITÆ, in qvibus concinnitas concinnitati innectitur, ut annuli in catena. Ex his una periodus eſt veluti ſimplex *expoſitio*, altera veluti *conſideratio & declaratio*. Utraqve ratio ab autore noſtro (49.) indicata eſt his verbis: *Cum in utroque membro aut contrarium ad contrarium apponitur:* qvæ eſt ſimplex concinnitas, expoſitio antea dicta: *aut idem contrariis adjungitur*, qvæ eſt conſideratio pariter concinna, & hujus poſterioris modi multa ex Iſocrate ſuo exempla affert, ex qvibus qvædam in ordinem ſeqventis tabulæ poſſumus redigere. (49.) Ar. Rh. 3. c. 9.

Utriusq; utilitatem attulerunt

Et iis qvi remanſerunt | *Et iis qvi ſeqvuti ſunt*

Nam

Illis | *His*

Plura | *Sufficientia*

qvam domi habebant | *domi*

conqviſierunt. | *reliqverunt.*

Ubi vides concinnitatem qvadruplicem à duplici pendere, & periodum inſtar catenulæ à nodo pendentis in duas abire partes &

hæ duæ denuo in nodum collectæ rurſus longiori tractu dividuntur. Et ad hoc exemplum formatæ ſunt aliæ ab ipſo recitatæ periodi: *natura cives: lege civitates -- privantur -- Nam -- alii miſere interierunt, alii turpiter exularunt.* Et periodus ſupra laudata: *Pedibus maria calcavit, remis terras tranavit. Nam -- Helleſpontum conjunxit, Athon montem effodit.* Similis eſt hæc Tullii: *Aliud eſt maledicere aliud eſt accuſare -- Nam accuſatio crimen: maledictio contumeliam deſiderat.* Et Claudianus adverſus Eunuchum Trabeatam: *Nuſquam mater eris, nuſquam pater -- hoc tibi ferrum: hoc natura negat.* Virgilius qvoqve ejusmodi harmonia dulciores reddidit hos duos verſus paſtorales:

Compulerantq́ greges Coridon & Thyrſis in unum
Thyrſis oves, Coridon diſtentas lacte capellas.

Sed præ cœteris pulcherrima eſt hæc Ciceronis: *Conſervate parenti filium; parentem filio - ne - aut ſenectutem jam prope deſperatam contemſiſſe: aut adoleſcentiam plenam ſpei affixiſſe videamini.*

Qvin interdum in *expoſitione* multos videbis articulos ſeparatos, qvorum qvilibet in *conſideratione* reſumitur, qvod periodum & grandem & valde harmonicam reddit. Talis eſt hæc, qvæ magnum populi ſtudium, magnasqve exclamationes Tullio juveni comparavit, ut ipſe ait: *Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? Quid enim tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* Habes expoſitionem: ſeqvitur conſideratio: *At illi ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cælo nequeant: Ita moriuntur, ut eorum oſſa terram non tangant: ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* Qvamvis in canoro hoc tractu orator rotundam periodum cum concilia copulaverit, ut paulo poſt dicemus.

Atqve hæc eſt *concinnitas duplicata*, ſed & qvædam eſt *triplicata* magisqve magnifica, qvæ præter *expoſitionem & conſiderationem* etiam *concluſionem* continet, qvæ inſtar ligaturæ utramqve concinnitatem conſtringit, & catenæ adjicit clauſtrum. Talis eſt hæc Senecæ de Socrate loqventis:

Hunc

Hunc tamen qvi — *Expoſitio.*

Rempublicam | *Reſpublica*
liberam | *captivum*
fecit | *occidit*

Et — *Conſideratio.*

Qvi ſe | *hunc*
inermem | *liberum*
armatis | *libertas*
obtulit | *non tulit*

Ut ſcias: — *Concluſio.*

Et in afflicta Rep. | *Et in beata*
Locum eſſe | *Locum eſſe*
Sapientiæ. | *temeritati.*

Eodem typo concipi poſſet hæc periodus Romani Oratoris: *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare. Nam accuſatio crimen, maledictio contumeliam - - deſiderat - - Itaqve - - & qvi cum contumelia accuſat, maledicus eſt: & qvi criminibus tantum maledicit, accuſator.* Et hæc Plinii ad Trajanum: *Summis atqve infimis charus ſic - - impe-*

Digitized by Google

ratorem Commilitonemqve miſcueras - - ut ſtudium omnium - - & tanqvam exactor intenderes, & tanqvam ſocius relevares. Et hæc ejusdem Senecæ: *Alternanda ſunt iſta - - ſolitudo & frequentia: Illa nobis facit - - hominum deſiderium, hæc noſtri - - altera alterius remedium.* Idem judicium faciens de Democrito & Heraclito, qvorum alter res omnes ridebat, alter res omnes plangebat: *De humano genere plus meretur - - qvi ridet illud, qvam qvi luget - - ille ſpei bonæ aliqvid relinqvit, hic ſtultè deflet, qvæ corrigere deſperat. Majoris enim animi eſt - - qvi riſum non tenet, qvam qvi lacrimas.* Sonora ſatis eſt hæc Sabellici de Roma loqventis, qvia ſuum qvodqve membrum habet oppoſitum: *Enim vero populus ille, qvi bellando innumeras vicit gentes, ab innumeris eſt demum gentibus victus. Nec de ulla mundi parte triumphavit cui non triumphandi materiam rependit. Ut difficile ſit judicare, fueritne illi in proſperis indulgentior mater fortuna, an crudelior noverca in adverſis.*

Sed in hoc genere graviſſima maximeqve ſonora eſt iſta Pici Mirandulæ ad Angelum Politianum ſcribentis periodus, in otioſum eorum laborem, qvi Deum in libris qværunt, & procul à corde diſtinent. *Vide, mi Angele, qvæ nos inſania teneat. Plus poſſumus amare Deum, qvam qværere. Amando plus proficimus, qværendo plus laboramus: malumus t*[illegible] *ſemper qværendo nunqvam invenire, qvam amando poſſidere,* [illegible] *aremus, fruſtra inveniretur.*

Ne[illegible] proſam modo [illegible] conc[illegible]s implexæ condiunt [illegible] carmin[illegible]

[illegible]eran[illegible]s Cor[illegible] Thyrſis in
unv[illegible]
[illegible]rſis [illegible]idor[illegible]acte
[illegible]mb[illegible]ate[illegible]ades
co[illegible]dine:
[illegible] ater:
[illegible]ous ille?
[illegible] mater.

Satis

Satis dictum eſt de Periodo CONCISA. Neceſſitas poſtulat ut de SUPINA ſeu ROTUNDA differere incipiamus. Tam ut eleganti utriusqve conjunctione tertiam ſpeciem magis harmonicam ut dicemus efficias, qvam qvia rotundæ qvoqve magnus interdum uſus eſt in argutis & magnificis inſcriptionibus. ROTUNDAM (50.) voco periodum, qvæ inſtar lubrici ſerpentis ex uno membro numeroſe continuato & ſinuosè reflexo componitur. Verum *harmonicus* iſte *numerus* non ex membris ſibi ex adverſo aut æqvo oppoſitis, ut in conciſa, exiſtit, ſed ex tribus aliis virtutibus, qvæ periodum ſvavem & pulchre cadentem faciunt qvæ ſunt: SCANSIO pedum, PULCHRITUDO verborum, & QVANTITAS juſta.

(50.) Ariſt. 3. Rhet. c. 9. Supinam dicimus quæ uno membro conſtat.

Et ut poſtremum primo expediam intelligenti diſcipulo ad cognoſcendam QVANTITATEM PERIODICAM ſufficiet verbulum ab autore noſtro (51.) jactum *magnitudinemqve* MEDIOCREM. Sed mediocritas menſura eſt, qvam Deus in ſapientis pectore recondidit. Qvare M. Tullius in Oratore illam ad oculum demonſtraturus, periodo ſphæram *qvatuor hexametris* æqvalem nec ampliorem præſcribit. Rectius forte *ſtropham odarum Lyricarum* præfiniiſſet, quoniam (ut dictum eſt) ab his Thraſymachus nomen & exemplum periodi cepit. Sed hoc eſt periodos acu definire. Et qvomodo acutis ingeniis una menſura ſatisfacies? qvomodo ad eandem qvantitatem conceptus adeo diverſos exiges? niſi forte ut Procuſtes ad lecticulum qvendam ſuum miſeros hoſpites applicabat, aliis grandioribus truncans genua, aliis brevioribus eadem fidiculis diſtrahens? Paulo doctius in tertio de Oratore aures auditorum menſuram facit breviſſimarum, & Spiritum Oratoris metam longiſſimarum periodorum. *Modo ne circuitus verborum ſit aut brevior, qvam aures poſtulent: aut longior, qvam vires & anima patiatur.* Satis recte: ſed qvid de periodis ſcriptis in hiſtoria dicemus qvarum non auris ſed oculus auſcultator eſt? Non lingua ſed charta pronuntiatrix? Atqvi & hiſtoria ſcripta ſua intervalla, ſuas periodos reqvirit, multum (52.) à concionibus popularibus diverſas. Autor (53.) itaqve noſter ab altiori radice MEDIOCRITATEM PERIODICAM repetiit & demonſtravit. Poſtquam enim periodum definiverat: *numeroſam compoſitionem, qva per ſe ipſa*

(51.) Ar. 3. Rhet. c. 9. periodum appello compoſitionem qvæ per ſe principium habet & finem.

(52.) Ar. 3. Rhet. c. 12. non eadem elocutio eſt hiſtorica & concertativa.

(53.) Ariſt. Rhet. 3. c. 9.

ſa principium habet ac finem, magnitudinemque MEDIOCREM: ſubjicit; *qua compoſitio* SVAVIS *eſt* & DILUCIDA. Hinc (54.) duas iſtas voces explicans SVAVITATEM derivat à *brevitate*, cum intellectus humanus ſententiam aſſeqvi gaudeat, non tædioſa via anabolicarum locutionum, ſed brevi gyro ordinatorum verborum. Hinc CLARITATEM deducit à *compoſitione numeroſa*, qvæ ſententiam ſvaviter memoriæ inſtillat. Statim itaqve ac periodus finit, conceptus in memoria reſonat atqve alius exſpectatur. Jam igitur in periodo utrumqve conjungas, ut & conceptus *numero Oratorio* conditus ſit & comprehendi atqve retineri *memoria*, qvando terminatur, poſſit: hæc erit QUANTITAS MEDIOCRIS periodi. Unde intelligere potes, MEDIOCRITATEM, qvam Philoſophus noſter in periodo reqvirit, non eſſe *arithmeticam* qvæ brevi verſuum numero conſtat, ſed *Geometricam*, qvæ auditoris capacitati reſpondet.

Ex qva ratiocinatione primum hoc colligitur, periodum rotundam qvoqve *figuratam* eſſe, cum numeroſa compoſitio eam ex vulgari loqvela eximat. Deinde *Epigramma* breve, *ſtropham Horatianam*, aut *Pindaricam* vocari poſſe *periodos poëticas:* cum & numerum metricum & quantitatem memoriæ congruentem habeant. At pendens oratio non item; qvoniam utut numeroſa ſit (55.) proportionem tamen non ſervat eſtqve ex tot periodis revera compoſita qvot punctis diſtingvi poteſt. Præterea, ſi duobus verbis argutam ſententiam explicares, ut Lacedæmonii Phillippo: DIONYSIUS CORINTHI: non erit tamen periodus, cum (56.) nimia brevitas numerum non habeat. Porro dicta ex articulis ſeu inciſis compoſita, ut illud ab autore noſtro laudatum: VENI, DIXI, SUPPLICAVI. Et illud Cæſaris: VENI VIDI VICI: utut neſcio qvam concinnitatem præferant, non magis tamen ſunt periodi rotundæ, cum ne unum qvidem membrum habeant. Potius ſunt tres conceptus, qvi tamen in unum periodi gyrum potuiſſent includi, ut ſi Cæſar pro roſtris ad populum Romanum dixiſſet: *Tam diligenti ſtudio, Qvirites, tantaqve Reip. felicitate Gallicam expeditionem Britannicamqve vobis expedivi, ut nullo ferè temporis interjectu venerim, viderim, vicerim.* Hinc etiam diſces, eandem mediocritatem periodi, nunc majori nunc minori circuitu definiri.

(54.) Ariſt. ibid. Suavis quidem, quoniam ſemper aliqvid ſe habere auditor putat, cum ſemper aliqvid terminatum ſit dilucida vero qvoniam memoria facile re inetur. Qvod accidit, qvia periodus numeroſa eſt. (55.) Ar. ibid. Si prolixa eſt, non eſt dilucida. (56.) Ar. ibid. Sed neq; ſi brevis. Nam qva brevi membres

Digitized by Google

definiri. Eandemqve tam ad ſententiam, qvæ implet periodum qvam ad capacitatem Auditoris accommodandam eſſe. Qvam ob cauſam minorem ambitum verborum ſcriptæ qvam recitatæ periodi requirunt. Cum enim ingenium humanum minus promtum ſit figendæ de labris fugienti ſententiæ, qvam ei, qvæ paginis inſcripta eſt: neceſſe eſt ut recitator auditori circumſtantias numeroſius minutatimqve deſignet, qvas lector ipſe per otium conſiderare poteſt. (57.) Atqve è contrario oratoriæ iſtæ & in gyrum currentes periodi, qvæ *audita* mirabiles clamores excitant, *lecta* videntur agreſtes, nec aliam admirationem pariunt, qvam qvomodo tantum admirationis pepererint. Eadem de cauſa majorem & numeroſiorem tractum reqvirunt periodi in Exordiis, dum Auditor recens adhuc attentus eſt, qvoniam in fine memoria feſſa atqve auribus ſatiatis, cum veluti ad numerum occalluerunt, periodus acutior fieri debet, & ex enſe in acum converti. Sic etiam *multitudini* majores adhibendæ ſunt periodi qvam *paucis & ingenioſis auditoribus*: cum illa ſit inſtar hominis obtuſi & ſurdaſtri, hi vero inſtar hominum liqvido ſolertiqve auditu. Unde his vel ſigna ſufficiunt. Iſtis inclamandum eſt periodorum ſono & magnitudine, cum alteri intellectum in auribus, alteri aures in intellectu habeant.

Qvantum ad SCANSIONEM, qvam dicebamus alteram periodi *virtutem*: etſi proſa numerum certum non habeat, habet tamen certum numerum, qvi aures audientis vel juvat vel offendit, pedibusqve non minus ac ſoror ipſius poëſis menſurari poteſt. Et quanqvam auditor ſcandere neſciat, nihilominus ſemina artium omnium in mente humana ſparſit natura, ut hic ſymmetria ædificii & proportione picturæ lætetur, qvi pingere nunqvam didicit, nec ædificare. Atqve hoc multo magis in poëſi & muſica, qvarum cuiqve inſitus eſt qvaſi ſurculus. Hinc pueri nondum proſodia tincti majorem voluptatem capiunt ex verſu numeroſo & perfecto, quam ex imperfecto, & aſpero: & legentes Catilinariam aut Verrinam naturaliter modum numeri aſſeqvuntur, & periodice cantant; qvin & rudes atqve indocti in theatro currentem & numeroſam periodum labris apertis ſorbentes, ejus tempora motu capitis notant & in fine ſe erigunt, rident, plaudunt, judices facti

ſunt, periodi non ſunt. Præcipitem enim agunt auditorem.

(57.) Ariſt. Rhet. 3. c. 12 hiſtorici qvidem in concionibus anguſti ſunt: Oratores autem boni cum leguntur agreſtes videntur qvia concioni congruunt.

eventus, cujus cauſam ignorant. Sed qvales & qvantæ ſcanſiones rotunditatem periodo canoram numerumqve gratum concilient, ſi qvis ad calculos revocare vellet, præterqvam qvod proſam natura liberam injuria vinculis adſtringere videretur ſicut proſodiam natura ſervam, etiam operam ſuſciperet & ſtultam & infinitam. Nam has duas ſolas voces DIUTURNI SILENTII metiri licet dibrachy, ſpondeo, duobus jambis ad hunc modum: *Diu-turni - ſilen - tii* - : aut etiam Anapæſto, Cretico & Jambo: *Diutur - ni ſilen - tii* aut etiam dibrachy, bacchio & Cretico *Diu - turniſi - lentii* & aliis pluribus, qvam qvot ſyllabas habet modis. Qvale igitur ingenium tam ingenioſum foret, qvod modum in tot modis atqve ſimilitudinem in tanta varietate periodorum currentium inſtar torrentium reperiret? Sed ſi vel mediocriter qvantitates ſyllabarum tenes (ſine qvibus tantum poteris de harmonia periodica, qvantum Midas de lyra judicare) communem hunc aphoriſmum tibi præſcribo, ut ſicut ars aurigæ poſita eſt in regendis duobus contrariis inſtrumentis *freno & ſtimulo*, hoc ad tarditatem accelerandam, illo ad celeritatem eqvorum retardandam: ſic ars periodorum ducendarum poſita ſit in opportuno uſu *pedum lentorum*, qvalis eſt Spondeus, & *velocium*, qvalis eſt Dactylus Tribrachys & Anapæſtus qvos heroicos vocant. Qvo periodus tua, nec moram faciens nec præcipitata, & expedita & gravis ſimul incedat & utraque virtute à vulgari & plebeio ſermone *recedens* harmonice fiat *figurata & peregrina.* In hunc finem animadvertere debes arcanam noſtri autoris obſervationem (58.) jambum pedem eſſe præ cæteris mancum & qvaſi claudicantem, cum ex duabus tantum ſylllabis conſtet, altera brevi, altera longa, atqve adeò verſum jambicum, qvalis eſt hic:

Beatus ille qvi procul negotiis.

Eſſe & magis qvotidianum & minus numeroſum ex omnibus metro ligatis compoſitionibus. Hinc apud antiqvos Comicos jambi familiariſſimum atqve ſervilem Davorum & Tranionum ſermonem faciunt qvin (59.) & ſæpe accidit, ut cum ſolute loqvi te exiſtimes imprudenti tibi verſus Jambicus excidat. Idem dico de Choreo, qvem (60.) Autor noſter Trochæum vocat utpote qvi in officina

(58.) *Ar. 3. Rhet. c. 8. Jambicus vero vulgaris oratio eſt.*

(59.) *Ar. ib. iccirco ex omnibus metris jambica ex tempore maxime dicunt.*

(60.) *Ar. ibid. Tro-*

Digitized by Google

officina ejusdem proportionis, qvanqvam contrario habitu, fabricatus eſt, cum alter ex brevi & longa alter ex longa & brevi compoſitus ſit: ut ſi diceres: *Flante vere terra ridet*; qvale erat metrum plebejorum per compita ſaltantium, unde & hunc pedem autor noſter in turbam rejicit. Qvod ſi enim dicas

chaicus autem tripudiis aptior.

O beatus ille qvi domi ſeneſcit.

Nonne audis ſex illos chorei pedes referre proſam trivialem & humi repentem? Cum ſpondæus totus rigidus & gravis, atqve heroicus totus tripudians & ſonorus, orationem à communi familiaritate vindicent. Qvoniam igitur ſi periodus tota ex *jambis & choreis* texeretur, nimis familiaris eſſet & vilis: ſi ex ſolis *ſpondæis*: nimis gravis & tædioſa: ſi ex ſolis *heroicis*, nimis ſaltans & læta: ideo periodum ſic debes regere & tractare, ut jambi & chorei, ſine qvibus æqvalis tenor in oratione ſervari non poteſt, ſuo loco nunc diviſi, nunc conjuncti audiantur, atqve ubi repere videntur, ab heroico excitentur, & heroici audacia à ſpondæi ſeveritate mox temperetur & corrigatur. Verum eſt in ampla periodo ſæpius freno qvam ſtimulo utendum eſſe, ſpondæo potius qvam heroico, cum una ſyllaba brevis orationem magis incitet qvam qvatuor longæ ſuſtinent. Qvæ proſa magis dura & aſpera eſt qvam hæc?

(61.) Ar. ib. Jambicus vulgaris oratio eſt ſed oportet ampliorē orationē facere ac vulgo alienam.

Cum Juno æternum ſervans ſub pectus vulnus.

Inſere penultimæ voci duas ſyllabas breves, & plenum atqve ſonorum verſum heroicum videbis procedere:

Cum Juno æternum ſervans ſub pectore vulnus.

Jam igitur rotundiores atqve harmonicas Tullii periodos metiaris: duas ſemper ſyllabas (niſi in heroicum incidas, qvi integer relinqvendus) conjungens, ſynalœphas atqve cæſuras, cum ſyllaba aliqva ſupereſt, conſtituens: Et deprehendes jambos & choræos facere veluti cantum Gregorianum (qvem Choralem vocant) & heroicos cantum figuratum, qvi majeſtate gravioris numeri ex Spondæis retardatur, ita ut ſi numerum ineas ſyllabarum, longe duplo excedant breves.

Sed hæc generalis doctrina adhuc facilior nobis ab autore redditur, qvi *finem* tantum *clauſularum* nos metiri jubet, qvoniam reli-

qvi pedes ab ultimis cincti, auribus non ſatis attentis ſine animadverſione elabuntur. (62.) Obſervat idem etiam rotundam periodum ex parvis *membris* neceſſario coaleſcere, qvæ qvidem non tanqvam membra periodi conciſæ ſe invicem ſuſtinentia atqve reſpicientia, perfectam menſuram habent, ſed ſucceſſive alterum alteri ſubjicitur, interpoſitis brevibus reſpirationibus, & tanqvam muſicis percuſſionibus usqve ad extremum membrum, qvod applauſum reliqvis omnibus eripit. Jubet igitur unumqvamqve clauſulam numeroſo aliqvo & pulchrè cadente pede terminari, ut tandem omnes ſuis intervallis varium gratumqve rythmum efficiant, non aliter ac numeroſa Cymbali intervalla aut varii geſtus Panſomimorum vel oculorum vel aurium oblectationem pariunt. *Harmonia* autem minutarum iſtarum *clauſularum* pariter ſita eſt, in recto uſu tam *freni* qvam *ſtimuli*, ut dextre ſyllabas ultimas nunc incites nunc cohibeas, ne metam transgrediantur, aut triviali & plebeia terminatione in terram procidant. Pro exemplo in medium afferam Analyſin periodi, qvam Romanà roſtra unqvam audiverunt, maxime rotundæ & ſplendidæ, qvæ ſicuti ex pectore lætitia repleto, qvod vitam Romæ dederat, Catilinaria factione oppreſſa, emanavit: ſic videtur periodus in labris Oratoris & Orator in periodo triumphare.

(62.) Ar. ibid. numerus autem elocutionis rythmus eſt cujus menſura deciſiones ſunt.

Cicer. Catil. III. c. 1.

Rempubl. Qvirites, vitamq; omnium veſtrum (ecce primam clauſulam, qvæ nondum ſenſum facit) *bona, fortunas, conjuges, liberosq; veſtros* (en ſecundam) *atque hoc domicilium clariſſimi imperii:* (en tertiam) *fortunatiſſimam, pulcherrimamque urbem: — hodierno die Deorum immortalium ſummo erga vos amore — laboribus conſiliis periculisq; meis — ex flamma atque ferro ac pene ex faucibus fati — ereptam & vobis conſervatam ac reſtitutam videtis.*

Qvod dignius principium aut concione tanta aut oratore Conſule aut Oratorum principe aut nobiliſſimo atqve ampliſſimo univerſi theatro reperiri potuit? Finge nunc Ciceronem cum hoc nuntio in ſcenam proſiliiſſe atqve in hunc modum clauſulas qvaſi verſuum feciſſe:

Rempublicam, Qvirites, vitamq; omnium
Veſtrum: bona & fortunas atqve conjuges
Veſtros liberos: atqve domicilium

Claris-

Clariſſimi imperii: fortunatiſſimam
Pulcherrimamq́; urbem veſtram: hodierno die
Amore ſummo Numinum immortalium,
Laboribus, conſiliis, & periculis
Meis: ab igne, ferro, fati faucibus
Raptam, atq; vobis reſtitutam cernitis.

Nonne tibi videretur Prologus Davi Terentiani aut Plautini Tranionis, qvi ex culina aut ergaſtulo prodierunt? Et tamen vides, qvam parva mutatione periodus tam ſuperba abjecta ſit atqve viluerit. Compara nunc ſingulas clauſulas jambicas cum Tullianis, & videbis qvanta conſonantium varietate pes ultimus conſtitutus ſit, cum idem procedat (ut in Oratore perfecto nos admonuit) à prioribus pedibus tam varie conſertis adeoqve harmonicè permixtis, ut periodum ex æqvo amplam & lætantem efficiant.

Prima clauſula ad vocem usqve OMNIUM, verſum jambicum producit, verum huic qvi ſuccenturiatur ſpondæus, habenas tam pulchrè tenet, ut jambus duobus ſpondæis incluſus non poſſit concidere, qvin rigor ſpondæorem à jamborum mollitie temperatur.

Rempublicam Qvirites, viTAM QVOM-NIUM - VESTRUM.

Qvi duo poſtremi pedes conjuncti formant nobilem illum pedem JAMBO-SPONDÆUM, qvo ſæpius orator auribus oblectandis periodum terminat. *Belli apparatus REFRIGESCENT; ut vos diſceretis LABORAVI. Impetus & conatus ſunt RETARDATI.* Altera clauſula minus ſevera eſt, qvamvis enim contumax ſpondæus illam ſuſtineat, idem tamen duobus imbellibus choræis mitigatur.

Bona, fortunas, conjuges LIBEROSQVE-VESTROS.

Qvi duo pedes ſimiliter conjuncti conſtituunt pulcherrimum illum pedem CHORÆO-SPONDÆUM, qvi in metro ejusdem virtutis eſt ac Dichoræus canorus rotundarum periodorum terminator. Sic finit ſeqventes: *Conſulibus, cæterisq́; ultoribus DIMICAREM.*

Digitized by Google

ratorem Commilitonemqve miſcueras - - ut ſtudium omnium - - & tanqvam exactor intenderes, & tanqvam ſocius relevares. Et hæc ejusdem Senecæ: *Alternanda ſunt iſta - - ſolitudo & freqventia: Illa nobis facit - - hominum deſiderium, hæc noſtri - - altera alterius remedium.* Idem judicium faciens de Democrito & Heraclito, qvorum alter res omnes ridebat, alter res omnes plangebat: *De humano genere plus meretur - - qvi ridet illud, qvam qvi luget - - ille ſpei bonæ aliqvid relinqvit, hic ſtultè deflet, quæ corrigere deſperat. Majoris enim animi eſt - - qvi riſum non tenet, qvam qvi lacrimas.* Sonora ſatis eſt hæc Sabellici de Roma loqventis, qvia ſuum qvodqve membrum habet oppoſitum: *Enim vero populus ille, qvi bellando innumeras vicit gentes, ab innumeris eſt demum gentibus victus. Nec de ulla mundi parte triumphavit cui nontriumphandi materiam rependit. Ut difficile ſit judicare, fueritne illi in proſperis indulgentior mater fortuna, an crudelior noverca in adverſis.*

Sed in hoc genere graviſſima maximeqve ſonora eſt iſta Pici Mirandulæ ad Angelum Politianum ſcribentis periodus, in otioſum eorum laborem, qvi Deum in libris qværunt,& procul à corde diſtinent. *Vide, mi Angele, qvæ nos inſania teneat. Plus poſſumus amare Deum, qvam qværere. Amando plus proficimus, qværendo plus laboramus: malumus tamen ſemper qværendo nunqvam invenire, qvam amando poſſidere, qvod niſi amaremus, fruſtra inveniretur.*

Nec proſam modo ſed & poëſin concinnitates implexæ condiunt. Sic in carmine poſtorali:

Compulerantq; greges Coridon & Thyrſis in unum
Thyrſis oves, Coridon diſtentas lacte capellas
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Et in comparatione Veneris cum Cupidine:

Improbus ille puer, crudelis tuqvoqve mater:
Crudelis mater magis, am puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu qvoq; mater.

Satis

Satis dictum eſt de Periodo CONCISA. Neceſſitas poſtulat ut de SUPINA ſeu ROTUNDA diſſerere incipiamus. Tam ut eleganti utriusqve conjunctione tertiam ſpeciem magis harmonicam ut dicemus efficias, qvam qvia rotundæ qvoqve magnus interdum uſus eſt in argutis & magnificis inſcriptionibus. ROTUNDAM (50.) voco periodum, qvæ inſtar lubrici ſerpentis ex uno membro numeroſe continuato & ſinuosè reflexo componitur. Verum *harmonicus* iſte *numerus* non ex membris ſibi ex adverſo aut æqvo oppoſitis, ut in conciſa, exiſtit, ſed ex tribus aliis virtutibus, qvæ periodum ſvavem & pulchre cadentem faciunt qvæ ſunt: SCANSIO pedum, PULCHRITUDO verborum, & QVANTITAS juſta.

(50.) Ariſt. 3. Rhet. c. 9. Supinam dicimus qvæ uno membro conſtat.

Et ut poſtremum primo expediam intelligenti diſcipulo ad cognoſcendam QVANTITATEM PERIODICAM ſufficiet verbulum ab autore noſtro (51.) jactum *magnitudinemqve* MEDIOCREM. Sed mediocritas menſura eſt, qvam Deus in ſapientis pectore recondidit. Qvare M. Tullius in Oratore illam ad oculum demonſtraturus, periodo ſphæram *qvatuor hexametris* æqvalem nec ampliorem præſcribit. Rectius forte *ſtropham odarum Lyricarum* præfiniiſſet, quoniam (ut dictum eſt) ab his Thraſymachus nomen & exemplum periodi cepit. Sed hoc eſt periodos acu definire. Et qvomodo acutis ingeniis una menſura ſatisfacies? qvomodo ad eandem qvantitatem conceptus adeo diverſos exiges? niſi forte ut Procuſtes ad lecticulum qvendam ſuum miſeros hoſpites applicabat, aliis grandioribus truncans genua, aliis brevioribus eadem fidiculis diſtrahens? Paulo doctius in tertio de Oratore aures auditorum menſuram facit breviſſimarum, & Spiritum Oratoris metam longiſſimarum periodorum. *Modo ne circuitus verborum ſit aut brevior, qvam aures poſtulent: aut longior, qvam vires & anima patiatur.* Satis recte: ſed qvid de periodis ſcriptis in hiſtoria dicemus qvarum non auris ſed oculus auſcultator eſt? Non lingua ſed charta pronuntiatrix? Atqvi & hiſtoria ſcripta ſua intervalla, ſuas periodos reqvirit, multum (52.) à concionibus popularibus diverſas. Autor (53.) itaqve noſter ab altiori radice MEDIOCRITATEM PERIODICAM repetiit & demonſtravit. Poſtquam enim periodum definiverat: *numeroſam compoſitionem, qvæ per ſe ipſa*

(51.) Ar. 3. Rhet. c. 9. periodum appello compoſitionem qvæ per ſe principium habet & finem.

(52.) Ar. 3. Rhet. c. 12. non eadem elocutio eſt hiſtorica & concertativa.

(53.) Ariſt. Rhet. 3. c. 9.

ſa principium habet ac finem, magnitudinemque MEDIOCREM: ſubjicit; *qua compoſitio* SVAVIS *eſt* & DILUCIDA. Hinc (54.) duas iſtas voces explicans SVAVITATEM derivat à *brevitate*, cum intellectus humanus ſententiam aſſeqvi gaudeat, non tædioſa via anabolicarum locutionum, ſed brevi gyro ordinatorum verborum. Hinc CLARITATEM deducit à *compoſitione numeroſa*, qvæ ſententiam ſvaviter memoriæ inſtillat. Statim itaqve ac periodus finit, conceptus in memoria reſonat atqve alius exſpectatur. Jam igitur in periodo utrumqve conjungas, ut & conceptus *numero Oratorio* conditus ſit & comprehendi atqve retineri *memoria*, qvando terminatur, poſſit: hæc erit QUANTITAS MEDIOCRIS periodi. Unde intelligere potes, MEDIOCRITATEM, qvam Philoſophus noſter in periodo reqvirit, non eſſe *arithmeticam* qvæ brevi verſuum numero conſtat, ſed *Geometricam*, qvæ auditoris capacitati reſpondet.

Ex qva ratiocinatione primum hoc colligitur, periodum rotundam qvoqve *figuratam* eſſe, cum numeroſa compoſitio eam ex vulgari loqvela eximat. Deinde *Epigramma* breve, *ſtropham Horatianam*, aut *Pindaricam* vocari poſſe *periodos poëticas:* cum & numerum metricum & quantitatem memoriæ congruentem habeant. At pendens oratio non item; qvoniam utut numeroſa ſit (55.) proportionem tamen non ſervat eſtqve ex tot periodis revera compoſita qvot punctis diſtingvi poteſt. Præterea, ſi duobus verbis argutam ſententiam explicares, ut Lacedæmonii Phillippo: DIONYSIUS CORINTHI: non erit tamen periodus, cum (56.) nimia brevitas numerum non habeat. Porro dicta ex articulis ſeu inciſis compoſita, ut illud ab autore noſtro laudatum: VENI, DIXI, SUPPLICAVI. Et illud Cæſaris: VENI VIDI VICI: utut neſcio qvam concinnitatem præferant, non magis tamen ſunt *periodi rotundæ*, cum ne unum qvidem membrum habeant. Potius ſunt tres conceptus, qvi tamen in unum periodi gyrum potuiſſent includi, ut ſi Cæſar pro roſtris ad populum Romanum dixiſſet: *Tam diligenti ſtudio, Qvirites, tantaqve Reip. felicitate Gallicam expeditionem Britannicamqve vobis expedivi, ut nullo ferè temporis interjectu venerim, viderim, vicerim.* Hinc etiam diſces, eandem mediocritatem periodi, nunc majori nunc minori circuitu definiri.

(54.) *Ariſt. ibid. Suavis quidem, quoniam ſemper aliqvid ſe habere auditor putat, cum ſemper aliqvid terminatum ſit dilucida vero qvoniam memoria facile retinetur. Quod accidit, quia periodus numeroſa eſt.*

(55.) *Ar. ibid. Si prolixa eſt, non eſt dilucida.*

(56.) *Ar. ibid. Sed neq; ſi brevis. Nam qva brevi membres*

definiri. Eandemqve tam ad ſententiam, qvæ implet periodum qvam ad capacitatem Auditoris accommodandam eſſe. Qvam ob cauſam minorem ambitum verborum ſcriptæ qvam recitatæ periodi requirunt. Cum enim ingenium humanum minus promtum ſit figendæ de labris fugienti ſententiæ, qvam ei, qvæ paginis inſcripta eſt: neceſſe eſt ut recitator auditori circumſtantias numeroſius minutatimqve deſignet, qvas lector ipſe per otium conſiderare poteſt. (57.) Atqve è contrario oratoriæ iſtæ & in gyrum currentes periodi, qvæ *audita* mirabiles clamores excitant, *lecta* videntur agreſtes, nec aliam admirationem pariunt, qvam qvomodo tantum admirationis pepererint. Eadem de cauſa majorem & numeroſiorem tractum reqvirunt periodi in Exordiis, dum Auditor recens adhuc attentus eſt, qvoniam in fine memoria feſſa atqve auribus ſatiatis, cum veluti ad numerum occalluerunt, periodus acutior fieri debet, & ex enſe in acum converti. Sic etiam *multitudini* majores adhibendæ ſunt periodi qvam *paucis & ingenioſis auditoribus*: cum illa ſit inſtar hominis obtuſi & ſurdaſtri, hi vero inſtar hominum liqvido ſolertiqve auditu. Unde his vel ſigna ſufficiunt. Iſtis inclamandum eſt periodorum ſono & magnitudine, cum alteri intellectum in auribus, alteri aures in intellectu habeant.

Qvantum ad SCANSIONEM, qvam dicebamus alteram periodi *virtutem*: etſi proſa numerum certum non habeat, habet tamen certum numerum, qvi aures audientis vel juvat vel offendit, pedibusqve non minus ac ſoror ipſius poëſis menſurari poteſt. Et quanqvam auditor ſcandere neſciat, nihilominus ſemina artium omnium in mente humana ſparſit natura, ut hic ſymmetria ædificii & proportione picturæ lætetur, qvi pingere nunqvam didicit, nec ædificare. Atqve hoc multo magis in poëſi & muſica, qvarum cuiqve inſitus eſt qvaſi ſurculus. Hinc pueri nondum proſodia tincti majorem voluptatem capiunt ex verſu numeroſo & perfecto, quam ex imperfecto, & aſpero: & legentes Catilinariam aut Verrinam naturaliter modum numeri aſſeqvuntur, & periodice cantant; qvin & rudes atqve indocti in theatro currentem & numeroſam periodum labris apertis ſorbentes, ejus tempora motu capitis notant & in fine ſe erigunt, rident, plaudunt, judices facti

ſunt, periodi non ſunt. Præcipitem enim angunt auditorem.

(57.) Ariſt. Rhet. 3. c. 12 hiſtorici qvidem in concionibus anguſti ſunt: Oratores autem boni cum leguntur agreſtes videntur qvia concioni congruunt.

eventus, cujus cauſam ignorant. Sed qvales & qvantæ ſcanſiones rotunditatem periodo canoram numerumqve gratum concilient, ſi qvis ad calculos revocare vellet, præterqvam qvod proſam natura liberam injuria vinculis adſtringere videretur ſicut proſodiam natura ſervam, etiam operam ſuſciperet & ſtultam & infinitam. Nam has duas ſolas voces DIUTURNI SILENTII metiri licet dibrachy, ſpondeo, duobus jambis ad hunc modum: *Diu-turni - ſilen - tii -*: aut etiam Anapæſto, Cretico & Jambo: *Diu-tur - niſilen - tii* aut etiam dibrachy, bacchio & Cretico *Diu - turniſi - lentii* & aliis pluribus, qvam qvot ſyllabas habet modis. Qvale igitur ingenium tam ingenioſum foret, qvod modum in tot modis atqve ſimilitudinem in tanta varietate periodorum currentium inſtar torrentium reperiret? Sed ſi vel mediocriter qvantitates ſyllabarum tenes (ſine qvibus tantum poteris de harmonia periodica, qvantum Midas de lyra judicare) communem hunc aphoriſmum tibi præſcribo, ut ſicut ars aurigæ poſita eſt in regendis duobus contrariis inſtrumentis *freno & ſtimulo*, hoc ad tarditatem accelerandam, illo ad celeritatem eqvorum retardandam: ſic ars periodorum ducendarum poſita ſit in opportuno uſu *pedum lentorum*, qvalis eſt Spondeus, & *velocium*, qvalis eſt Dactylus Tribrachys & Anapæſtus qvos heroicos vocant. Qvo periodus tua, nec moram faciens nec præcipitata, & expedita & gravis ſimul incedat & utraque virtute à vulgari & plebeio ſermone *recedens* harmonice fiat *figurata & peregrina*. In hunc finem animadvertere debes arcanam noſtri autoris obſervationem (58.) jambum pedem eſſe præ cæteris mancum & qvaſi claudicantem, cum ex duabus tantum ſylllabis conſtet, altera brevi, altera longa, atqve adeò verſum jambicum, qvalis eſt hic:

Beatus ille qvi procul negotiis.

Eſſe & magis qvotidianum & minus numeroſum ex omnibus metro ligatis compoſitionibus. Hinc apud antiqvos Comicos jambi familiariſſimum atqve ſervilem Davorum & Tranionum ſermonem faciunt qvin (59.) & ſæpe accidit, ut cum ſolute loqvi te exiſtimes imprudenti tibi verſus Jambicus excidat. Idem dico de Choreo, qvem (60.) Autor noſter Trochæum vocat utpote qvi in officina

(58.) Ar. 3. Rhet. c. 8. Jambicus vero vulgaris oratio eſt.

(59.) Ar. ib. icci rco ex omnibus metris jambica ex tempore maxime dicunt.

(60.) Ar. ibid. Tro-

officina ejusdem proportionis, qvanqvam contrario habitu, fabricatus eſt, cum alter ex brevi & longa alter ex longa & brevi compoſitus ſit: ut ſi diceres: *Flante vere terra ridet*; qvale erat metrum plebejorum per compita ſaltantium, unde & hunc pedem autor noſter in turbam rejicit. Qvod ſi enim dicas

Chaicus autem tripudiis aptior.

O beatus ille qvi domi ſeneſcit.

Nonne audis ſex illos chorei pedes referre proſam trivialem & humi repentem? Cum ſpondæus totus rigidus & gravis, atqve heroicus totus tripudians & ſonorus, orationem à communi familiaritate vindicent. Qvoniam igitur ſi periodus tota ex *jambis & choreis* texeretur, nimis familiaris eſſet & vilis: ſi ex ſolis *ſpondæis*: nimis gravis & tædioſa: ſi ex ſolis *heroicis*, nimis ſaltans & læta: ideo periodum ſic debes regere & tractare, ut jambi & chorei, ſine qvibus æqvalis tenor in oratione ſervari non poteſt, ſuo loco nunc diviſi, nunc conjuncti audiantur, atqve ubi repere videntur, ab heroico excitentur, & heroici audacia à ſpondæi ſeveritate mox temperetur & corrigatur. Verum eſt in ampla periodo ſæpius freno qvam ſtimulo utendum eſſe, ſpondæo potius qvam heroico, cum una ſyllaba brevis orationem magis incitet qvam qvatuor longæ ſuſtinent. Qvæ proſa magis dura & aſpera eſt qvam hæc?

(61.) Ar. ib. Jambicus vulgaris oratio eſt ſed oportet ampliorẽ orationẽ facere ac vulgo alienam.

Cum Juno æternum ſervans ſub pectus vulnus.

Inſere penultimæ voci duas ſyllabas breves, & plenum atqve ſonorum verſum heroicum videbis procedere:

Cum Juno æternum ſervans ſub pectore vulnus.

Jam igitur rotundiores atqve harmonicas Tullii periodos metiaris: duas ſemper ſyllabas (niſi in heroicum incidas, qvi integer relinqvendus) conjungens, ſynalœphas atqve cæſuras, cum ſyllaba aliqva ſupereſt, conſtituens: Et deprehendes jambos & choræos facere veluti cantum Gregorianum (qvem Choralem vocant) & heroicos cantum figuratum, qvi majeſtate gravioris numeri ex Spondæis retardatur, ita ut ſi numerum ineas ſyllabarum, longe duplo excedant breves.

Sed hæc generalis doctrina adhuc facilior nobis ab autore redditur, qvi *finem* tantum *clauſularum* nos metiri jubet, qvoniam reli-

qvi pedes ab ultimis cincti, auribus non ſatis attentis ſine animadverſione elabuntur. (62.) Obſervat idem etiam rotundam periodum ex parvis *membris* neceſſario coaleſcere, qvæ qvidem non tanqvam membra periodi conciſæ ſe invicem ſuſtinentia atqve reſpicientia, perfectam menſuram habent, ſed ſucceſſive alterum alteri ſubjicitur, interpoſitis brevibus reſpirationibus, & tanqvam muſicis percuſſionibus usqve ad extremum membrum, qvod applauſum reliqvis omnibus eripit. Jubet igitur unumqvamqve clauſulam numeroſo aliqvo & pulchrè cadente pede terminari, ut tandem omnes ſuis intervallis varium gratumqve rythmum efficiant, non aliter ac numeroſa Cymbali intervalla aut varii geſtus Pantomimorum vel oculorum vel aurium oblectationem pariunt. *Harmonia* autem minutarum iſtarum *clauſularum* pariter ſita eſt, in recto uſu tam *freni* qvam *ſtimuli*, ut dextre ſyllabas ultimas nunc incites nunc cohibeas, ne metam transgrediantur, aut triviali & plebeia terminatione in terram procidant. Pro exemplo in medium afferam Analyſin periodi, qvam Romana roſtra unqvam audiverunt, maxime rotundæ & ſplendidæ, qvæ ſicuti ex pectore lætitia repleto, qvod vitam Romæ dederat, Catilinaria factione oppreſſa, emanavit: ſic videtur periodus in labris Oratoris & Orator in periodo triumphare.

(62.) *Ar. ibid. numerus autem elocutionis rythmus eſt cujus menſura deciſiones ſunt.*

Cicer. Catil. III. c. I.

Rempubl. Qvirites, vitamq́, omnium veſtrum (ecce primam clauſulam, qvæ nondum ſenſum facit) *bona, fortunas, conjuges, liberosq́, veſtros* (en ſecundam) *atque hoc domicilium clariſsimi imperii:* (en tertiam) *fortunatiſsimam, pulcherrimamque urbem: – hodierno die Deorum immortalium ſummo erga vos amore – laboribus conſiliis periculisq́, meis – ex flamma atque ferro ac pene ex faucibus fati – ereptam & vobis conſervatam ac reſtitutam videtis.*

Qvod dignius principium aut concione tanta aut oratore Conſule aut Oratorum principe aut nobiliſſimo atqve ampliſſimo univerſi theatro reperiri potuit? Finge nunc Ciceronem cum hoc nuntio in ſcenam proſiliiſſe atqve in hunc modum clauſulas qvaſi verſuum feciſſe:

Rempublicam, Qvirites, vitamq́, omnium
Veſtrum: bona & fortunas atqve conjuges
Veſtros liberos: atqve domicilium

Claris-

Clariſſimi imperii: fortunatiſſimam
Pulcherrimamq́ urbem veſtram: hodierno die
Amore ſummo Numinum immortalium,
Laboribus, conſiliis, & periculis
Meis: ab igne, ferro, fati faucibus
Raptam, atq́ vobis reſtitutam cernitis.

Nonne tibi videretur Prologus Davi Terentiani aut Plautini Tranionis, qvi ex culina aut ergaſtulo prodierunt? Et tamen vides, qvam parva mutatione periodus tam ſuperba abjecta ſit atqve viluerit. Compara nunc ſingulas clauſulas jambicas cum Tullianis, & videbis qvanta conſonantium varietate pes ultimus conſtitutus ſit, cum idem procedat (ut in Oratore perfecto nos admonuit) à prioribus pedibus tam varie conſertis adeoqve harmonicè permixtis, ut periodum ex æqvo amplam & lætantem efficiant.

Prima clauſula ad vocem usqve OMNIUM, verſum jambicum producit, verum huic qvi ſuccenturiatur ſpondæus, habenas tam pulchrè tenet, ut jambus duobus ſpondæis incluſus non poſſit concidere, qvin rigor ſpondæorem à jamborum mollitie temperatur.

Rempublicam Qvirites, viTAM QVOM-NI-UM-VESTRUM.

Qvi duo poſtremi pedes conjuncti formant nobilem illum pedem JAMBO-SPONDÆUM, qvo ſæpius orator auribus oblectandis periodum terminat. *Belli apparatus REFRIGESCENT; ut vos diſceretis LABORAVI. Impetus & conatus ſunt RETARDATI.* Altera clauſula minus ſevera eſt, qvamvis enim contumax ſpondæus illam ſuſtineat, idem tamen duobus imbellibus choræis mitigatur.

Bona, fortunas, conjuges LIBEROSQVE-VESTROS.

Qvi duo pedes ſimiliter conjuncti conſtituunt pulcherrimum illum pedem CHORÆO-SPONDÆUM, qvi in metro ejusdem virtutis eſt ac Dichoræus canorus rotundarum periodorum terminator. Sic finit ſeqventes: *Conſulibus, ceteriſq́ ultoribus DIMICAREM.*

 Ad

Digitized by Google

Ad poſteritatis memoriam GLORIOSUM: nunqvam de ſe PERTIMESCENT.

At tertia clauſula cum tripudio incedit ad lætum ſonum unius tribrachys, duorum jamborum, ac unius Anapæſti, & ſine modo exultaret, niſi à duobus ſpondæis in primo & qvarto loco retineretur:

Atqve hoc Domicilium CLARIS - SIMIM - PERII. In cujus fine cernis JAMBO ANAPÆSTUM, qvo orator non raro periodos ſuas exhilarat, ut non multo poſt: *Qvod ſalutis cer* TALÆ - TITIEST; *naſcendi in cer* TACON - DITIO. Et alibi: *Servio Sulpitio ſtatuam pedeſtrem ex hujus Ordinis ſenten TIA STATUI.*

Qvarta clauſula ad gravitatem primæ redit in jambo duobus ſpondæis cincto deſinens: *Fortunatiſſimam* PULCHER - RIMAM - QVRBEM: ubi denuo ampliſſimus ille JAMBO - SPONDÆUS aures & harmoniæ & venerationis implet.

In qvinta reſonat DICHORÆUS ille tantopere ab ipſo amatus & freqventatus, ut qvi popularem plauſum vi extorqvet.

Deorum Immortalium ſummo erga VOSAMORE. Et qvanqvam uſitate DICHORÆUM naſci faciat à jambo, aut pedibus etiam lætioribus, ut eo promtius decurrat, veluti in his: *In Lucium Flaccum La LIUS - CONFEREBAT. Qvem contemp SERAT, PERTIMESCIT. Niſi ſe ad arma CÆSARIS CONTULISSET.* Et in hac Carboniana, qvæ & à vocibus populi & ab ipſius ſcriptis tantum plauſum retulit: *Patris dictum ſapiens, temeritas fi LII COMPROBAVIT.* Hic tamen ipſi moderatores adhibet duos ſpondæos, cum ſententia ſit valde gravis.

E contrario ſexta clauſula qvippe magis familiaris humiliter deſinit in CHORÆO - JAMBUM:

Laboribus, conſiliis, pericuLISQVE - MEIS. Qvin tota clauſula ex jambis & choræis contexta planè humi reperet, niſi interveniret dactylus CONSILI*is* qvi illam terra levaret.

Tanto magis ſevera eſt ſeptima clauſula: qvippe qvæ loqvitur de *ferro & flamma*, ut periodus ad finem majori circuitu properans venerabilior videatur. Unde non ſolum terminum habet graviſſimum illum JAMBO - SPONDÆUM, ſtipatum ut prima & qvarta.

Digitized by Google

Ex flamma, atque ferro; ac pæ NEXFAU - CIBUS - FATI; ſed etiam ad mœſtitiam clauſulæ levandam non plures qvam duas breves ſyllabas invenies.

Multò gravior atqve imperioſior eſt ultima, qvæ præmiſſis continua ſerie ſex duriſſimis ſpondæis, deniq; verbum primarium ebuccinat, ſonoro illo CHORÆO-SPONDÆO qvi jambum ſeqvitur, ut majori impetu aures occupans admirationem excitet & cum admiratione plauſum unicum at exiguum Oratoris præmium: *Ereptam & vobis conſervatam ac res*TITU - TAM VIDETIS. Habes numeroſiores clauſulas qvas in periodis ſuis ut plurimum adhibere ſolet orator ille divinus, in qvibus animadvertis varietatem concordem, rotunditatem planam, libertatem devinctam, majeſtatem jucundam, artificium naturale, in numero harmonico ſententiæ accommodando. Porro animadvertis qvomodo periodus ſemper eadem & ſemper à ſe diverſa familiariter incipiat, lætanter progrediatur, & graviter acqvieſcat, verbo primario in extremum locum reſervato, ſine qvo multum audis, multa admiraris & nihil intelligis. Unde idem ſic præcepit: *Conſuetudo illa ſit ſcribendi & dicendi, ut ſententiæ* VERBIS FINIANTUR.

At hæ duæ doctrinæ & præceptiones de rotundanda periodo illis demum ingeniis ſerviunt, qvæ poëtici metri non ſunt expertia. At poſtrema hæc præceptio adeo facilis eſt, ut qvilibet ex vulgo etiam à muſis averſus de iſta & judicare, eâdemqve ſi velit, uti poſſit. Nolo tibi cerebrum turbare accentuum ac tonorum doctrina, ſeu acutus ſit, ſeu gravis, ſeu circumflexus, ex qvibus ultimus è latinitate hodie relegatus eſt, & reliqvi duo à Qvintiliano vocantur, Grammaticorum ineptiæ, ac orationis tenebræ, qvanqvam & hodie qvidam ludi magiſtri reliqvias eorum ſervent ultimas ſyllabas harum vocum acuentes: *Qvarè palàm, aliàs, verò, crebrò, ferò, profectò* non accentu ſolum, ut adverbia diſtingvantur à nominibus, ſed etiam tono vocis præcipitato. Nullum hic notabo accentum niſi in penultima, qvæ longa eſt, & antepenultima polyſyllabarum, ut ad propoſitum noſtrum verba SALTANTIA à JACENTIBUS diſtingvere poſſimus. Nulli facile adeo obtuſæ ſunt aures, ut diſcernere neqveat an *penultima* in verbis ſyllaba brevis ſit an longa. Qvilibet animadvertit diſcrimen, qvod

eſt

eſt in pronuntiando *concino* aut *concinno*, *noſceris* præſens & *noſceris* futurum *irrito* pro iratum reddo & *irrito* provanum reddo. Cujuslibet auris neſcio qvid lætius in his vocibus percipit: *plaudite*, *concedimus*, *impero*, *gaudeo*, *ſanitas*, qvam in iſtis: *Exſpecto*, *concedo*, *veniemus*. Iſta qvippe ſunt verba SALTANTIA & læta, hæc JACENTIA & pigra. Hinc ſpiritus capit pes *Creticus*, qvi in Muſica triplam facit tripudiare, & in ludis Cretenſibus arma pugnantium movebat, animosqve ſpectantium commovebat. Unde Terentianus exactus ille metrorum dimenſor, eum ſic deſcribit.

Optimus pes, & melodis & pedeſtri gloria.

Grandis igitur & ſonora decurret tibi periodus, ſi ejusmodi intervallis diſponas verba *ſaltantia* ac *jacentia*, ut nec illorum freqventia eamſaltare faciat inſtar picæ, nec parſimonia illam retardet inſtar currus fracti. Sed ſuo loco illa facias aut reſonare aut deſiderari, nunc ſola nunc geminata, & præcipuè (ſecundum præceptum Terentiani) in extremo clauſularum:

Plurimum Orantes decebit, qvando pede in ultimo.

Obtinet ſedem beatam, terminet ut Clauſulam.

Atqve hoc eſt illud artificium, qvo Sanctus Leo non verbis minus qvam factis *magnus* periodos illas ſuas ſtilo ſublimes argumento profundas veluti torno expolit, ut non alia cathedra niſi throni pontificii, nec alia lauru niſi triplicis regni dignæ videantur. Qvod ſi enim attente illas conſideres, ſonum & pompam naſci ſenties ex diligentia ſingulari in duabus rebus adhibita, una quidem, qvod membra verbo aliqvo *ſaltante* clauſerit, plerumqve ſyllabam brevem præmittens pro majori celeritate: Altera eſt qvod periodum verbo *jacente* terminet, cui ſaltans præmittit: ſicuti ſaltatores facto in aërem ſaltu poſtea recti firmiqve conſiſtunt. Exemplum habes in panegyrico duorum Eccleſiæ luminum.

Omnium quidem ſanctarum ſolennitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt PARTICEPS: *& unius fidei pietas* EXIGIT: *ut qvicqvid pro ſalute univerſorum* RECOLITUR: *communibus ubiqve* GAUDIIS CELEBRETUR. *Veruntamen hodierna* FESTIVITAS: *præter illam reveren-*

reverentiam, quam toto terrarum orbe PROMERUIT: *ſpeciali & propria noſtræ urbis exultatione veneranda eſt, ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt* EXITUS: *ibi in die martyrii eorum ſit* LÆTITIÆ PRINCIPATUS. *Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium, Roma,* RESPLENDUIT: *& quæ fueras magiſtra erroris, facta es* DISCIPLINA VERITATIS.

Atqve hic erat ſeculi illius ſtilus, qvo lingua latina inimicæ barbarei mixturâ cum ipſo imperio prolapſa, in digitos veluti pedum erecta incedebat, ut grandior videretur. (63.) Verum eſt freqventiam ejusmodi clauſularum ſaltantium artem aperire, qvæ tamen qvo minus apparet, eo pulchrior eſt, minusqve mentes auditorum diſtrahit, qvi ejusmodi caſus clauſularum exſpectatione occupantes plus numero qvam ſententiæ attendunt. Hinc M. Tullius etſi illis in exitu membrorum multum delectetur, ut in illa modo laudatâ: *Atque hoc domicilium clariſſimi* IMPERII, qvin nonnunqvam periodum iisdem claudat, ut: *non iſta quidem erunt meliora ſed certe condita* JUCUNDIUS. *Etiam in veteris fortunæ diſcrimen* ADDUCITUR. *Dolores querelasq;* COGNOSCITE. *Multarum delitiarum comes eſt extrema* SALTATIO. Nihilominus obſervabis ad tegendam artem & varietatem, qvæ ſatietatis medicina eſt, adhibendam, eundem ſæpius verbis jacentibus & parvis numeroſam illam exultationem compeſcuiſſe.

(63.) Ar. Rhet. c. 9. metrum cum artificioſum videatur veriſimilitudinem tollit & ſimul diſtrahit Auditorē cum attēdere faciat quādo rurſus ſimile dicetur.

Si qvis autem harmonicum iſtum numerum periodi rotundæ ſe non ſentire diceret: ei reſponderem, qvod Valerius Probus juveni idem dicenti: *Quoniam aures habes adeo felices, ut majus tædium non capias ex duritie quam ex numero Oratorio: abi & ſcribe quam potes peſſime, non erit quod tibi invideam.*

Ejusmodi aures habuit pater hiſtoriæ Romanæ Saluſtius, qvi breviloqventiam pro eloqventia oſtentans, ſpirituqve magis qvam voce loqvens ultimos periodi pedes abrumpit, ſæpeqve ex circulo arcum faciens, periodicum gyrum ſubito aliqvo monoſyllabo medium dirimit, & dimidium ſententiæ devorat. Audi ipſum: *Lucius Poſthumius & M. Favonius mihi videntur quaſi magnæ navis ſupervacanea onera eſſe, ubi ſalvi pervenire viſi* SUNT. *Si quid adverſi coortum* EST: *De illis potiſſimum jactura* FIT, *quia pretii minimè* SUNT. Eodem morbo afflictæ incedunt periodi claudicantes co-

gitabundi Taciti, qvi veluti nominis ſui amore ductus aut tacet loqvendo aut loqvitur tacendo. Cum enim in ea tempora incidiſſet, qvibus vera eloqventia evanuerat, ut ipſe confitetur, diffiſus ſe poſſe numeroſam Ciceronis facundiam æqvare, in contrarium iter deſperabundus ſe conjecit, & pro affluenti claritate, qva oratio illuſtratur, obſcura eam brevitate oppreſſit magisqve verba ſententiis qvam ſententias verbis exornavit. In qvo genere ſine difficultate ſectam fecit & novi ſtyli ducem ſe præbuit, utpote cum vitium facillime imitatores inveniat. Neqve tamen non (64.) autor noſter agnovit ejusmodi characterem orationis *ſuccincta & adſtricta*, qvam ipſe oppoſuit *Aſiatica & diffuſa*. Sicuti enim ex ductibus faciei qvidam laudantur ut ſucci pleni & delicati, qvidam rurſus ut ſubtiles & macilenti, ſed iidem adeo gratioſi & vividi, ut plus animæ qvam corporis in iis cernatur: ſic ſtilus (65.) *hiſtoricus* (ut ante dicebamus) adſtrictior eſſe debet qvam oratio contentioſa & popularis. Attamen in hac ipſa tenuitate elegans qvædam proportio, ſi non rotunda ſaltem concinna, qvalis eſt in Thucydide, elucere debet. Qvin etiam inter rotundas qvædam periodi de induſtria præcipitantur, ut dicemus, atqve hoc vitium figura eſt.

(64.) *Ar. Rhet. 3. c. 6. de amplitudine & brevitate orationis.*

(65.) *Ar. Rhet. 3. c. 12. Oportet autẽ non ignorare non eandẽ unicuiq; generi elocutionem congruere, non enim eadẽ eſt hiſtorica & conſertativa.*

Hactenus de *Scanſione numeroſa*. Venio ad ultimam periodi ROTUNDÆ virtutem, qvæ poſita eſt in PULCHRITUDINE VOCUM. Absqve hac enim qvæ eſſet harmonia metri? Certe ſicuti ex eadem materia bene aut male diſpoſita, palatium regulæ conforme aut difforme exſtruere, ſic ex iisdem pedibus ſonoram aut diſſonam periodum componere licet. Exemplo ſit verſus hic Claudiani, qvi ex mixtura trium dactylorum totidemqve ſpondæorum reſultans ſvavitatem cum majeſtate conjunxit:

Hæc largo matura die ſaturataq; vernis,

Jam iisdem temporibus Satyricus poëta hunc verſum cecinit:

Indignum coges: adimam bona: nempe pecus, rem.

Cantus magis Satyri qvam hominis, aptus potius muſis ſtrepitu rejiciendis qvam alliciendis. Neqve tamen Horatio deerat ſeu lyra ſonora ſeu dulce plectrum, qvando uti iis tempeſtivum erat: ſed in his

Digitized by Google

his ſermonibus ſatyricis ſtudio qvæſivit in verſibus heroicis cantum plebeium vel invitis Muſis. Id qvod idem indicavit:

- - Neq; enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: Neq; enim ſi qvis ſcribat, uti nos
SERMONI PROPIORA: *putes hunc eſſe poëtam.*

Hæc vero vocum pulchritudo naſcitur ex (66.) NOBILITATE RERUM SIGNIFICATARUM & ex SONO VOCUM SIGNIFICANTIUM. Qvantum ad primùm jam dixi, verba qvæ auribus non ſecus ac picturæ oculis (67.) transmittuntur, vivam rerum imaginem menti imprimere. Mens igitur inſtar Vertumni ad omnem vocem in formas repræſentatas convertitur, efficitqve ut anima gaudeat, ſi illæ gaudium ſignificent: exterreatur ſi illæ ſint terribiles: admiretur, ſi illæ ſint grandes: contemnat, ſi illæ ſint viles: qvas mutationes in ſuperciliis & vultu auditoris tanqvam in ſpeculo animæ naturali, niſi malitia obtegatur, manifeſto animadvertes. Revertere igitur ad INDICEM tuum CATEGORICUM & omnis categoria tibi ſuppeditabit voces PULCHRAS ſeu jucundas ſeu terribiles, qvæ ſimul & periodo amplitudinem & auditori oblectationem & tibi autoritatem afferent.

(66.) Ar. 3. Rhet. c. 2. pulchritudo vocabulorum in ſono & in ſignificatione eſt turpitudo quoque ſimiliter.

(67.) Ar. 3. Rhet c. 1. Ipſa nomina imitationes ſunt & imagines.

Et ut exemplum aliqvod tibi proponam ex CATEGORIA ſubſtantiæ, ſi nominas *Deum optimum Maximum: ineffabilem & ſimplicem triplicitatem*, *mundum archetypum & idealem: Deitatem* etiam gentilium animo impreſſam: *res ſacroſanctas & divinas, mentes angelicas, intelligentias motrices, ſpiritus beatos, formas materia intaminatas, genios tutelares, lares domeſticos, oracula, penates, divos, ſemideos, heroës & heroinas, Numinum concilio adſcriptos:* hæc omnia ſunt vocabula qvæ periodum venerandam excellamqve faciunt. Unde Romanus Orator cum ad populum verba faceret, ut non Arpino ſed cœlo demiſſus videretur, tanto ſono nomina Deorum Dearumqve inclamabat, qvibus non multum alias callidus ille tribuebat. Porro ſi nomines *mundum univerſum, almam naturam, corpora ſimplicia & ſempiterna, cœlum empyreum*, beatam regiam templumqve Deorum,

rotantes rotatoſqve *globos cœlorum*, raptores & raptos: *ſolem* cor mundi, inexſtingvibiles faces *ſtellarum fixarum* & errantium, ſpectatrices & ſpectaculum mortalium: *Aſtra* anni temporum indices *perigaa & apogaa* extrema planetarum in erroribus ſuis non errantium: auram æthercam ſalutares & benignos *influxus ſiderum* ſub axe *utriusque poli* immobiliter ſe moventium: *lunam* clavum & fibulam utriusqve mundi, *elementa inferiora* in reciproca inter ſe transmutatione immortaliter mortalia: *mixta corpora* ab illis & ex ſe generata: *ſphæram igneam:* tractum aëreum palæſtram *ventorum & nubium* auras ſpirabiles & ſpirantes: *meteoricas impreſſiones: iridem* aërei certaminis compoſitricem: *Zephyrum patrem*, *& rorem vegetabilium* altorem: chorum *avicularum* volitantem, *apes* murmurantes, *flores* ridentes, *ſylvas* frondiferas, *fontes* perennes, ſpeculum potumqve aurei ſeculi, immenſum vas *Oceani*, ſinuoſos lacus, *Euripos* ſeipſos vomentes & reſorbentes, vaſtum *terra globum*, fundamentum omnis rei in nihilo fundatæ, ſemper caducum & nunqvam cadens: *lapides* nobiles metalla locupletia: *aureas & inauratas glebas*, qvas eadem miſericorditer avara in duris viſceribus ſuis abſcondidit: lucidas *gemmas* divitem ſterilium arenarum meſſem, *margaritas* honorata concharum excrementa, *cryſtallinam glaciem*, qvæ pretium acqvirit ſoliditate, flexilia *corallia*, qvæ moriendo gemmaſcunt.

Deniqve *genus humanum* ex cœlo & terra concretum, formam immortalem in corpore mortali, *mundum parvum* cui magnus ſervit, *terram divinam & Deum terrenum*, diverſas hominum nationes *torrida frigidave Zona* habitatores, nobiliora *corporis membra*, *caput* tribunal *rationis*, *cor* vitalem ſpirituum officinam, *oculum* mutum cogitationum interpretem, *dextram* artium miniſtram, & inſtrumentorum inſtrumentum, prærogativam *ſexus maſculi*, unde honori ducitur nomen *viraginis*, *virtutis maſcula* facti virilis. Omnes hæ voces ſunt, qvæ ex claſſe ſubſtantiarum orationi nobilitatem & auditori voluptatem præſtant. Hiſce adjungere poſſumus nobiles ſubſtantias arte factas, *templa*, *theatra*, *regias*, *arcus*, *palatia*, *machinas*, *triremes*, ædificia volantia. Item nobilia inſtrumenta, ut *coronas*, *ſceptra*, *faſces*, *purpuram*, aut militaria ut *arma*, *vexilla*, *tropaa*, *ſpolia opima*. Et inſignia honorata: *mauſolea*, *ſtatuas coloſſos*, populum lapideum: è contrario ſi memorandæ ſunt *ſubſtantia horribi-*

Digitized by Google

horribiles cœcum & confuſum *chaos*, *diaboli*, *furiæ*, *Gorgones*, *larvæ*, *abyſſus*, *manes inferorum*, *umbræ*, *Jupiter tonans*, *Mars ultor*, *ſtella maligna*, brutus & ferus *Capricornus* duplex beſtia, *cometæ* pallidi mortis fæciales, triſulca *fulmina*, qvæ unum occidendo terrent reliqvos, prodigioſi *preſteres*, procellæ, *grandines*, *turbines*, *ventorum tempeſtates*, peſtiferi *Syrii*, gelidi *Aqvilones*, *anhelantes Vulcani & montes ignivomi*, profundi Tartari eminentes folles, naufragi *ſcopuli*, maris prædones rapaces *vortices*, qvi ſeipſos deglutiunt: corruptæ *paludes*, atræ *ſpeluncæ*, generales *conflagrationes & cataclyſmi*, qui, ut ſcelera filiorum terræ purgent, matrem nunc ſuffocant, nunc adurunt, *partus monſtroſi*, peccatum & ſupplicium naturæ, barbari *anthropophagi & Leſtrigoni* inhumani generis humani devoratores *Numidici leones*, *Hircanæ tigres*, *maculoſæ panthera* pulchritudines proditrices: crudeles *Hyenæ*, voce miſericordi deceptrices immiſericordes, *lynces rapaces*, venenoſæ *Ceraſtæ*, interfectores viſu *baſiliſci*, qvi intuendo trucidant, inſatiabiles *balænæ* natantia ſepulchra muti gregis, *Cerberus triceps* inferorum oſtiarius *Cyclopes*, *Harpyiæ*, *Plutones*, *Styx*, *Stryges*, *Lamiæ* & qvicqvid Africa inceſtuoſa tremendi aut inſolens fœcunditas poëtici ingenii peperit. Et artificia horribilia & funeſta: *amphitheatra*, in qvibus homines ſe mutuo occidunt luſus & ſpectaculi cauſa, *carnificinæ*, *carceres*, *patibula*, *numellæ*, *ſecures*, *gladii*, *globi ignei*, *bombardæ* fulmina terrena, omnes ſunt voces qvæ à ſententia animatæ, decere continuatæ, & ab epithetis ſuis valide ſuſtentatæ periodum æqvè *nobilem ac horrendam reddunt*, *& ex horrore ipſo naſcitur voluptas*. Audi Theſeum deſperatum & æqvè in metro ac argumento mirum, nonne qvodqve tibi verbum bombarda videtur adverſus fatum ſuum fulminans?

*Pallidi fauces AVERNI: voſqve TÆNA-
RII Specus:
Unda miſeris grata LETHES: voſqve torpentes LACUS.*

Nunc adeſte ſæva PONTI MONSTRA:
nunc vaſtum MARE.
Ultimo qvodcunq; PROTEUS abſcondit SI-
NU. &c.

Contra qvæ majeſtas orationis eſt, qva Juno utitur indignabunda in prologo furioſi Senecæ? Hæc non aliunde proficiſcitur qvam à vocabulis ſubſtantivis rerum magnarum & cœleſtium ab adjectivis ſuis ſtipatis:

Soror TONANTIS: hoc enim ſolum mihi
Nomen relictum eſt: ſemper alienum JOVEM:
Et TEMPLA ſummi, Vidua deſerui Æ-
THERIS:
Locumq; COELO pulſa, PELLICIBUS
dedi.

Commuta nunc voces nobiles cum ignobilibus, & videbis idem metrum humi repere, ut ſi ruſtica qvædam de fortuna ſua conqverens ſic loqveretur:

Ancilla RURIS: hoc enim ſolum mihi
Munus relictum eſt: ſemper ignavos BOVES
Et fœda parva limina obſervo CASÆ:
Fænumq; STABULO pulſa, JUMENTIS
fero.

Ab illuſtribus hiſce ſeu gratis ſeu ingratis nominibus naſcuntur verba pariter illuſtria, qvibus periodus exſplendeſcit: *Deificare*, *beare*, *inflammare*, &c. & adverbia: *divine, angelice, heroice.* Et adjectiva ſubſtantialia, magnifici orationis amplificatores: *divinus, angelicus, idealis*, *heroicus, diabolicus.* Et multi flexus peregrini & inuſitati, qvi qvamvis hactenus in rancidis Pandectis purorum Grammaticorum,

corum, à qvibus libera ingenia rigida tyrannide detinentur, locum non invenerint: nihilominus populo eo gratiores ſunt qvo graviores, cum unus qvisqve (ut de nominibus fictis dicemus) in ſcriptis ludicris ut Apulejus, & gravibus interdum, ut Laberius pro arbitrio qvædam poſſit fingere: ut *beatificari* pro exceſſu lætitiæ, *deificari* pro honore ſummo, angelificari pro rara pulchritudine, *adamanteſcere* pro duritie & obſtinatione, *gemmaſcere* de floribus, *margaritaſcere* de rore, &c. Sic *ſemidivinus monſtrificus, Gorgoneus, Plutonius*, Cerbereus, diabolicus & ejusmodi infinita qvæ ex ſingulari privilegio (68.) princeps noſter prudentiſſimus iis indulget, qvi data opera viam regiam ſe deſerere profitentur, qvod Ludio ille mirabilis in pictura faciebat. Et ſi qvis tibi dicam ſcribat: *hæc vox non eſt uſitata:* reſponde: *eſt mea.* Et ſi inſtet: *non eſt propria:* reſponde: *eſt figurata.* Nec in Categoria SUBSTANTIÆ modo ſed in omni ACCIDENTIUM categoria ejusmodi *verba illuſtria* efflorefcunt, qvæ ſuis coloribus actiones & ſubſtantias ipſas tam jucundas auditu qvam terribiles depingunt, atqve inſcriptiones & monumenta verbis pompaticis grandibusqve extollunt.

A Categoria QVANTITATIS naſcuntur hæc adjectiva: *immenſus, amplus, excelſus, nimius, excellens, auguſtus, infinitus, innumerabilis, giganteus, turritus, tranſcendens, labaſcens, ponderoſus, aſper, gravis. &c.*

A QVALITATE viſibili, *evidens, illuſtris, præclarus, ſerenus, elucens, ſcintillans, bellus perfectus, candidus purpureus, verſicolor.* Aut etiam: *ater, caliginoſus, deformis, gibboſus, maculoſus, contaminatus, lividus, decolor &c.* Ab auſcultabilibus: *canorus harmonicus, modulatus, rivi murmurantes, auræ ſuſurrantes* & ex oppoſito: *boans, tonans, ſtridulus fremens, ſtrepens, buccina clangentes &c.* Ab odoratis: *odora aromata, fragrantia thura incenſa Sabæa, Idumæa Opobalſama:* E contrario *graveolentes fœtores, ſulphura fœtida, mephites morbida, anhelitus putentes & corrupti &c.* à ſapidis: *dulce, ſapidum, nectareum, melleum, conditum:* & contra: *amarum, acerbum, acidum, nauſeoſum* &c. à tactilibus: *palpabile molle, tenerum, delica-*

delicatum, politum, umbra gelida, therma tepida: & contra: *aſperum, durum, rigidum ſcopuloſum, ſcabrum, glaciale, ignitum, toſtum* &c. à naturalibus: *vivax, vegetum, ſenſitivum redivivum:* & contra: *fragile, enervatum, impotens, caducum, exſangve, ſemi mortuum, cadaveroſum* &c. Ab intellectualibus: *incomprehenſibile inaſtimabile, indicibile, inopinatum admirabile memorabile, dignum faſtis, famoſum* aut contra: *infame vituperatum, à Deo hominibusqve maledictum &c.*

Ab affectibus: *optimus, jucundus, beatus, hilaris, genialis, blandus deſiderabilis* & oppoſita: *terribilis, formidabilis, horrendus tremendus, abominabilis exorandus, flebilis, funeſtus, feralis. lugubris &c.*

A moralibus: *ſanctisſimus, pius, innocens, humanus, civilis, magnificus, ſapiens docilis honeſtus, honoratus, verax, fidelis &c.* & contra: *impius barbarus, ſceleratus, fraudulentus, perfidus rapax, implacabillis, rebellis, rudis, inſanus &c.*

A RELATIONE: *paternus, avitus maritalis, viduus, amicabilis, inimitabilis, incomparabilis, unicus, rarus, ſingularis, dominicus, regius, nobilis ingenuus, gentilis, aut contra: adulterinus, ignobilis, degenerans, tyrannicus, ſervilis, plebejus, trivialis, inimicus, adverſus &c.*

Ab ACTIONE & PASSIONE: *potentisſimus, ſtrenuus, efficax, induſtrius, laborioſus, negotioſus, artifex, faber, autor, victor & triumphator.* Et contra: *violentus, pernitioſus, deſtructor* aut etiam *negligens, otioſus, non occupatus, percusſus, victus, triumphatus.* &c. à cauſis efficientibus: *deſtinatum, fatale fortunatum, inſpiratum: à cælo amatum,* & è converſo: *infelix, infortunatum, à furiis agitatum, coactum, &c.* Ab actionibus ceremoniarum: *myſterioſum, ſacrum, adorabile, inauguratum, ſolenne, feſtivum, feriatum, ſacrificatum aut* contra: *ſuperſtitioſum ſacrilegum, profanatum, excommunicatum.* Ab actionibus civilibus & judicialibus: *accuſatum, interpellatum, damnatum, punitum.*

A SI-

A SITU: ſublime, directum, ſubnixum, ſedens ſuperius. E contrario: *infimum, jacens, proſtratum conculcatum, inverſum, confuſum, inordinatum.*

A TEMPORE: novum, præmaturum floridum tempeſtivum, primitiæ, juvenile, perpetuum, ſempiternum immortale. Aut: intempeſtivum, abortivum, ſubitaneum, momentaneum, ſenile, mortale. &c.

A LOCO: publicum, privatum, penetrale, arcanum, capax amœnum, apricum patrium, domeſticum. Aut: *peregrinum, ſylveſtre, ſolitarium, inhoſpitum, forenſe, barbarum, exul, ab humano commercio excluſum &c. eremita.*

A MOTU; ſtabile, ſolidum, tranqvillum, placidum mare, Malacia: & contra: *tempeſtuoſum, undans, vacillans, rapidum, vagabundum, volubile, vertiginoſum, præceps, impetuoſum, inqvietum &c.*

Deniqve ab HABITU: *opulentum, dives, adornatum, armatum, coronatum, amentatum, gemmis, margaritis, ſertis ornatum,* aut contra: *pauper, lacerum, nudum ſpoliatum, male ornatum &c.*

In hunc modum ingenio tuo ex parvo hoc ſpecimine ſecundi *Indicis Categorici* potes exqviſitiſſima adjectiva accidentalia & *nomina & verba & adverbia* depromere, ut de ſubſtantiis tibi dixi, ut lumen & pulchritudo periodis accedat. Et ut documentum habeas, qvam aures impleant ſtilumqve extollant *ſubſtantiva & adjectiva illuſtria*: viſum eſt recitare particulam NEMESIS Scaligeri, qvæ meo judicio ſingularis illius ingenii maximè mirus fuit impetus:

NEMESIS.

Proles tonantis maxima, ac princeps Jovis,
Regina ſuperi, atqve inferi omnipotens Poli,
Numen triſulca vividum ac minax face,
Cuncta audiens, cuncta intuens Numen grave!

Fortunæ inani ſi qvis elatus rota
Ludentis auræ ventilatur impetu:
Nemeſis ſupremi conſcia, ac judex ſoli,
Noſtriq; vera temperatrix ambitus:
Tot illa clari lumina obtutus, qvibus
Vani reciprocæ excubant mundi vices,
Qvæ fata certo obſeſſa præſcribunt modo,
Qvo transtuliſti? aut qvanta ſunt, ſi adhuc
vides?
Rigidas furore freta cervices fero,
Secura recti, noſtra fert inſania,
Ecce implicatis ille conſeptus dolis,
Fucat venena melle tetra-perfidum
Vultum ſeqventur verba, non factam fidem.
Huic irruentes acuit inſidias furor:
Illi obſtinato pertinax tumens gradu
Protervientes qvia ſuccendit faces.
Ille impudicis turpiter ſectus notis
Ficto ſeverum fronte componens ſtatum
Picta fatigat ſiderum ſedes prece.
Delubra pace ſtructa, & aras Cœlitum
Diri profanat Martis inceſtus furor,
Ultrice morte & nocte lucifica premens.
Heu luce caſſum fulgida clarum genus,
Turpi cruentus obſidet cumulo cinis.
Cui militaris ſupplici ignovit manus,

Ani-

Digitized by Google

Animam petitas inter exhalat dapes.
Fas omne ruptum eſt, & pium. Probitas jacet.
Utinam jaceret: ſorte at exacta exuli
Phlegethontis hujus horridos linqvens ſpecus
Fugit, abiit, receſſit, ac reditum negat.
Elementa ſcelere victa: vita empta eſt nece.
Qvid amplius vis? qvid moraris? & licet?
O terra mater! O Maria Nereiferea!
O pulſa pictis alitum pennis ſola!
Audite cœli: audite vos cavi ſpecus:
Qvæq; ima late lubrico liqventibus
Subter latebris rore completis vada.
Et tu verendi conſcium ſilentii:
Cum prata noctis roſcido vultu madent,
Orbisq; tacitis ſub coloribus latet:
Cuncta intuentum ſiderum freqvens decus.
Propter novercæ copulas, nati grave
Patri imputatur funus: & vivit pater?
Gladiosne dicam? an judicis falſi minas?
Sicas? venena? an omne pœnarum genus?
Latices nocentes? noxias Cereris opes?
Minus tremendi Tartari periculum.
Saxum, Rotasq;, Vulturis dapes jecur,
Tetricum trifaucis Cerberi latrans caput,
Aut ſiqvid his monſtroſius qvicqvam eſt putem.
Huc acer, huc Jambe, feſtina, impete:

Sed qvalis olim Scenitis Grajum choris
Ferox olentem felle ſparſiſti caprum.
Qvæ prima; qvæ poſtrema ſacra manibus
Archilochiis dabo? aut perirato ſeni;
Qvi claudicante fortius currit pede.?

Audis hunc ſonum? & unde adeo aſſurgit; niſi à multitudine *objectorum nobilium* nunc *horrendorum nunc jucundorum*; qvæ ab adjectivis pariter illuſtribus ex qvacunqve categoria derivatis ſuſtinentur? Atqve ſic longo tractu ſemper elatus & ſemper varius deploſrare pergit ſeculi ſui noſtro parum diſſimilis calamitates.

Tranſeamus ad alium verborum ornatum, qvi ab autore noſtro vocatur SONUS: qvi ſonus naſcitur à PULCHRITUDINE SONANTIUM VOCALIUM: à PURITATE CONSONANTIUM & à GRANDITATE verborum.

Pulchra, *ſonora*, *clara* præ cæteris eſt vocalis A. Nam ſi mediocriter labra diducis, ſine vehementi anhelitu, aut lingvæ motu, flatum foras claré emittens, ſonabit litera A. animi nuntia tranqvilli & ridentis, prima præceptio naſcentibus infantibus à natura ſuggeſta atqve ideo principium Alphabeti & veſtibulum multarum moleſtiarum, ita ut hæc vocalis naturaliter ex pectore humano prodiens tanqvam natu maximus animæ partus cum anima ipſa & auribus maximam præ reliqvis omnibus ſympathiam retineat. Huic proxima eſt E. qvæ hujus vim aliqva labrorum compreſſione temperat, & minus qvidem *clara* minusqve *ſonora*, ſed aliqvanto fit *dulcior*, atqve adeo miniſtra eſt precum. Contra vocalis O. vocis organa præ reliqvis omnibus dilatans, & pectoris muſculos magis comprimens emittit ſonum magis *ſonorum* & magis *maſculum*, qvam ipſa A. Sed minus naturalem minusqve *dulcem*, aptumqve adeo potius turbandis qvam placandis animis, ita ut A. & O. ſe invicem ſuperantes altera qvidem *ſono* altera *dulcedine* de nobilitate certent, ſicuti lyra & buccina. Hæ tres itaqve ſunt vocales SONORÆ & PERFECTÆ: reliqvæ duæ prorſus ſunt moleſtæ & *inſuaves*, ſiqvidem vocalis U. deformiter projiciens labra, ſonum emittit ululantem, lugubrem & obſcurum. Loqvor de U. clauſa, cujus ſonus in ſuperficie

A. *E.* *O.* *U. clauſa.*

ficie labrorum coëuntium formatur, ſicut Galli & Longobardi pronuntiant *uſus, pudor, cantus*. Qvod ſi enim plenè pronuntias, ut qvando adhæret M. aut N. in *mundus umbra, imperium* ſicuti propius accedit formationi O & in cavo palati cœcum ſonum colligit, rugitui magis qvam ululatui ſimilem: ſic *nobilior* fit magisqve *ſonora* qvam U. clauſa. Unde Latini, Græcorum ON vertunt in UM *pheretron pheretrum, ſymbolon ſymbolum*: qvin multi Itali ut magis ſonoram efficiant orationem, *apertam* U. præ *clauſa* affectant eamqve vocant O. *clauſam*, qvæ alia non eſt qvam Græcorum Dipthongus ex O. & U. mixta. Sic inter duo labra tanqvam in vivario qvodam mirabiles producuntur partus. Deniqve qvantum ad I. primi delineatores Alphabeti qvi figuram vento & corpus ſono dederunt, non ſine myſterii pleno conſilio eam æqvè ſubtilem corpore ac voce depinxerunt, tanqvam dicere vellent: ITA ad qvatuor ſorores ſuas comparatam ne *jota* qvidem qvod dicitur valere. E diametro enim oppoſita vocali O. non formatione ſolum & ſono ſed etiam figura omnium eſt *acutiſſima & maxime exilis*, ut iſta eſt præ cæteris *maſcula & ſonora*. Unde rei muſicæ periti in his ultimis vocalibus U. & I. facere ſolent aliqvam vocis fractionem, ne cum illa obſcurum ululatum & hæc acutum tinnitum imitetur, cantor aut ululare aut hinnire videatur.

U. aperta.

O. clauſa.

I.

Ut igitur ſonum vocalium expendamus ſic dicimus A. eſſe tam *dulcem* qvam *ſonoram*, O. *ſonoram* magis qvam *dulcem*, E. *dulcem* magis qvam *ſonoram* U. *inſuavem* & *obtuſam* & I. *inſuavem* & *acutam*. Atqve adeo ambas parum commodas. Qvod ſi his qvinqve pro meritis locus deberet tribui, qvomodo Muſici proportiones notarum harmonicarum deſignant, poſſet ab acutiſſima incipiendo cum incrementis ſoni hic ordo conſtitui:

I. U. E. A. O.

Sic I. erit Cantus Oxyphonus: U. Megalophonus: E. Meſophonus primus. A. Meſophonus. O. Baryphonus. Sic ſupremus artifex, qvi ex harmonica temperatura mundum conſtruxit, cum homines ratione præditos fecerit, ratiocinationem harmoniam eſſe voluit. Imo chorus hominum iisdem proportionibus ſibi reſpondentem habet chorum animantium. Sicut enim voces ipſorum aliud nihil ſunt, niſi vocales ſine articulis:

 ſic

Digitized by Google

ſic vocales illæ, prout ſunt magis minusqve nobiles, aut ſonoræ, ita etiam voces illorum differunt. Unde linguæ latinæ parentes pro ſono vocalis voces illas propriis & naturalibus vocabulis exprimentes, *bOare* vocarunt vocem bovis, qvi græcum nomen dedit tonitru: *clAngere* vocem aqvilæ, qvæ nomen dedit claro buccinarum ſono: DrEnſare ſvavem cygni cantum: unde Ovidius: *cygni per flumina drenſant* ita ut cygni vox tantum ſono vincatur ab aqvilæ voce, & aqvilæ vox à tauri voce: qvantum E ſuperat A & A ſuperat O. E contrario *cUcUrire* galli moleſtum eſt propter inſvavem obſcuritatem literæ U: & magis adhuc moleſtum tInnInnIre pari ob exilitatem ſtridulæ J: unde idem poëta:

Parus enim - - pernoctem tinninit omnem:
At ſua vox nulli jure placere poteſt.

Hinc naſcitur *ſympathia & antipathia* vocalium inter ſe, ut A cum A vel E clarius ſonet ut: *arma mare, pater*, qvam cum U & J ut: *armus, maris patrui*, qvin & melius ipſi convenit familiaritas literæ O ut: *bombax*, qvam E ut: *papæ*, utut interjectionis ſignificatus idem ſit. Pulchriores itaqve magisqve ſonoræ erunt voces compoſitæ ex vocalibus maximè ſonoris, ſeu ſint uniformes, ut *in A tArtArA bArbArA pyramidum* aut tres illæ conjunctæ ut: *per Jovem tOnAntEm inde phArEtrAtOs, tEnEbrOſA lOcA, cOmprObArE, prOfAnArE, prOcrEArE, TAntAlEOs hauſtus ſpecus tArtArEOs, AchErOntA mOvEbo*, & aliæ ejusdem ponderis.

Eſt qvidem in varietate qvoqve magna harmonia, qvòd percipimus in teſtudine, cum chordæ omnes ſimul tanguntur, ubi auditus jucunda diverſitate & concordi diſcordia ſummopere afficitur. Qvare poſt voces ex tribus *vocalibus ſonoris* compoſitas pulcherrimæ erunt illæ, qvæ avidis auribus, qvanqvam ſine ordinē, omnes qvinqve vocales tranſmittunt, ut uno tempore in organo memoriæ concentum edant. Tales ſunt iſtæ voces: *cIrcUmſOnArE, JOcUndItAtE, JUdIcAtOrE, decreta SUpplIcAtIOnEs, ImpErAtOrUm virtute, ſi à SEnAtOrIbUs ImprObArEtUr.* Hinc Decius Lamberius ſtudioſus ſonoritatis exactor, cum deberet dicere: *homines EbrIOSOs*, dixit: *homines EbrIUIAtOs ut uno tempore chordas veluti omnes tangeret.*

Sed

Sed gratiores erunt illæ voces, qvæ ordinem ſervant qvinqve vocalium, cui aures aſſveverunt A. E. J. O. U. ut: *locus ille SAlEbrIcOSUs AcErrImOrUm hoſtium furor, qvAm bEllIcOSUs Imperator* & magis adhuc ſi ſecundum ordinem ſonoritatis procederent ut: *ſingula Reipubl. vulnera DInUmErAbO, philoſophiæ vItUpErAtOr.* Hinc & ſi vox *ImpErAtOr* grandis ſit ampla & ſonans: nihilominus cum auris ibi adhuc deſideret vocalem U. poëtæ figura pleonaſmi dixere *IndUpErAtOr.* Ex qva ratione tampulchre procurrit primus ille Virgilii verſus, niſi ob ordinem iſtum qvinqve vocalium? *arma vIrUmqvE cAnO.*

Dico amplius utut vox aliqva ſyllabas omnes aut fere omnes U & I vitiatas habeat: dummodo vocalis CONSPICUA *ſonora* ſit *& clara*, aures maximopere contentas eſſe. Vocalem autem CONSPICUAM dico (ut tibi hic aliud Rhetoricum arcanum revelem) qvæ eſt in *penultima* verborum jacentium, ut *imperAre*: *& antepenultima* ſaltantium ut *impErium.* Siqvidem is, qvi cùm emphaſi profert vocem iſtam *imperare* cum *penultimam* longam ſentiat, ibi ſuſtinet ſpiritum atqve duo integra tempora ipſi tribuit. Ita & in *antepenultima* aliqvantum commoratur ut majori energia ipſam enuntiet, in qva virtute conſiſtit pronuntiatio ſonora & emphatica oratorum, atqve illa non ſatis cognita vivæ vocis efficacia, qvæ animum verſat auditoris. Sed in *ſaltantibus* ut: *imperium penultima* RI tam rapide fugit, ut cum ſpiritus ibi conſiſtere non poſſit, in *antepenultima* PE ſe detinat, eamqve duplicata vi projiciat eſtq́; adeo hæc ſyllaba ſaltantium maxime *conſpicua.* Hinc igitur dico vocalem *conſpicuam & ſonoram* ea pollere vi, ut ſonitu ſuo medeatur vitio ſyllabarum moleſtarum & inſvavium ex literis U & I ſeu antecedentibus ſeu ſubſeqventibus ut: *mirAculum, inimitAbilis, viriditAtis, ululAtus formidAbilis, impErium, vultuOſus.* Sonore igitur ſine dubio decurrent periodi, in qvibus omnes ſyllabæ conſpicuæ vocum grandium ſeu jacentium ſeu ſaltantium vocalem habent ſonantem O. A. E. ut hæc periodus divini Oratoris in Philippicis:

NotEtur, Marci AntOnii nefArium bellum gerEntis ſcelerAta audAcia: his enim honOribus hAbitis SErvio Sulpitio, repudiAta rejectÆqve legatiOnis ab AntOnio manEbit teſtificAtio ſempitErna. Recita

cita hanc periodum ſuo tono, atqve deprehendes dulcedinem maximam poſitam eſſe in tranſitu ab una *ſyllaba conſpicua* ad alteram in verbis majoribus. Atqve has diſtantias eſſe illas, qvas Rhetores purgatis auribus (qvalis erat Favorinus) adhibent ad explorandum utrum ad complendum concluſionis gyrum ſyllaba adhuc deſit an abundet.

At qvoniam (ut antea dicebamus) varietas qvinqve vocalium harmonicam aliqvam ſuavitatem retinet: vix credibile eſt qvam acceptum ſit auri eas in qvinqve *conſpicuis* ordine ſeqventes animadvertere. Ita ut lingva Oratoris in gyro periodi nunc graves nunc acutas vocales attingens, ad eum modum qvo rota organi hydraulici in orbe faciendo nunc hanc nunc illam fiſtulam ferit, gratiſſimum atqve incredibilem concentum edat. Exemplum habes in primo membro periodi à nobis ſupra in exemplum laudatæ:

RempUblicam QvirItes, vitamq; Omnium vEſtrum.

Venio nunc ad CONSONANTES, ſine qvibus vocalium ſonus tantum efficeret, qvantum chordæ teſtudinis ſvaviſſimæ à plectro infirmo tactæ. Et certe res mira eſt, membrum humanum maxime exiguum parva velocis motus ſui mutatione, dum qvinqve vocales conſonantium articulis percutit, tot voces & verba formare poſſe, & unicuiqve voci tam variam ſignificationem ſubjicere, ut nulla ſit res, utut ne cerni qvidem qveat, qvam pauciſſimis accentibus, ſemper iiſdem & ſemper variis, in raſa mentis tabula non deſcribat. Nec humanæ voces ſolum ab humana lingua formantur, ſed qvemcunqve ſonum, etiam inanimatorum, animatum hoc organum exhibet, ſyllabis ejusmodi qvæ auri reddunt nunc buccinarum *taratantara*, nunc incudis *tinnitum*, nunc limæ *ſtridorem*, nunc aqvarum *murmur*, nunc auræ *ſibilum*. Et qvis dubitet corpus humanum eſſe mundi compendium, ex cujus ore rerum omnium ſoni proficiſcuntur. Qvem adeo varium peregrinumqve cantum modulatur luſcinia, qvem non ſyllabis articulatis agilitas humanæ lingvæ deſcribat & velocitas pennæ conſcribat? Ita ut non aures modo auſcultent, ſed oculi ipſi objectum ſuum transgreſſi cantum videant. En! duas periodos muſicas cantoris hujus volatici,

Digitized by Google

latici, qvas Marcus Bettinus notis metricis in *hilaro-tragœdia* ſua *ſatyropaſtorali* cantando veluti repetiit, ut incertus ſis, utrum luſcinia in poëtam an poëta in luſciniam mutatus ſit:

Tiùu, tiùu, tiùu, tiùu,
Spè tiù zqva:
Qvorrror pipi
Tìo, tìo, tìo, tìo, tix;
Qutio, qutìo, qutìo, qutìo;
Zqvò, Zqvò, Zqvò, Zqvò,
zi zi zi zi zi zi zi zi,
Quorror tiù zqà pipiqvi.

Qvod ſi homines etiam, qvid valerent hæ voces, intelligerent: (ſicuti revera omnis ſyllabæ mutatio ſignificationem habet occultam amantis aviculæ, unde amare ceſſans etiam canere ceſſat) poſſent forte à ſylveſtri hoc oratore diſcere non minus ſenſuum nobilitatem, qvam numeroſam & argutam figurati ſtili concinnitatem. Sed omnes ingenii limites exceſſit Hiſpanus qvidam, qvi lingua coriacea motus humanæ lingvæ effingens, & oculis adeo artificioſa lingua ſua loqvens, mutos ſurdosqve ab humano commercio dupliciter excluſos loqvi docuit: conſonis mortuis vivas reſonare fecit, loqvelam dedit ei, cui invida natura negaverat, opera divinitati reſervata æmulatus eſt & miraculis, ut ita loqvar, admirationem ademit. Res certe, qvæ vix fidem inveniat, niſi oculi noſtri in hominibus notiſſimis certiſſimum experimentum uſurpaſſent.

At hæc ſunt *conſonantium* miracula, qvarum aliqvæ ſine lingvæ aut dentium ope labris formantur: aliæ lingvam ſepimento dentium aut palato anteriori impingunt: aliæ in antro faucium interiori ſuam ſedem habent, ita ut primas poſſimus dicere *conſonas ſpiritales*, alteras *lambentes*, poſtremas *gutturales*.

Inter SPIRITALES unice dulcis & ſonora eſt P. qvæ ſola vi ſpiritus, labra clauſa clare valideqve aperit. Unde harmonica maxi- *P.*

 me

Digitized by Google

me ſyllaba eſt PA, qvæ pulcherrimam conſonam pulcherrimæ vocali jungit. Unde naturæ providentia factum videtur, ut infantes hac ſyllaba primum eos appellent, à qvibus vitam acceperunt. Ejusdem fere originis at diſparis virtutis eſt B. Unde lingua Latina
B. qvæ adhuc balbutiens *Byrrhus & balatium* dicebat, paulo adultior flatum augendo B. in P. mutavit, dicens: *Pyrrhus & Palatium.* Mollior
V. adhuc eſt V. ut *vapor, valor*, utut Græci non diſtingvant *Vita* & *Bita* ac hodienum gentes qvædam B. pro V. utantur, dicentes *Bibere* pro *vivere.* Hac fortior, ſed minus pura eſt litera F. cui reſpon-
F. det apud Græcos φ. unde Latini adhuc græciſſantes ſcribebant *phanum* & *phama* pro *fanum* & *fama*, qvæ tamen litera adhuc inſvavior eſt, qvoniam ſpiritus inter labra craſſe compreſſus perit, eundemqve ſonum edit, qvem follis compreſſus aut felis irritata, unde contemptim dicitur: *phy in malam crucem.* Ultima qvæ *ſpiritu* effertur litera eſt M. clarior qvidem dulciorqve qvam F. ſed mollior qvoqve,
M. cum labra diduxiſſe ſatis ſit huic proferendæ. Qvin ubi omnis alia conſonans ſpiritum à naribus ad labra avertit, ſola hæc naribus magis qvam labris ſonat, ut intelliges, ſi in pronuntianda illa nares occludas. Qvod ſi in fine vocum reperitur ut *animaM, vitaM*, ſeipſam & vocalem perimit, atqve à poëtis intercipitur & eliditur, ut adverſa metri euphoniæ.

Omnes hæ conſonæ ſine dentibus & ſine lingva proferri poſſunt. At ex *lambentium* claſſe *clariſſima* & maxime *ſonans* eſt L. ut
L. *labor.* Acumen enim lingvæ anterius palatum delicate contingit. Unde ob ſvavitatem, qva nulli conſonæ præter P. cedit, appellatur litera nutricúm, qvæ lallando ſomnum infantium provocant, ut interpretes obſervant obſcuri hujus verſus in Perſio:

Et ſimilis regum pueris pappare minutum
Poſcis: & iratus mammæ LALLARE recuſas.

Qvod ſi paulo inferius eadem agilitate palatum percutias, reſonabit
N. N. ut *navis*, qvæ tamen non eodem ſono nec eadem ſvavitate prædita eſt, cum & hæc ſicut M. per nares exſpiretur. Unde Valerius Corvinus, qvi ab expugnatione *Meſſanæ* cognomen traxit *Meſſana*, poſtea ob majorem ſoni ſvavitatem dictus eſt *Meſſalla.* At ſi lingvam
R. motu tremulo impingas palato audietur litera R. unde Maurus Terentianus:

Vibrat

Vibrat tremulis ictibus validum ſonorem.

Hæc eſt dura illa litera Oratorum principi adeo moleſta, ut æmulus
ei illudens exprobraret : *Qvalis tu es, Orator, qvi artis, qvam profiteris, primam literam non potes efferre?* Litera qvidem reliqvis omnibus robuſtior, ſed magis etiam ferrea & fera, qvæqve aures maxime radit, à Satyrico dicta *litera canina*, qvoniam imitatur ſonum
moloſſi rabioſe ringentis. Hinc Roma infans, ut aſperitatem hujus
literæ fugeret in carmine Saliari, qvod erat puerile ejus carmen, *casmina* dicebat pro *carmina* & *doloſi eſo* pro *dolori ero*. Qvæ res in falſam opinionem qvosdam induxit R. ante tempora Appii Claudii
Romæ fuiſſe ignoratam. Qvomodo enim Roma ſeipſum nominaſſet? Nomen certe ipſa dignum, qvod lingva tremente formatur,
ut in qva nominanda gentes omnes tremere debebant. Clarior magisqve ſonans eſt litera T. ut *taurus*, qvæ dentes ſuperiores lingvæ T.
acumine contingens, vocalem ſuam non ſine vigore ferit. Verum
eſt nos hodie non ea emphaſi T. exprimere, qvâ Græci olim & Latini. In actione enim conſonantium apud Lucianum S. litem intendit literæ T. eandem accuſans, *quod voci humanæ vim inferat.* Et Nigidius Figulus Senator inter Grammaticos & Grammaticus inter
Senatores, ut nomina & verba à natura nobis non ab arte ſuggeſta
eſſe evincat, ab experientia ſic concludit: *Vos*, inqvit, *cum dicimus: motu qvodam oris conveniente cum ipſius verbi demonſtratione utimur, & labias ſenſim primores emovemus, ac ſpiritum atqve animam porro verſum & ad eos, qvibuscum ſermocinamur, intendimus. At contra cum dicimus, nos, neqve profuſo intentoq́; flatu vocis neqve projectis labris pronuntiamus, ſed & ſpiritum & labias qvaſi intra nosmetipſos coërcemus. Hoc fit idem & in eo, qvod dicimus Tu & Ego & Tibi & Mihi.* Ex qvibus
hoc intelligitur qvod ſi Nigidius ejusqve æqvalis Cicero ad nos redirent, aut non intellecturos aut exploſuros latinitatis, qva noſtra
lingva utitur, pronuntiationem. Ad mitigandam energiam literæ T. inventa eſt litera D. qvæ alia non eſt, qvam ipſa T. minori vi D.
ſonans, atqve adeo dulcior, utut minus ſonora ſit. Unde Romani, qvi aurea ætate vixerunt, ſvavitatis cauſa *Alexanter & Caſſantra*
mutarunt in *Alexandra & Caſſandra*: & Græci ſæpius, cum Grammatica jubet ſcribere, *t*, delitias faciunt, & pronuntiant *d.* ut

δίνδαλον pro τίνταλον, & Itali pro *Spata & Strata* ut majores noſtri ſcribebant, ſcribunt *Spada & Strada*. Dulcior adhuc blandiorq́; eſt T. mollis, in qva lingvæ cuſpis inter cancellos dentium conjunctiſſi- *T. mollis.* morum ſubtiliter ſe inſinuat, ut in vocibus *gratia & malitia*. Cui ſi addas parvum motum produces literam Z. ut *zyziphus*, qvæ vocem *Z.* velut in fidibus ſvavi tractu plectri ſenſum extenuat. Unde hodie multi hujus conſonæ delitiis capti t. mollem in z. mutarunt, ſcribentes *grazia & conſolazione*, pro *gratia & conſolatione*. Qvæ res in mentem revocat argutum aliqvod dictum Mutii Leviteſcii, qvem cum amicus qvidam ejus è familia Mazzarellorum, homo ingenioſus & novæ Orthographiæ affectator, literis ſcriptis Muziū vocaſſet, argutè hic reſpondit: *Cave, obſecro mi Mazzarelle, ne ſi t. in meo nomine mutes in z, alius eodem jure z. tui cognominis mutet in t.* hoc eſt, te fatuum appellet. Contra ſi lingvam implens, & paulo altius palatum tangens, flatum expellas proferes literam S. ſibilantem potius qvam ſonoram, & pingvem magis qvam politam. Unde tranſalpini, qvorum aures delitias idiotiſmi Latini aut Italici non capiunt, loco *t* mollis & z pronuntiant *S.* S. ut *graſia* pro *gratia*, & *ſelus* pro *zelus*: pronuntiatio Latinis parum congruens, qvi tantum abeſt ut S. in aliena ſede locarent, ut illud ſæpius loco ſuo deturbarint, veluti pro *Osmen & Casmœna* ut vetus Latium loqvebatur, politius putarunt, ſi dicerent *omen & Camœna.*

C. Supereſt claſſis GUTTURALIUM, qvarum caput eſt C. ut *Caput*. Conſona verè ſonans, at dura & violenta. Dum enim pectus undam qvandam flatus ad fauces propellit, lingva reflexa palato interiori ſeſe opponit & reſiſtit, & ab hoc conflictu exiſtit litera hæc ſtrepitoſa dura & inſvavis. Sed ſicuti litera T. mitigata mutatur *G.* in D.: ſic C. dulcius pronuntiata in palato anteriori fiet G. qvod indicare voluit Terentianus: *Gamma penitus Kappa ſonat*. Hinc eſt, qvod etiam Itali qvidam delitiantes ſcribant: *Gaſtigo* pro *caſtigo*, ut qvidam inter latinos *gamelus* pro *camelus*. Qvod ſi mollius adhuc *G. mollis.* dentes tangas ſonabit G. mollis, ſcopulus lingvarum exterarum, qvæ dicturæ *genu*, literam maximè gutturalem dupplicant & qvaſi vomituri viſcera dicunt *HHenu*. Majorem difficultatem ſentiunt in *I.* I. qvæ eſt ipſa G. ſed magis tenera: unde loco *Jacob* dicimus *Gia-* *C mollis.* *cob*. Nec facilius pronuntiant exteri C. mollem, in *Cicero Cœlum* cujus

cujus loco ultramarini dicent *zizero* & Tranſalpini *Siſſero* utriqve ridentes Italorum *Cicicici* qvi tamen judices latinæ pronuntiationis magis idonei habendi ſunt, ut Carolus Magnus in graviſſima lite de pronuntiatione inter Italos & Gallos Muſicos judicavit. Majorem adhuc difficultatem præbet exteris C. qvam præcedit S. ut in *Scipio:* qvam vocem illi c. devorantes pronuntiant Sipio, ita ut in aliqvo occurſu ab Italis dignoſcerentur, qvemadmodum Galaaditæ ab Euphrataeis qvi pro *Schiboleth* dicebant *Sibeleth*. Non minus dura & inſvavis qvam C. eſt litera Q. qvæ eſt ipſa C. cum U conjuncta. Unde cognoſcitur, qvam ingrata ſit hæc litera, in qva dura conſonans brutæ vocali conjungitur. Qvin fuit cum Latini uterentur litera Q. loco C. ſimplicis, dicentes in tertio caſu *Qvi* pro *Cui*, ut perſpicitur in ridicula inſcriptione patrisfamilias, qvi priusqvam moreretur, patrimonium ſuum in ventre condiderat. *Q.*

SI QVI MINUS RELIQVIT, LIBERI SIBEI QVÆRANT, TU VIATOR VALE.

Eadem litera C. conjuncta cum S. aut G. parit aſperimam illam conſonam X. delicatarum aurium crucem. Nam voces illæ, qvæ temporibus matris Evandri flectebantur cum C. aut G. ut *greges gregis facs, facis, apecs apicis* poſtea in recto caſu ſcribi cœperunt: *grex, fax, apex*. Sed genti Latinæ ſubtiliori adeo intractibilis viſa eſt litera X. ut vocabula qvædam ſatis ſonora exenteraverint, ne aures audirent literam X. dicentes, *ala & velum* pro *axilla, & vexillum*. *X.*

Deniqve moleſtiſſima qvin & gutturalium literarum maxime terribilis eſt H. qvæ priſco & ſuo ſono prolata flatum evomit, & animam qvaſi extra gulam projicit, ut vocales animentur. Sic aurea ætate ſermonis Latini pronuntiabatur *mehercule, comprehendere, habitus, homo*. At noſtra ætate litera tanti ſpiritus ſpiritu planè caret, qvod primum induxit Ptolomæum Scriptorem clariſſimum, ut ex ſcriptis eam planè tolleret, qvam videret è viva voce ſublatam eſſe. Scripſit itaqve ſine aſpiratione *Abito, Onore, Umiltà, Criſto*, unde Abbas Gryllius vir ingenio amœniſſimo ludens dicebat: *Ptolomæus eſt latro, qvi Chriſto abſtulit literam H.* Utut ſit novam hanc Orthographiam multi nobiles ſcriptores ſecuti ſunt, & magno cum plauſu receperunt. Et ipſe, ſi renaſcerer nomenqve meum in aliqvo eſſet numero, libenter ipſis accederem. At ſuperiori ſeculo qvibus- *H.*

Digitized by Google

dam nimis grave erat in ſcholam reverti, & manum dare novo ſtilo, exiſtimantibus exiguo damno eſſe Reip. literariæ, ſi qvi literam illam, qvoad viverent, veluti conſumere pergerent: qvod veſtitui obſoleto accidit, ut tandem cum iis, qvi eo uſi ſunt, ſepeliatur. Ad hæc ſi latinam lingvam hæc litera ſpoliat nemo, utut hodie inutilis ſit, flatumqve amiſerit, atqve adeo non neceſſitatis ſed memoriæ cauſa ſuperſit: Qvis filiam ipſius lingvam Italicam adhuc viventem ea ſpoliaret, & veluti priſcæ gloriæ latinæ nobili nota privaret, cum Roma adhuc ruinis ſuis ſuperbiat?

Secundum haſce obſervationes poteris expendere *conſonantes* æqvè ac *vocales*, & ex illis reperies qvasdam *ſonoras & dulces*: ut P. L. T. qvasdam *dulces* ſed minus *ſonoras*: ut B. F. M. N. V. F. Z. G. T. & C. Molles: Qvasdam *fortes* ſed parum *claras* C. S. Q. Alias deniqve aſperas: R. X. H. Atqve hoc diſcrimen, mirum! non ſolum auris ſed etiam (69.) oculus animadvertit, ſiqvidem ab utroqve voces ad ſenſum communem & facultatem imaginatricem transmittuntur. Cujus rei ſi non aliud certe hoc te admonere poteſt, qvod ejusdem imaginationis virtute objecta viſui moleſta etiam auditu ſint gravia. Unde è converſo qvicqvid auditum offendit, etiam oculis in charta exhibitum imaginationem offendit. Primum igitur ex iis qvæ ante dicta ſunt cognoſces, *eas ſyllabas eſſe pulcherrimas, qvarum vocales à pulcherrimis & clariſſimis conſonis percutiuntur.* Unde haud paulo melius ſonat *pavor* qvam *favor*, *& cantus* qvam *qvantus & telum* qvam *Zelum*. Et è converſo *ubi conſona cum pulcherrima vocali conjungitur, ſyllabam eſſe maxime claram & ſonoram.* Tantum enim ſyllabis decedet laudis, qvantum vocales à perfectione ſua deſciſcunt. Sic *potens* magis ſonorum eſt qvam *patens*, & hoc magis qvam *petens*. Deinde hinc cognoſces rationem, cur conſonans conſonanti magis aut minus congruat, cum perſpicuum ſit *duas ejusdem generis clarius ſonare qvam duas diverſas*. Ut *LAtus* potius qvam *Batus & teLLus* qvam *teMPus & aPPello*, qvam *eXPello*. In ſimilibus enim lingua aut labra uno motu vim duplicare poſſunt, ſed in diſſimilibus duo reqviriuntur motus, & qvo hi motus magis ſunt diſſimiles, & inter ſe diſtantes; eo durior & contumacior erit ſyllaba. Unde T. facilius convenit cum L in *aLTus*, qvam cum C. in *aCTus:* ſiqvidem lingva facilius

(69.) *Ar. 3. Rhet. c. 5. Oportet legibile eſſe quod ſcriptum eſt & dictu facile quod idē eſt.*

Digitized by Google

cilius ab L. ad E. pervenit qvæ ſedes habent ad dentes vicinas, qvam ad C. qvæ ſitu adeo remota eſt & formatione adeo differt à T. ut lingua in hoc trajectu laboret. Hinc Boccacius, ubi R. duas ſyllabas ingreditur, majoris ſoni & claritatis cauſa in unam ſyllabam eas colligit, dicens: *dimoſteRRebbe* pro *DemoſtReRebbe & SoffeRRete* pro *SoffRiRete*, *& SomminiſteRRà* pro *SomminiſtReRà*, *& Lavorrò* pro *Lavorerò*. Eo autem major erit durities, qvo plures conſonantes concurrunt ut in *oBSCuRuS*, *oBSTupeſco*, quam Rhetores vocant *Synodum Conſonantium*. Hinc Itali noſtri qvando vox ſeqvens à duabus conſonantibus, qvarum prior eſt *dura & aſpera*, incipit: vocem antecedentem vocali terminant. Neqve enim dicunt. *iL. SCoglio*, *iL SPirito* ſed *lo SCoglio*, *& lo Spirito*. Atqve hæc Synodus eò erit difficilior, ſi ex aſperrimis conſonantibus R. & X. qvædam intervenerit ut *PeRSCRutari*, *oBSTRuctus SiXTRA*, *teTRaSTRophes*. Unde memini facetiſſimum eqvitem Marinium, cum odam Ludovici Porcelletti in laudem ipſius ſcriptam legeret, cui Horatiano more hic erat titulus: ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS, admirationem præ ſe ferentem dixiſſe: *Hic ejusmodi verſus facit, nec rumpitur?*

At è diverſo obſervandum, *nimiam ſyllabarum utut pulcherrimarum ſimilitudinem non nunqvam adeo affectate & ingrate ſonare*, *ut graci Oratores in ea cacophoniam ponant*, maxime ſi uniformitas balbutiem imitari videatur. Unde Cicero ſocium Marci Antonii cui nomen *Bambalio* ridebat, tanqvam nomen ipſum deſignaret hominem inepte loqvacem. Sermo enim ſyllabarum utut ſonantium iteratione balbutiens plus ſatis ridiculus videtur. Unde argutus Martialis in puellam luſit, qvæ molliter & affectate more infantium patrem adhuc TATA & matrem MA MA vocabat:

Mammas atq; Tatas habet Afra: ſed ipſa Tatarum.
Dici & mammarum maxima mamma poteſt.

Abſurdior evadit hæc ſimilitudo, qvando rem vilem & ignobilem repræ-

repræſentat, ut in Oratore Ciceronis: *Cum tu optime, Bru*TE, TE*neas*; qvo canis ad venatum incitari videtur. Et in plauto:

Faciam ut commiſta ſit tragiCO COmœdia.

Qvod gallinæ crocitationem refert, cum vox *Tragicomœdia*, utut ſyllaba brevior, politior ſonantiorqve decurrat. Et in hoc hemiſtichio Ovidiano multo magis: *CACAbat hinc perdix*, ab infinitivo *cacabare*, qvod vocem perdicis ſignificat, & aliud qvid innuere videtur. Ac ejusmodi alliterationibus, nimia conſonantia diſſonis, interdum argutiæ ridiculè mordaces veſtiuntur, veluti hæc, qva Romani qvidam celebrem ducem ſuperiori ſeculo Faventiam oppugnantem tetigerunt, cum is aliqvantulum balbutiret, atqve Romanorum illorum bona ſimul invaderet.

Ni ferro, & igne vicero Fa - FAventiam.
Magne Imperator balbe CU - CUraveris:
Torto repente capite FUR - FURcam imbuas:
Ille imperabit, qvem vocas PAPA - PAter.

Melius itaqve cadet oratio ex ſyllabis ſonoris *diverſi* qvam *unius generis* conſtructa. Unde Virgilius, cautus ille prædo, Ennio verſum ſubtrahens, qvi buccinam ad arma vocantem ſonare facit:

At tuba terribili ſonitu TARATANTARA dixit,

Noluit uti affectata hac ſimilitudine, ſed potius ſyllabis tribus, qvæ omnes ſonoræ ſunt:

At tuba terribilem ſonitum procul ÆRE CANORO Increpuit.

(70.) *Ar. Rhet. ad Alexandr. c. 24. vocales autē juxta invicē ponenda non ſunt.*

Deniqve animadvertes *ſimplicitate conſonantium ſyllabas tantopere ſuaves reddi qvantopere earundem geminatio & freqventia gravitatem & majeſtatem orationis, qvando curſus ejusdem ſuſtinendus eſt, auget.* Qvare maxima ſcriptoris diligentia in eo verſatur, qvo conſonantes ita committat ut nec earum copia exaſperet nec inopia nimis emolliat periodum, cum ex (70.) vocalibus continuatis exiſtat ejusmodi

Digitized by Google

modi fatuitas, qvam Oratores vocant *hiatum & boatum.* At ex utriusqve temperatura reſultat harmonia æqve gravis ac ſvavis. Mollis & enervata nimium eſſet oratio, ſi ita loqvereris:

Mea ea opinio, oculei ingenti acie, heroa munificentia, alea militia, eum hominem eximie evehi.

Difficilis autem & aſpera foret hæc:

Nos ſic ſtatuimus ſtudioſos Dynaſtas ſtrenuis tropæis verſutis aſtibus ſplendidis donis excelſiſſimos axes eſſe prætervectos. Ex qvibus priorem audis balbutientem, poſteriorem barbarizantem; in illa enim vocales conſonantibus, in hac conſonantes vocalibus præponderant. Qvod ſi vero æqva lance vocales cum conſonantibus diſpenſes ita, ut una vocalis ab una conſona clare pulſetur: aliter fieri non poteſt, qvin periodus tua inſtar placidi fluminis ſine alliſione & ſtrepitu in hunc modum decurrat:

Ita ſane judico, militari fama, vigili ſagacitate, munifica liberalitate, ſuper humana cacumina felicitatis animos evolare.

Qvod ſi majori gravitate eandem vis ingredi, ſicuti reipſa fieri non poteſt, ut hoc tractu diu continuetur oratio, neqve ſemper majeſtati argumentorum convenit: plumbum calceis infundes, id eſt, conſonantes plures adjicies in hunc mundum:

Nos ita conſtituimus, præclara triumphorum gloria, verſuta ſagacitate mentis, ac liberali munerum ſplendore ad urbanarum faſtigia dignitatum homines convolare.

Hinc nec aliunde proficiſcitur contraria Orthographia ſcriptorum æqve clarorum, qvorum alii conſonantes geminant, alii ſimplices retinent. Arioſtus enim aliiqve ejusdem Muſæ dulcem fluidumqve ſtilum conſectantes, conſonantes geminatas tanqvam ſyrtes orationis fugiunt, ſcribentes *apellare, avenire abandonare, aviſare ramemorare, ramaricarſi, rifermare, apreſſo, improviſo, imagine, talora,* & mille alia. Contra hodierni Academici, qvi majeſtatem & energiam ſuavitati præferunt, ſcribere malunt, *Auvenire abbandonare, auviſare, rammemorare rammaricarſi riffermare appreſſo improvuiſſo, immagine tallora.* Qvod ſi te, ut Herculem Prodici hoc bivium, ſuſpenſum & perplexum teneat: tutiſſimum puto ſi ſcribentium calamus aut typographorum licentia non repugnet, ut ipſam Italicæ linguæ matrem ducem ſeqvaris, id eſt latinæ lingvæ

Digitized by Google

conſvetudinem, qvæ uniusmodi eſt & per tot ſecula ſummo ingenio omnem literulam, omnes accentus examinavit, eademqve poteſtate orbi terrarum leges tulit & faciendi & dicendi: Hæc igitur ſicut ſecundum leges compoſitionis conſonantes geminat, in vocibus *appello, & advenio:* ſic Italice ſcribendum eſſe docet *appellare & auvenire.* E contrario, cum latine dicatur *rememoro, refirmo, apud, improviſus, imago talis,* etiam hæ voces in Italicam lingvam transferri debent cum ſimplicibus conſonantibus. Ubi autem Latina lingua viam præire non poteſt, ut in vocibus *abandonare & aviſare,* aliisqve infinitis è Gallia mutuo ſumtis: in arbitrio tuo erit, utrum velis ſeqvi Galliam qvæ conſonantes non geminat, an potius in modum latinorum ſecundum compoſitorum rationem dicere *abbandonare & auviſare* atqve adeo Italiam donare literis his geminatis B. & V. Qvod ſi vox adeo ſingularis eſſet, ut nulli Etymologiæ Latinæ aut græcæ obſeqveretur, ſicuti multæ ex barbaris ſpoliis Gothorum & Longabardorum relictæ; aut ſi inter ipſos Italos ſcriptores uſus eſſet adeo varius & incertus, ut plane tui arbitrii ſit, qvid ſeqvi velis: poteris indifferenter nunc hae nunc illa ratione uti, prout tibi commodum videbitur, ſeu exaſperare velis orationem, ſeu mitigare: qvomodo & viva voce, dum aut narramus familiariter, aut cum energia qvadam exaggeramus, voces easdem nunc minori nunc majori impetu exprimimus. Sic notat Valerius Probus magnum Virgilium, prout auris ſuadebat, aut numeroſa compoſitio reqvirebat, nunc *urbes* nunc *urbis* in qvarto caſu plurali, nunc *tres* nunc *tris*, modo *turrem* modo *turrim* dixiſſe. Vnde concludit celebris hic Grammaticus: *non eſſe ſeqvendas finitiones Grammaticas prærancidas ſed conſulendas aures.* Illud plane conſtat, ſi populus literatus veterem abuſum rationi latinæ repugnantem torrentis inſtar ſeqveretur, ut fit in voce Itala *acqva* cui litera C. magnum pondus adjicit, præter latinam originem, & in vocibus *eſaminare, comento, comune, Gramatica,* qvas gemina conſonante latina lex ſcribi jubet: doctrinam qvidem tibi retinendam, ſed vulgari conſvetudini in uſu ipſo concedendum eſſe: ut ex tuo arbitrio judices, ex alieno ſcribas.

Reſtat ut de GRANDIBUS verbis diſſeramus. Et certe docebit te auris ſana, ſonantiora eſſe verba grandia qvam minuta, qvoniam ſyllabæ

Digitized by Google

bæ longius protractæ tympanum auditus fortius percutiunt. Multo itaqve melius ſonat PORTENTUM trium ſyllabarum, qvam MONSTRUM duarum: utut res ſignificata ſit eadem. Et MONUMENTUM qvatuor qvam SEPULCHRUM trium ſyllabarum, & PALUDAMENTUM qvinq;,qvam INDUMENTUM qvatuor ſyllabarum. Atq; hæc ſunt *verba ſesqvipedalia*, hæ *Tragica ampullæ*, hi *alti cothurni*, qvibus heroici poëtæ fulcire ſolent repentes humilesqve jambos. At enormes illæ voces ut *Batrachomyomachia Homeri* & *Hypnerotomachia* Polyphili, & *Clunynſtaridiſarchides* Plauti & *magnificentisſimis viciſſitudinitatibus*:(71.)tam pronuntiatu qvam comprehenſu difficiles voces, non amplius ſeſqvipedales ſed qvadrupedales dici poſſunt. Hinc etiam melius reſonant voces *numeri pluralis qvam ſingularis*. (72.) Unde Poëtæ pro *portu* dicunt *portus in Achivos*. Qvin voces etiam viliſſimæ beneficio numeri pluralis admirabiles videntur, ut illæ Horatii, qvibus tam ſuperbe incipit, ut in nihilum deſinat:

AMBUBAJARUM collegia, PHARMACOPOLÆ;
Mendici, Mimæ, BALATRONES: hoc genus omne
Mæſtum ac ſollicitum eſt Cantoris morte Tigelli.

Ubi tres illæ voces auri qvidem videntur nomina heroica, qvæ tamen res nullius pretii ſignificant.

Præterea ſonantiores ſunt *Superlativi ut Optimus*, *Maximus*, *munificentisſimus*, qvam *bonus*, *magnus*, *munificus*. Sicut igitur diminutivæ voces ſententiam elevant & ridiculam videri faciunt, unde (73.) Autor noſter in Ariſtophane ridet *aurulum*, *veſticula*, *morbulus*, & Auguſtus in Mæcenate ſuo: *Manula*, *laſcivula*, *tenellula*, ita ſuperlativæ voces ſententiam augent & multiplicant: utut ex imperfectioribus vocalibus puta U. & I. conſtent, ut in hoc membro periodi Tullianæ in exemplum à nobis propoſitæ: *Fortunatisſimam pulcherrimamq; urbem*. Eadem ſi non majori vi pollent *verba cumulativa ut cogitabundus*, *palabundus*, *lacrymabundus*, *ominoſus*, *luctuoſus*, *plagoſus*,

(71) *Ar. c.21. Rhet. ad Alex. Oportet mediis uti nominib9 quæ ſcilicet neque longiſſima ſint neque brevisſima.*

(72.) *Ar. Rhet. c.6. Si multa pro uno ponas ut poëta faciunt: nã etſi unum velint ſignificare portum, dicunt tamen portus in Archivos.*

(73.) *Ar. 3. Rhet. c. 12. ut in Babyloniis Ariſtophanes.*

goſus, *vituperones*, *palpones*, *balatrones*, de qvibus alibi in derivatis. Unde Oratores primæ claſſis interdum aures Grammaticorum ejusmodi audacibus verbis lædere non verentur, ut Laberius qvi dixit *mulierem amorabundam & peregrinabundam*. Et Cato *hominem diſciplinoſum & conſilioſum* ſpreverunt latratum Grammaticorum, dummodo audirent acclamationes populi.

Magis adhuc tumultuantur verba *Compoſita*, qvibus ſecundum (74.) autorem noſtrum inflatur oratio. Ut Laberius *arietes lanicutes & reciprocicornes* & Nævius Memnonem *nocticolorem*, qvoniam niger erat, imitatus Alcidamantem, qvi mare vocavit *nocticolorem ſuperficiem*. Et Plautus inducens militem terribilem, vocat eum BOMBOMACHIDEM, qvaſi qvi muros ſolo nomine dejiceret. At modeſtiora eoqve laudabiliora compoſita ſunt, qvæ nomen aut verbum aliqva particula augent, cum ſonantius ſit *comprobavit* qvam *probavit*, *præclarus* qvam *clarus*, *intumeſcere*, qvam *tumeſcere*, & *qvam ampliſſimam* pro *ampliſſimam*. Sed de compoſitis agendi alius erit locus magis proprius.

(74.) Ar. 3 Rhet c. 3 Compoſita dictio dithyrambicis eſt poëtis apta, ſunt enim hi inflati.

Porro gravius ſonant verba jacentia & producta, ut *Imperator*, qvam ſaltantia, ut *imperium*, utut illa nec ſyllabarum numero, nec ſignificatione præſtent. Qvare Ennio latinæ lingvæ proavo tam jejunus eſt viſus ſaltans ille accuſativus *hominem*, ut qvo fieret gravior, barbare dicere maluerit, *miſerum mandebat homonem*. In qvo longa penultima longius auribus inſonat, qvæ ut diximus duo tempora continet. Deniqve *verba paſſiva* orationem reddunt magis ſonoram qvam activa. Sic hoc membrum: *prata fœcunda amnis perennis recreat*, multo fit pulchrius ſic expreſſum: *Pratorum fœcunditas amnium perennitate recreatur*.

Concludo igitur tanto minus ſonoram eſſe periodum, qvanto brevioribus vocibus conſtat. Harmoniam enim non recipit brevitas, ut intelligis in hoc verſu Enniano:

Si luci, ſi mox, ſi nox, ſi jam data ſit frux.

Et contra unum adjectivum qvatuor vel qvinqve circiter ſyllabarum, dummodo ſonorum ſit, ſufficit verſui animando etiam exſucco, ut ex rubo, qvod ajunt, fiat malum aureum. En pulcherrimum verſum, qvem Perſius pro exemplo orationis inflatæ affert:

Tor-

Digitized by Google

Torva MIMALLONEIS implerunt cornua bombis.

Et hunc Claudiani:

Ebria MÆONIIS fulcit veſtigia thyrſis.

Et multò magis ſi verbum ſit *productum*, ut in tribus pulcherrimis Ovidii verſibus:

Ira PHARETRATÆ fertur ſatiata Dianæ
Vaſta GIGANTEO jaculantem ſaxa lacerto,
Inter AVERNALES haud ignotiſſima nymphas.

Qvem Claudianus una ſyllaba ſuperavit:

Et PHLEGETHONTEÆ reqvirunt murmura ripæ.

Qvod ſi omnes voces erunt grandes, maximus qvoqve ſit ſonus totius verſus neceſſe eſt, ut Statius galeatus magis qvam laureatus poëta, ut arma magni Achillis pari ſtilo caneret, qvatuor verbis *ſeſqvipedalibus* poëma incipit, & verſum abſolvit:

Magnanimum Æacidem, formidatamq; Tonanti
Progeniem: patrio vetitam ſuccedere cœlo.

Idem de proſa dico unde verſatiſſimus ille in arte Oratoria, qvi exordium humiliter inchoari vult, ut paulatim creſcat animosqve occupet oratio: parvis vocibus & vocalibus exiguis utitur ut furtim ſe inſinuet: *Si qvid eſt in me ingenii judices &c. Si qvis eſt judices, qvi C. Rabirium.* Atqve ſic ſæpius. Aſt ubi arma oſtendenda ſunt, idem fiſtulam abjicere & tubam inflare ſatis doctus eſt. *Rempublicam Qvirites vitamq; omnium veſtrûm &c.*

Ut tandem concludamus, qvæ rotunditatem periodi conficiant, ſi in una periodo perſpicitur pulchra PROPORTIO in qvantitate, numeroſa DIMENSIO pedum, PULCHRITUDO verborum, NOBILITAS rerum ſignificatarum, SONORITAS vocalium

Digitized by Google

um ſaltem conſpicuarum, CLARITAS conſonantium, & GRANDITAS vocum: qvis erit triumphus eloqventiæ? qvæ aurium oblectatio? qvis populi plauſus? qvalis humani ingenii partus? At nimia, inqvis, hæc eſt opera pro mortali ingenio; cui reſpondeo *rotunditatem* periodi plus certe olei reqvirere, qvam *concinnitatem* qvæ eſt in conciſa, qvoniam in hac ſententia ipſa verborum ordinem facit, & ab æqvalitate membrorum naſcitur harmonia periodi. Sed in rotunda aurem eam eſſe convenit, qvæ omne verbum, omnem ſyllabam ſolicite reqvirat, & expendat: ejus vim intelligat: ſonum ponderet: metrum dinumeret; cum qvibus coire poſſit aut non poſſit obſervet; ſuam cuiqve ſedem aſſignet, & nunc ſtilum nunc limam adhibens ita ſuo qvæqve loco diſponat, ut, qvamvis omne verbum arte ſit periodo illatum, nihilominus ſponte eo veniſſe videatur. Non exactior ars eſt ejus, qvi in opere Muſaico elaborat, cum pavimenti figurandi gratia ex variegatis lapidibus, nunc hunc nunc ilium ſeligens, eo usqve experitur & rejicit, donec aliqvem formæ operis qvadrantem inveniat. At enim ad ejusmodi exactitudinem perveniunt poëtæ, qvi non ſolum omne verbum, ſed omnem ſyllabam, omnem literulam in ſtatera collocant, nec ſolum aurium conſilio ſed etiam rigidis & infinitis proſodiæ legibus coacte parent. Et nihilominus Ovidium legis adeo eleganter adeo naturaliter ſcribentem ut eadem ſententia aliis verbis in proſa oratione vix exprimi poſſe videatur. Claudianus qvoqve adeo dulcis eſt & harmonicus, ut ſi Muſæ loqverentur, vix ſvavius loqvi poſſent, & cum ægre in Virgilio verſus occurrat ſine ſynalœphe, ducentos ordine in Claudiano leges, prius qvam in ullam incidas. Sed qvantum ad proſam orationem, eandem exactitudinem Lucilius in periodis Albutii, & Cicero in dictione Callidii, eadem comparatione operis muſivi, iisdem qvoqve verſibus, ſumme admirantur.

Qvam lepide lexeis compoſtæ ut teſſerulæ omnes,
Arte pavimento atqve emblemate vermiculato.

Ejusmodi qvid obſervavit Favorinus in divini Platonis oratione: *qvantum*, inqvit, *mutaveris in oratione Lyſiæ, tantum detraxeris ſententiæ,*

tiæ; qvantum in Platone, tantum elegantiæ. Idem dices de Ciceronianis & præcipue de iſta periodo qvam in exemplum propoſui:

Rempublicam, Quirites, vitamqve omnium veſtrum, bona, fortunas liberosqve veſtros, atqve hoc domicilium clariſſimi imperii, fortunatiſſimam pulcherrimamq́; urbem, hodierno die Deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis periculisqve meis, ex flamma atqve ferro ac pene ex faucibus fati, ereptam & vobis conſervatam ac reſtitutam videtis. Nunc ſingulas periodorum virtutes ſupra memoratas mecum hic diſtincte obſerva. Et primum reperies PROPORTIONEM in qvantitate, aptiſſimam avidis populi auribus implendis. Neqve tamen nimis prolixa videri poteſt, cum claritas & unitas ſententiæ efficiat ut ab omni populari ingenio periodus integra capi, & memoria retineri poſſit, ut qvæ omnis ab uno verbo VIDETIS pendeat, qvod in fine tanqvam clavis periodi poſitum eſt. Qvantum ad DIMENSIONEM numeroſam, jam declaravi, qvam bene procedat, & qvam pulchre pedem ponat omne ejus membrum. Nec minus laudabilem reperies verborum PULCHRITUDINEM, qvoniam RES SIGNIFICATÆ nec illuſtriores nec ampliores eſſe poſſunt, ut puta nunc divinæ: *Deorum immortalium ſummo erga vos amore*, nunc civiles: *Rempubl. domicilium clariſſimi imperii*, nunc terribiles: *ex flamma atqve ferro ac pene ex faucibus fati.* Omnia ſubſtantiva, omnia adjectiva, ex nobiliſſimis Categoriarum fontibus derivantur. Qvantum ad SONORITATEM, multa vides verba ex clariſſimis VOCALIBUS compoſita, qvæ animam addunt membris, & illum conſpicuarum in primo membro concentum qvem demonſtravimus. Nulla eſt in CONSONANTIBUS durities, niſi qvod interdum geminatæ rapiditatem, ut diximus, inhibent periodumque majori gravitate decurrere faciunt. Qvod ſi qvibusdam vocibus vocales ingratiores inſunt, qvales ſunt U. & I. id propter caſus obliqvos evitari non potuit. Sed hæc non impediunt, qvo minus ſuavitatem referant, aut ſonoritas in vocalibus conſpicuis, aut claritas in vicinis, aut amica varietas, aut multitudo vocum GRANDIUM *pluralium, ſuperlativarum, compoſitarum*, qvibus interpoſitæ parvæ voces pro tendinibus ſunt & ligaturis, in qvo diximus ultimam maximamqve periodi ſonoræ perfectionem eſſe poſitam.

Neqve

Neqve tamen in longioribus orationibus hac diligentia omnes periodos concinnari volo, ſed tantum eas qvas majori arte elaborari intereſt, & præcipue inſcriptionum periodi ſummo ſtudio expoliendæ ſunt qvarum plurimæ gravitatis cauſa rotunda potius qvam conciſa forma exprimuntur, ut infra diſces. Hæ leges porrò exercitationi potius ſerviunt, qvam continuis orationibus, in qvibus illud potius retinendum eſt præceptum, qvod (75) autor noſter in periodis ornandis commendat: OPTIMAM ESSE LEGEM NEGLIGERE INTERDUM LEGES. Ad nimiam ejusmodi accurationem pertinet cenſura illa Plinii: *Orator hic nihil peccat, niſi qvod nihil peccat.* Eſt itaqve virtus oratoria in vitium aliqvod incurrere, ut & locum aliqvando dare *cacophoniæ*, ut excludatur *cacozelia* vitium nimii cultus, qvod arti erubeſcendum eſt, qvia illam renudat. Hinc videmus multa *aſpera, ſibilos, hiatus* de induſtria latinis græcisqve tam orationibus qvam poëmatis inſertos ea qvidem gratia, ut negligentia ipſa diligentiæ præſtet, & ſpontaneus error figura videatur. Sic elegans puella capillos ſuos ſine lege errare ſinit, qvi ita incompoſiti reſpondent figuræ Rhetoricæ, qvæ in compoſitionem peccat. Sic peritus citharœdus concentui dulciſſimo nonnunqvam admiſcet aliquid diſſoni, ut vel rideat eos, qvi ipſum rident vel ex habitu potius quam ex arte canere videatur, velut figuram imitetur *barbariſmi.* Sic deniqve oratio properata magis videbibur qvam affectata. Audi Romanum Rhetorem, ut noſtro conſentiat: *Habet enim ille tanqvam hiatus concurſu vocalium molle qviddam & qvod indicet non ingratam NEGLIGENTIAM hominis de re magis qvam de verbis laborantis.* Idem ipſe non refugit in periodo ipſius maximè rotunda, iſto hiatu velut oſcitans: *In otio cum dignitatE Eſſe poſſent.* Et alibi cum una voce dicere potuiſſet, MAGNOPERE eam dividit data opera dicens: *magno opere.* Et in Virgilio notarunt eruditi, cum primum ſcripſiſſet *vicina - Veſevo nola jugo* inducens poſtea vocem NOLA reſcripſiſſe: *vicina veſevO Ora juge.* Ut hac ovatione artificioſam Homeri negligentiam aſſeqveretur. Sic & Martialis in dulciſſimo Epigrammate in matrem mellis, qvæ in ſepulchro facta eſt gemma, diligenti potius negligentia qvam elegantiæ ſtudio ſyllabam nutricum iteravit:

(75.) *Ar. 3. Rhet. c. 7. neqve ſemper ſervanda eſt proportio ſic enim fallitur auditor, alioqvi aperte ars appareret.*

Dignum

Dignum tantorum pretium tulit ilLA LAborum.

Interdum & qværuntur aſperitates ſubtili calliditate, ut ſententiam ſono ipſo exprimamus. Sicuti Virgilius repræſentavit langvidum ſonum ſagittæ Priami, qvæ non trajecit ſcutum Pyrrhi ſed in ſuperficie hæſit:

- - - telumq; imbelle ſine ictu
Conjecit, rauco qvod protinus æRE REpulſum eſt.

Hæc de clauſulis periodorum in oratione continua non minus capienda ſunt, qvarum qvædam, ut varietate auditorem fallant, artemqve negligentia tegant, ut ante indicabam, in medio qvaſi curſu deficiunt, & gyrum abrumpunt. Talis eſt hæc non qvidem laudata attamen pro exemplo allata ab (76.) autore noſtro: (76.) *Ar. 3. Rhet.*

Poſt terras & aqvas Oceanumq; rapit atra NOX.

Ubi vides noctem rapidè ſupervenientem non tam involvere mundum mundo, qvam involare. In qva ratione etſi aures Ciceronis multum voluptatis non ſentiant: ſenſit tamen eam Virgilius, qvi cacophoniam qvoqve vitio majore adjunxit:

Vertitur interea cœlum, & ruit oceaNO NOX.

Et Ovidius præcipitium duplicavit:

Candidus interea nitidum caput abdiderat SOL
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum NOX.

Sed ut ad propoſitum revertamur, ſecundum hæc præcepta poteris exercitationem inſtituere pro arbitrio in veris aut fictis argumentis, componens inſcriptiones *harmonicè* ROTUNDAS, in qvibus *ſvavitas numeri, nobilitas objectorum & ſonoritas vocum cum periodi flexu ea proportione* decurrat, ut oculi obtutu eam percurrens ſimul & ſententiam menti impreſſam, & numerum memoriæ inhærentem ſentias. Pulcherrima exempla apud Gruterum reperies inter

Digitized by Google

inſcriptiones veterum monumentorum, qvæ utrum hominum ſepulchra an literarum cunas dicam, neſcio. Illic remota omni concinnitate, qvam Roma nondum cognoverat, obſervavi ſummam in ſententia gracilitatem, in epithetis nunc teneris nunc flebilibus nunc honoratis elegantiam, cum tanta ſvavitate & puritate ſtili conjunctam, ut adhuc hodie in domibus ſilentii vera latinitas habitare videatur. Unde Scaligeri, Lipſii, Puteani exactiſſimi noſtri temporis Logodædali theſaurum qvendam ſibi reperiſſe viſi ſunt, lapide aliqvo ex antiqvis ruinis eruto.

Sed præter reliqvas ſuperbiſſimæ, ut ego judico, ſunt inſcriptiones illæ, qvas æternæ benè meritorum civium memoriæ in ſeculis illis ſinceræ latinitatis ex decreto ponebat Senatus Romanus, utpote ex ipſis Senatus Conſultorum verbis excerptæ, à felicibus illis eloqventiæ parentibus dictatæ & ad trutinam ſcrupuloſæ Grammaticæ verbis elegantiſſimis & ampliſſimis adornatæ, qvæ in orationibus contra Antonium à Cicerone vocantur: VERBA AMPLISSIMA, SINGULARIA VERBA, CLARISSIMÆ LITERÆ, QVAM AMPLISSIMA MONUMENTA, LITERÆ DIVINÆ, VIRTUTIS TESTES SEMPITERNÆ. Ex his SENATUS CONSULTIS HONORARIIS qvædam ab ipſo Cicerone dictata & recitata in orationibus iſtis leguntur, qvæ haberi debent pro theſauro inæſtimabili. Unum memoriæ dicatum eſt Oraculi illius Jurisprudentiæ Servii Sulpitii, qvod tale eſt: *Philipp. IX. c. VII*

Cum Servius Sulpitius Qvinti filius Lemonia Rufus, difficillimo Reipubl. tempore, gravi periculoſoq́ morbo affectus, auctoritatem Senatus ſalutemq́ populi Romani vita ſua præpoſuerit, contraq́ vim gravitatemq́ morbi contenderit, ut ad caſtra Antonii, qvo Senatus eum miſerat, perveniret, isq́ cum jam prope caſtra veniſſet, vi morbi oppreſſus vitam amiſerit in maximo Reipubl. munere, ejusqve mors conſentanea vitæ fuerit ſanctiſſime honeſtiſſimeq́ actæ, in qva ſæpe magno uſui Reipubl. Servius Sulpitius & privatus & in magiſtratibus fuerit, cum talis vir ob rempubl. in legatione mortem obierit: Senatui placere Servio Sulpitio ſtatuam pedeſtrem æneam in roſtris ex hujus ordinis ſententia ſtatui, circumq́ eam ſtatuam locum gladiatoribus ludisq́ liberos poſterosq́ ejus qvaqva verſus pedes qvinqve habere, qvod is ob Rempubl. mortem obierit, camq́ cauſam in baſi inſcribi.

Nonne

Nonne videris tibi poſſe cognoſcere, à qvo profectum ſit hoc decretum Senatus, ſi vel in media via illud reperias? Nonne agnoſcis duas acutas ſententias ingenii Tulliani, ſed ſine ulla ingenii affectatione magnificis illis ſuis ſonoris numeroſisqve verbis veſtitas, illo Senatu & æternitate, qvam alteri afferebant, dignas? Et ex ejusmodi decretis efloreſcebant *inſcriptiones*, ut his verbis indicatur: EAMQVE CAUSAM IN BASI INSCRIBI. Has Conſules imperabant, ædiles ponebant, Grammatici, ut dictum eſt, examinabant. Talis erat illa Sulpitii inſcriptio, qvæ uni & rotundæ periodo nobiles Senatus Conſulti ſententias & majeſtatem ſignificantium verborum incluſit.

SENATUS POPULUSQVE ROMANUS SERVIO SULPITIO QVINTI FILIO LEMONIÆ RUFO QVOD DIFFICILLIMO REIPUBLICÆ TEMPORE AUTORITATEM SENATUS SALUTEMQVE POPULI ROMANI VITÆ SUÆ PRÆPOSUERIT ET IN LEGATIONE MORTEM OBIERIT VITÆ CONSENTANEAM.

Aliud Senatus Conſultum, eodem Ciceronis torno elaboratum, ibi leges in honorem invictæ legionis Martiæ, qvam in eodem bello civili Marcus Antonius nominis ſui non immemorem concidit. Philip. XIV. c. xl.

Cum legio Martia ſine ulla neceſſitate pro patria vitam profuderit, cumq́; ſimili virtute reliquarum legionum milites pro ſalute & libertate populi Romani mortem oppetiverint, ſenatui placere, ut Cajus Panſa, Aulus Hirtius Conſules Imperatores, alter ambove, ſi eis videatur, iis qui ſanguinem pro vita, libertate, fortunisq́; populi Romani, pro urbe, templisq́; Deorum immortalium profudiſſent, monumentum qvam ampliſſimum locandum faciendumve curent, ut exſtet ad memoriam poſteritatis ſempiternam, ad ſcelus crudeliſſimorum hoſtium & militum divinam virtutem.

Ex hujus decreti majeſtate decerpta fuit pariter inſcriptio, qvæ animavit Mauſoleum fortunatorum illorum militum, qvi, qvam vitam in acie gladiis amiſerant in lapide ſcalpris recuperarunt. Qvanqvam & horum oſſa tandem Mauſoleum & Mauſoleum tem-

pus ſepelivit. Aliud non minus nobile & elegans Senatus Conſultum idem recitat honori immortali ejus, qvi Cæſarem occidit.

Cum Decius Brutus Imperator Conſul deſignatus provinciam Galliam in Senatus populiq; Romani poteſtate teneat, cumq; exercitum tantum tam brevi tempore ſummo ſtudio municipiorum coloniarumq; provinciæ Galliæ optimè de Republ. meritæ merentisq; conſcripſerit, compararit: id eum recte & ordine exq; Republ. feciſſe, idq; Decii Bruti præſtantisſimum meritum in Rempubl. Senatui populoq; Romano gratum eſſe & fore, itaq; Senatum populumq; Romanum exiſtimare, Decii Bruti Imperatoris Conſulis deſignati opera, conſilio, virtute, incredibiliq; ſtudio & conſenſu provinciæ Galliæ Reipubl. difficillimo tempore eſſe ſubventum.

Hic qvidem nec acumen ſententiarum nec concinnitatem antithetorum reperis: at harmonicam illam rotunditatem ſplendoremqve verborum, de qvibus diximus. Non minus dignum eſt etiam hoc in honorem Marci Lepidi decretum, qvi poſtea rebus ipſis ſpem hujus encomii coarguit.

Cum à Marco Lepido Imperatore Pontifice Maximo ſæpenumero Resſpubl. & benè & feliciter geſta ſit, populusq; Romanus intellexerit, ei dominatum regium maximè diſplicere, cumq; ejus opera, virtute, conſilio, ſingulariq; clementia & manſvetudine bellum civile ſit reſtinctum, Sextusq; Pompejus *Cnei filius Magnus hujus ordinis autoritate ab armis diſceſſerit, Senatum populumq; Romanum pro maximis plurimisq; in Rempubl. meritis magnam ſpem in ejus virtute, autoritate, felicitate reponere, otii, pacis, concordiæ, libertatis, ejusq; in Rempubl. meritorum Senatum populumq; Romanum memorem fore, eiq; ſtatuam eqveſtrem inauratam in roſtris ex hujus ordinis ſententia ſtatui placere.*

Ex eadem Tullii officina prodiit alterum hoc Senatus Conſultum in laudem Octaviani Cæſaris adhuc pueri, qvi hinc animadvertere cœpit Capitolium ſuis pedibus ſubeſſe. *Qvod Cajus Cæſar Caji filius Pontifex Proprætor ſummò Reipubl tempore milites veteranos ad libertatem populi Romani cohortatus ſit, eosqve conſcripſerit, & qvod Galliæ provinciæ cum exercitu ſubſidio profectus ſit, equites, ſagittarios, & elephantos in ſuam populique Romani poteſtatem redegerit, difficillimoq; Reipubl. tempore ſaluti dignitatiqve populi Romani ſubvenerit: ob eas cauſas Senatui placere, Cajum Cæſarem Caji filium pro Prætore Senatorem fieri, ſententiamqve loco prætorio dicere.*

Nunc

Digitized by Google

Nunc periculum fac, ut ſubſtantiam horum decretornm in exiguum orbem contrahas (in inſcriptionibus enim ſuperfluum erit, qvod in decretis ſuperfluum non eſt) & ſine dubio rotundas maxime & harmonicas Inſcriptiones, qvales unqvam priſcum vidit Latium, concinnabis. Ejusmodi *decreto* Senatus Romanus eidem Cæſari jam Auguſto, qviqve ad autoritatem huic titulo parem, utut conſiliis ſuis inferiorem pervenerat, faſces ſubmittens cum inſcriptione poſuit arcum triumphalem, qvi adhuc hodie in pedibus Alpium Auguſtæ Sallaſſiorum ſupereſt, memoria non minus victis qvam victori glorioſa.

IMPERATORI CÆSARI DIVI FILIO AUGUSTO PONTIFICI MAXIMO IMPERATORI XIV. TRIBUNITIÆ POTESTATIS XVII. SENATUS POPULUSQVE ROMANUS QVOD EJUS DUCTU AVSPICIISQVE GENTES ALPINÆ OMNES, QVÆ A MARI SUPERO AD INFERUM PERTINEBANT, SUB IMPERIUM POPULI ROMANI REDACTÆ SUNT.

Hæc inſcriptio,utut prima ſpecie ſimplicibus ſimplicior videbitur, cum ſexcentis argutiis lepidisqve concinnitatibus adornari potuerit, ut de inſcriptionibus ingenioſis dicemus: nihilominus pro Senatoria & gravi Inſcriptione non totis centum annis melior excogitabitur, qvæ aut clarius erudita, aut elegantius magnifica, aut numeroſius latina ſit. Unde particulatim eam expendam propter ingenia illa ſtultè tumida, qvæ ejusmodi inſcriptiones graves & planas alto ſupercilio contemnunt, & longe meliores ſe facere poſſe gloriantur. Primum igitur qvantum ad titulos honorum, hic ordine vides præcipuas ejus dignitates relatas, ſine ampullis illis vanorum agnominum, & hyperbolicis iſtis elogiis, qvalia Romæ barbaries invexit, ita ut agnoſcere poſſis ſcriptam illam fuiſſe, qvando Senatus adhuc libertatis umbra fruebatur. Porro obſervo vocatum eſſe hic non *Octavianum Octavii filium* ſed *Cæſarem Divi filium* poſtqvam enim à Julio Cæſare avunculo ſuo hæres teſtamento ſcriptus & adoptatus fuerat, qvem popularis opinio conſecraverat: nominis proprii obſcuritas, qvæ in proverbium abierat, ſplendore adoptivi nominis oppreſſa fuit, ut etiam in priori decreto cernitur. Nec geminatus titulus IMPERATORIS ſuperfluus

Digitized by Google

fluus eſt. Primo loco enim principatum civilem denotat, qvem ipſe primus à Senatu (ut Tacitus ſcribit) cum titulo SUMMI IMPERII obtinuit. Unde anni Romanæ monarchiæ numerantur. At ſecundo loco ſignificat *autoritatem* illam *militarem*, qvam ſpeciali decreto qvilibet dux in expeditionem miſſus conſeqvebatur, ut in Senatus Conſultis Bruti Lepidiqve vidimus. Sic igitur altero loco imperator Romani exercitus, altero imperator Romæ ipſius demonſtratur. Porrò in numeris Arithmeticis XIV. & XVII. dextrè vides evitatam controverſiam Grammaticam ad id usqve tempus indeciſam. Jam enim tertio Pompei Conſulatu cum ambigerent Conſules, utrum in templo victoriæ incidendum eſſet TERTIO CONSUL AN TERTIUM CONSUL cum ab utraqve parte ſtarent Grammatici celebres: Cicero arbiter electus, ne qvem offenderet, cavillatorium qvoddam effugium reperit, ſuſtulitqve & litem & verbum litigioſum, ſcribens TERT. CONSUL. Ut utraqve pars ſuo commodo id acciperet, & victa ſimul victrixqve credi poſſet, qvomodo finita qvidem ſed non definita fuit controverſia. Sic igitur cum pari artificio hic numeris exprimatur adverbium numerale XIV. potes pro arbitrio tuo legere IMPERATOR DECIMUM - QVARTUM aut DECIMO - QVARTO. Notabis amplius civilitatem Senatus, cujus nomen Auguſti nomini poſtpoſitum eſt. Æqvum enim eſt, ut nomen ejus, qvi ſubeſt Principi, nomini qvoqve principis ſubjiciatur. Qvod tamen in columna Trajano dicata, negligentia an de induſtria, non fuit obſervatum in qva legitur: SENATUS POPULUSQVE ROMANUS IMPERATORI CÆSARI DIVI NERVÆ FILIO. Conjunctio autem illa cauſalis: QVOD *ejus ductu* formula erat in honorificentiſſimis Senatus Conſultis uſitata, qva ratio decreti reddebatur, ut videre eſt in priori decreto in Auguſti gratiam facto, QVOD CAJUS CÆSAR. &c. Nec ſine latinitatis myſterio conjungitur EJUS DUCTU AUSPICIISQVE, ut ſcilicet duæ laudes conjungantur, qvæ aliis Imperatoribus diviſim conveniebant, qvando in umbra palatiorum ſuorum commorantes alterius non ſuo utebantur gladio, & in pace bellum gerebant. Sic de Tiberio ſcribit Tacitus: *Ductu Germanici, auſpiciis Tiberii recepta ſigna.* Unde vides Svetonium dimidiam Auguſto gloriam eripere, qvando belli fortunam

adver-

Digitized by Google

adverſus Alpinas gentes narrans ſic ſcribit: *Eos domuit partim ductu partim auſpiciis ſuis.* Digna qvoqve conſideratu eſt hæc phraſis: GENTES ALPINÆ OMNES. qvæ non ſolum multas civitates & regiones, ſed nationes liberas diverſis lingvis utentes ſignificat. Uti Plinius de Mithridate: *Duarum & viginti gentium ore loqvebatur.* Qvare augetur victoria & laus Magni Auguſti, qvi uno tempore de Alpibus maritimis, Cottiis, Grajis, Penninis, Inſubribus, Rhætiis, Juliis, qvarum incolæ vix inter ſe intelligebant, triumphavit, nomenqve adeo Romanum vario idiomate Italico, Ciſalpino, Gallico, Helvetio, Germanico pronunciari fecit, cum alii vix unam provinciam feciſſent. Minus itaqve honorificum eſt, qvod ſcribit Svetonius: *domuit gentes Inalpinas. Inalpinæ* enim gentes ſunt illæ tantum qvæ ſcopuloſis Alpium vallibus includuntur: at *Alpinæ* etiam illæ dicuntur, qvæ ultra citraqve amœnis montium pedibus commorantur. Unde Auguſtus illo tempore duas Auguſtas condidit, qvæ eſſent populis devictis frena, & ſecuritatis publicæ clauſtra: alteram citra Salaſſiorum, alteram ultra Vindelicorum. Latiniſſimæ etiam & elegantiſſimæ voces ſunt iſtæ: A MARI SUPERO AD INFERUM: illo Adriaticum hoc Mediterraneum mare ſignificatur. Sic Titus Livius: *Tuſcorum ante Romanorum imperium late opes patuere mari ſupero inferoq́; qvibus Italia inſulæ modo cingitur.* V. c. XXXIII. Qvæ voces ex Coſmographica ſcientia petitæ ſunt, ſiqvidem, ut autor noſter docet, maria ſeptentrionalia altiora ſunt auſtralibus, in qvorum ſinum influunt. Latinè etiam dictum eſt SUPERUM & INFERUM, non *ſuperius, inferius*, cum non fiat comparatio inter plura ſuperiora & plura inferiora: ſed inter duo qvæ è latere ſibi opponuntur reſpectu Italiæ in medio ſitæ. Unde Virgilius in ejus encomio:

Seu mare qvod ſupra, memorem, qvodq; alluit infra.

Ita ut magis propriè de Italia, qvam de Gallia canere potuerit Annibal Carus: *Inter duo maria velut magna concha ſita eſt.* Elegantiſſimum porro & peregrinum verbum eſt PERTINEBANT, qvatenus ad locum refertur. Unde Julius Cæſar, qvi eadem libertate ſcripſit, qvâ bellavit, & non calamo minus qvam gladio Romanos ſupera-

peravit, ſitum ſylvæ Arduennæ deſcribens dicit: *A ripis Rheni ad Nervios pertinet.* Et interpres Ulpiani explicans legum ſtudioſis vim latinam hujus vocis, eleganter uſurpatam in lege *Prætor de Cloacis,* ſic ſcribit: *Qvod ait prætor PERTINET hoc eſt dirigitur, extenditur, pervenit.* Sic Auguſtus ſolus populos Alpinos veluti catena conjungens, collo Italiæ prorſus catenam detraxit. Et juga inacceſſa ſub jugum mittens, jugum imperii ſuſtulit. Bene igitur & eleganter ſubjicitur: SUB IMPERIUM POPULI ROMANI SUNT REDACTÆ. Phraſis propria & uſitata qvando gentes & regna devicta cum libertate omnem Rempubl. perdiderant, & in formam provinciæ Romanæ redacta erant, qvarum qvædam erant *Conſulares,* qvædam *Prætoria:* qvalis fuit hæc in noſtris Alpibus, cujus metropolis erat AUGUSTA PRÆTORIA. Tenuius igitur de hoc Principe loqvitur Svetonius: *Gentes Inalpinas ad obſeqvium redegit,* cum major ſit victoria liberos populos imperio ſubjicere, qvam rebelles ad obſeqvium revocare. Ad hoc glorioſius erat eos reduxiſſe SVB IMPERIVM POPVLI ROMANI. Qvo indicatur hæc Auguſti gloriatio, qvam aut ex modeſtia aut ſimulato præ ſe tulit, ut Dio ſcribit, ſe laborem vincendi ſibi depoſcere, populo fructum victoriarum ſuarum relinqvere, in cujus meriti compenſationem decretum ipſi erat nobile cognomen AUGUSTI, de qvo Ovidius canit:

Redditaqve eſt omnis populo provincia noſtro,
Et tuus Auguſto nomine dictus avus.

Deniqve admiranda præ cœteris eſt brevitas ſine ſententiæ detrimento conſtricta & ab omni impedimento, qvod oculos vel ingenium viatoris moretur, purgata. Qvin hæc æqvè elegans eſt ob ea qvæ tacet, qvam ob ea qvæ dicit. Qvare hic non reperis illas demonſtrationes: *Arcum erexit aut dedicavit,* in qvo inſcriptio Conſtantini alioqvi celeberrima reprehendi poteſt, ubi adduntur & arcus & tropæa, qvæ oculi vident: *Senatus populusqve Rom. Arcum triumphis inſignem dicavit.* Et contra inſcriptione columnæ Trajanæ non legis rem dedicatam ſed ſolam cauſam: *Senatus populusq; Rom. Imperatori Cæſari Divi Nervæ filio Nervæ Trajano. &c ad declarandum, qvantæ altitudinis mons & locus tantis operibus ſit egeſtus.* In ſumma: ſive ſingula verba ſive conjuncta expendas, nullum eximere potes

ſalva

ſalva ſententia, nullum adjicere, qvin ſit ſuperfluum, nullum mutare qvin concentum numeroſum tollas. Ita ut Tullius ipſe omni dicendi arte nec pleniorem, nec breviorem, nec profluentem magis, nec graviorem, nec ſonantiorem, nec ſvaviorem formare potuerit, cum nec in fine deſit flos ille jambo ſpondæi tantopere ab ipſo adamati: REDACTÆ SUNT, cum ultima ſyllaba longa & ſeparata, qvæ etiam noſtro autori placuit.

Huic ſubjicere placet Inſcriptionem modo indicatam arcus Conſtantini Magni, erecti in ejus triumpho, poſtqvam Maxentium occiderat, & tyrannicas factiones ſemper inſtar hydræ repullulantes exſtinxerat. En illam:

IMPERATORI CÆSARI FLAVIO CONSTANTINO MAXIMO PIO FELICI AUGVSTO SENATVS POPVLVSQ. ROM. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE TOTA EJVS FACTIONE VNO TEMPORE JVSTIS REMPUBL. ULTUS EST ARMIS:

ARCUM TRIUMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Non dubito, Amice Lector, qvin *magnificam & rotundam inſcriptionem* concinnaturus hanc tibi potius qvam illam Auguſti pro exemplo proponas, neqve nego in ea *majeſtatem* elucere rerum dignitati parem: *pulchritudinem*, qvam nobilitas rerum: *granditatem*, qvam vocum amplitudo: *ſonum* qvem vocalium ſonantium copia, *concentum*, qvem numerus: *emphaſin*, qvam phraſes efficiunt. Ita ut qvicqvid ſparſim hactenus commendavimus, hic congregatum videas perfectionis. At alteram cum altera componens & attento ac maturo judicio expendens, pronuntiabis ſine dubio ab Auguſto ad Conſtantinum, qvod effluxit tempus, latinos in ſervitutem redegiſſe, & Latinitatem manu miſiſſe & qvantum ingeniis acceſſerat acuminis, tantum illa perdidiſſe puritatis. Hic primum recognoſces adulationem in *elogiis honorum*. MAXIMO PIO FELICI, vanitatem in vocibus, qvibus inſtrumentum exprimitur: IN-

Digitized by Google

STINCTU DIVINITATIS MENTIS MAGNITUDINE, ſupervacaneam adjectionem: CUM EXERCITU SUO qvaſi periculum eſſet, ne qvis gregem cervorum fuiſſe crederet, cujus ope rem geſſerit. Qvin apparet imperatores gloriam ſuam cum exercitu communicaſſe, cum Auguſto integra his verbis tribuatur: EJUS DUCTU AUSPICIISQVE. Notabilis porro eſt impropria hæc locutio: DE TYRANNO REMPUBL. ULTUS EST JUSTIS ARMIS. Qvanqvam enim *juſtis armis ulciſci Rempubl.* recte dicatur & in hac inſcriptione præter cœtera bene dictum ſit forte ab Ovidio ex fabula Minois mutuatum:

Androgeiq; necem JUSTIS ULCISCITUR ARMIS:

Nihilominus ulciſci Rempubl. DE TYRANNO ſine exemplo dicitur, cum propoſitio DE nullam expoſitionem latinis uſitatam admittat, qvoniam reſpicit non injuriam, ſed eum qvi læſus eſt. Nec apud Veteres multum adhibita fuit vox FACTIO, ut ſignificaret fautores alicujus rebellionis, qvam vulgares lingvæ appellant factionem, qvanqvam Saluſtius, qvi ob longius petita vocabula reprehenſus fuit, amicitiam hominum ſceleratorum *factionem* vocat. Mirabilior adhuc eſt illa phraſis: DEDICAVIT ARCUM TRIUMPHIS INSIGNEM pro TROPHÆIS: tanqvam currus triumphalis arcum ſupergreſſus eſſet, præterqvam qvod dicere *hic eſt arcus* non autem obeliſcus, videtur id dicere (ut jam admonuimus) ac ſi cœci ſint, qvos inſcriptio alloqvatur. In ſumma tanta differentia intercedit inter illam Auguſti & hanc Conſtantini inſcriptionem, qvanta inter architecturam utriusqve arcus, cum pari paſſu imperium, artes, & lingva latina degeneraverint: Ita ut illa qvidem multa habeat ornamenta & pigmenta, ſed cenſuræ ſubjecta, cum illa Auguſti adeò terſa & polita ſit, ut Cenſor non magis reperiat, in qvo adhæreſcat, qvam muſca in ſpeculo. At è diverſo illud qvoqve verum eſt, ſicuti inſcriptio non eſt partus unius ſed totius populi, ſic eam qvoqve ad genium potius eruditæ multitudinis, qvam ingeniorum nimis exqviſitorum attemperandam eſſe. Unde hoc qvoqve tibi aſſentior, hodie ubi ingenia notabiliter à priſca ſeveritate deſciverunt, majori plauſu exceptum iri Conſtantinianam inſcriptionem.

Eodem

Digitized by Google

Eodem Conspicillo periodicarum perfectionum, deqvibus diſſeruimus, poteris per temetipſe obſervare maculas omnium aliarum, qvæ ex venerabili antiqvitate ſuperſunt, inſcriptionū, qvarum qvasdam hic ſubjiciam, conſiderans potius ſubſtantiam argumenti, qvam titulos honorum, qvoniam in hiſce à formulis Senatoriis non recedebatur, at in illo ſtudium & acumen ſtili ſcriptores exercebant. Pulchra primum, qvanqvam ſuccincta, & qvaſi compendium antecedentis inſcriptionis eſt hæc:

IMPERATORI *Caſari Flavio Conſtantino &c. ob res bene armis conſiliisqve geſtas, & Rempubl. pacatam Senatus populusqve Romanus.*

Age & adjice huic, aut detrahe aliqvid, ſi potes. Certe argumentum ſublime eſt, & verba pulchra & illuſtria, at qvarta & qvinta vox *armis conſiliisqve* non ſunt ſatis ſonoræ ob freqventiam literæ I. qvanqvam interventus trium vocalium ſonantium aliqvanto ipſis ſubſidio veniat. Diffuſior magisqve periodica eſt hæc inſcriptio in victoriam Titi, qvæ per ſe ſufficiebat cuicunqve inſcriptioni augendæ & implendæ:

Imperatori Tito Cæſari divi Veſpaſiani filio Veſpaſiano Auguſto. &c. patri patriæ principi ſuo Sen. Populusqve Rom. qvod præceptis Patris conſiliisqve & auſpiciis gentes Judæorum domuit, & urbem Hiroſolymam omnibus ante ſe ducibus regibus gentibusqve aut fruſtra petitam aut omnino intentatam delevit.

At præter continuam exilitatem, qvam in qvatuor vocibus facit ſepties repetita I. *præceptIs patrIs consIlIIsqve & auſpIcIIs*, qvibus ſonus corrumpitur: vides qvoqve illis temporibus numerum periodicum non adeo religioſe cuſtoditum fuiſſe. Siqvidem poſt aliqvot voces continuè ſaltantes qvinq; ſpondæi periodum terminant. Et Cicero ſine dubio ex alio metallo Senatus Conſultum fabricasſet, ex qvo hoc encomium concinnaretur. Adſtrictior at numeroſior eſt hæc ejusdem argumenti inſcriptio, qvoniam in omnibus verbis, qvæ ad rem ipſam pertinent, uno excepto, eminent vocales ſonoræ & hæ cum conſonis ſvaviter graviterqve copulatæ ſunt.

Providentia Titi Cæſaris nati ad æternitatem Romani nominis ſublato hoſte perniciosiſſimo populi Romani Fauſtus Titius Liberalis qvatuor vir Auguſtalis iterum pecunia ſua fecit, conſecravit.

 Ubi

Digitized by Google

Ubi obſervabis in hac non præmitti acervum titulorum, ut in aliis, qvoniam hæc eſt dedicatio privati, illæ autem Senatus, qvi ut dictum eſt, ſervabat formularum ſuarum ſolennia & receptum ſtilum. Sic igitur initium illarum erat grave & conſvetudini adſtrictum: in his liberius & elegantius. Idem notare potes in privata dedicatione ſtatuæ eqveſtris ejusdem Cæſaris in eandem ſententiam.

Reſtitutori urbis Romæ atqve orbis & exſtinctori peſtiferæ tyrannidis Domino noſtro Flavio Conſtantino (alii legunt Conſtantio) *victori ac triumphatori ſemper Auguſto Neracius Cerealis Vir Clariſſimus præfectus urbi.*

Nonne audis, qvantum tumorem huic afferant appoſita illa grandia & illuſtria? Sic Septimio in publica inſcriptione pro omnibus encomiis duo tantum tribuuntur ejusmodi appoſita illuſtria: PACATORI ORBIS, PROPAGATORI IMPERII ROMANI SENATUS POPULIISQ. ROM. Et omnis fere laus contracta fuit in duo ejusmodi epitheta duabus tabulis ſeparata & honori Conſtantini M. dicata: LIBERATORI URBIS FUNDATORI QVIETIS. Qvod erat Senatus-Conſulto ſuccum ipſum exprimere. Sed ut revertamur ad periodicas, ſuperbiſſima certe illa eſt Marci Aurelii.

Imperatori Cæſari, Divi Antonini filio, Marco Aurelio Antonino Auguſto Germanico Sarmatico &c. qvod omnes omnium ante ſe maximorum Imperatorum glorias ſupergreſſus eſt bellicoſiſſimis gentibus deletis atqve ſubactis Senatus Populusqve Rom.

Sed illud *glorias* in plurali numero & concurſus freqvens aſperarum conſonantium & claudere fine verbo tanqvam ſine fulcro obumbrant paululum hujus periodi ſplendorem, illuſtris alias & magnificæ. At pulchris pulchriorem & elegantiorem judicabis hanc, qvæ in portu Anconæ exſtat, ubi etiam Trajanus portum bellicorum operum reperit.

Imperatori Cæſari divi Nervæ filio Nervæ Trajano Optimo Auguſto Germanico Dacico Pontifici Maximo Tribunitia poteſtate XVII. Imperatori VIII. Conſuli VI. Patri patriæ prudentiſſimo principi Senatus populusqve Rom. qvod acceſſum Italiæ hoc etiam addito ex pecunia ſua portu tutiorem navigantibus reddiderit.

Poſſes facile Senatus Conſulti ſententiam ex paucis his verbis

bis colligere. At in brevi hac inſcriptione macula ſatis notabilis eſt cacophonia illa imperfectæ vocalis: *porTU TUtiorem*, qvod videtur referre cornu magis venatorum qvam celeuſma nautarum.

Qvod ſi etiam exempla qvædam rotundarum graviumqve inſcriptionum ex noſtro ævo deſideras, tres tantum tibi exhibeo qvæ inſtar mille aliarum ſunt ob magnificentiam argumenti & ſvavitatem ſtyli. Prima eſt in opus totius orbis magnificentiſſimum Maximo Orbis Principi dicatum.

Paulus Qvintus Pontifex Maximus Vaticanum templum à Julio Secundo inchoatum & usq; ad Gregorii & Clementis ſacella aſſiduo centum annorum opificio productum: tanta molis acceſſione, univerſum Conſtantinianæ Baſilicæ ambitum includens confecit.

At pulchrior & elegantior hæc videbitur, qvæ teſtimonium præbet magnificentiæ magni illius Pontificis Urbani IIX.

Urbanus IIX. Pontifex Maximus Tiberim via publica everſa veterem repetentem alveum novi effoſſione ad dextram deductum aggeris objectu validaqve compage lignorum ſub ponte, qvem declinabat, continuit. Anno Salutis MDC XXVIII. Pontificatus ſui VI.

Probè vides nec *argumentum* magis convenire potuiſſe, qvoniam prorſus à ponte Tiberis derivatur nomen Pontificum: nec nobiliorem *ſententiam* qvæ tibi exhibet qvaſi imperatorem qvendam fluminis, qvod aureo freno liberalitatis Pontificiæ repreſſum, pontem, qvem indignabatur, ſubire coëgit: nec *verba* pulchriora, qvæ omnia latina ſunt & fere grandia & ſonora: nec *rotundiorem* periodi *numerum* non minus ac Tiberim ipſum ſonorum ſimul ac profluentem. Potuiſſet tamen (ſic puto) aliqvid nobilitatis & magnitudinis accedere una voce exemta, mihi enim grandiùs ſonaret, ſi tantum diceretur: *validaqve compage continuit.* Ad huc numeroſior & elegantior & amplior alia ejusdem inſcriptio videtur, qvæ in æde Mariæ rotundæ unica temporis triumphatrice legitur, cujus exteriora metalla, huic ædi inutile pondus facta, jam Romam omnem adornant & tuentur.

Urbanus IIX. Pontifex Maximus vetuſtas aheneí lacunaris reliqvias, in Vaticanas columnas & bellica tormenta conflavit: ut decora inutilia, & ipſi prope fama ignota, fierent in Vaticano templo Apoſtolici

ſepulchri ornamenta, in Hadriana arce inſtrumenta publicæ ſecuritatis. Anno Domini MDC XXXII.

Inſcriptio æqvè magnifica ac rotunda, qvale templum ipſum eſt, qvod hac permutatione nihil perdidit, dum pro trabibus æneis inſcriptione aurea ornatum eſt.

Oſtendimus diſtinctè rationem periodi CONCISÆ & ROTUNDÆ: reſtat ut alteram alteri inſeramus, qvâ nulla eſt arbor in Muſarum horto florentior. Hæc eſt illa periodus COMPOSITA, qvæ nunc *acumine concinnitatis pungit* nunc *rotunditatis numero* demulcet Auditores ſvaviter ſonora & vegetè ſvavis, ornata puriter & ordinata, qvæ doctos recreat, idiotas docet, & ab utroqve duplex tributum plauſus exigit. Voco itaqve periodum COMPOSITAM eam, qvæ *ab uno membro* incipiens in *membra conciſa* deſinit, aut contra à membris conciſis incipiens, in uno membro terminatur, aut à principio ad finem in *conciſa proportione numeroſè* decurrit. In hiſce tribus harmonica eloqventia ſummas vires oſtendit.

Primi generis pulcherrimum exemplum reliqvit nobis Numen illud Eloqventiæ in prooemio librorum de Oratore:

Cogitanti mihi ſæpenumero & memoria vetera repetenti perbeati fuiſſe Q. Frater illi videri ſolent, qvi in optima Republ. cum honoribus & rerum geſtarum gloria florerent, eum vita curſum tenere potuerunt

Ut

Vel in negotio	*Vel in otio*
Sine periculo	*Cum dignitate*

Eſſe poſſent:

Nonne vides qvomodo hæc periodus thyrſi inſtar florens, & pampinis corimbisqve cincta, in extremo aculeum oſtendat? Et qvod ſonum ejus valde auget, omnes voces majores duabus exceptis vocalem *conſpicuam* habent ſonoram, & in illis duabus etiam medentur exilitati reliqvarum ſyllabarum freqventia & ſonus. Sic igitur amœna eloqventiæ diſſertatio nec elegantius nec floridius veſtibulum habere poterat. In Carboniana periodo habemus aliud non minus celebre exemplum: *O Mar-*

Digitized by Google

O Marce Druſe! patrem appello: tu dicere ſolebas, Rempubl. ſacram eſſe: qvicunqve eam violaviſſent ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas.

Patris dictum ſapiens	*Temeritas Filii*

Comprobavit.

Concinnitas qvidem melius emineret, ſi diceretur *filii temeritas* non *temeritas* filii, qvoniam I. in fine ter repetita nimia exilitate ſonum intercipit & alias magis directè opponerentur: *Patris – filii, dictum ſapiens – temeritas.* Qvicqvid ſit, magni clamores facti ſunt: *tantus clamor concionis excitatus eſt*, inqvit Tullius, *ut admirabile eſſet.*

Secundi generis periodus numero elegantiſſima & concinnitate ingenioſiſſima eſt hæc in Miloniana, in cujus perfectione Cicero ſuum ipſe ingenium admiratur, eaqve re gloriatur ſeſeqve jactat in Oratore perfecto.

Eſt enim judices

Non ſcripta | *Sed nata*

Lex

Qvam non didicimus, | *arripuimus*

accepimus, | *verum ex natura ipſa* | *hauſimus*

legimus, | *expresſimus,*

Ad qvam

non docti | *non inſtituti*

Sed facti | *Sed imbuti*

Sumus:

ut

Digitized by Google

lis ſi vita noſtra in aliqvas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet: omnis honeſta ratio eſſet expedienda ſalutis.

En aliam ejusdem cui ipſius teſtimonio ab omni concione acclamatum eſt:

Domus tibi deerat,	*Pecunia ſupererat*
At habebas;	*At egebas:*
incurriſti	*in alienos*
amens	*inſanus*
in columnas:	*inſaniſti.*

Depreſſam, cæcam, jacentem Domum, plus qvam te, & qvam fortunas tuas, æſtimaſti.

Hujus analyſin autor ipſe faciens, triplicem eam eſſe docet: primùm *inciſis contrapoſitam:* ſecundò *in parvula membra ſectam*, tertiò *crepidine ſuffultam*, h. e. in numeroſum orbem rotundatam. Hæ igitur ſunt primæ duæ ſpecies periodi compoſitæ, qvæ partim ROTUNDA eſt, partim CONCISA & acuta. At pulcherrima præter cœteras eſt tertia ſpecies, qvæ à principio ad finem, inſtar ſonori fluminis, de colle aprico in florentes valles deſcendit, ibiqve in rivulos delapſa procurrit. Et hoc eſt præceptum illud arcanum à Cicerone ipſo proditum, ut periodum in membra conciſa, ſibi invicem reſpondentia, partiamur, ac brevitatem ſvavitate numeri condiamus, ita ut tota periodus videatur condimentum æqvè dulce qvam acre. *Sæpe carpenda membris minoribus oratio eſt, qvæ tamen ipſa membra ſunt numeris vincienda.* Qvomodo poëtæ periodos ſuas in verſus partiuntur, qvorum qvisqve ſtili dulcedine miteſcit. Elegantiſſimum exemplum idem nobis reliqvit, qvi præceptum dedit, in periodo ingenioſa, qvam ipſe prædicare non dubitat, Verrem qvi Siciliam ſpoliaverat, Marcello qvi eam ſubjugaverat, comparans,

Conferte

Conferte

Hanc pacem - cum - illo bello: (victoria
Hujus Prætoris adventum-cum-illius Imperatoris
Hujus cohortem impuram - cum - illius exercitu
invicto:
Hujus libidines - cum-illius continentia:

Ab illo — *ab hoc*
qvi cepit — *qvi conſtitutas accepit*
Conditas — *captas*
Dicetis Syracuſas.

Nonne animadvertis hujus periodi elegantiam non ſolum pendere à concinnitate membrorum:ſed etiam ab harmonica rotunditate. Eodem gradu incedit hæc ejusdem, qvâ Muræmam Imperatorem Sulpitio JCto comparat, & artem militarem prrudentiæ civili opponit.

Vigilas tu de nocte
Ut tuis Conſultoribus reſpondeas:
Ille ut eo qvo tendit,
Mature cum exercitu perveniat:
Te Gallorum -- Illum Buccinarum
Cantus exſuſcitat:
Tu actionem inſtituis | *Ille aciem Inſtruit.*

Tu caves, ne tui Conſultores -- Ille ne urbes aut
Caſtra capiantur
Ille ſcit ut hoſtium copiæ--Tu ut aqvæ pluviæ
Arceantur.
Ille exercitatus eſt
In propagandis finibus -- Tu in regendis.

At longius concinnitas progredi non poteſt, qvam in periodo de parricidarum ſupplicio: in qva Orator non membrum membro opponit, ſed multis ſeparatim poſitis ſuum cuiqve poſtea ſubjicit membrum harmonicè reſpondens in hanc formam:


Qvid enim tam commune, qvam

Spiritus vivis,	*Mare fluctuantibus*
Terra mortuis,	*Littus ejectis?*

At illi ita vivunt dum poſſunt
Ut ducere animam de cœlo non qveant,
Ita moriuntur,
Ut eorum oſſa terram non tangant:
Ita jactantur fluctibus
Ut nunqvam alluantur:
Ita poſtremo ejiciuntur:
Ut ne ad ſaxa qvidem mortui
conqvieſcant.

Hanc periodum vocat ille impetum juvenilis ingenii, qvæ recitata eſt tanta acclamatione Auditorum, ut admiratio ipſa admirationi

tioni fuerit. Ex his exemplis & TABULIS METRICIS nova eaqve utilis naſcitur obſervatio periodos illas, qvæ in *tabulas metricas* qvam pulcherrima proportione redigi poſſunt, eſſe & auribus acceptiſſimas, cùm uterqve ſenſus ſenſui communi, & hic animo ſerviat, qvi ex proportione & harmonia conſtat. Et contra qvo *tabula* ejusmodi ſit confuſior & implicatior, eo periodus erit auditu moleſtior. Qvin etiam ſi tabulæ verba nulla inſcribas, ſed *ſigna* tantum benè diſpoſita nihilq; ſignificantia, & poſtea ſignis ſubſtituas verba ſignificantia: habebis periodum canoram & harmonicam non aliter ac ſi tabulæ Muſicæ juſta harmonia inſerantur notæ, cantus etiam harmonicus audietur. Sic non verba ſolum, ſed etiam ſigna, ſyllabas longas & breves notantia, & pulchra proportione in tabulam metricam digeſta, ubi eorum loco ſyllabas ſignificantes adhibueris, periodum qvoqve numeroſam formabunt. Id qvod jam tibi demonſtrabo in hac tabula metrica, in qva lineolæ ſyllabas longas, circuli ſyllabas breves ſignificant, puncta autem dividunt verba cujusqve membri, qvod, ut Cicero docet, non minus ultimam ſyllabam concinnam reqvirit, qvam verſus.



Hæc tabula vacua, vocibus ſignificantibus expleta, neceſſario periodum concinnitate harmonica conſtituet hujus modi:

Proh

Neſandum Martis furorem

qvi

Ferro, face, tabo

Digitized by Google

Divorum Sacra contaminat;
Agrorum dona condisſipat:
Leges calcat, ædes nudat, urbes orbat:
Fortes, rectos, ſanctos,
Tum ſangvinis tum gloriæ
Indecora & luctuoſa
Profuſione
Diſperdit.

Ad hoc exemplar poteris conſtruere alias periodos adhuc pulchriores, notas mutas verbis melioris ſententiæ explens. Iisdem legibus periodi COMPOSITÆ, non orationes modo panegyricæ, ſed ipſa etiam ſeverisſima hiſtoria interdum exornatur. Talis eſt hæc Cornelii Taciti, qvæ videtur roſa effloreſcens inter ſenticeta pungentis & duræ ejus dictionis, in qva repræſentatur ſtatus miſeræ Romæ à factionibus civilibus Vitellii & Veſpaſiani vexatæ, qvæ verba in tabulam metricam redigi poſſunt in hunc modum:

Sæva & deformis Urbe tota facies;
Alibi prælia & vulnera: alibi balnea, popinæq;:
Simul cruor, - & ſtrues corporum;
Juxta Scorta, - & Scortis ſimiles:
Qvantum in luxurioſo ocio libidinum.
Qvantum in acerbisſima captivitate ſcelerum:
Prorſus, ut eandem Civitatem
Furere crederes, - - & laſcivire.

Qvin etiam Epigrammatum illa erunt maxime harmonica & decora, qvæ præter metrum poëticum aliqvam concinnitatem habent, qvæ ex verſuum relatione aut reſpectu naſcitur, ut hoc ſepulchro inſcriptum:

Qvod

Digitized by Google

Qvod fuit eſt & erit, perit articulo brevis hora
Ergo qvid prodeſt, eſſe, fuiſſe, fore?
Eſſe fuiſſe, fore, heu! tria florida ſunt ſine flore
Nam ſimul omne perit, qvod fuit, eſt, & erit.

In ſimili genere luſi nomine amici qvi ſcripta qvædam ſua Magiſtro dedicabat, qvi pro inſignibus utebatur qvercu cum aliis figuris, qvò reſpiciebam:

E pelago in pelagum refluentia flumina currunt
Qvodq; prius fuerat cuna, fit urna mare.
Flexilis è puncto in punctum ſe linea curvat,
Qviq; prior fuerat ultimus exit apex.
In ſua per tenues redeunt elementa vapores,
Ultima ſunt proli prima elementa ſua.
Ad patriam revolat qvercum reparabilis ales,
Atq; ubi garrivit parvula cantat anus.
Tu punctum & pelagus: tu elementum & maxima qvercus
Sum levis ipſe vapor, linea, rivus, avis.
Rivum igitur pelagus: tu elementum mitte vaporem
Lineolam punctus excipe: qvercus avem.

Gratiſſimæ igitur & populares erunt maximè *inſcriptiones* hoc CONCINNITATIS & ROTUNDITATIS temperamento conditæ, ita ut mediæ inter proſam verſumqve incedant, & tabulam metricam pulchra verſuum ſolutorum proportione conſtituere poſſint. Neqve has compoſuiſſe nimius erit labor, ſi primum verbis electis & continuato ſermone ſententiam concipias, eo ſtilo qvo Senatus conſulta conſcripta ſunt, deinde obſerves diligenter ſimi-

lia aut contrapoſita, & deniqve detrahendo alia, alia adjiciendo aut mutando in membra conciſa ordines & digeras. Qvod ut exemplo fiat clarius, ante allata inſcriptio Auguſti, utut ſevera nimis & adſtricta videatur, nihilominus qvaſi ſemina qvædam *contrapoſitorum* negligenter ſparſa continet, ut in titulis *Imperator & Pontifex*, qvorum alter profanus eſt alter ſacer, & nomen *Auguſti* qvod utriqve convenit. Porrò ex his verbis inſtrumentum notantibus: *ductu auſpiciisq;* alterum ad virtutem imperatoriam, alterum ad religionem pontificum transferri poteſt. Porrò notabis voces oppoſitas *mare* SUPERUM & INFERUM qvibus Italia dividitur, & victoriæ Auguſti conjunguntur. Et tacita eſt antitheſis, dum gentes Alpinas ſubegit, imperium amplificavit, & in eo qvod populo non ſibi vicerit. Poteris igitur facili arte rotunditatem illius inſcriptionis ad concinnitatem geminatam reducere, & populo potius qvam gravibus ingeniis applaudentibus in hanc formam redigere.

Cajo Cæſari, Divi filio,
Qvod Imperator ac Pontifex;
Utroq; Auguſtus,
Providentia & religione ſua,
Populi Romani, Deorumq; immortalium
Propugnationi autoratus,
Armis auſpicia: auſpiciis arma
Fortunavit:
Mare Superum, atq; Inferum
Qvibus Italia dividitur:
Victoriis Imperioq; connexuit:
Æternisqve Alpium jugis
Liberas gentes opprimens,
Oppreſſam Italiam liberavit.

Sena-

Senatus Populusq; Romanus
Victoria fructus numeratus
Victorem triumpho remuneravit.

Sed & altera illa Conſtantini facilius poterit reduci ad triplicem concinnitatem in hunc modum:

Flavio Conſtantino Auguſto.
Imperatori, Pontifici, Patri patriæ
Ter Maximo.
Auſpiciis, armis, Conſiliis
Ter felici.
Devicto tyranno, deleta factione,
Vindicata Rep.
Ter triumphanti.
Arcum, Urbem, Animos
Senatus Populusqve Romanus
Expandit.

Et ut melius intelligas qvanta ſit vis *continua concinnitatis* in inſcriptionibus: exhibeo tibi celeberrimam illam, qvæ ſola ſufficeret urbi Bononienſi celebrandæ, niſi tot aliis prærogativis emineret. Scriptum num phantaſiæ ludentis opus, an occulti ænigmatis arcanum ſit neſcio, ut vel ſtultos erudiat vel doctos ad inſaniam redigat. Conſtat enim in hac interpretanda non Italorum modo ſed exterorum ab extremo usqve Septentrione ingenia deſudaſſe, cum alii *Nioben*, alii *pluviam*, alii *lunam* alii *materiam primam*, alii *lapidem philoſophorum* artificum ſuorum tormentum illa ſignificari crederent.

Ælia Lalia Criſpis;
Nec Vir, nec mulier, nec Androgyna:
Sed omnia.
Nec puella, nec Juvenis, nec Anus
Nec caſta, nec meretrix, nec pudica:
Sed omnia.

Sublata

Sublata neqve ferro, neqve fame, neqve veneno,
Nec igne nec peſte:
Sed omnibus.
Nec Cœlo, nec aqvis, nec terris:
Sed ubiqve jacet.
Lucius Agatho Priſcus,
Nec maritus, nec amator, nec Neceſſarius:
Neqve mærens, neqve gaudens, neqve flens;
Hanc
Nec molem, nec pyramidem, nec ſepulchrum:
Sed omnia:
Scit & neſcit
Cui poſuerit.

Nonne vides pulchritudinem hujus Inſcriptionis non tam reſultare ex dictionis *elegantia* qvam à continuata *concinnitate*, qvæ eſt in ſæpius repetitis antithetis negantibus & interjectis membris conciſis? Secundum hoc exemplar mordax qvoddam ingenium compoſuit ſimilem, qva medico cuidam inepto adhuc vivo juſta facit, qvæ à Franciſco Sweertio relata eſt:

Viator
Mane, lege, ambula.
Hic jacet Andor Vortunius:
Nec Servus, nec Miles, nec Medicus;
Nec Laniſta, nec Sutor, nec Fur;
Nec Cauſidicus, nec Fœnerator:
Sed omnia.
Nec in urbe vitam egit, nec ruri:
Nec domi nec foris;
Neqve in mari, neqve in terra;
Neqve hic neqve alibi;
Sed ubiqve.
Nec fame, nec veneno, nec morbo
Nec ferro, nec capiſtro ſublatus:

Sed

Digitized by Google

Sed omnibus.
Poſui H. I.
Illi nec debitor, nec hæres, nec cognatus;
Nec vicinus, nec neceſſarius:
Hanc neqve molem, neqve lapidem, neqve tumulum:
Sed omnia.
Nec illi nec tibi nec mihi,
Nec male, nec bene volens:
Sed omnibus.

Ubi obſervas ſolam *continuatam concinnitatem non* minus ridicula qvam gravia argumenta condire. Idem poſtremo oſtendet hæc Inſcriptio ſæpius typis expreſſa in Principem ejusdem virtutis ac Sardanapalus, tectum larvâ nominis, qvæ pro ipſo vapulavit:

Omaſius Fagoniæ Dux,
Dominus, Victor, Princeps, Deus;
Hic jaceo,
Nemo me nominet famelicus,
Prætereat jejunus,
Salutet ſobrius.
Hæres mihi eſto, qvi poteſt:
Subditus qvi vult.
Hoſtis qvi audet.
Vivite Ventres, & valete.

Digitized by Google

DE FIGURIS PATHETICIS AUT CONTENTIOSIS.

CAP. V.

SAtis hucusqve dictum eſt de FIGURIS HARMONICIS: nunc accedo ad aperiendas venas tam pretioſas qvam copioſas earum figurarum, qvibus animi concitantur, qvas PATHETICAS vocamus, ſine qvibus inſcriptiones, dicta arguta, Enthymemata, periodi langvebunt. Altius penetrat telum imbelle manu robuſtâ projectum, qvam telum robuſtum manu imbelli jactum. Tyrrhenis furibundis validisqve inter pugnandum qvilibet palus erat haſta, qvodlibet ſaxum baliſta: & contra telum ſatis acutum capiebat Priamus, atqvoniam ipſe erat debilis

- - telum imbelle ſine ictu
Conjecit: rauco qvod protinus ære repulſum eſt.

Hinc arguta enthymemata per figuras ejusmodi patheticas vibrata rectè appellavit Cicero JACULA AMENTATA, à nervo illo qvem amentum vocant, cui telum adhærebat, ut majori vi emitteretur. Sic ſententia, qvæ interdum acuta magnopere non eſt, patheticæ figuræ amento rotata majorem infert ictum, qvam alia ingenioſior remiſſius projecta. Qvin vis qvædam præſtigioſa ineſt figuris, ut falſum veriſimile reddant, turbatam videlicet imaginationem ad aſſentiendum impellentes. Cujus rei duas rationes affert autor noſter, videlicet improvidum *errorem mentis*, & naturalem *animorum conſenſum*. (77.) Sicuti enim veræ & graves rationes cum affectu ſolent enuntiari: ſic qvodcunqve cum affectu dicitur, utut falſum ſit, prima ſpecie pro vero arripitur. Atqve hic eſt paralogismus animi occupati, qvi etiam in picturis patheticis obrepit. Nam ſicuti homo

(77.) Ar. 3. Rhet. c. 7. animus auditoris in errorē trahitur, qui ea vera dici putat, quoniam in ejusmodi rebus ita ſe homines habent: Quare licet ita ſe res non habeat, ut ille dicit, tamen ita ſe habere putant, cum affectè dicitur.

Digitized by Google

mo triſtis vultum qvoqve mœſtum habet, ſic vultus mœſtus à pictore rectè expreſſus tibi nec opinanti videbitur homo triſtis, teqve triſtitia afficiet, qvod nec animali accidit, in qvo merus eſt ſenſus, nec angelo qvi totus mens eſt. (78.) Altera cauſa eſt in conſenſu illo & vinculo ſympathetico, qvo animi humani ita inter ſe conſtricti ſunt, ut, non aliter ac chordæ iisdem temporibus ſibi reſpondentes, unus moveri non poſſit, qvin alter commoveatur. Hinc te oſcitante ipſe oſcito: te flente ipſe fleo; te ridente lætor: te clamante perturbor. Unde accidit, ut idem docet, ut Oratores rationibus deſtituti ad *exclamationes* freqventes confugiant, qvæ inter figuras patheticas ſunt vehementiſſimæ, id qvod facetè ridens Tullius dixit: Oratores imperitos ad exclamationem decurrere, ut claudos ad eqvum. Eadem virtus perſpicitur in *minis* in *interrogationibus*, & qvibusvis aliis figuris animorum mentiumqve perturbatricibus. Si Martialis Cauſidico ſuccenſens ſcripſiſſet:

(78.) Ar. ibid. Similiter ſemper aſficiuntur auditores ac ille qui dicit affectus eſt: Quocirca multa clamantes terrent auditorẽ.

Ignotus mea Cauſidicus male carmina carpit:
Hunc ego multabo, ſi ſciero, graviter.

Frigida atqve adeo minimè timenda videretur jactantia, eo tantum arguta, qvod Cauſidicum ignotum facit rabulam nullius in arte ſua nominis. Qvanto fortior eſt eadem ſententia nervoſo amento patheticæ alicujus figuræ rotata?

Carpere Cauſidicus fertur mea carmina: qvi ſit
Neſcio: ſi ſciero, væ tibi Cauſidice!

Nonne percipis in figura vim argumenti eſſe? Hæc perſvadet malum qvod minatur, & proſternit Cauſidicum, qvem non attingit. In controverſia illa qvâ trecenti Spartani de fuga deliberant, ab Athenienſibus deſerti, & innumerabili hoſtium numero circumdati: Statoreus Victor excitat eos animoſo hoc arguto dicto: *Trecenti ſumus ſed Spartani.* Id dicturus: Trecenti ſumus: Perſarum tercentum millia. Sed Spartanus unus mille aliis præſtat. Ergo ſumus pares. At idem acumen majore vigore Seſtius cum pathetica exclamatione projecit: *O graviſſimum patriæ virtutis dedecus! Spartani ſe numerant non æſtimant.* In eodem argumento Porcius Latro diſsva-

Digitized by Google

dens fugam: *Qvamvis, omnia feliciter cedant*, inqvit, *multum tamen nomini Spartano detractum eſt, qvod deliberavimus an fugeremus.* At eadem hæc argutia, manu mortua veluti projecta, impetum magis virilem acqviſivit, inter manus Gabii Sabini: *Turpe eſt cuilibet viro fugiſſe: Spartano etiam deliberaſſe.* At Fuſcus Arellius patheticam *exprobrationem* id eſt amentum adjunxit ſententiæ: *Pudeat conſilii noſtri, pudeat, etiamſi non fugimus, deliberaſſe an fugeremus.* Idem de inſcriptionibus dico, qvarum qvædam ſunt qvaſi mortuæ, ut marmor ſenſus expers planè loqvi videatur: qvædam ita vividæ ut in marmore agnoſcas animam dicentis. Si tumuli inſcriptionem ejusmodi legeres: *Gigenna verecunda Cajus matri ſuæ benè merenti, qvam invida mors rapuit.* Laudanda qvidem eſſet illa ab elegantia: at magis jaceret inſcriptio, qvam ipſa Gigenna. Qvantum excitata eſt ſola *exclamatione* cui ineſt Apoſtrophe?

GIGENNÆ VERECUNDÆ
CAJUS CASSIUS
MATRI SUÆ BENE MERENTI.
HEU MORS INVIDA!

Nec ſpernenda eriam eſſet hæc: *Anima Caja Oppia felicis Matris dulciſſima Aulus Niconius & Sextus Niconius filii eo ordine, qvo natura permiſerit, ſecuturi.* Pulchra arte, at motu caret. Nunc accipe eandem forma pathetica, qvæ *ſalutationem* habet, excitatam.

VALE ANIMA CAJÆ OPPIÆ FELICIS.
NOS EO ORDINE QVO NATURA PERMISERIT
TE SEQVEMUR.
VALE MATER DULCISSIMA.
AUL. NICONIUS. ET SEXT. NICONIUS
FILII.

Maxime vivida qvoqve eſt illa, qvam ſupra laudabam, ſed *Interrogatione* detracta, qvæ inter figuras maximam commovendi vim habet, animam ipſi adimes.

QVIS HIC? OMNIA.
QVID OMNIA? NIHIL.

Ex paucis his exemplis cognoſcere incipies novum genus figurarum,

Digitized by Google

rarum, uſu magis qvam nomine aut origine ſua cognitum. In Romanis certè ſcholis, poſtremis fugitivæ eloqventiæ aſylis, in qvibus maxima Latini Græciqve orbis ingenia certabant, nullum audiſſes acumen, niſi vividis hiſce modis exſplendeſcens. Ut videre eſt in controverſiis Qvintiliani & iis qvas Seneca compilavit, à qvo communi vocabulo appellantur COLORES Cicero nunc GESTUS appellat orationis, qvaſi qvi vitam arguant: nunc FORMAS SENTENTIARUM, in qvibus præcipuum Demoſthenis artificium, atqve illud ipſi proprium, fulgurare, tonare, permiſcere Græciam, mirabatur: *qvod nullus ab eo locus ſine conformatione ſententiæ diceretur.* Qvin ideò ipſe Cicero vocatus fuit Romanus Demoſthenes, qvoniam is primus è Græcia in roſtra attulit formas has efficaces & penetrantes, qvibus Verrem ejusqve divitias dejecit, Catilinam ejusqve gratiam ſuperavit, Antonium ejusqve fautores oppugnavit, ita ut non periodos de ſubſelliis recitare, ſed fulmina è nubibus projicere videretur. Sine dubio is hoc nomen ab Oraculo noſtro accepit, qvod in fragmento Poëtices temporum voracitati ſubtracto eas vocat (79.) FORMAS DICENDI ad hiſtrionicam pertinentes: ubi non intelligit *figuras harmonicas*, qvas alibi vocat figuras dicendi: nec *ingenioſas & argutas figuras*, ſed formas explicandi ſententiam patheticè figuratam, ut exemplis modo allatis intelligitur. Atqve ideo ad hiſtrionicam eas refert, qvoniam orationem reddunt patheticam, & ſic qvodammodo Tragicam & theatralem. Hinc in Rhetoricis diſtingvit ſtilum (80.) *Hypocriticum ab hiſtorico.* Hic enim in pagina mortua ſententiam veluti mortuam dictione plana & ſimplici repræſentat: At hypocriticus à formis hiſce patheticis & contentioſis animatus, non verba tantum auribus, aut menti ſententiam, ſed animum dicentis auditoris animo imprimit. Sed de hiſce figuris adeo vegetis & efficacibus ſi qværas, qvod ſit ſummum earum genus & qvæ ſpecies: non ſatis facient qvotqvot etiam conſulueris autores. Prætereo nunc Scriptores minorum gentium, qvi alios exſcribentes paucas qvasdam & ſatis tritas indicant, veluti *exclamationem, interrogationem, proſopopœiam, Apoſtrophen, ironiam*, & paucas

(79.) Ar. Poët. c. 20. Circa dictionem unum qvidem ſpeculationis genus eſt de figuris videlicet ipſius: qvod qvidē ad hiſtrionicam pertinet e.g. qvid ſit mandatum, qvid preces, &c

(80.) Ar. 3. Rhet. c. 12. hiſtorica igitur dictio eſt qvæ maximè propria: concertativa vero qvæ maxime hypocritica eſt, cujus duo ſunt genera, nam altera moderata eſt altera affecta.

alias nec ab harmonicis & ingenioſis figuris eas diſcernentes, & græcis vocabulis obvelantes, tanqvam noſter ager ejusmodi flores proferre neqviret. Cicero ipſe in tertio de Oratore, & Oratore perfecto, contractam eloqventiæ imaginem exhibens, illic ferè qvinqvaginta, hic triginta formas dicendi contentioſas & patheticas enumerat, certum earum numerum iniri poſſe deſperans, multasqve tantum accumulans fontibus non recluſis: qvod eſt non philoſophari ſed divinare. Nihilominus recitabo totum illum locum ex Oratore perfecto, qvem qvilibet Orator civilis & ſacer in muſeo ſuo affixum imo in memoriæ palimpſeſto impreſſum circumferre deberet.

Sic ille dicet, qvem expetimus: Ut verſet ſæpe multis modis eandem & unam rem. Et hæreat in eadem commoreturq́ ſententia. Sæpe ut extenuet aliqvid. Sæpe ut irrideat. Ut declinet à propoſito deflectatq́ ſententiam. Ut proponat, qvid dicturus ſit. Ut cum transegerit jam aliqvid definiat. Ut ſeipſe revocet. Ut qvod dixit iteret. Ut argumentum ratione concludat. Ut interrogando urgeat. Ut rurſus qvaſi ad interrogata ſibi reſpondeat. Ut contra ac dicat accipi ac ſentiri velit. Ut addubitet qvid potius aut qvomodo dicat. Ut dividat in partes. Ut aliqvid relinqvat ac negligat. Ut ante præmuniat. Ut in eo ipſo, in qvo reprehenditur, culpam in adverſarium conferat. Ut ſæpe cum iis qvi audiunt nonnunqvam etiam cum adverſario qvaſi deliberet. Ut hominum ſermones moresq́ deſcribat. Ut muta qvædam eloqventia inducat. Ut ab eo qvod agitur avertat animos. Ut ſæpe in hilaritatem riſumq́ convertat. Ut ante occupet, qvod putet opponi. Ut comparet ſimilitudines. Ut utatur exemplis. Ut aliud alii tribuens diſpertiat. Ut interpellatorem coerceat. Ut aliqvid reticere ſe dicat. Ut denuntiet qvid caveant. Vt liberius qvid audeat. Vt iraſcatur etiam. Vt objurget aliqvando: ut deprecetur. Vt ſupplicet. Vt medeatur. Vt à propoſito declinet aliqvantulum. Vt optet. Vt execretur. Vt fiat iis apud qvos dicet familiaris.

Hic qvidem inſperſas vides confuſe plurimas earum, qvas qværimus,

Digitized by Google

rimus patheticas figuras, puta *Irriſionem*, *Execrationem*, *Ironiam*, *Correctionem*, *dubitationem*, *proſopopœiam*, & alias cum partibus orationis, & multis figuris harmonicis & ingenioſis in unum faſciculum compactas. At qvid Ciceronem dico? Ariſtotelis ipſe non ſatis hanc doctrinam explicuit, & in hac una parte Oraculum illud obmutuiſſe videtur. In loco enim poëtices ſupra laudato ſex figuras (81.) enumerans: *Imperium*, *preces*, *narrationem*, *minas*, *interrogationem reſponſionem* reliqvas τῷ ET COETERA involvit, & veluti Sepia ſuo ſe atramento abſcondit. Neqve tamen non illo *& cætera* rem omnem tacens expreſſit, ut ſcilicet ingenio tuo ſex illas figurarum ſpecies expendens, ad *genus* cui ſubjacent deferaris, eoqve reperto definitionem veram ſcientiæ matrem conficias. Atqve ſic paucæ illæ *differentiæ*, qvas ipſe nominavit te deducent ad omnes alias, qvas ipſe tacuit. Jam vero *juſſa*, *preces*, *narratio*, *mina*, *interrogatio*, *reſponſio*, non ut ſententiæ, ſed ut formæ exprimentes ſententiam conſideratæ, qvæ ſunt, qvid ſignificant? formas certe qvibus animi noſtri mutationes indicantur, qvas ille ſubit, ut eædem alieno animo imprimantur. Qvod ſi igitur diceres: *juſtitiæ ſubmittendi faſces ſunt, quia virtutum regina eſt:* ſententia qvidem eſſet, eaqve ob metaphoram ingenioſa & ob membrorum æqvalitatem aliqvantulum harmonica: ſed qvantum ad formam enuntiandi aliiqve imprimendi, eſt expoſitio hiſtorica langvens & mortua. Hanc itaqve poteris animare ſex illis contentioſis modis, qvibus animi motus exprimitur, nunc *IMPERANDO: Jubeo te juſtitiæ faſces ſubmittere, virtutum enim regina eſt.* *Nunc ORANDO: Qvæſo juſtitiæ ſubmitte faſces, cum virtutum regina ſit.* Nunc NARRANDO: *Magna narro: juſtitiæ ſubmittendi ſunt faſces, virtutum regina. MINANDO: Væ tibi, niſi virtutum reginæ faſces ſubmittis. INTERROGANDO: Qvid? faſceſne juſtitiæ minime ſubmittes cum ſit regina virtutum? Deniqve RESPONDENDO: Si qværis cur juſtitiæ ſubmittendi ſint faſces, brevi reſpondeo: virtutum regina eſt.*

(81.) *Ar. Poët. c. 20. Circa dictionem unum quidem ſpeculationis genus eſt de figuris videlicet ipſius e. g. quid ſit mādatū, quid preces, quid narratio, quid mina, quid interrogatio quid reſponſio & cætera id genus.*

Figuras igitur nihil aliud eſſe, dico niſi FORMAS MOTUM ALIQVEM ANIMI EXPRIMENTES, qvas adeo generali nomine *patheticas* appellare viſum eſt, modo qvo autor noſter in 1. & 2. *de anima paſſiones* vocat non ſolum *affectus*, ſed etiam *imaginationem*, *intellectum*, & omnem *animæ operationem*. Qvot igitur ſunt

animi

animi motus, tot erunt ſpecificæ differentiæ harum figurarum contentioſarum: in qvibus eſt cauſarum victoria, animorum triumphus, argumentorum, Epigrammatum, argutiarum, inſcriptionum & cujusqve orationis anima. Hinc autor noſter de *Interpret. Lib. 1. c. 4.* enuntiationem ſimplicem, qvæ verum aut falſum ſignificat, ſclam ad Logicum ſpectare dicit: at qvantum ad *optativam, interrogativam, deprecativam imperativam* & ejusmodi alias *ad Oratoriam artem*, inqvit, *aut poëſin illarum conſideratio pertinet*. Eſt igitur igitur hic proprius de iis agendi locus. Cum vero duas animus complectatur facultates APPREHENSIVAM & APPETITIVAM: etiam tota maſſa harum figurarum in duo ſumma genera diducitur, qvorum alterum motus *apprehenſionis*, alterum *appetitus* motus exprimit. Et ab his complicatis radicibus rurſus totidem rami ſpecierum inferiorum deſcendunt, qvot in utraqve facultate philoſophia numerat motuum differentias. Primus actus apprehenſionis eſt *cognoſcere* objectum cui contrarium eſt *ignorare*. Illud cognitum alteri *monſtratur, narratur, præcipitur, affirmatur aut negatur*. Qvo refertur *Ironia*, qvæ affirmat negando, aut negat affirmando. *Reticentia*, qvæ affirmat tacendo, *jusjurandum*, qvod eſt affirmatio religioſa, *teſtimonium*, qvod eſt affirmationis confirmatio. Cognitionem ſeqvitur *conſideratio* mater pulcherrimarum figurarum. Hinc enim deſcendunt *parentheſis, correctio, repetitio, admiratio, exclamatio, extenuatio*. Objectum abſens parit *recordationem* rerum præteritarum, & *præſagium* futurarum. Objectum dubium format *dubitationem, inqviſitionem, interrogationem reſponſionem, interpretationem*, tacitam *objectionem & ſuſtentationem*. Circa objecta non exiſtentia occupantur *fictio, imaginatio expresſio, proſopopœia, Apoſtrophe*. Deniqve cognitio, qvæ aliunde pendet, producit *argumentationem concluſionem, epiphonema & compendium*. In qvibus mentis motionibus non conſideratur ut dixi, rationis natura ſed exprimendi forma.

Ex facultate APPETENTE naſcuntur figuræ, qvæ indicant actus *voluntatis & affectuum*. In voluntate nihil decernente eſt *perplexitas*, in decernente eſt *approbatio, deliberatio, imperium, admonitio, diſſvaſio, obſeqvium*. In affectibus ejus facultatis, qvam concupiſcibilem dicimus, numerantur *blanditiæ, ſalutatio, veneratio, apprecatio*,

ratio, abominatio, objurgatio, irriſio, execratio & porro *deſiderium, invocatio, votum, petitio* ſeu ſi mavis *obſecratio, commendatio, conceſſio, gratiarum actio, repulſa, exultatio, jactantia, gratulatio, plauſus, conſolatio, triſtitia, ejulatio, exprobratio pœnitentia.* In affectibus facultatis iraſcibilis ſunt *ſpes, deſperatio, timor, verecundia, audacia, impudentia iracundia, invidia, mina, inſultatio, manſvetudo* ſeu *miſericordia, confeſſio & deprecatio.* Ad has revocari poſſe exiſtimo omnes ejusmodi formas, qvæ motum vel *mentis* vel *affectus* exprimunt. Qvæ qvidem & ſi maximam partem à Rhetoribus nec nominatæ nec cognitæ fuerint, nihilominus omnes ſunt *Rhetoricæ figuræ,* qvoniam orationem à ſermone qvotidiano & communi abducunt. Unde etiam ſuum cuiqve nomen poteris imponere, ex modo dictis mutationibus animi humani derivatum. Cujuslibet verò ſpeciei exemplum aliqvod afferam; ut qvotupliciter inſcriptio aliqva pathetice figurari poſſit, intelligas.

Primum igitur figura COGNITIONIS qvam & latine *cognitionem* & græce *γνῶσιν* licet dicere, intelligo hic omnem ejusmodi formam, qvæ aliqvem intelligentiæ aut ſenſuum circa objecta motum ſimpliciter exprimunt, ejusmodi verbis: *Agnoſco, intelligo, ſcio, experior, ſentio, audio, video. &c.* Seneca Tragicus: *agnoſco, agnoſco, victum eſt Chaos.* Cicero: *nunc intelligo, neminem tam ſtultum fore,* qvi, &c. Virgilius: *Nunc ſcio qvid ſit amor duris in cautibus illum.* Et declamator in Flaminium, qvi, ut oculos concubinæ paſceret, captivum in convivio decollari juſſerat: *In eodem triclinio video, Prætorem, amatorem, ſcorta, cædes.* Hac figura ſingulariter animavit inſcriptionem ſepulchri ſui pater à filio parum amatus. INTELLIGO: UNUM HOC ROGAS, MI NATE, NE ISTHINC EXEAM.

Cognitio.

Huic opponitur IGNORATIO. Sic Cicero: *Neſcio qvo pacto fieri dicam. &c.* Et in Callimachum in prælio occiſum nec concidentem: *Sepulchrum ambire debeam neſcio, an recuſare, nemo mihi ſtatuam erigat: ſufficit hoc cadaver.* In Inſcriptione antiqvi monumenti: NESCIO: NON AD ME PERTINET. Et in mutum pictorem celeberrimum:

Ignoratio.

MUTUS EST PICTOR: PICTURA LOQVITUR:
NEUTRUM AUDIO.

Oſtenſio. DEMONSTRATIO qvam latinè potes Oſtenſionem græce ἔνδειξιν dicere, etiam *hypotypoſis* appellari poſſet; niſi qvod hæc in figuris ingenioſis numeratur. Figuram maximè vividam conſtituit, qvæ ſententiam noſtram alienis oculis objicit forma qvadam demonſtrante ut: *En, ecce, adſpice, vide, audi, &c.* Virgilius: *En, qvo diſcordia cives Perduxit miſeros, en qveis conſevimus agros.* Seneca declamator in eum, qvi infantes ſuos mutilabat, ut iis mendicantibus crudelitatem ſuam publica miſericordia ſuſtentaret: *Intuemini huic erutos oculos: illi effractos pedes. Qvid horreſcitis? Sic iſte miſeretur.* Seneca Tragicus: *Viden? ut laudis conſcia virtus non Letheos horreat angves.* Seneca Philoſophus pulcherrimum de ira locum ſic figuravit, & alium item adverſus delitias menſæ Romanæ: *Aſpice culinas noſtras, concurſantes inter tot ignes coqvos noſtros: unum videri putes ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aſpice veterana & plena multorum ſeculorum vindemiis horrea Unum putes videre ventrem, cui tot Conſulum regionumq́; vina conduntur? Aſpice. &c.* Hac figura ſepulchrum poëtæ Ennii aìnmatur; ASPICITE O CIVES, SENIS ENNII IMAGINIS URNAM. Et aliud recentius: SPECTATE POSTERI: SIC ERITIS.

Narratio. Non multum abit hinc NARRATIO, qvæ ut monui, non ut pars orationis conſideratur ſed ut forma eloqvendi animos ad audiendum præparans. Sic Horatius: *Dicam inſigne recens adhuc indictum ore alio.* Et rurſus idem: *Favete linguis: carmina non prius audita, Muſarum Sacerdos Virginibus puerisq́; canto.* Ab hac figura petitum eſt initium inſcriptionis in duos ſponſos, qvi ipſa nuptiarum nocte incendio fortuito abſumti erant: GRANDE VULCANI FACINUS ENARRO: AUDI VIATOR AC LUGE.

Didaſcalia. Hinc pendet DOCTRINA qvæ appellari poterit διδασκαλία. Virgilius: *Nunc qva ratione qvod inſtat confieri poſſit, paucis adverte, docebo.* In inſcriptione militis Sertoriani, qvi ad rogum ducis ſui ſe occiderat: VALE, VIATOR, QVI HÆC LEGIS ET MEO DISCE EXEMPLO FIDELITER SERVIRE. Et in alia inſcriptione Romana: *Hoſpes diſce novum mortis genus: improba felis, dum trahitur, digitum mordet & intereo.*

Affirmatio. Seqvitur AFFIRMATIO qvæ dici poteſt κατάφασις Non una illa modo exprimitur. Cicero: *Eſt labor: non nego: pericula magna, fateor:*

Digitized by Google

fateor; multæ inſidiæ ſunt bonis, veriſſime dictum. Horatius: *Sic eſt: acerba fata Romanos agunt.* Seneca: *Verum eſt, quod cecinit ſacer Orpheus Calliopæ genus, æternum fieri nihil.* SIC EST VIATOR: QVICQVID EST NIHIL EST. Et ridicula illa inſcriptio montis Flaſconis: PROPTER EST EST, DOMINUS MEUS MORTUUS EST.

Huic opponitur NEGATIO græce ἀπόφασις Cicero: *Nego eſſe quicquam à teſtibus dictum quod. &c.* Seneca: *Iole meis captiva Germanos dabit: Nam flamma curſus pariter & torrens feret, non ibo inulta.* In veteri ſepulchro: NON SUM, NON FUERAM. Et in Poggium: MENTIRIS POGGI &c. *Negatio.*

IRONIÆ pulcherrimum eſt exemplum apud Virgilium in Junonis oratione ad Venerem: *Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis, Tuque puerq; tuus.* Et hoc pudicæ Electræ ad matrem impudicam, quæ ferrum ipſi intentabat apud Senecam: *Ni forte fallor, fœminas ferrum decet.* Talis eſt inſcriptio in monumento Antonii Pratei hominis obeſi AMPLISSIMVS VIR HIC JACET. *Ironia.*

RETICENTIÆ quam Græci ἀποσιώπησιν vocant. Decantatum eſt illud Neptuni ad ventos inſolentes: *Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.* Et paſtoris Virgiliani: *Novimus & qui te transverſa tuentibus hircis.* Et Cornificius: *mihi tecum præcertatio eſt: ideo quod populus Romanus me: nolo dicere, ne cui forte arrogans videar.* Inſcriptio ſepulchri Attilæ: *HIC JACET ATTILA NUMINUM FLAGELLUM: TU NOSTI RELIQVA.* Et huc ſpectat illa ridicule mordax: *HIC JACET PETRUS BALLARINUS CUJUS VIRTUTES BREVITATIS CAUSA TACEO.*

Ejuſdem naturæ eſt PRÆTERITIO, qvæ omittit dicere, qvod dicit. Pulchra eſt hæc Cornificii: *Non dico te à ſociis pecunias accepiſſe: non ſum in eo occupatus, quod civitates regna, domos omnium depeculatus es furta, rapinas omnes tuas omitto.* Et in maledica hac inſcriptione: *HERODOTUS HISTORIOGRAPHUS HIC JACET. NON DICO MENDACEM FUISSE SED GRÆCUM.* Græci enim habebantur mendaces. *Reticentia.*

JUS JURANDUM qvoqve figura eſt efficaciſſima & valde pathetica, præcipuè qvando juratur per res ſingulares etiam ina-

nimas. Dido: *per ego has lacrymas, dextramq́ tuam te. &c.* Qvintilianus: *Juro per filii manes Numina doloris mei.* In antiqva inſcriptione: PER MANUS MEAS JURO NIL MORTE TUTIUS.

Teſtatio. Non multum diſſimilis eſt TESTATIO. Cicero: *Vos, Dii patrii ac penates, teſtor, integro me animo ac libero Publii Syllæ cauſam defendere.* Seneca: *Teſtor Deorum Numen adverſum mihi patriaq́ cineres teq́ rectorem Phrygium; qvem Troja toto conditum regno tegit.* In lapide Antipatri Clariſſimi Oratoris: QVANTA SPIRAVIT VIVENS GRÆCIA TESTIS ERIT.

Animadverſio. Nobiliſſima porro eſt ANIMADVERSIO Græcis [illegible], qvæ in argnmento circumſtantiam aliqvam ſingularem conſiderat, aut illud ſibi ipſi comparat. Pulcherrima eſt hæc Tullii in Piſonem: *Obrepſiſti ad honores, commendatione fumoſarum imaginum:* hoc eſt argumentum: *quarum nihil habebas ſimile præter colorem:* hæc eſt animadverſio. Et Seneca in ſvaſoria, qvæ Ciceronem deterret, ne conditiones ab Antonio oblatas accipiat: *Tu intrare illum ſenatum poteris, ô Tulli, in quo Pompeium non ſis viſurus? Tu illam togam induere, quæ armis ceſſit?* Et illa Hecubæ apud Tragicum: *Regina quondam, ancilla nunc quidem tua.* Et inſcriptio Vetus: ILLA EGO QVÆ CLARIS FUERAM PRÆLATA PUELLIS HIC HOMONEA BREVI CONDITA SUM TUMULO.

Parentheſis. Interdum animadverſio talis circumſtantiæ PARENTHESI includitur. Qvidius: *Brachiaq́ in cælum (qvod videt) irrita tendit.* Idem: *In jugulo vel pectore telum conde meo (jugulumq́ ſimul pectusq́ retexit)* Et inſcriptione Ariſtonis Epicuræi: PARENTI NATURÆ CORPUS (ANIMAM NON HABUIT) ARISTO RESTITUIT.

Correctio. Qvin & CORRECTIO ſpecies eſt animadverſionis. Cicero: *Autronium in campo vidimus; & quid dico vidiſſe nos? ego vidi, &c.* Interdum verbum qvaſi errore exciderit alio magis aculeato corrigitur, ut in Epitaphio mulieris lacrymabundæ & merobibulæ: JUCUNDUS LIBERTUS UXORI BENE MOERENTI. ERRAVI. BENE MERO HÆRENTI, BENE INQVAM SEPULCHRUM MERENTI POSUIT. Ejuſdem genii eſt hæc: *Hic jacet Henricus Rodericus vel Fridericus, non bene recordor, tamen exis nomen in icus.*

Repetio. At *REPETITIO* qvod dictum eſt, fortiori qvadam animadverſione imprimit. In qvo differt à repetitione, qvando eſt ſimplex

figura

figura harmonica, auribusqve tantum blanditur. Cornificius: *Commotus non es, cum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus.* Seneca: *O lares! miſeri lares.* Et in inſcriptione Lygiæ cujusdam forma pernitioſa: NAUTÆ ABESTE: LIGIA EST: ABESTE NAUTÆ. Qvô alluditur ad Ligiam Sirena.

Seqvitur ADMIRATIO qvæ eſt animadverſio qvædam efficax ſeu novitatis ſeu magnitudinis, qvæ in re aliqva eſt. Seneca in eum qvi mendicos mutilaverat: *Novum monſtrum: integer alitur, debiles alunt.* Martialis in familiam ficoſam: *Cum ſint ficoſi pariter juvenesq; ſenesq;. Res mira eſt, ficos non habet unus ager.* In Epitaphio Romano: MIRACULUM: HIC VIR ET UXOR NON LITIGANT. Interdum admiratio indicatur interjectionibus *papæ, babæ, tatæ.* *Admiratio.*

Hinc naſcitur EXCLAMATIO ut illa Martialis in Leonem, qvi infantem diripuerat: *exclamare jubet: Crudelis perfide prædo, à noſtra pueris parcere diſce lupa.* Atqve huic qvoqve ſerviunt interjectiones, *proh, ô &c.* Cicero: *O Miſerum & infelicem illum, diem! ô falſam ſpem! ô volucrem fortunam! ô cæcam cupiditatem! ô præpoſteram gratulationem!* In ſepulchro qvodam: O GENUS HOMINUM LACRIMABILE, TRISTE, CADUCUM, QVOD VIVENS MISERUM POST OBITUM CINIS EST. *Exclamatio.*

Huic contraria eſt EXTENUATIO græcè ταπείνωσις. Medea apud Senecam, poſtqvam crudelitatem, qvâ in maritum uti decreverat, exaggeraverat: *Levia*, inqvit, *memoravi nimis, hæc virgo feci, leve eſt, quod actum eſt.* Seneca declamator: *Nolite mirari, ſi tam efficax venenum eſt: hæres dedit.* Cicero ridens iniqvas leges Verris: *alii negabant mirandum eſſe jus tam neqvam eſſe Verrinum.* Nunc rem aliqvam ridiculam eſſe dicit. Terentius: *Ridiculum eſt iſtuc, me admonere Clitipho.* Idem: *Hui tam cito? ridiculum.* In tumulo qvodam: O QVAM RIDICULUM EST QVI SIM FUERIMVE ROGARE; CUM QVI SIS TIBI SIT NOSCERE CURA LEVIS. *Extenuatio.*

Qvantum ad MEMORATIONEM valde pathetica eſt hæc Terentii: *O Myſis, Myſis! etiam nunc ſcripta illa dicta mihi ſunt in animo.* Horatius: *Æqvam memento rebus in arduis ſervare mentem.* In celebri inſcriptione Romana in mulierem famoſam: PERPETUÆ MEMORIÆ FACTI ET INFAMIÆ CAUSA. *Memoratio.*

Præſagitio. PRÆSAGITIO. Seneca: *Neſcio quid animus grande præſagit malum.* In lapide priſco: VIXI UT VIVIS MORIERIS UT SUM MORTUUS.

Dubitatio. Venio nunc ad rerum dubiarum figuras qvarum prima eſt mentis *DUBITATIO.* In Callimachum, qvi ſtans occiſus erat: *Dubito, an moriendo vicerit, an vincendo ſit mortuus.* Et in Parhaſium, qvi ut Prometheum tortum depingeret, ſervum torqveri fecerat: *Dubium eſt inter iſta ſtudoſiusne Parraſius pingat, an tortor ſeviat.* In tumulo Macardi: *ADDUBITES HOMONE AN AMPHORA MORTUA SIT.*

Inqviſitio. Interrogatio. Seqvitur INQVISITIO. Cicero: *Nunc qværo abs te, qvare patrem ſuum Roſcius occiderit, qværo qvando occiderit.* Etiam INTERROGATIO eſt inqviſitionis ſpecies, at fortior & imperioſior. Horatius: *qvoqvò ſcelesti ruitis aut cur dexteris aptantur enſes conditi? Furor ne cæcus an rapit vis acrior an culpa? reſponſum date.* In lapide Flaccillæ, qvæ cum nimium bibiſſet, animam evomuerat: *QVO NON MORS PROPERAT? FRUSTRA FUGIS MARE, IN MENSA NAUFRAGIUM FACIES.*

Reſponſio. Hanc excipit RESPONSIO. Seneca ſenſu ſtoico: *Qværis qvo jaceas poſt obitum loco? qvo non nata jacet.* Martialis: *Eſſe putas Cynicum deceptus imagine falſa? non eſt hic Cynicus, Coſme, quid ergo? Canis.* In lapide Petri Neapolitani: *QVID AGAM REQVIRIS? TABESCO. SCIRE QVI SIM CUPIS? FUI.*

Interpretatio. Pulcherrima etiam eſt *INTERPRETATIO*, qvæ alios dicere facit, qvod non dicunt. Juvenis Terentianus, cui rigidus Pater dixerat: *Abi cito.* Reſpondet: *viſus eſt mihi dicere, abi cito & ſuſpende te.* Cum Antonius Ciceroni vitam, dummodo rogaret, promiſiſſet, Haterius dixit: *Si intelligis Cicero, non dicit roga ut vivas, ſed roga ut ſervias.* In qvo genere mordaciſſima eſt hæc inſcriptio: *HERMAPHRODITUS HOC EST VIR ET UXOR HIC JACET.*

Occupatio. Huic vicina eſt, *OCCUPATIO* Græcis ὑποφορὰ aut καταλῆψις, figura vividiſſima, qvæ cogitata in alterius animo legit. Horatius: *Nunc aliqvis dicat mihi qvid tu nullane habes vitia? Imo alia haud fortaſſe minora.* In lapide Callimachi *PUTAS CALLIMACHUM VIVERE? FALLERIS MORTUUS EST, ET GRÆCIAM SUSTINET.*

Qvod

Qvod ſi alium concipere facimus ea qvæ non ſunt, naſcitur FICTIO, figura item valdè vivida. *Fingite vobis antiqvam illam urbem videre, lucem orbis terrarum, ſubito uno incendio concidentem.* In ſepulchri inſcriptione morali: *FINGE TE ESSE ME MELIOR ERIS TE ET ME.* Nimirum illud ſignificatur defunctum, ſi mortem cogitaſſet meliorem futurum fuiſſe. *Fictio.*

Huic valde ſimilis eſt *IMAGINATIO*, qvæ exprimit mentis agitationem, qvaſi furore & inſania laboraret. Virgilius: *nam mihi cernuntur trepidis delubra moveri ſedibus. &c.* Horatius: *Auditis? an me ludit amabilis inſania, & videor pios errare per lucos?* In lapide Hermolai Moroſini: *QVÆ NAM HÆ PUELLÆ LACRIMANTES QVATUOR? JUSTITIA, PROBITAS, FORTITUDO, GRATIA.* Multo pulcherrima eſt neqve tamen valdè cognita qvam EXPRESSIONEM voco & græcè dici poteſt ἐκτυπωσις, qvæ ut id, qvod in veritate eſt, exprimat, aliqvid fingit, & imaginatur. Veluti macilentum aliqvem expreſſurus: *Putares cadaver ambulare.* Cicero de Verre: *qvacunqve iter faceret, ejusmodi fuit, ut non legatus populi Romani, ſed ut qvædam calamitas pervadere videretur.* Et ſuperbam gravitatem Conſulis Capuani deſcribens: *Tanta erat gravitas in oculo, ut illo ſupercilio Reſpubl. tanqvam Atlante cælum, niti videretur.* Inſcriptio in ſubitam victoriam: *DIXISSES HOSTIUM COPIAS NON GLADIORUM SED OCULORUM ACIE PROFLIGATAS.* *Imaginatio.* *Expreſſio.*

Ab eadem radice procedit *PROSOPOPOEJA* figura præ reliqvis admirabilis, qvæ muta ſermone donat. Cicero ad Catilinam: *Tecum patria ſic agit, qvodam modo tacita loqvitur: Nullum jam tot annos facinus extitit, niſi per te. &c.* In lapide Pacuvii: ADOLESCENS TAMETSI PROPERAS TE HOC SAXUM ROGAT UTI SE ADSPICIAS. Atqve ſic vulgo mortuos, hortos, fontes, ſtatuas in inſcriptionibus loqvi facimus. *Proſopopœia.*

Contra APOSTROPHE alloqvitur eos qvi non audiunt, æqvè admirabilis, qvoniam hæc ſurdis auditum, ſicuti illa mutis ſermonem largitur. Sic Horatius: *O fons Blandusiæ ſplendidior vitro dulci digne mero.* Martialis in epitaphio pueri glacie ſuffocati; UBI MORS NON EST, SI JUGULATIS AQVÆ? *Apoſtrophe.*

Ultimæ figuræ intellectualium illæ ſunt, qvæ tertiam mentis opera-

operationem videlicet *argumentationem* exprimunt. Inter qvas nobiliſſima eſt, qvam RATIOCINATIONEM vocant, qvæ Dialogum unius hominis facit & ſimul magiſtrum & diſcipulum repræſentat. Exemplum qvod rectè exemplo eſſe poteſt, ſuppeditat Cornificius Rhetor inſignis: *Majores noſtri, ſi qvam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici judicio multorum delictorum convictam putabant. Qvo pacto? qvoniam qvam impudicam judicarant, eam veneficii qvoqve damnatam exiſtimabant. Qvid ita? qvia neceſſe eam qvæ ſuum corpus turpiſſimæ addixerit cupiditati, timere permultos. Qvos iſtos? Virum, parentem, cæteros ad qvos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Qvid poſtea? qvos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, ut qvoqvo modo poſſit, veneficio petat. Cur? Qvia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, qvam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconſideratam. Qvid veneficii damnatam? qvid? putabant impudicam qvoqve neceſſario. Qvare? qvia nulla facilius ad id maleficium cauſa, qvam turpis amor & intemperans libido commovere potuit, cum cujus animus mulieris eſſet corruptus, ejus corpus caſtum eſſe non putarint. Qvid in Viris? idemne hoc obſervabant? Minime. Qvid ita? qvia viros ad unumqvodqve maleficium ſingulæ cupiditates impellunt; mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit.* Servit hæc figura iis inſcriptionibus, in qvibus ratio reddi videtur. Palladi adſcriptum fuit alicubi: CUR PALLAS NON NUPTA VIRUM NON INVENIT ULLUM? volens alludere ad illud: HOMINEM QVÆRO.

Ratiocinatio.

Hinc naſcitur elegantiſſima & efficaciſſima figura referens CONCLUSIUNCULAM, qvæ ante dicta peregrina qvadam animadverſione concludit. Cicero poſtqvam narraverat Herbitenſes condemnatos fuiſſe à Verre, ut duobus ejus amicis magnam pecuniam penderent, concludit: *Itaqve civitas una ſociorum duorum duobus deterrimis mulierculis vectigalis fuit.* Et de Clodio, qvi inceſtum in loco ſacro commiſit: *Itaque duas res ſanctiſſimas religionem & pudicitiam uno ſcelere violavit.* Ejusmodi formæ inferendi magna interdum gratia exprimuntur. Martialis in leonem Domitiani, qvi cum

Concluſiuncula.

cum timidis feris innocenter ludebat: *Unde poteſt capta leo parcere prada? Sed tamen eſſe tuus dicitur: Ergo poteſt.* Hæc figura ornat lepidam inſcriptionem potatoris alicujus, qvæ ex græco translata eſt: TERRA SUM: TERRA GENITUS: TERRA TECTUS: ERGO TERREAM DATO LAGENAM.

Non valde diverſum eſt EPIPHONEMA, qvod videtur concluſiuncula eſſe moralis. Valerius Maximus poſtqvam id qvod Craſſo auſpiciorum contemptori acciderat, narraverat: *Sic Dii ſpreti exardeſcunt: Sic humana conſilia caſtigantur, ubi ſe cœleſtibus praferunt.* Et Cicero commemorata adverſa fortuna regis Cyprii: *En cur cæteri reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur.* In inſcriptione pueruli exſtincti: I NUNC ET VIRIDI FIDE JUVENTÆ. *Epiphonema.*

Hinc etiam naſcitur pulchra & vegeta figura, qvæ multa capita diſtinctim commemorata in unum colligit, unde appellari poteſt COMPENDIUM. Oedipus in filios ſuos invectus. *Illis parentis ullus aut aqui eſt amor? Avidis cruoris, imperi, armorum doli: diris, ſceleſtis, breviter ut dicam, meis.* In ſepulchro Juſti Lipſii: HUMANA CUNCTA FUMUS, UMBRA, VANITAS, ET SCENÆ IMAGO, ET VERBO UT ABSOLVAM, NIHIL. *Compendium.*

Proficiſcor ad figuras, motus facultatis APPETITRICIS exprimentes, qvas ſtrictiori acceptione vocare poſſumus PATHETICAS.

Et primum circa appetitum rationalem ſeſe offert PERPLEXITAS, qvæ voluntatem duabus contrariis rebus impugnari oſtendit. Andromacha apud Senecam, cum aut filiolum mortuum aut maritum inſepultum cernere cogeretur: *Quid agimus? animum diſtrahit geminus timor, hinc gnatus, illinc conjugis chari cinis, pars utra vincit?* Ab hac figura incipit inſcriptio Cornelii Pacis Veneti: LOQVI VELLEM ET VELLEM TACERE. *Perplexitas.*

Perplexitati ſuccedit APPROBATIO. Seneca: *Sic ſic agendum eſt.* Item: *Bene eſt: abunde eſt: hic placet pœna modus.* In inſcriptione Copronianâ, qvi ſuis certas leges dixerat: ITA VOLUI, STATUI: ITA DIVI DIVÆQVE VINDICASSINT. *Approbatio.*

Hinc ſeqvitur IMPERIUM. Cicero hac figura Catilinam mœnibus Romæ ejecit: *Egredere ex urbe Catilina: libera rempubl. metu.* Hunc Seneca imitatus eſt in perſona Creontis qvi Medeam ejicit: *Egredere: purga regna: lethales ſimul tecum aufer herbas: libera cives metu.* *Imperium.*

Digitized by Google

metu. In Epitaphio bibacis apud Scaligerum: SANDALIUS DICIT: AMBULA SEQVERE ME CUM OINOPHORO CUM CALICE ET TAPANTIONE. Et ad hoc gen' referendæ ſunt omnes formulæ inſcriptionum imperantes: SISTE GRADUM QVISQVIS ES. ADESDUM VIATOR. ADSTA ET PERLEGE.

Admonitio. Huic vicina eſt ADMONITIO & EXHORTATIO & qvæ his contraria. Cicero: *Vos pro mea ſumma diligentia moneo: pro autoritate Conſulari hortor: pro magnitudine periculi obteſtor: ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vita veſtra & cæterorum civium conſulatis.* In tumulo: TE SEU NOTUM SEU IGNOTUM MONEO, MORI COGITES ANTE QVAM MORIARIS.

Obſequium. Hujus relatum eſt OBSEQVIUM. Virgilius: *Tuus ô regina qvod optes Explorare labor mihi juſſa capeſſere fas eſt.* In tumulo qvodam: PAREO TIBI NATURA PARENS: DEPOSITUM RESIGNO.

Blanditia. Affectus CONCUPISCENTIS facultatis figuras habent indicantes *amorem*, qvarum prima eſt BLANDITIÆ: ut in tumulo puellæ: TORMENTUM SALONII ANIMULA DULCIS SUAVIS ANIMULA.

Salutatio. Huic vicina eſt SALUTATIO: ut in tumba Ciceronis: MARCE TULLI CICERO AVE. *Apprecatio.* Huic ſervit APPRECATIO cujus multæ inſcriptiones in principio habent ſpeciem: BENE VALEAS QVISQVIS ES. SIT TIBI TERRA LEVIS. DI TE AMENT QVI HÆC LEGIS. *Veneratio.* ET VENERATIO. Seneca: *delubra & aras cœlitum & patrios lares ſupplex adoro.* Et in effigiem Jovis tonantis: *VENERARE AUT VERERE.*

Abominatio. Hiſce contraria eſt ABOMINATIO. Virgilius: *Heu ſtirpem inviſam, & fatis contraria noſtris Fata Phrygum!* *Objurgatio.* Et OBJURGATIO. Horatius: *Qvid vis mulier nigris dignisſima barris?* Idem: *qvid immerentes hoſpites vexas canis?* Seneca: *Hoſtis parentis, impium atqve audax caput.* In maledica qvadam inſcriptione: CONTEMTOR FIDEI, VITÆ CORRUPTOR HONESTÆ, FONS ET ORIGO MALI CLAUDITUR HOC TUMULO.

Irriſio. Non multum ab hac diſcedit IRRISIO. Vetus Comicus: *Ah ah! lepidus amator ſilicernium.* Martialis ridens Phœbum qvendam, qvi calvitiem ſuam (qvod hodie multis in uſu eſt) obtegumento

coria-

Digitized by Google

coriaceo velabat: *Feſtive tibi Phœbe dicit ille, qvi dicit caput eſſe calceatum.* Tanqvam ſandalia in capite gereret. In Antonium Aſinellum Doctorem Patavinum, cujus ſchola *Bos* dicebatur, ſcriptum eſt hoc: RIDETE FORA: BOS ASELLUM JURA DOCUIT.

Ad hoc genus ſpectat EXECRATIO, qvam Latini etiam *diras* vocant. Cicero: *Dii te perdant fugitive.* Seneca: *Vivat, per urbes erret, ignotus, egens exul, pavens inviſus incerti laris, me conjugem optet, limen alienum expetat, jam notus hoſpes, qvoqve non aliud qveam peius precari, liberos ſimiles patri ſimilesqve matri gignat. &c.* In ſepulchro Timonis maledici & Miſanthropi: NOMEN NE QVÆRAS LECTOR: DII TEMALE PERDANT. Tanqvam ex maledica hac voce facile cognoſci poſſet iſthic Timonem eſſe ſitum. Ejusdem generis affectus eſt DESIDERIUM figura valde pathetica & moralis. Pontanus: *O mihi ſi Charites ſpirent, ſi blanda canentis gratia Mopſopio contingat labra liqvore.* Virgilius: *En erit unqvam ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta.* Et ab hac ſæpe ordiuntur Oratores: *Feciſſet utinam Deus immortalis. &. Maximè vellem, Judices. &c.* In tumulo matronæ partu exſtinctæ: O SI NULLA FORENT CONNUBIA NULLI HYMENÆI.

Execratio.

Optatio.

Hinc naſcitur INVOCATIO Qvalis eſt hæc in nuptiis olim uſitata: *Hymen ô Hymenae veni; Hymen ades ô Hymenæe.* Et Niſus ad Dianam apud Virgilium: *Tu, Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori.* In tumulo hominis, qvi vitam traduxerat ſicuti pecora: Huc VENUS ET GENIUS VENIANT PONENDUS IN URNA EST NOVUS HAC SUBTER SARDANAPALUS HUMO.

Invocatio

Cum hac VOTUM conjungitur. *Ipſe aras ſtatuam viridi de ceſpite, & umbras luſtrabo, tumuloqve feram ſolennia dona.* Et interdum votum concipitur: *Voveo tibi victimam Fortunæ redux pro itu ac reditu Auguſti.* Interdum ſolvitur, ut in inſcriptione antiqva: DEO MAGNO ÆTERNO L. STATIUS DIODORUS QVOD SE PRECIBUS COMPOTEM FECISSET VOTUM SOLVIT LUBENS MERITO.

Votum.

Seqvuntur PRECES aut OBSECRATIO. Nutrix apud Senecam: *per has aniles ecce te ſupplex comas atqve ubera iſta pene materna obſecro, depone tumidas pectoris læſi minas.* Interdum rebus inanimatis allegantur preces, ut Turnus haſtæ: *Nunc ô nunqvam fruſtrata vocatus haſta meos nunc tempus adeſt da ſternere corpus, loricamqve manu valida lacerare revulſam Semiviri phrygis & fœdare in pulvere crines.* In tumulo

Obſecratio.

mulo

mulo veteri Romano: HOSPES AD HUNC TUMULUM NE MEIAS, OSSA PRECANTUR.

Commendatio. Huic vicina eſt COMMENDATIO. Pathetica eſt illa Chryſis commendatio ad Pamphilum Terentianum: *Si te in Germani fratris dilexi loco, ſive hæc te ſolum ſemper fecit maximi, ſeu tibi morigera fuit in rebus omnibus, te iſti virum do amicum tutorem, patrem. Bona noſtra hæc tibi committo, ac tua mando fidei.* In Epitaphio Veneto: AMICI COGNATIQVE VOBIS ME COMMENDO.

Conceſſio. Huic proxima eſt CONCESSIO. Virgilus: *Do qvod vis, & me victusqve volensqve remitto.* Idem: *Dabitur Trojane qvod optas.* Porta villæ pincianæ hanc inſcriptionem præfert: ITO QVO VOLES: CARPITO QVÆ VOLES: ABITO QVANDO VOLES.

Gratiarum actio. Hinc GRATIARUM ACTIO figura nobiliſſima græci vocant εὐχαριστικὸν Virgilius. *Non erimus regno indecores, nec veſtra feretur fama levis tantive aboleſcet gratia facti.* Seneca Rhetor: *Ago gratias meo fato, qvod &c.* Romana inſcriptio: ÆSCULAPIO SANCTO LUCIUS JUNIUS AGATAOPUS ET TERENTIA RUFINA GRATIAS AGENTES NUMINI TUO. Recolendum tamen eſt non figuram ſemper aut argutiam ſubeſſe his affectibus, ſed tum demum qvando excitant orationem & pathetica dictione à communi ſermone retrahunt, ut de narratione dictum eſt.

Recuſatio. Huic opponitur RECUSATIO, qvæ rem ingratam repudiat. Martialis: *Nolo boletos, oſtria nolo, tace.* Seneca in declamatione ejus, qvi opulentam hæreditatem repudiabat: *Non me delectant ignoti domino ſervorum greges, nec ſonantia laxi ruris ergaſtula, nolo dives eſſe, patrem gratis amo.* Horatius: *Perſicos odi puer apparatus, diſplicent nexa philyra corollæ.* In Romana inſcriptione: INTUS CASTA CUBAT PROCUL HINC DISCEDITE AMANTES.

Exultatio. Ab alio affectu ſatis vivido naſcitur EXULTATIO, qvæ animum bono adepto gaudentem exprimit. Horatius: *Jo triumphe, tu moraris aureos currus, & intactas boves, io triumphe, nec Jugurthino parem &c.* Ovidius: *Dicite jo Pæan, & jo bis dicite pæan, Decidit in caſſes præda petita meos.* Hac figura Senecio Orator auditores omnes recreabat in ſvaſoria de trecentis Spartanis: *Gaudeo, gaudeo, totus Xerxes meus eſt.* Lapis piſcatoris: *Gaudete mergi, cephali, fulicæ, grues, ut viveretis perii.*

Proxi-

Proximà eſt JACTANTIA: ut: *Ille ego qui quondam gracili modulatus avena.* Et apud eundem: *Et nos aliqvid nomenq́, decusq́, geſſimus.* Et Atreus ſumta crudeli vindicta: *Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper, altum ſuperbo vertice attingens polum. Dimitto ſuperos, ſumma votorum attigi.* Martinus Janeſius magnus Magiſter Alcantaræ in epitaphio ſuo ſic loqvitur: MARTINUS JANUS, IN CUJUS PECTUS NULLUS UNQVAM METUS INTRAVIT, HIC JACEO. Qvod legens Carolus V. Imperator: *Hic*, inqvit, *digito certe nunqvam candelam attigit.* Et ad hoc genus pertinent prædicationes militum glorioſorum. Qvod ſi alterius bonum pariat gaudium, naſcitur GRATULATIO. Declamator in eum, qvi infantes expoſitos mutilabat: *Gratulor tibi, Roma, quod in conditores tuos hic homo non incidit.* Romulum enim & Remum expoſitos fuiſſe conſtat. Seneca Tragicus: *Lætare, gaude, gnata, quam vellet tuos Caſſandra thalamos?* tanqvam Caſſandra, ne in ſervitute viveret mortem Polyxenæ invideret. Hujus generis eſt PLAUSUS *Eja plaudo tibi.* Horatius. *At mihi plaudo ipſe domi ſimul ac nummos contemplor in arca.* In Epitaphio Sulpitiæ: VALETE ET PLAUDITE MEA PERACTA EST FABULA.

Jactantia.

Gratulatio.

Plauſus.

At circa objecta moleſta valde pathetica eſt EJULATIO mœſtitiæ ſignificatio. Plautus: *Hei mihi, neqveo quin fleam.* Declamator in Flaminium: *Me miſerum imperii Romani terrores luſiſti.* Virgilius: *Hei hei quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo.* In ſepulchro Leonhardi Aretini: POSQVAM LEONHARDUS E VITA MIGRAVIT, HISTORIA LUGET, ELOQVENTIA MUTA EST. Imitatione Epitaphii Plautini: *Poſtquam eſt morte captus Plautus, Comœdia luget ſcena eſt deſerta.* Et huc pertinet Epitaphium ſupra recitatum: HEU MORS INVIDA!

Ejulatio.

Vehemens qvoqve eſt figura qvam IMPROPERIUM aut Expoſtulationem licet dicere, qvâ accuſamus eum, qvi malè de nobis meretur. Hercules apud Senecam: *Ingrate ceſſas orbis? excidimus tibi? adhuc malis feriſq́, expoſitus fores, ni me tuliſſes.* Et Medea in maritum ingratum: *O ingratum caput! revolvat animus igneos tauri habitus, adjice expetita ſpolia Phryxei arietis, hac dote nupſi, redde fugienti ſua.* In inſcriptione Callimachi pater in hunc modum loqvitur: RERUM NATURA TECUM MIHI RES EST, CUR AUT COE-

Improperium.

Digitized by Google

LESTEM FILIO MEO ANIMUM DEDISTI AUT MORTALE CORPUS.

Pœnitentia. Etiam POENITENTIA figura eſt qvæ ex triſtitia ob ſuam culpam naſcitur. Seneca: *Potens jam cecidit ira, pœnitet, facti pudet.* Seneca Rhetor: *Noverca, quod volueras conſecuta es, damnaſſe jam pœnitet.* In Epitaphio nautæ: DIS MANIBUS ET NEPTUNO MAGNO QVEM VERBERASSE ME POENITET.

Spes. Reſtant affectus facultatis IRASCIBILIS. Primam figuram dant SPEI. Horatius: *Nil deſperandum Teucro duce & auſpice Teucro.* Virgilius: *Spero equidem mediis (ſi quid pia Numina poſſunt) ſupplicia hauſurum ſcopulis.* In hoc genere celeberrimum eſt dictum: DUM SPIRO SPERO.

Deſperatio. Huic opponitur DESPERATIO, cui inſerviunt hæ formulæ: *actum eſt, conclamatum eſt.* Virgilius: *Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi. Nec dulces gnatos, exoptatumq́; Parentem.* Seneca: *Occidimus, aures pepulit hymenæus meas.* Portæ inferni Poëta Italus inſcripſit hoc dictum: *EXEAS DE SPE QVI HUC INTRAS.*

Timor. Deinde *TIMOR* eſt & *HORROR.* Seneca: *Sudor per artus frigidus totus cadit, omnem tremiſco miſera feralis Dei.* Idem: *Pavet animus, horret, magna pernities adeſt.* In Epitaphio ejus qvi prodente chariſſimo amico occiſus erat: *METUE QVEM NON METUIS.* Cognata timori eſt *VERECUNDIA*, qvæ timor eſt infamiæ *Verecundia.* Horatius: *Heu me per urbem (nam pudet tanti mali) fabula qvanta fui?* Hercules apud Senecam: *Sed ire ad illos umbra, quos vici, Deos pater erubeſco.* In Epitaphio Annibalis Capuanis delitiis enervati: *O TURPE FATUM MARS IN ROSIS INTERIT.*

Audacia. His contrariæ ſunt AUDACIA & IMPUDENTIA. Audaciæ exemplum eſt in Virgilio: *Eſt hic eſt animus lucis contemtor, & iſtum, qui vita bene credat emi, quo tendis honorem.* Seneca: *Reſiſtam, inermes offeram armatis manus, dabit ira vires.* Hæc ultima verba *DABIT IRA VIRES* nobilis qvidam pro verbo ſymboli ſui adhibuit, cujus corpus erat cervus, qvi animalium timidiſſimus ferociſſimus fit

Impudentia. irritatus. Huic conjungitur *IMPUDENTIA.* Terentius: *Ingentem confidentiam! num cogitat quid dicat? num facti piget? num ejus color pudoris ſignum usquam indicat?* Seneca: *Periere mores, jus, decus, pietas,*

Digitized by Google

pietas, fides, & qui redire cum perit, neſcit pudor. Da frena & omnem prona nequitiam incita: per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter. Jovianus Pontanus balneis Bajarum inſcripſit hos duos hendecaſyllabos:

NIL ISTIS PETULANTIUS LACUNIS INFRACTUM MAGIS IMPUDENTIUSQVE.

Ad *IRACUNDIAM* pertinet *Excandeſcentia* in eum qvi nos offendit Seneca: *Accingere ira teq; in exitium feras furore toto.* Et MINÆ Horatius: *At ille qui me commorit (melius non tangere clamo) flebit & inſignis tota cantabitur urbe.* Satyris enim ſe ulciſcebatur. Idem: *Diris agam vos, dira deteſtatio nulla excipiatur victima, quin ubi perire juſſus exſpiravero, nocturnus occurram furor, petamq; vultus umbra curvis ungvibus.* Idem: *Cave cave, namq; in malos aſperrimus parata tollo cornua.* Martialis: *Va tibi Cauſidice.* In inſcriptione Trajano à duabus legionibus dicata: *VIVIT TRAJANUS VÆ TIBI DECEBALE.* *Excandeſcentia.* *Minæ.*

Seqvitur *INDIGNATIO* aut *Nemeſis* qvæ aut lætatur malo, qvod digno, aut dolet bono, qvod indigno contigit: Prioris exemplum habet Virgilius pulcherrimum: *Iſtic nunc metuende jace: non te optima mater condet humo, patriaq; onerabit membra ſepulchro, Alitibus linqvere feris aut gurgite merſum Unda feret, piſceſq; impaſti vulnera lambent.* Poſterioris declamator in mendicos mutilantem: *Res indigniſſima, cum tam crudelis ſit, miſericordia publica alitur.* Hujus generis eſt Epitaphium Cynici: *TANDEM LATRARE DESIISTI CANIS.* *Nemeſis.*

Contra *MANSVETUDO* aut *MISERICORDIA* ignoſcit ei qvi nos læſit. Agamemnon apud Senecam: *Compeſcere equidem verba & audacem manu poteram domare, ſed meus captis quoque ſcit parcere enſis.* Nobilis qvidam, cum vindicare poſſet injuriam occultam, ſatis habuit inſignibus hoc ſymbolum præſcribere AGNOSCO SED IGNOSCO pium qvidem ſe probans ſed fatuum. *Miſeratio.*

Miſerationem ſeqvitur culpæ CONFESSIO. Juvenis Plautinus: *Ego me amare hanc fateor: ſi id peccare eſt fateor id qvoqve, tibi Pater me dedo, qvidvis oneris impone, impera.* Turnus ad Æneam: *Equidem merui nec deprecor, inqvit, utere ſorte tua, viciſti & tradere palmas Auſonii* *Confeſſio.*

ſonii videre. Qvidam malæ famæ ſe depingi fecerat ingenua procumbentem & Chriſti crucifixi imagini ſupplicantem. Huic qvidam ſubſcripſit ex familiaribus ejus: INIQVITATEM MEAM EGO COGNOSCO.

Depreca-tio. Non minus pathetica eſt DEPRECATIO pro nobis aut pro aliis. *Miſeremini familiæ judices miſeremini fortiſſimi Patris, miſeremini filii.* Terentius: *Verum qvando jam accuſando fieri infectum non poteſt, ignoſce, orat. &c.* Mezentius in Virgilio: *Unum hoc (per ſi qva eſt victis venia hoſtibus) oro corpus humo patiare tegi.* In Epitaphio Ronſardi celebris Poëtæ, qvi multos calamo & ore tetigerat: HOSPES DEFUNCTO PARCE POETA FUIT.

Tot ſunt genera totidemqve ſpecies INSCRIPTIONUM PATHETICARUM, nec ulla in mentem tibi veniet, qvæ huc referri non poſſit, ut per te ipſe libros legens notare poteris. At ſi optas ut una qvædam inſcriptio, per omnes has formas traducatur, non aliter ac hiſtrio cum perſona partes mutat, nunc mercatorem nunc heroem nunc paraſitum repræſentans, ſemper idem & ſemper diverſus.

Qvidlibet indutus celeberrima per loca vadet
Perſonamq́ geret non inconcinnus utramqve.

Hujus rei rationem tibi exemplo qvodam præmonſtrabo. Finge te intueri tumbam Alexandri M. cujus urnæ inſcriptum ſit:

BREVI HAC IN URNA CONDUNTUR CINERES MAGNI ALEXANDRI.

Planam hanc & hiſtoricam inſcriptionem eſſe vides ſine motu & figura. Hanc igitur in omnes illas patheticas formas, qvas modo indicavi transmutabo in margine nomina figurarum notans, ut ſeqvitur.

Cognitio. Nunc ſcio *qvam magnus fuerit Alexander: ex urna metior.*
Ignoratio. *Magnus fuerit Alexander* neſcio: *ſanè puſilla eſt urna.*
Oſtenſio. En aſpice Viator *qvantulus ſit ille magnus.*
Narratio. Magna narro *Viator: exiguus hic cinis magnus eſt Alexander: Sat mihi debes, abi.*

Diſcite

Diſcite ſuperbi: *brevis hæc urna docet, qvam parva ſint ma-* *Didaſca-*
xima. *lia.*

Credite Principes: *nihil ſunt magna, cum magnus ille nihil* *Affirma-*
ſit. *tio.*

Nego *magnum fuiſſe Alexandrum*: *vix urnam æqvat* *Negatio.*

Magnus ille ſcilicet *Jovis filius ſpatiatur in urceo.* *Ironia.*

Alexander hic jacet: ſatis dixi. *Reticen-* *tia.*

Non dico *mendacem fuiſſe Alexandri magnitudinem*: *ur-* *Præteri-*
nam vide. *tio.*

Juro per iſtos Alexandri cineres: *nihil eſt magnum.* *Juramē-*

Alexandri magnitudinem mentita eſt fama: teſtem do *tum.*
cinerem. *Teſtatio.*

Cui *nullus ſuffecit locus, loculus ſufficit.* *Animad-*

Hic eſt (ſi tamen eſt) *magnus Alexander.* *verſio.*

Hic eſt Alexander, fallo, *hic non eſt Alexander*: imo *nunc* *Parenthe-*
eſt qvod vere fuerat. *ſis.*

Huc devenit ille magnus, huc inqvam, devenit. *Correctio.*

Miraculum! *tam parvus pulvis orbem totum evertit.* *Repetitio.* *Admira-*

O Vanitas! *tantulus eſt ille magnus*: *tio.*

Qvis credat? *parva hæc urna Alexandria eſt, unico cive* *Excla-*
plena. *matio.*

Hui! *Alexander in urna? Lutum in luto.* *Exagge-*

Tenuitatis veſtræ memores eſto *magni principes*: *hic pulvis* *ratio.*
memoriam juvat. *Extenua-*

Vaticinor *ex hoc cinere*: *cras nihil eritis magni Reges.* *tio.* *Memora-*

Dubito *parvusne an magnus fuerit Alexander? parvum* *tio.*
geſta negant, magnum cinis. *Præſagi-*

Magnum lego Alexandrum. Puſillum invenio cinerem: *tio.*
Alexandrum qværo *in Alexandro.* *Dubita-*

Qvo parva deveniant, *ſi magna ſolvuntur in nihilum.* *tio.*

Ecqvis in urna? Parvus. *Qvis parvus?* Magnus. *Qvi ma-* *Inquiſitio*
gnus? Nihil. *Interro-* *gatio.*

Interpretatio. *Si magnus cur nihil?* hæc mortis Dialectica.
Magnus Alexander hic jacet: hoc eſt, *omnes magni jacebitis.*

Ocupatio. *Magnum fuiſſe Macedona putas?* falleris, *pyxidulam hanc nihil intrat magnum.*

Fictio. Finge *orbem univerſum circumſpectare iſtos cineres, dicet, ſe de nihilo trepidaſſe.*

Imaginatio. Qvale oſtentum? *frigidus ebullit Magni cinis, redivivus heroum phœnix genialem excutit rogum, aciemq; in urna reſtituit, in debellatos Perſas rebellaturus.* Ah! vanâ ludor imagine! *Vermes cinerem movent.*

Expreſſio. *Tam leve pondus eſt Macedo, ut naulo Charontem fraudare poſſe videatur.*

Proſopopœia. *Audi viator qvid* mortuus loqvatur *ex oſſuario.*
Ille ego ſum Alexander, qvem magnum effecit fama, minorem facta, nullum fata.

Apoſtrophe. Dicite Alexandri cineres, *ubi Alexander?*

Ratiocinatio. *Chaſma fuit Alexander?* Quare? qvia *fluxit dum fulſit. Hoc exſtincto* cur nomen ſupereſt? Qvia *nomen ut acqvireret ſeſe perdidit.*

Concluſiuncula. *Hic cinis eſt Alexandri*: Ergo *cætera fumus.*

Epiphonema. Ite jam *magni heröes ac magnitudine allaborate, heroum maximus vix cotylam implet.*

Compendium. *Hac in urna clauduntur, gloria, terror, victoria, fortuna, fama.* Brevi: *Alexander hic clauditur.*

Perplexitas. *Ambigo, flerene an ridere debeo, Alexandri calamitas fletum, vanitas riſum provocat.*

Approbatio. Bene eſt, *mortis conſilium* placet. *Ferarum maximam parva in cavea concluſit.*

Imperium. Jubeo *te iſthic qvieſcere dire Macedo. Sola urna ingentes ſpiritus domat.*

Qvam

Digitized by Google

Qvam cito magna fluant, te monet *hac clepſydra ubi urna pyxis eſt, Alexander pulvis.* *Admonitio.*

Cedite fatis *mortales. Fata ſi vinci poſſent hic non jaceret.* *Obſequium.*

Nunc amo *te Magne Macedo, ſepoſita magnitudine* blandior, *coluntur magna non amantur.* *Blanditiæ.*

Salvete *Magni Alexandri parvi cineres.* *Salutatio.*

Bene precare *Alexandro viator. Niqvieſcat nemo qvieſcet.* *Apprecatio.*

Summitte faſces *parvo huic ſarcophago qvicunq; regnas: magnus hic eſt Alexander.* *Veneratio.*

Apage te *ad umbras infelix umbra: Tartarum everte poſt terras.* *Abominatio.*

Graſſator imperii, patriæ proditor, peſtis hominum, Numinum pudor, naturæ noxa, *nunc cognatorum vermium emporium: nemini noces niſi uni tibi.* *Objurgatio.*

Diogenem in dolio riſit Alexander ridendus *in urceo.* *Irriſio.*

Sit tibi terra gravis, *qvi tam gravis terra fuiſti.* *Execratio.*

Utinam *qvam magnus es ſemper fuiſſes.* *Optatio.*

Adeſte cives *gemina jam miracula oſtentat Babylon, urbem in turri, Alexandrum in urna.* *Vocatio.*

Qvieti publica ingentem hanc victimam voveo *publicis ſpoliis ſaginatam.* *Votum.*

Obſecro te viator: *exiguum mihi pulverem inſperge, terrarum orbe devicto terra indigeo.* *Obſecratio.*

Commendo *tibi puſillum hunc cinerem, anguſte lapis. Ex orbe triumphato hoc demum eſt meum.* *Commendatio.*

Do qvod poſcis *avara tellus: Spoliatoris tui ſpolium cape; poſſide, qvi te poſſedit.* *Conceſſio.*

Pares tibi gratias rependo, *natura parens; pulverem locaſti reſtituo pulverem: nomenqve igneum pro auctione* *Gratiarũ actio.*

Tolle *ſepulchralium invidiam fornicum:* nolo *contigua fulminibus Mauſolea*: reſpuo *illiterata Mempheos literata faſtigia: non jam ille ſum Magnus.* *Recuſatio.*

 Hic

Digitized by Google

Exulta-tio. *Hic putreſcit Alexander.* Gaudete Græci, Syri, Perſæ. *Tineola vos ulciſcuntur.*

Jactātia. Ille ego terrarum terror, orientis occaſus, orbator orbis, *tot palmas adeptus vix palmam impleo.*

Gratula-tio. Gratulor tibi *Magne Alexander, terram tandem qva te caperet, occupaſti. Orbem poſſides, qvem nemo invideat.*

Plauſus. Plaudite populi: *magna peracta eſt fabula: Alexander perſonam exuit, ex Semideo cinis.*

Ejulatio. Heu rerum vices! *pridie magnus, poſtridie nullus.*

Impropерium. Ingrata mors! *Siccine occidis cui tantum debes? fænus amittis, dum ſortem rapis, qvot hic perimeret, niſi periret?*

Pœnitentia. Pœnitet *tam magni nominis, qvod parvo cineri nequeat inſcribi citra mendacium.*

Spes. Sperate populi, *nullum magnum malum perennat. Alexander in cinerario jacet.*

Deſperatio. Actum de vobis *magni principes: etiam Alexander evanuit.*

Timor. Timete Superi *magnum qvoqve Jovis filium mors protrivit.*

Verecundia. Ah nimium mei me pudet *tam arctè jacentis, terrarum victoribus urna debebatur Oceanus.*

Audacia. Pone metum *viator. Alexandro impune illudas licet. Huic nullo jam periculo Calliſthenes mortalitatem obtruderet.*

Impudentia. Nimis impudenter *Viator ibi ſtas, ubi magnus jacet.*

Excandeſcentia. Ardet animus ira, *Veſana mors Alexandrum perimis, nomini parcis? Hoc eſt fata dividere.*

Mina. Væ vobis *magni Principes. Parvus hic cinis magnis minatur.*

Nemeſis. Habes qvod mereris, *qvi Jovis te filium mentiebare, Inceſti Olympiam abſolvis, hic cinis Philippo te aſſerit, non Jovi.*

Miſeratio. Tui me miſeret *Magne Macedo poſt regiam Pori, poſt Perſicum ſolium tam incommode jacentis.*

Confeſſio. Fateor *falſam me mihi magnitudinem arrogaſſe. Auribus impoſui non oculis.* Parci-

Parcite Perſarum manes: *ſat pœnarum pendit prædo. Terra eget, qvam rapuit.* *Deprecatio.*

Qvod ſi mentem advertis pulcherrimis & maximè vividis inſcriptionibus ſeu antiqvis ſeu novis, ſeriis, ſeu facetis: vitam ipſarum & vigorem ex his formis PATHETICIS naſci ſenties. Unico id exemplo demonſtrabo elegantiſſimæ inter recentiores Inſcriptionis, qvæ portæ horti Pinciani ad Borgeſios Principes ſpectantis affixa, amœnitatem hortorum ſua amœnitate pollicetur, & florem latinæ lingvæ in ore hortulani oſtendit.

Villæ Burgheſiæ Pincianæ Cuſtos *Narratio cum Proſopopœia.*
Hæc edico.
Qvisqvis es, ſi liber; *Vocatio.*
Legum compedes ne hic timeto; *Fiducia.*
Ito qvo voles: carpito qvæ voles; *Conceſſio.*
Abito, qvando voles.
Exteris magis hæc parantur qvam Hero. *Animadverſio.*
In Aureo Seculo
(Ubi cuncta aurea, temporum ſecuritas fecit) *Parentheſis.*
Ferreas leges præfigere Herus vetat.
Sit hic Amico, pro lege, honeſta voluntas. *Imperium.*
Verum ſi qvis
Dolo malo, lubens ſciens; *Mina.*
Aureas Urbanitatis leges fregerit:
Caveat, ne ſibi teſſeram amicitiæ
Subiratus Villicus advorſum frangat.

Et ad hunc modum non ſolum Inſcriptiones ſed etiam orationes & ponegyrici & Epiſtolæ qvoqve interdum redduntur fortes vividæ & ingenioſæ, ut illæ Juſti Lipſii & aliorum recentiorum, qvi pulchris his & elegantibus formis ſtylum excitant, qvarum exempla in bonis autoribus & maximè in Plauto obſervare & exer-

Digitized by Google

& excerpta in ſuas claſſes redigere poteris, ut ad uſum ejusmodi ſylvam promtam ſemper paratamqve habeas.

DE FIGURIS INGENIOSIS.

CAP. VI.

NUnc in ipſa artis ſacra & arcana penetralia te deducam, tertium illud genus FIGURARUM, qvas INGENIOSAS vocamus tibi aperiens: in qvibus eſt nobiliſſimus ingenii flos, qvi gloriam artis nec in *harmonico ſono* nec in *formis patheticis*, ſed in SIGNIFICATIONE INGENIOSA qværit. Hæc eſt illa diviſio figurarum ΛΕΞΕΩΣ & ΔΙΑΝΟΙΑΣ apud Græcos pervagata, ab Autore noſtro (82.) indicata, ſed à Cicerone aliisqve Rhetoribus non rectè accepta, qvi interpretantes FIGURAS VERBORUM & SENTENTIARUM, *verborum figuras* accipiunt eas, qvæ in una voce exſplendeſcunt, ut *Metaphora & figuras ſententiarum* qvæ per periodum diffunduntur. Qvin potius oraculum noſtrum (83.) figuram *λέξεως* ſeu *figuram dicendi* intelligit eam, qvæ in collocatione verborum poſita eſt, ut figuræ harmonicæ, aut in (84.) vivida forma dicendi, ut patheticæ, de qvibus diſſeruimus. At (85.) figuram *διανοίας* aut *ſententiæ* intelligit eam, qvæ in *ſignificatione ingenioſa* conſiſtit, ut translatio. Atqve hæ qvidem ſunt veræ ARGUTIARUM FILIÆ, fœcundæ genitrices ſymbolorum & enthymematum, qvibus inſcriptiones & qvodlibet poëticum aut oratorium ſcriptum veluti gemmis diſtingvitur & illuminatur.

Rem igitur altius repetentes ſic diſſeremus. Cujusqve vocabuli aliqvid ſignificantis (ut videmus) vis poſita eſt in eo, ut rem ſignificatam menti humanæ objiciat & repræſentet. At hæc repræſentatio fit vel verbo uno & proprio, ad qvod intelligendum nullo

(83.) ibid. Propter dictionem dicendi qvidem figura is per oppoſitionem dicuntur.

(84.) Ar. Poët. c. 20. circa dictionem unum quidē ſpeculationis genus eſt de figuris videlicet ipſius, quæ ad hiſtrionicam pertinent.

(85.) Ariſt. 3. Rhet. c. 10. Qvæcunqve ex verbis facilem vobis ingerunt diſciplinam ſvaviſſima ſunt: translatio autem id maxime facit.

Digitized by Google

lo opus eſt ingenio: vel ſignificatione qvadam ingenioſa, qvæ & rem repræſentet & una audientis animum oblectet. Naſcuntur itaqve duæ ſpecies ſermonis: alterius proprii & Grammatici: alterius Rhetorici & arguti.

Et de PROPRIO qvidem, utut minutum & puerile videatur præcipere, non parvam tamen laudem inſcriptionibus affert puritas ſtili & proprietas, uti contra parva qvædam impuritas aut barbaræ lingvæ ſordes maximo ſunt iisdem dedecori, qvoniam proprietas (ut autor noſter (86.) docet) fundamentum eſt eloqventiæ. Qvodlibet vel minimum celeberrimorum qvamvis Scriptorum hac in re peccatum rigidiſſimas Criticorum ferulas ſenſit, qvibus illud tanqvam capitale crimen ſine ulla commiſeratione caſtigarunt. Exprobrata fuit Livio Patavinitas: Antonio Solœciſmi: Catoni *transgreſſio* pro *transfretatio*, Auguſto *ſimus* pro *ſumus* & *domos* pro *domus*. Adverſus orationes Ciceronis flagella expedivit Largius libro, cui titulum fecit CICERO MASTIX & Gallus Aſinius eundem maximè caſtigavit ob hæc verba: *Id nunqvam feret tam acerbe Marcus Cælius, ut eum POENITEAT non deformem eſſe natum*, reprehendens qvod verbo *POENITERE* abuſus ſit ad eas res, qvæ ſine culpa noſtra ſunt factæ. Adverſus Saluſtii hiſtoriam ut affectatis vocabulis refertam Auguſti calamus venenum effudit, & Aſinius Pollio tanto furore rudit, ut qvas aures hic Aſinius habuerit, neſciam. Adverſus ſacram Virgilii Æneiden, cui Propertii juſſu omne Latium debet cedere; ſtrepuit ÆNEIDOMASTIX CArvilii, & in luſus ejus Bucolicos prodierunt ANTIBUCOLICA cujusdam Zoili, qvi errores Grammaticos ſingulos annotaverat. Unde verſus ejus campeſtres:

(86.) *Ar. 3. Rhet. c. 10. Fundamentum eloquentiæ eſt propria & emendata locutio.*

Dic mihi Damœta: CUJUM pecus an Melibœi?
Non, verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.

Magno ſibilo explocit, ſic eos redarguens:

Dic mihi Damœta: CUJUM PECUS, anne Latinum?
Non, verum Ægonis noſtri: ſic rure loqvuntur.

Qvod

Qvod ſi in prolixis orationibus, in qvibus dormitare aliqvando conceſſum eſt, & in magnis poëmatis, qvibus culpa ex licentiæ privilegio condonatur, tam acriter reprehenſa eſt exigua qvævis non emendatæ latinitatis menda: duriorem multo & aſperiorem caſtigationem, ſibi polliceri debent Inſcriptionum conditores. Hæ enim cum ſint pulcherrima intellectus proles; oculo magis livido qvælibet exigua macula in iisdem notatur. Accedit qvod in paucis verſibus magis apparet macula, qvàm in continua oratione, in qva error facilius latet & lector non ubiqve attentus eſt. Et deniqve cum in publicis locis affigantur: publicæ qvoqve cenſuræ eò magis ſunt expoſitæ, apertus nimirum non ſolum oculorum ſed etiam lingvarum cujuslibet ex vulgo ſcopulus. Leviſſimum Orthographiæ peccatum, qvod inſcriptionem ſtatuæ Citharædi Anaxenoris invaſerat, locum dedit primo cenſuræ, hinc diſputationibus, poſtea contumeliis, deniqve bellis inter Magneſios & vicinas urbes, ut ob unum barbariſmum ſatis barbarè diu dimicatum fuerit. Nonne vides Epigrammata Martialis (qvæ qvid aliud ſunt qvam Inſcriptiones?) adverſus Zoilos ſcutis lanceisqve munita? & illud maximè in Cæcilianum, qvi in qvodam ejus Epigrammate FICOS pro *ficus* dictum reprehenderat, qvem facete hoc diſticho pupugit:

Dicemus ficus, qvas ſcimus ab arbore naſci,
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Qvod ſi ex me qværas qvi ſermo ſit maximè proprius & emendatus reſpondeo is, qvo meliori ætate homines uſos eſſe intelligimus. Latina lingva tyrannidi temporis obnoxia fuit. Neqve enim iſta minus in lingvis qvam in vita poteſt. Loqvendi ratio cum tempore aſſiduè mutatur & certis vicibus voces Grammaticæ naſcuntur, adoleſcunt, vigent, ſeneſcunt, moriuntur. Atqve hoc ob commercia cum exteris: ob idiotiſmum plebis: ob licentiam poëtarum: ob ſatietatem aurium, & ob mentis oblivionem. Omnes itaqve has ætates tranſegit Romana: Latinitas infans hæſitavit, adoleſcentior crevit, juvenis vigorem, virilis maturitatem, ſenior canitiem adepta eſt & tandem exſpiravit.

PUERITIAM ſub Regibus & primis Conſulibus egit, qvo tempore populus Romanus ſtivam magis qvam ſtilum tractans, non alio Magiſtro utebatur qvam matre natura, neqve pennas adhibere

neceſſe

Digitized by Google

neceſſe habuit, nondum procul à nido avolans. Tunc ut numerum iniret annorum, qvod Livius retulit, literarum uſum non habens clavis eos notabat, eratqve paries ipſi faſtorum loco. Qvalis fuerit vagitus hujus Romanæ infantiæ, oſtendunt fragmenta duodecim tabularum, ex qvibus eſt hoc debitoris condemnati apud Gellium: *ni judicatum faxit: nemut qvips endo in jus ducito. Qvi em victum habebit liberas farris endo die dato.* In qvibus vides reliqvias qvasdam græcæ lingvæ. Nam ENDO depravatum ex Græco ἐν τῷ hoc eſt *in eo* mutata *t* in *d*, qvomodo Græci poſt ἐν pronuntiare ſolent. At reliqvæ voces mixtim derivatæ ſunt ex priſco Latio & Hetruria, qvæ cum Roma jam valde erat permixta. Et in his tabulis tanqvam in ſpeculo M. Tullius in 1. de Oratore contemplatur ſimplicitatem antiqvæ illius Romæ, cujus ſermo erat barbarus, vita innocens.

Niſi reus judicatum faciat nec etiam quispiam illi eo jure vindex ſit in jus vocet. Qvi eum vinctum habebit duas libras farris indies det.

Luſit hæc *Infantia* trecentis & amplius annis usqve ad Romam à Gallis captam & incenſam. Tunc enim Titus Livius, qvi antea vix qvid ſcriberet, repererat: *nam rara litera* (inqvit ille) *per ea tempora fuerit una cuſtodia fidelis memoria rerum*: lætius inchoat librum 6. *Clariora deinceps certioraq́, renata urbis geſta domi forisq́, expoſiturus.* Inter gaudia enim illius victoriæ nata eſt ſatyra, qvæ poſtea mater fuit Comœdiæ & Epici carminis. Diceres ad ſplendorem crudelis illius facis literas humanas eſſe repertas, & Phœnicem civitatum ex mortiferis flammis cum pulchrior emerſiſſet, veteres plumas barbariei depoſuiſſe. Tunc cygni cantu Gallorum excitati eo dignius cœperunt canere, qvo cives digniora opera ſuſcipiebant, & ſimul lauri poëtarum cum illis Scipionum ex cineribus Romæ propullularunt. Hæc erat florida JUVENTUS latinæ lingvæ, qvæ per ducentos annos luſit in poëmatis, Andronici, Ennii, Plauti, cujus qvidem voces clariores ſunt qvam priorum, adhuc tamen valde audaces, & licentia juvenili affectæ:

Si dixero mendaciom, ſolens meo more fecero.
Nam pugnabant illi maxime, ego qvom fugiebam maximè.
Qvid hic homo incipiſſit facere, cum tantis minis?

Perinde ut here ſit voltom è vultu compares.
Triſtus ſi ſint heri triſtes: hilarus ſit ſi gaudeant.

Atqve ita vulgo locutos eſſe affirmat Craſſus, qvi cum ſocrum ſuam loqventem audiret, ſibi Nævium & Plautum loqvi videri dixit.

Succeſſit crudæ huic Juventuti robuſta lingvæ VIRILITAS, qvæ à Gracchorum tempore ad finem usqve Tiberii maturuit. In hoc ſeculo natura cum vires ſuas oſtendere vellet, nobiliſſima ingeniorum exempla uno tempore edidit, qvæ qvilibet jure admiretur, pauci imitentur, nemo æqvet, ſuperare ne arti qvidem ipſi conceſſum ſit. Tunc poëſis Virgilii, Ovidii & Horatii ad faſtigium perducta eſt, & Parnaſſus in Capitolium translatus. Tunc facultas Oratoria Gracchi, Hortenſii, Ciceronis: tunc hiſtoria Latina Livii, Saluſtii, Julii Cæſaris eò pervenerunt, qvò fruſtra cujusqve mortalis calamus adſpirare contendit. Sed præcipuè inter ſpolia Græciæ Grammatica Romam delata fuit, cujus hic vix nomen auditum fuerat, & qvod valde mireris, græca mancipia Romanorum liberos latinam lingvam docere cœperunt & à barbaris barbaries Roma expulſa eſt. Hinc diligentiſſime explorata fuit vocum omnium vis, impuræ ſecretæ, impropriæ emendatæ, Plautinus boatus, & licentia Enniana ſublata. Unde Virgilium tradunt, cum librum Ennii legens deprehenderetur, cauſam ejus rogatum reſpondiſſe, *ſe ex cœno gemmas colligere.* Inter ſcriptores autem aurei illius ſeculi Cæſarem, ut armis, ſic ſtilo principem eſſe conſentiunt. Is enim remotis calamiſtris eloqventiæ affectatæ latinitatem (ut Tullius ſcribit) puram & ſimplicem & ex ſe ornatam amplexus eſt. Porro autem (ut idem Tullius affirmat) mirabili induſtria & accurata obſervatione ſingulas voces expendit, qvin manu triumphali volumina ſcripſit grammatica, ita ut Cæſar ſolus virgulas Criticorum effugerit, & Brutus ipſe acerrimus ejus inimicus faſſus ſit, ſtilum ipſius tumidis ingeniis videri ſimplicem, at ſanis ſpem omnem imitandi præcidere. Hæc igitur eſt maturitas Latinæ lingvæ. A Tiberii enim principatu imperio in tyrannidem degenerante virtus pretium ſuum amittere cœpit, & nunc furori nunc gratiæ cedere coacta eſt, exterorumqve turba morum & lingvæ puritatem corrumpere

viſa

Digitized by Google

viſa eſt. Et qvamvis Lucani, Senecæ, Taciti ætate aulicorum ingeniorum calliditas & declamandi exercitationes ſcripta redderent argutiora & ingenioſiora, neqve tamen erant (ut ipſi qverentes fatentur) æqvè latina & emendata, qvod animadvertere licuit ex comparatis Auguſti & Conſtantini Inſcriptionibus.

Hæc igitur erat cadens & langvida SENECTUS lingvæ Latinæ, qvæ cum aliqvot ſeculis huc illuc eſſet traducta, qvò Cæſarum victoriæ eam vocabant, & maximè in Galliam Ciſalpinam, ubi ſedes imperatoria erat conſtituta: tandem Gallis, à qvibus loqvendi & veſtiendi modos accepit, permixta & Gothorum, Vandalorum, & Longobardorum armis obruta, inter ferrum & flammas una cum imperio exſtincta eſt. Et qvamvis erudito hoc ſeculo ingeniorum qvorundam felicitas & diligens maximè opera Sociorum Jeſu latinitatem è morte in vitam revocaſſe videatur: non eſt tamen, cur ſpem ullam foveamus ejus ad priſtinum vigorem reducendæ, cum facilius liceat ſuperare cogitatorum acumen, qvam æqvare puritatem dictionis aurei ſeculi. Qvin inter hanc & iſtam latinitatem idem intercedit diſcrimen, qvod inter exemplar & exemplum, inter ideam & opus ex idea expreſſum, inter artem & naturam. Hodierni enim Scriptores eo latinius dicere videntur, qvo melius imitantur phraſes habitum & dialectum Ciceronis, Cæſaris & aliorum felici iſta ætate ingeniorum. At nec Cæſar nec Cicero unqvam ſeipſos imitati ſunt, nec omnes loqvendi formæ ab ipſis adhibitæ ad nos pervenerunt. Qvin multi recentiorum, qvo propius ſtudent exprimere Ciceronem, eò magis in ridiculam affectationem incidunt: qvomodo animantium nullum eſt homini ſimilius, qvam ſimia, ſed nullum æqvè deforme eſt & ridiculum.

Mortua itaqve eſt *Latina lingva*, & moriens peperit lingvam Italicam, matris ſuæ interfectricem. Neqve enim hæc alia eſt niſi latinitas vocibus barbaris & maximè Gallicis (unde etiam articulos & caſuum flexiones mutuata eſt) contaminata. Hinc primum illud idioma legens Italicum, videris tibi lepidum qvendam ſcholæ luſum cognoſcere, qvale eſt philoſophicum ſomnium Poliphili, ſtudioſè grandi circumductione deſcriptum, cujus ſpecimen qvoddam tibi exhibebo.

Volendo Jo Poliphilo territo & afflicto le optate aqve ſopra

le verdoſe rive exhaurire cum Glipopliti conſternato & in clauſura ledita riducendo ella vola lacunata feci vaſo da bevere gratisſimo: la qvale infuſa nel fonte & di aqva impleta per offerire alla rabida & angelante bucca, e refrigerare la ſiccitudine del eſtuante pecto più grate all hora ad me & che ad gl' indi hypane & Gange accadete che non cuſi preſto le exſpectate & appettabile aqve nella caveata mano ad la bucca aperta era per approximarle, che in qvello inſtante audivi uno dorio cantare (che ſvado che thamiras thratio eltrovaſſe) per le mie caverniculate orecchie penetrantè, & ad lo inqvieto core tanto ſvave dolce & concinno trajecto cum voce non terreſtre cum tanta harmonia cum tanta incredibile ſonoritate cum tanta inſveta proportione qvanto mai ſi potrebbe imaginare la dolcecia della qvale multo piu di oblectamento che la potiuncula offerente ſi mi preſtaba.

Nonne videris tibi audire duas in una lingvas? nonne vides in unoqvoqve vocabulo mori latinum & naſci Italicum idioma? latinizare barbariem & barbarizare latinitatem? hæc autem deberet eſſe pura & authentica Italorum lingva, cujus verba ex Latio eſſent derivata, ad modum verò exterorum inflexa & declinata. At non ea inter rudes populos regnabat elegantia nec ea proprietas: qvin non una erat Itali ſermonis facies, ſicuti nec Græci eadem dialecto Athenis & Rhodi utebantur. Qvemadmodum enim Italia, hic Galliæ, iſthic Græciæ, vicina erat: ſic Calabri ex Græcorum, & Ciſalpini ex Gallorum conſvetudine plurimum traxerunt, ut aliter fieri non poſſet, qvin & illi & iſti multo corruptius loqverentur, qvam Romani & Hetruſci Italiam mediam incolentes, & ab utraqve gente peregrina magno tractu remoti. Cujus rei ſignum eſt clariſſimum, qvod nec Ciſalpini nec Calabri ſcribere poſſunt, qvomodo loqvuntur ob admixtos è vicinis accentus & diphthongos. Qvin ne Romani qvidem tam polite loqvuntur ac Thuſci, qvi & ſitus & parſimoniæ beneficio melius ſe à Barbaris defenderunt, qvam miſera Roma omnium exterarum gentium adamata hoſtis & inviſa hoſpes, repetitis ruinis & magnificentiis toties ſepulta, qvoties inſtaura-

inſtaurata, ſemper plena & ſemper incolis vacua. Hinc ſicut Thuſcia interior à Syllanis usqve temporibus Latinis colonis conceſſa fuit, qvi celebrem coloniam ibi condiderunt Fæſulas, ex cujus cineribus urbs Fluentiæ hodiè Florentiæ feliciter effloruit: ſic eidem facilius fuit veſtigia Latiniſmi tam in copia & proprietate verborum, qvam in pronuntiatione & accentu ſervare integra. Unde etiam hodie aſpiratio illa gutturis neſcio qvid priſci & Qviritium ſpirat. Ad huc melius perſpicies qvæ dico ſi priſcum Italicum Romæ compares Italico Florentino. Lege res geſtas Nicolai Laurentii ſuorum temporum Maſanielli, qvi mira ſubitaqve metamorphoſi ex plebis fæce Capitolii dominus evaſit, & in illo monte caſum aſcenſui vicinum reperit. Hiſtoria non minus argumento ridicula, qvam ſtilo Thomæ Forti ſloccæ optimi illorum temporum ſcriptoris, digni tali patella operculi.

Cola da Rienzi fodi vaſſo lennaio. Lo patre ſio fo tavernaro: habbe nome Rienzi: la Matre habbe nome Mattalena, la qval vivea di panni lavare & d' acqva portare. &c.

Iisdem vero temporibus, qvibus Roma ſic loqvebatur cygnus ille Florentinus Franciſcus Petrarcha ſubito ſplendore ejusdem hujus Nicolai deceptus, & avidiſſima novitatis ſpe impulſus ad cœlum eundem ſuis verſibus extulit, & ad temerarium incœptum inflammavit oda qvadam, cujus hoc eſt initium:

Spirto gentil, che qvelle membra reggi,
Dentro le qvai pellegrinando alberga
Un Signor valoroſo, accorto e ſaggio. &c.

Ut dicere poſſimus & Italum Homerum cœcum fuiſſe, qvi, qvem celebraret, non ſatis cognovit: niſi forte, Græci Homeri exemplum in hoc qvoqve ſecutus eſt, ut & ipſe Margitem aliqvem celebraret. Suas itaqve viciſſitudines & *lingva* ſenſit *Italica*, nugata eſt INFANS ſub tyrannis, Romana Latinitas ſub regibus. Unde & ipſa Tuſcia ſcriptores illius ſeculi indignos judicat, qvos legamus nedum imitemur; qvorum ſtilus reſpondet duodecim tabularum dictioni, uſu magis qvam arte formatus.

Floruit poſtea JUVENTUS circa annum MCCC. in Dante,

Digitized by Google

te, Petrarcha, & Boccacio, qvos opponere poſſumus Ennio, Cæcilio & Plauto: parentibus qvidem latinæ lingvæ, ſed nondum ſatis expolitæ. Nam qvemadmodum iſti idiomatis illius ortui propiores vulgi conſvetudinem magis cognitam habebant, qvam Oratorum elegantias, eoqve latini magis erant, ſed non æqvè ornati ac Cæſar & Cicero: ſic Dantes gloſſematis & vocabulis Tuſcis ſed rancidis valde & plebeis abundans, ipſis popularibus ſuis viſus eſt plebejus, qvi (qvod de Ennio dicebamus) gemmas ex ipſius cœno eruendas eſſe monent. Petrarcha poſtea utut majori acumine & accuratione ſcripſerit, nihilominus ob licentiam poeticam, ob rythmum coactum & archaiſmi reliqvias in ſcriptis ejus ſparſas, Cæcilio potius qvam Virgilio comparari meretur. Deniqve Boccacius in fictis ſuis narratiunculis (nam in aliis ejus ſcriptis ſermo elocutione vitiatur) jam Cæſari æqvari poſſet, niſi propius ad Plautum accederet. Cum enim illic ſibi propoſuiſſet incedere, (ut idem in Apologia monet) non per arborum faſtigia, ſed per humiles valles: Florentina vulgi dialecto ſtilo tenuiſſimo id operam dedit, ut ſine cura & arte ſcribere videretur. Qvo igitur puriorem & ſimpliciorem lingvam Tuſcam nobis aperit, eò magis æruginem & lentiginem priſci idiomatis conſpicuam fecit, qvam non diu eſt, cum Tuſci populares ejus mordaci cenſuræ pumice eleganter deterſerunt & deleverunt. Sic Magiſter lingvæ à diſcipulis emendatus eſt, ut à Cicerone & Cæſare Plautus.

VIRILEM hinc ÆTATEM lingvæ Italicæ illam eſſe ſtatuo, qvæ ſuperiori ſeculo cœpit & nunc indies matureſcit, digna qvæ aureæ latini ſermonis ætati comparetur, qvæ ex omnibus prioribus ſeculis decerpſerat FLOREM PULCHERRIMUM. Qvod ſi enim tunc ſub Auguſto pacifico, hodie ſub tranqvillo Pontificum imperio bonas artes Romæ felicitas revocavit, qvas priorum ſeculorum tumultus in exilium egerant. Tunc Varro & Nigidius, hodie Academici Florentini à farina denominati optimis *Lexicis* leges dederunt lingvæ, rythmorum jurisdictionem circumſcripſerunt, & exqviſita bilance vocabula ponderarunt. Tunc *boatus plautini* & antiqvæ lingvæ fuligines; *qvoi, qvom, ſibei, heic, maxume, mendaciom, triſtus hilarus*, hodie abſurdus *hiatus* Gvittonis, *Qvegli, andæ, qveſti tornæ*, & ſcholaſtica Petrarchæ & Boccacii gloſſemata.

Eſſo,

Eſpo, *optima*, *maximo*, *eximio*, *promto*, *docto*, *decto* è medio ſublata ſunt, & qvantum barbariè corruptum erat hodie correctum eſt. Tunc facundæ Oratorum lingvæ, hodie exqviſitæ pennæ feliciſſimorum Scriptorum & inprimis eorum, qvi ducibus aut purpuratis principibus ab epiſtolis ſunt, erudita æmulatione exacutæ, emendatum & politum eundemqve fluidum ſvaviſſimumqve ſtilum formant. Sic igitur Tuſcè recte loqvi non artificium amplius eſt eorum, qvi Arnum bibunt: ſicuti nec illi, latinos latine (ut diximus) docuerunt, qvi ad Tiberim lucis auram hauſerant. Et certe in *grammaticis præceptis* lingvæ Tuſcæ qvis ſagacior duobus Venetis? qvis *in Epica, in Comica in Tragica* poëſi accuratior qvam unus Bergomas, duo Ferrarienſes & unus Marcanus? Qvis in *hiſtoria* politior, qvam unus Venetus & Bononienſis unus? Qvis in *Eloqventia* valentior qvam unus Sarzanienſis? Et ne infinitum texam Catalogum, qvis in Lyricis & ſoluta oratione delicatior, qvam Marina Siren? Qvem licet Tuſci non inter autores numerent ut Arioſtum, in qvo vere multæ ſcintillæ ſtili Boccacii explendeſcunt: certum tamen eſt Marinum majori arte & ſtudio ſua compoſuiſſe, ut qvi nunqvam verbulum aut ſyllabam ſcriberet, cujus non idoneam rationem poſſet reddere. Et in univerſum Bembus pronuntiat exteros rectius plerumqve Tuſcè ſcribere, qvam ipſi Tuſci, qvoniam hi vulgari ſermoni innutriti ſæpius ita ſcribunt, ut loqvuntur: cum iſti artem ſecuti limam adhibeant locutionibus, & verba ſingula expendant. At dices *ſi latina lingua mortua cenſetur utut multi hodie ſatis politè & eleganter latinè ſcribant: cur non mortua cum Boccacio & Petrarcha videatur Italica, etiamſi ſcribendo multi elegantiam retineant?* Reſpondeo latinæ lingvæ ignoramus origines. Unde cum autores ejus eſſe nobis negatum ſit: ſola imitandi gloria nobis relicta eſt: at Italicæ, qvæ Latinæ eſt filia, inqviri & examinari poſſunt, *voces, phraſes & dialecti*, idqve beneficio *analogiæ & anomaliæ*, ut Cæſar in ſua lingua fecit ejusqve ex diſcipulo Magiſter evaſit.

Qvæ hactenus de *lingva Italica* attuli: forte ab inſtituto videbuntur ſatis aliena, qvod lingva hæc in univerſum ab *inſcriptionibus* remota videatur & excluſa. At non placeat Muſis, ut ſoli Itali adeò erga matrem ſuam ingrati ſint, ut inventa ſuæ lingvæ tam naturali, tam pulchræ, tam concinnitatis & argutiarum capaci, credere dubitent.

Digitized by Google

dubitent. Nonne qvotidie mille ſeſe offerunt occaſiones, qvibus vel tumbæ, vel emblemati, vel ſtatuæ, vel picturæ, carmina patrio idiomate inſcribi poſſunt? Qvæ vero ſunt ejusmodi carmina niſi argutæ *inſcriptiones*? Qvalis eſt hæc Marini in fontem Facchini.

O con che grato ciglio,
Villan corteſe agli aſſetati ardenti
offri dolci acqve algenti.
Jo ben mi maraviglio,
Se vivo ſei, qval tu raſſembri à noi;
Come in lor mai non bagni i labri tuoi.
Forſe non ami i criſtallini humori,
Ma di Bacco i licori.

Et altera hæc limatior & ſeverior ſub effigie novi Jaſonis Chriſtophori Columbi:

Qvel Colombo ſon' io,
Stupor d' ogni alto ingegno
Che con ali di lino, e pie di legno
Volando à nuovo Ciel: col volo mio
De lo Spirto di Dio,
Dove volata ancor non'era mai,
La Colomba gvidai.

Et, ſi alius ejus uſus non eſſet, nonne ad Inſcriptiones pertinent verſus illi, qvi *ſymbolis* pro *verbis* adjiciuntur lingva populari, ut ab iis qvoqve intelligantur qvi ultra vulgus non ſapiunt? Tales fuerunt illæ qvanqvam ſimpliciores, qvas idem Petrarcha ſupra Lauram explicavit, flammæ & famæ ſuæ argumentum. Veluti planta *lauri* cum hoc dicto: L' ARBOR GENTIL, CHE FORTE AMAI MOLT' ANNI. Et hæc alia in *ſolem* ſymbolum ipſius mortuæ: QVEL SOL, CHE MI MOSTRAVA' L CAMIN DRITTO. Et alia

alia in ſui ipſius *imaginem*, in umbra *lauri* perennes aqvas ex *urna*, qvam brachiis comprimebat, fundentem, continuas ſuas lacrymas ſignificaturus IN QVESTO STATO SON DONNA PER VOI. Qvæ dicta tantopere ipſi placuerunt, ut ea in Odis immortalitate donaverit. Jam vero in ejusmodi inſcriptionibus qvanta puritas & proprietas ſtyli adhibenda eſt, ut invidis moroſisqve cenſoribus ſubtrahas, qvod arrodant? Tirones qvosdam alto ſupercilio ſupra laudatas inſcriptiones carpere audivi, & ſpeciatim adjectivum illud *ALGENTI*, tanqvam ſcholam ſaperet, & articulum J duabus aſperis conſonantibus præpoſitum CRISTALLINI & geminum hiatum *BAGNI ILABRI & AMI J CRISTALINI* & phraſin illam *RASSEMBRI ANOI* rythmi inopia dictam pro *CIRASSEMBRI*. Sic lepores leoni mortuo cutem detrahunt. Et qvis non legit irriſiones, ſatyras, tragicas Apologias, crudeles inimicitias ex eo natas, qvod Annibal Carus aliqvantulum impegiſſe videbatur in lingvam Italicam, in cantu qvodam de liliis aureis, qvi cenſori ejus tantum negotii exhibuit. In magna & erudita Inſubriæ civitate reperimus Academicum, qvi ingenioſior haberi voluit, ſymbolo uſum eſſe *lucernæ clauſa*, hoc dicto: DENTRO MI STRUGGO E NON VO CH' ALTRO IL SAPPI: ad hoc lumen æmulus qvidam ejus tanqvam vrſpertilio advolavit, & reprehendit primum pronomen illud ſingulare ALTRO pro ALTRI. Et tertiam illam perſonam ſubjunctivi SAPPI pro SAPPIA. Diſputabatur cauſa, dicebatur, teſtes ex Boccacii qvinta narratione tertii diei opponebantur, ſalibus mordacibus in lucernam illam ludebatur, & tandem lucerna illa maximum incendium excitavit, qvod ſine multo ſangvine exſtingvi non potuit. Sed ut inſcriptiones poëticas omittamus, nonne & in ſoluta oratione Italicæ æqvè ac Latinæ componi poſſent. Exemplum dabo, qvo eqves ille Marinius Pontifici Orationes ſuas dedicans brevi gyro integrum Panegyricum concluſit, in hunc modum:

Alla Immortalità
DI PAOLO QVINTO
PONTEFICE.

Ii *Miglio-*

Migliore degli Ottimi, Maggior de Maſſimi:
Delle Anime fedeli Padre Beatiſſimo.
Cuſtode della Vigna Eccleſiaſtica
Paſtore della Greggia Catholica:
Nocchiero della Nave Apoſtolica.
Simulacro di Dio, Vicario di Chriſto,
Miniſtro dello Spirito Sancto.

1. Tangit res geſtas Pauli V.

Fonte di prudenza, ſpecchio di bontà, Sole di gloria:
Cultore della Religione, difenſore della Giuſtitia:
Protettore della Pieta, Domatore de' Rebelli:

2. Tangit pacē Italiæ

2 Conciliatore di Principi.

3. Ædem S. Petri & fontes innuit.

3. Di moli immenſe erettore Magnifico.

4. Interdictum ſignificat.

4. Campione dell' Autorità di Piero.
Armato di doppia ſpada, Spirituale & Temporale
Il cui Impero ſi termina con le ſtelle:
Al cui ſcettero ubbidiſce il Mondo, trema l' Inferno;
Le cui chiavi, aprono e ſerrano il Paradiſo.

5, Felicitatē Romæ laudat.

5. All' Ombra del cui provido governo
Verdeggia la Pace floriſce l' Abondanza:
Ricovera la Virtu, vivono felici i Popoli.

6. Alludit ad inſignia Borgheſiorū.

6 Sotto la cui Aqvila giace proſtrato il Dragone
Dal cui piede è conculcata l' Hereſia.

7. Cardinalē Borgheſium extollit.

Nel valore del cui 7. Magnanimo Nipote,
Cardine del Vaticano Colonna del l' Univerſo:
Oracolo di Roma; Miracolo del Secolo:

Ogget-

Oggetto degli ingegni, Suggetto degli inchioſtri;
S'Appoggia la Machina delle gravi cure;
QVESTO
Piccolo Teſtimonio di riverente affetto;
Inſieme con tutte l'altre ſue fatiche:
La devota Penna
DEL CAVALIER MARINO
Humilmente, Prontamente, Meritamente,
Dona, Dedica, Conſacra.

In hoc non dicam ſtudii partu ſed ingenii impetu perſpicere licet, qvam pulchrè conveniant *Lapidaria & Proſa*, *acumen & facilitas*, *fucus & puritas*, *translatorum* copia & vocum *proprietas*. Qvantumcunqve ſit, ſolam hanc particulam totius operis inſtar & volumen in compendio eſſe judico.

Ex his ſatis intelligere potuiſti, qvæ ſint VERBA PROPRIA, (87.) *ea* nimirum, *qvæ optima ætate ab optimis Scriptoribus ad res ſignificandas vulgo adhibebantur:* Cui fini vellem ut duo huc Lexica transſcribere liceret, alterum Latinum alterum Italicum, non ſecundum literarum elementa diſpoſita, in qvibus qværas ea qvæ jam ſcis, ſed ſecundum Categorias, ut de *Indice Categorico* jam dixi, in qvo voces omnes, nomina, verba, cujuscunqve *ſubſtantiæ*, *ut Dei*, *hominis*, *animalium*, *plantarum*, *elementorum &c. & qvantitatis*, *qvalitatis*, *relationis*, *actionis*, & cujusqve prædicamenti contineantur. Sic enim narraturus aut deſcripturus aliqvam rem & in Categoria ſua illam inqvirens, voces proprias & ſelectas tanta copia invenies, ut majorem laborem iis ſortiendis qvam reperiendis capias. Veluti de *plantis* verba facturus reperies ibi *fibras & capillamenta*, qvæ ſunt minutiſſimæ & extremæ radiculæ, *ſtolones* è radicibus caudicis ſuccreſcentes, *bulbos* radices rotundas tunicatas & inſtar allii fiſſiles, *truncum* aut *ſtipitem*, *ramos*, *thyrſum*, caulem braſſicæ, *nodum* partem ſolidam trunci, *cippum* truncum inferiorem radici proximum, *ſurculum*, *germen malleolum*, ramulum teneriorem qvi aptus eſt ad inſerendum

(87.) Ar. Poët. c. 20. Nomen proprium eſt qvod omnibus in uſu eſt.

Digitized by Google

rendum *traducem*, *palmitem* vitis propaginem ab arbore in arborem traductam, *ſarmentum* luxuriantis vitis virgam, *capreolum & claviculam* qva locum ſerpendo capit vitis, & ſic alias partes omnes cum plantarum ſpeciebus *ſylveſtribus domeſticis*, *hortenſibus*, *campeſtribus*, *montanis*, *aqvaticis*, & loca ubi proveniunt veluti *viridaria* in qvibus naſcuntur hortenſes, *vivaria* ubi ſervantur teneriores, *arboreta*, *qverceta*, *pomaria &c.* cum verbis propriis, *germinare*, *alligare*, *frondeſcere*, *inſerere*, *fructificare*, *ſeminare*, *refruticare*, *ſiderare*, *carbunculare*, *deſloreſcere*, & infinitæ aliæ voces ejus generis.

Idem intelligi volo de verbis ad *actiones & motus* pertinentibus. Nam ſi ad Categoriam *motus* accedas, habebis primum differentias earum rerum qvæ progrediuntur veluti homines *ambulant*, piſces *tranant*, ſerpentes *tortuoſè ſerpunt* eqvi *tolutim incedunt. &c.* Et motus obliqvos, ut *deflectere ab itinere*, *errare*, *transverſum ire*, *ſerpere*, *varicare*, & motus deorſum verſus, ut *deſcendere*, *demittere*, *præcipitare*, *dependere*, *dejicere*, *deſtillare &c.* Et ſurſum, ut *aſcendere*, *attollere*, *ſalire*, *erigere*, *tranſcendere*, *arripere*, *ſubvolare*, *innatare &c.* Et motus veloces, ut *rapidè*, *effuſis habenis*, *citatis eqvis currere*, *jacere*, *vibrare*, *jaculari*, *evaneſcere &c.* Et tardos motus, *gradu grallatorio incedere*, *ceſſare*, *otiari*, *remittere*, *implicari*, *impingere* & alia ejusdem generis. In qvorum verborum uſu tamen ea adhibenda eſt cautio, ne rariorum freqventia affectetur, & qvod in dulcibus uſu venit, copia faſtidium creet. Utut in arbitrio dicentis ſit poſitum ejusmodi verbis orationem refercire: nihilominus dedita opera iis prudens qvisqve abſtinebit, ut populo ſe accommodet & affectationis opprobrium effugiat.

Interdum vero vocibus propriis pulcherrimæ conſtant Inſcriptiones, qvæ interpretem latinæ lingvæ valdè peritum reqvirunt. Veluti hæc, qvæ propoſita fuit iis qvi murum Serapidis reficiendum conduxerant.

> *Lex parieti faciundo in* area, *qvæ eſt ante ædem Serapi trans viam: qvi redemerit* prædes *dato prædiaq; ſubſignato* duumvirum *arbitratu. In eo pariete medio* oſtii lumen *aperito. Ex eo pariete* antas *duas ad mare verſum projicito extra parietem, inſuper id* limen robuſtum *imponito. Inſuper id & antas* mutulos *robuſtos projicito extra parietem. Inſuper* ſimas *pictas ferro affigito. Inſuper* mutu-

mutulos trabiculas *abiegnas craſſas qvoqvo verſus imponito, ferroq; figito. In aſſerato aſſeribus abiegnis ſectilibus* operculaqve *abiegno imponito. Ex* tigno pedario *facito* antepagmenta *abiegna*, cumatiumqve *imponito, ferroq; plano figito*, portulaqve *ſegito* tegularum *ordinibus ſenis qvoqvo verſus &c.*

Hic ſubinde voces maximè propriæ latinorum architectorum occurrunt, de qvibus Vitruvius aut Calepinus videndus eſt. Similes præferunt moles & opera publica Cæſarum aut civitatum, qvo curioſitatem tuam remitto.

Hactenus de PROPRIIS, nunc dicendum de PEREGRINIS vocibus, qvæ ſenſim nos deducent qvò cogitamus, videlicet ad ſedem argutiarum. Verba peregrina voco *qvæ res qvidem verè ſine translatione* (de qva poſtea) *ſignificant, ſed non ſine gratia novitatis.* Atqve his in eloqventiæ ſtudio præ propriis nobilior palma tribuitur, qvoniam novitas (ut multò ante diximus) admirationem, admiratio voluptatem, voluptas plauſum parit. (89.) Unde ſicut ſpecies à nobis qvotidie viſa oculos in ſe non tantum convertit, qvantum Æthiops nocte obſcurior ſubito productus, utut utriqve ſint homines: Sic cum aures noſtræ vocabulum aliqvod mirum & peregrinum transmittunt, mens novitate capta ſtupet & gaudet ſecum locuta

Qvis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?

At voces ejusmodi nec corruptæ nec metaphoricæ ſed PEREGRINÆ ſunt (90.) ſex generum: videlicet PRISCÆ, EXTRANEÆ, DERIVATÆ, IMMUTATÆ, COMPOSITÆ & FICTÆ.

PRISCA ſunt illa qvæ qvondam apud elegantes Oratores in numero fuere *propriorum & communium*, at qvod veſtimentis accidere videmus, aut oblivione aut ſatietate in deſvetudinem abierunt. Tales erant in Italico idiomate antiqvitates Poliphili & Dantis, & in Latino *averruncare* pro *avertere*, *obſcænare* pro *ominari*, *tutulatus* pro *mitratus*, *obſtrigilare* pro *obſtare*, *bovinare* pro *tergiverſari* vocabulum Romæ ad huc ruſticæ à bove de ſulco aberrante petitum. Nec verba & nomina tantum ſed phraſes, constructiones, Orthographiæ & particulæ qvædam in qvibus ſeculum Plautinum aut Ennianum

 agno-

(88.) *Ar. 3. Rhet. c. 2. innſitatiora ſunt adhibenda, hac enim ex omnibꝰ admiramur. Admirabile antē omne jucundum.*

(89.) *Ar. ibid. quod enim ad peregrinos & advenas patimur id etiā ipſum erga dictionem experimur.*

(90.) *Ar. 3. Rhet. c. 20. Cum autem nominibus atqve verbis conſtet oratio, cumq; nominum tot ſint genera, quot in arte poëtica dicta ſunt &c.*

agnoſcimus: *contemplo*, *imito*, *eloqvo*, *hic tubar*, *hic tributus olli* pro *illi*, *fretu* pro *freto*, *peco* pro *pecus*, *hac mulier* pro *huic*, *alpum* pro *album*, unde nomen traxerunt Alpes noſtræ ſemper canæ. *Non pote* pro *non poteſt*, & *cujum pecus* Virgilii, & *ſibei* pro *ſibi*, *heic* pro *hic*, *liberei* pro *liberi* & alia infinita, in qvibus admirari licet potentiam temporis, qvod pro arbitrio numeros confundit, flexiones mutat, ſexum nominum transformat, & ex fœminis maſculina aut hermaphrodita efficit, aut vocem retinens ſignificationem variat, ut in voce *latro*, qvæ olim *ſatellitem* principis ſignificabat à *latere*, qvod latus principi ſtiparet, hodie raptoribus propriâ in odium venit: Et ſimiliter *paraſitus*, qvod nomen & ipſum honorificum olim pontificum & Magiſtratuum aſſeſſores ſignificabat, hodie ad contumeliam pertinet.

Nunc de *priſcis* vocibus id præcipio, utut cum autoribus ſuis è vita exceſſiſſe videantur, qvasdam tamen hodie in vitam non ſine laude revocari poſſe, ut ex propriis & communibus, qvæ olim fuerunt, nunc figuratæ & peregrinæ evadant, non minus ac ſi patrem Ennium aut bilingvem Hermodorum, qvi duodecim tabulas è Græco in latinum tranſtulit, ex cineribus reſurgere videres. Has igitur interdum orationi tanqvam gemmas inſeres, qvam ſecundum (91.) autorem noſtrum eò venerabiliorem & ampliorem reddunt, qvo antiqvior videbitur. Cui conſentit Romanus Rhetor: *Inuſitatis loco poſitis grandior & antiqvior oratio ſæpe videri ſolet.* Dignitati accedit curioſitatis voluptas, qvam ex reliqviis antiqvitatis capere ſolemus, ſi terra effoſſa forte incidas in rudera qvædam ſimulacri aut coloſſi de Phidiæ aut Lyſippi manu, qvod certe non commutares pulcherrima & perfectiſſima ſtatua noſtrorum temporum.

(91.) Ar. 3. Rhet. c. 3. Priſca vocabula venerabiliorem orationem & magnitudinem afferunt.

Sed duæ cautiones neceſſariò in *vocibus priſcis* adhibendæ ſunt, prior eſt, ut ita ſint inuſitatæ, ut veſtigium tamẽ aliqvod ſervent, qvo agnoſci & intelligi ab Auditore poſſint, ne Romuli mater interpres adhibenda & conſulenda ſit. In hoc genere ſale deſtituebatur Siſeña, maximus inqviſitor reçonditorum verborum. Hic patronus Critilii ut accuſationem elevaret, hanc vocem ore emiſit: *Sputatilica qvædam ſunt hujus crimina*. Qvod audiens accuſator, C. Ruſſius magna voce exclamabat: *Circumvenior, Judices, niſi ſubvenitis. Siſenna, qvid dicas neſcio,*

ſcio, metuo inſidias, ſputatilica? quid eſt hoc, ſputa quid ſit ſcio (& exſpuebat) *tilica neſcio*. Maximi riſus. De alio Oratore proditum eſt, qvod pauperem eqvitem Romanum defendens, ut prætorem ad miſericordiam commoveret, dixerit: *Me miſerum! eqves Romanus aplaudam edit & floces bibit.* Prætor, qvi nunqvam ſonum harum vocum audierat, *floces & apluda*, ad eos qvi aderant converſus, rogavit, num gallicè loqveretur. Riſerunt omnes, at adverſarius clamabat: *Rogo, Prætor ſubveni, qvoniam uterq; nos bovinator hic demoratur.* Et ſæpius illud ſuum bovinator clariori voce repetens, omnes in admirationem adduxit, ut capita conferrent & qværerent, qvid monſtri eſſet hoc vocabulum *bovinator*. At iſte in cachinnos effuſus inſultans dixit: *non enim Lucilium legiſtis.*

Hic ſtrigoſus bovinatorq; ore improbus duro

Tunc Cauſidicus totus ſeſe efferens & jactans: *Natu melius Plautum & Cæcilium legiſti, quibus aplauda caninus panis eſt ex furfure & floces vini feces.* Sic antiqvarius antiqvarium riſit & utrumqve omnes. Neceſſe itaqve eſt, ut verba priſca aut ex communium affinitate, aut periodi contextu ſine interprete intelligi poſſint, qvoniam ei, qvi non intelligit non tam latina ſunt qvam barbara, & contra barbariſmus in loco adhibitus fit figura.

Altera cautio eſt, ut iisdem *parcè utamur*, non tanqvam (92.) cibis ſed tanqvam bellariis. Alias enim vel maxima in dicendo deliciæ nauſeam creant, eædemqve voces qvæ cum judicio adhibitæ ſtellæ videbantur, abuſu in frigus degenerant. Parciori itaqve manu ſpargendæ ſunt in (93.) proſa oratorum, qvam in ſulcis Poëtarum, cum & alias nimia peregrinitas poëſin ſapiat. Liberaliori poro manu in auribus auditorum juvenum & lætorum, qvam tetricorum & faſtidioſorum, qvi qvodcunqve dulce in bilem convertunt. Qvod in Auguſto ſuo Svetonius notavit, cujus delicatæ aures antiqvarios vehementer oderant. Et hac de cauſa Virgilius apud moroſum Senecam multum pretii perdidit. *Virgilius noſter* (inqvit illi) *non ex alia cauſa duros qvosdam verſus enormes & aliqvid ſupra menſuram*

(92.) *Ar. 3. Rhet. c. 3. Idcirco quæ ſcripſit Alcidamus frigida videntur nō enim iis quaſi bellariis ſed quaſi cibariis utitur.*

In metro multa id faciunt & commodè inuſitata verba ita dicuntur. Nam tam res qvam perſona excellentiores ſunt: in oratione vero ſoluta cum cauſa minor ſit, multo paucioribus utendum.

(93.) *Ar. 3. Rh. c. 2*

Digitized by Google

ſuram trahentes interpoſuit, qvam ut Ennianus populus agnoſceret in eo carmine antiqvitatis aliqvid. Et deniqve mordax & qverulus Tacitus reprehenſis primis orationibus Ciceronis, qvod vocibus Ennianis implicatæ eſſent rigidum hoc decretum pronuntiat: *Procul arceantur obliterata & olentia. Nullum ſit verbum velut rubigine infectum.* In ſumma: Res eſt valde ſcabroſa & difficilis (ut generatim (94.) autor noſter monet) peregrinarum vocum uſu limites *decori* non excedere, cum ingenii impetus ſtilum ſæpe extra metas efferat.

Jam ſi iſta ſobrietas in prolixis ſcriptis adeo neceſſaria eſt, qvanto magis erit in parvis *Inſcriptionibus*, expoſitis (ut diximus) malevolentiæ & peſtifero afflatui invidorum cenſorum? Qvanqvam hi conſiderare deberent, inſcriptiones eſſe ingenii niſus poëſi affines, argumento & ſtilo heroicas, nec antiqvitatis ſed totius (95.) æternitatis æmulatrices, atqve adeò præ reliqvis ſcriptis priſcorum & peregrinorum verborum capaces. Nihilominus in arbitrio erit pædagogi alicujus ſublata proboſcide & criſtis erectis in rudi turba jactare ſapientiam: *hac vox non eſt uſitata: Cicero nunqvam uſus eſt, autor eſt ſtipes.* Et ſic qvi audire vellet iſtas hominum qviſqvilias voces figuratas de oratione, id eſt, ſtellas de cœlo tollere deberet.

Porro recolendum eſt, qvid (96.) Autor noſter felicibus ingeniis permiſerit, ut interdum leges dicendi pro arbitrio excedere & decorum ſervare poſſint dum violant. Sic multa ſcripta de induſtria videbis obſcuris ſenſibus involuta: qvædam audacibus & miris metaphoris licentioſe contexta, ſic ut vitia ipſa fiant orationis virtutes, ſi ſponte admittantur: in hunc itaqve modum licebit non ſine gratia inſcriptiones mirabiles priſco ſtilo componere, ut lectores faſtidioſos oblectes, qvalis erat hæc, qvam in fontem amœno loco ſitum conſcripſi:

Ceivis, Moinceps; Miles;
Accola, Incola, Concola;
Qveis qveis ſies ameicus homon,
Reſtitato ac legito.

(94.) *Ar. Poët. c. 11. Cæterum magni negotii eſt in peregrinis à decenti minimè recedere, minimeq; iis abuti.*

(95.) *Ar. 3. Rhet. c. 8. Priſca verba heroicis conveniunt: dignitatẽ & magnitudinẽ afferunt.*

(96.) *Ar. 3. Rhet. c. 5. niſi cõſulto ita qvispiam faciat.*

Pumi-

Pumicoſæ hæ latebræ, dulce collacrumantes,
Et blandienter melliſcantes hei latices,
Per florulentas vertugines
Jovi eflovio proſerpiginoſei;
Oculis ſpeculom, labris delitiom, auribus concentom
Perenni lubentia dono danunt.
Heic ergo pro arbitrerio ac volupe
Spectato, potato, adqvieſcito.
Qvo lacte mundi primævitas fructa eſt, felix
fruitor.

Puræ Acuæ puris licento.
At ſi qveis factioſus Bacchei Satelles,
Nympharum lymphis neqvitus obtrectaſſit;
Ollus lympharum Nymphis deteſtabilis.
Tantalea ravi arſibiliter ſiticuloſus:
In acua parareſcere, in floveo perſitiſcere,
Damnas eſto.
Hoc Jous ſartom, ſanctom, omneis ſciunto.

Verba EXTERA (97.) ſunt qvæ ab exteris nationibus mutuamur. Sic fieri poteſt, ut vox alibi civis & *propria* nobis ſit peregrina & *figurata*, & barbariſmus (ut de priſcis diximus) loco inſertus fiat *elegantia*. Hujus generis multæ ſunt *voces*, qvas Latini aut ornatus aut neceſſitatis cauſa ex græcis fontibus derivarunt. Unde Varro (qvi aurea ætate ſcripſit) obſervat Romanos veſtis & ſuppellectiſis modeſtæ & neceſſariæ nomina habere propria, & contra qvicqvid luxu & inutili pompa conſpicuum eſſet, græco vocabulo nominari. Sic novo genere vindictæ Græcia Romani delitiis evertit, qvæ ferro Græciam oppreſſerat. Neqve tamen non & artium & ſcientiarum nomina, *Grammatica, Rhetorica Logica, Philoſophia, Poëtica,*

(97.) Ar. Poët. c. 20. verbum exoticum eſt, qvod aliqvibus duntaxat in uſu eſt.

Digitized by Google

Poëtica, Politica Gymnaſtice, Architectura & Muſarum nomina ex Græcia cum ſuis Autoribus fuerunt tranſlata, ut ambiguum ſit, utrum plus boni an mali Romæ attulerint triumphi. Nam qvoad magnis virtutibus caruit, nec vitiis magnis fuit obruta, utraqve vero per arcus triumphales Capitolium ſubierunt.

At *verba* iſta *Exotica*, ut de priſcis dixi, delicatis auribus erant tædio. Unde Albutium Lucilius convitio notavit, qvod *Græcus* potius qvam *Sabinus* eſſet & Cicero non auſus eſt dicere *Allegoria*, & Tiberius tam acer inimicus erat iſtarum vocum aliunde petitarum, ut cum nominandum ipſi eſſet *monopolium*, veniam prius à Senatu petierit, tanqvam vocabulum obſcœnum eſſet. Alio tempore cum in Senatus Conſulto animadverteret vocem *Emblema*, clamabat: *Tollite iſtam vocem, græca eſt.* Cum exciperent: Latine non poſſe reddi, dixit *explicate eam circumlocutione, non poſſum ferre peregrinam vocem.* Sic multa verba exotica timidè ſcribi ceperunt, qvæ poſtea familiariter pro *propriis* in uſum recepta fuerunt. Græca vox λύχνος reſpondens latinæ voci *lucerna* ab Ennio latinis gratioſe donata fuit: *lychnorum lumina bis ſex.* Lucretius eum ſecutus eſt: *lumina pendentes lychni.* Virgilius Lucretium: *dependent lychni laqvearibus aureis.* Poſtea Svetonius & Plinius in proſa lychnos ſplendere fecerunt, ut hodie latinis hæc vox adeo ſit *propria* & familiaris, ut nomen *lucerna* ſordidum videatur & plebeium. Idem de Italico ſermone tenendum, qvi eadem licentia, qva Latini de græcis, voces de latinis furatur. Sic non ſine gratia Marinus dixit; *Dolci acqve algenti* le *tabelle* appeſe. Di natura *ultrice*. Luſinga *e molce*. Cangiato in *belua*. Qvin Boccacius, ſiqvis alius, orationi amplitudinem additurus, ſæpe nimis latinizat. Al voſtre *judicio*. Coſi fatto *initio*. *Venenifero* fiato. Coſe naturalmente *labili*. Le perſone *ſolute*. *Nullo* n' aſcolta. Et alia infinita, qvæ imperiti cenſores ſcholaſtica vocant, cum ſint *figuræ*. Neceſſitas porro multas nobis voces una cum artibus ex longinqvis regionibus attulit, veluti ex nautica arte: *trinchetto, artemone, comina, zavorro, poggia, orza.* Ex militari: *trinciere, aprochi, ſcaramuccie, bellovardi, ornaverti* ſeu *fortificationi à corna.* Vocabula, qvæ ut diſceret, Italiæ nimis magno conſtiterunt.

Ad hoc genus pertinent verba ſymbolorum peregrino idioma-

te

Digitized by Google

te concepta veluti græcum *ἡμέρας δῶρον* hoc eſt *diei donum*, in *Pegaſum* Cardinalis Farneſii. Et alia multa Gallica, Hiſpanica, Germanica, qvæ domi qvidem ſunt *propria* & communia ſed nobis & *peregrina* & *figurata* magis accepta, ſecundum proverbium: *Aliena nobis, noſtra plus aliis placent.* Qvin & Inſcriptionibus ſeu metro devinctis ſeu ſolutis inſeri interdum poſſunt voces alterius lingvæ, ſeu luſu qvodam & delectandi ſtudio, ut Martialis fecit, qvi cùm multis vocabulis Hiſpanicis Epigramma Latinum aſperſiſſet, lectorem difficilem riſit, ſic ſcribens:

Hac tam ruſtica, delicate lector
Rides nomina? rideas licebit.
Hac tam ruſtica malo qvam Britannos.

Seu ut evitetur vox *propria* minus grata, qvomodo Flavius Philippus in inſcriptione qvadam tam pulchro ſtilo qvam argumento ſordido, vilitatem vocis *cloacæ* texit græca *nymphæi* multò nobilioris, utut qvæ hanc ſeqvitur parum ſit nobilis.

Flavius Philippus Vir Clariſſimus præfectus urbi: Nymphæum ſordium, ſqvalore fœdatum & marmorum nuditate deforme ad cultum priſtinum revocavit.

Qvin & in nominibus propriis Romani interdum eruditam peregrinitatem præferebant manifeſtæ proprietati. Sic Domitianus puero ſuo impoſuit nomen *Earinus* id eſt *vernus*, in qvem argutus Martialis pulcherrimam Inſcriptionem compoſuit, qva græca nomina qvatuor anni temporum inducens non aliud, niſi qvod à vere ducitur, ipſi convenire oſtendit:

Si daret Autumnus mihi nomen Oporinos *eſſem,*
Horrida ſi Bruma ſidera Chimerinos.
Dictus ab æſtivo Therinos *mihi menſe vocarer,*
Tempora cui nomen verna dedere, qvis eſt?

Non minori ornamento ſunt orationi verba DERIVATA, qvæ autor noſter vocat (98.) *congrua*. Sunt iſta qvæ, ut multo ante innui-

(98) *Ar. 3. Rhet. 2.*

Digitized by Google

Propria & cõgrua & translatio ſolutæ orationis elocutioni conveniunt.

innuimus, ab uſitato & *proprio* verbo præter conſvetudinem at non præter rationem & analogiam deflectuntur. Mira eſt vocis primitivæ fœcunditas, ex qva intellectu obſtetricante numeroſa imo innumera familia *filiorum*, *nepotum*, *pronepotum*, *agnatorum*, *cognatorum & affinium* naſcuntur, ex qvibus qvædam tanqvam legitimæ tolluntur & ſuſcipiuntur, qvædam tanqvam ſpuriæ aut partus monſtroſi exponuntur & abdicantur. Nomen ALBUM vides parere verbum activum ALBARE, & paſſivum ALBARI, & neutrum ALBESCERE, & ALBISSARE, illud urbanum hoc ruſticum. Freqventativa ſunt ALBICARE & ALBICASCERE, alterum ab omnibus, alterum à Gellio hoſpitio acceptum. Porrò adverbia ALBATIM, ALBE, ALBIDE, ALBATE, ALBENTER omnia peregrina, & ALBOSE temerarium. Gerundium ALBANDO & ALBESCENDO & ſupina ALBATUM & ALBATU iſtud legitimum, hoc ſpurium. Porro adjectiva ALBUS & ALBIDUS & participia verbalia ALBANS, ALBICANS, ALBATOR & ALBABILIS gentilia omnia, excepto ultimo. Et gerundia adjectiva ALBANDUS uſitatum, ALBEFACIENDUS & ALBESCENDUS nec barbara nec domeſtica. Etiam participia poſſeſſiva ALBATUS, ALBEFACTUS ſatis nobilia. Et cumulativa ALBOSUS, ALBABUNDUS inuſitata. ALBONES & ALBACES audacia. Præterea ſuperlativa ALBISSIMUS & ALBENTISSIMUS digna, qvæ recipiantur. Comparativa ALBENTIOR & ALBIOR. Illud civile, hoc ruſticum. Diminutiva ALBEDULA, ALBILIUM & ALBULUS nec pro domeſticis adhibita nec pro barbaris exploſa, qvin à poſtremo utut ignobile nomen accepit illuſtre & proprium flumen ALBULA. Abſtracta, ALBAMENTUM & ALBATIO non illegitima, & ALBEITAS in ſubſelliis Philoſophorum tantum recepta. Et Patronymicum ALBIDES, qvod apud poëtas ſolos locum habet. Et denominativa ALBA civitas & ALBANI cives, & ALBION id eſt Britannia, ſic à candore rupium appellata. Sic & ALBUM pro tabella dealbata, in qva prætores edicta deſcripta habebant. ALBULO & ALBUMEN pro albo ovis tantum recepta. Et localia ALBATORIUM, ALBILE & ALBARIUM, in qvo panni linei inficiuntur. Sed primum eſt barbarum, alterum ignotum, tertium adoptatum, ingenuum tamen & naturale, qvando ſignificant murum dealbatum & calce incruſtatum. Deniqve

qvot

Digitized by Google

qvot ſunt caſus iſtorum nominum, & verborum flexiones tot ſunt vocis primitivæ liberi, alii legitimi alii ſpurii, alii Oratorii, alii Poëtici, alii graves, alii ridiculi. Ex qvo intelligitur qvam vaſtus qvamqve ſolicite obeundus ſit oceanus latinæ lingvæ, cum barbariei adeo vicina ſit elegantia. Neqve enim vel à flexionibus obliqvorum caſum rectum tuto poteris colligere. Nam MACTE caſu qvinto erit elegans in primo non item: ita ut filiolus ſit patre deſtitutus. Contra pulchra mater veluti SPECIES filios dabit degeneres. Neqve enim latine dicitur *ſpecierum* nec *ſpeciebus*. Et vox ARENÆ à Julio Cæſare ſingulari numero judicata fuit ingenua, in plurali barbara. Alia qvæ neutra ſunt ſingularia, plura mutantur in mares ut COELUM. Sunt, qvæ in præterito placent, præſenti diſplicent, veluti ODI, ODISTI, non *odio odis*. Et contra qvæ in præſenti ſunt accepta, in præterito repudiantur, ut SOLEO, SOLES. Nec certæ leges à ſimilitudine & analogia ducuntur. Qvædam enim recte & cum laude derivantur, qvorum ſimilia reprehenduntur. Nam à BIBO, BIBIS derivatur *bibax* ut à VIVO VIVIS *vivax*. Sed ab illo dicitur *biboſus*, non item ab hoc *vivoſus*. Et alias *glorioſus* à GLORIA propitiis auribus accipitur: at *victorioſus* à VICTORIA ut inſolens exploditur. Ex his colligitur nec Grammaticæ præceptis, nec aurium judicio, nec ulla prudentia latina ſatis diſcerni à barbaris, ſed lectione indefeſſa & accurata obſervatione opus eſſe.

Hæc qvanqvam in univerſum vera ſint, ſi qvis proprii ſermonis laudem expetat: negari tamen neqvit (ut ſupra diximus) multa derivata nunqvam audita interdum digna eſſe, qvæ admittant & ferant aures non malevolæ, ſi non ut propria & naturalia, ſaltem ut figurata & peregrina, cum majori gloriæ ſit ingenio nobili pro autore celebrari qvam imitatore. Accius primus protulit hæc derivata FRANGESCERE & FORTESCERE pro *frangi* & *fortem fieri*, & nova tunc monſtra videbantur, poſt alia ejus generis induxit Furius OPULESCERE, DIESCERE, NOTESCERE, & gemmæ videbantur peregrinæ, hodie vero ex vocibus *figuratis* factæ ſunt *propriæ* & communes. Sed duabus de cauſis ejusmodi voces inducimus, vel joci cauſa vel amplitudini ſtilo conciliandæ.

Primam ob cauſam adhuc hodie hiſtriones qvidem in Comoediis Italicis audaces derivationes tanqvam Atticum ſalem adſpergunt,

gunt, ut populo riſum excutiant: veluti SERENONE pro *ſereno* MUSICATIONE & TAVERNATIONE pro *Muſica, & cibum capere in taberna*, plantare in capite J CORNACCHIONI id eſt *cornua*, CANARUTO pro *guloſo* MASTICATORIO pro *convivio*. Ratio, qvam à Plauto acceperunt in voce *tuburcinari*, pro raptim cibum capere. Sed Laberius in mimis Latinis, alioqvi latiniſſimus & elegantiſſimus aurei ſeculi ſcriptor ipſis præivit: LIBIDINITATE *labitur*, LUCULENTITATE *captus*, alienum APPETONES pro *latrones* & ACCIPITRARE pro fixis oculis inſtar accipitris currere & MANUATUS eſt pro *furatus*. Qva voce Auguſtus poſtea procuratores & diſpentatores ſuos irridere ſolitus eſt. Ejusmodi derivato idem autor arrogantiam pauperis ſuperbi fregit. Cum enim dicturus videretur: *Homo frugies, qvod tibi relictum eſt* patrimonium *retines* alia voce derivata ſententiam ſeriam in facetam Ironiam convertit, dicens: *Homo frugi es, qvod tibi relictum eſt* miſerimonium *retines*. Ubi vides iſtud MISERIMONIUM licenter derivatum eſſe à *miſeria*, ſicut PATRIMONIUM conſvetudine probante à *Patre*.

Altera de cauſa ob dignitatem nimirum interdum in graviſſimis orationibus non ſine plauſu, talia nobis vindicare poſſumus, ut de nominibus illuſtribus accepiſti, triplici tamen cautione adhibita, primum *analogia* aut ſimilitudine cum aliis vocibus derivatis: deinde *ſono* qvi auribus blanditur: & deniqve *emphaſi* qvadam ſignificationis. Sic magnus ille morum & Latinæ lingvæ Cenſor Porcius Cato Imperator & Orator æqvè animoſus, in orationibus ſuis per intervalla, non ſecus ac catapulta diſploſiones, reſonare faciebat ejusmodi peregrina derivata: *duritudinem, dulcitudinem diſciplinoſum & conſilioſum*, qvæ verba obdormiſcere non patiebantur auditores, qvorum adhuc memoria in lexicis conſervatur. Idem de inſcriptionibus antiqvis utut ſeriis dico, veluti in illa Juliæ Fuſcinæ: OSSUARIUM SIBI FECIT Derivatum ab *os oſſis*, ſicut MORTUARIUM à *mors mortis*, hoc feretrum ſignificat, in qvo mortuus collocatur, iſtud urnam, in qvo oſſa colligebantur. Similiter in inſcriptione Q. Fontei ſepultura vocatur REQVIETORIUM à *reqvies* & in illa Cai Cicurini ÆDITAVIT ANNIS XVI. id eſt *æditunus fuit*. Sicut in Plauto PERPETUAVIT id eſt *perpetuus fuit*. In qvibus exemplis tres cautiones prædictas obſervare licet: *ſonum, ſignificationem* & ſimilitudinem.

Succe-

Digitized by Google

Succedunt verba MUTATA, ut pote qvæ ab (99.) autore noſtro inter modos figuratos & elegantes numerantur. Hodie tamen ſcriptoribus licentia hæc pene ademta eſt, cum rigidi cenſores qvamvis immutationem à Grammatica abeuntem vitio potius qvam ornamento ducant. Sed ut paucis abſolvam, tribus modis græcis & latinis hæc elegantiæ ratio in uſu fuit: *detrahendo, adjiciendo mutando* aliqvid in propriis & communibus verbis.

(99.) Ar. Poët. c.21. Non minimâ videntur conferre partem ad dictionis perſpicuitatem & ad vulgare excludendum productiones, concluſiones & nominum immutationes &c.

Detrahendo formabant in numero plurali voces *duûm, triumvirûm, ſeſtertiûm, nummûm, divum Deum*, pro duorum triumvirorum, ſeſtertiorum &c. Neqve tamen dixiſſent *armum* pro armorum. Porro hujus generis ſunt *noſſe, judicaſſe*, pro noviſſe, judicaviſſe, & *mala & ala* pro maxilia & axilla, & *famul & facul* pro famulus & facile ob qvam vocem Ennius irriſus eſt à recentioribus.

Haud facul mulierem invenies bonam.

Adjicientes dixerunt *plebes & trabes* numero ſingulari & *argutarier, Induperator, deſcendiderant & ebriacus* pro ebrius.

Mutando: *voltus, vortere, optumus, peſſumus, purrhus* pro Pyrrhus, *meridies* pro *medidies*.

Nec ſolum literæ in voce, ſed voces in membro mutantur majoris elegantiæ & ſvavitatis cauſâ tranſpoſitæ, ut Cicero: *Qvam ad rem, ſuos per gradus, hac in diviſione, propoſitis bonorum finibus*, qvæ dicendi rationes figuratæ ſunt, qvoniam à plebeia peregrinam orationem diſtingvunt, magisqve conſpicuam reddunt. Unde (100.) autor noſter ridet ineptias Ariphradis, qvi poëtas reprehendebat ſcribentes *domibus ab* pro *ab domibus & Achille de* pro *de Achille*: *prorſus ignorans* (inqvit idem) *qvod hac omnia dum proprium vitant, plebeiam interim dictionem effugiunt*. Et ſi attente Ciceronis ſtilum conſideras, numeroſam illam ſvavitatem pendere cernes à tranſpoſitionibus, qvæ adjectivum à ſubſtantivo, particulas à relatis ſuis, nomen à verbo hoc in finem rejicientes dividunt. Et ex Italis noſtris eo ſvavior eſt Boccacius qvo melius intellexit & imitatus eſt trajectiones Ciceronianas.

(100.) Ar. Poët. c.21.

Antiqvas vero easqve celebres inſcriptiones legens reperies multas ejusmodi barbariſmis figuratis adſperſas eſſe, poſtea qvam vocum communium, in aulis maxime novitatem amantibus, tæde-

re

Digitized by Google

re cœperat. Reperies augmentum in qvadam inſcriptione qvæ Julio Cæſari tribuitur INTRORUSUS pro *introrſus*. Mutilam vocem in alia nempe MUNICIBUS pro *municipibus* mutationem in illa Publii Senii: MENESTRATOR pro *miniſtrator*. Et in alia INFERNO PLOTONI ET CARÆ OXORI & alia ſexcenta. Qvorum barbariſmi ſtudio adhibiti orationem interdum venerabilem & peregrinam reddunt. Porro, ut (101.) autor noſter docet, ejusmodi immutationibus fiunt alliterationes ingenioſæ. Qvalis fuit iſta græci Theodori, qvi cum Nicone Citharœdo diſputans & ſe dicere ſimulans θράττει σε i. e. *conturbat te* dixit θραττηνοῖ id eſt *Threicia de matre natus es* argutè ipſi ſervilem originem exprobrans. Argutiſſimus in hoc genere fuit Martialis, qvi in vanum qvendam hominem, cui nomen erat Cinnamus, qvi tamen Cinna dici maluit, tanqvam genus à Cinna qvater Conſule & qvinta vice tyranno duceret, ſic luſit:

(101.) Ar. 3. Rhet c. 11. quod vero nominum depravatione fit aliud facit quam dicit, ut illud Theodori ad verſus Citharœdum Niconẽ. &c.

Cinnam, Cinname te jubes vocari
Non eſt hic rogo, Cinna, barbariſmus?
Tu ſi FURIUS ante dictus eſſes,
FUR iſta ratione dicereris.

Eademqve licentia inſcriptiones facetæ riſus gratia confictæ ſcribuntur, velut epitaphium *mulæ*, ubi loco formulæ uſitatæ: DIS MANIBUS SACRUM legitur DIS PEDIBUS SAXUM. At de his figuris alio loco.

Nunc ad VERBA COMPOSITA venimus, in qvibus figura eſt multo ingenioſior qvam in prioribus, qvoniam in his fœcunditas ingenii inſitiones admirabiles parit earum rerum, qvæ natura ſibi repugnant. Præterea ſunt qvoqve illa magis ſonora, cum, ut alibi docui ſtilum vehementer inflent & tubam veluti heroicæ eloqventiæ canant. Hinc eſt, qvod (102.) autor noſter obſervavit, ut metaphoræ jambis, exoticæ voces hexametris & compoſitæ dithyrambis audaciſſimo & maximè inflato carminum generi potiſſimum conveniant.

(102.) Ar. Poët. c. 21. Compoſita nomina maximum in modum dithyrã- bis qvadrant, ut heroicis linguarum varietas jambicisq; translationes. Et 3. Rh. c. 2. Compoſita dictio dithyrambicis eſt perutilis, inflati enim ſunt.

Non

Non una autem eſt facies harum vocum. Qvædam enim conflantur ex duobus ſubſtantivis ſeparatim aliqvid ſignificantibus, ut: *bircocervus, aurifodina, parricidium, podagra*, à ποδὸς & ἄγρα id eſt pedis captura.

Qvædam ex ſubſtantivo & verbo ut *belligerare*, *aricrepare*: aut cum adjectivo ut *circulus ſignifer*, *Alcides claviger*, *ager fructifer*, *mons ignivomus*, *homo parricida*, *& fœdifragus*, *fulmen triſulcum*. Virgilius *Satyri capripedes* Laberius *arietes lanicutes & Nævius Teſtudo tardigrada*, *terrigena*, *domiporta*, *& Memnon nocticolor*. Et Plautus: *mulierçula*, *diobolares & ſtrativola*, qvomodo Virgilius *maria velivola*, & Andronicus canes *odoriſeqvos* & Ennius *Cethegus ſvaviloqvus* & Cicero *verſutiloqvus & magniloqvus*. Qvæ adjectiva in verba nomina & adverbia commutari poſſunt, ut *ſvaviloqvus*, *ſvaviloqventia*, *ſvaviloqventer*, *aricrepare*, *aricrepus*, *aritrepanter*, *& aricrepantia*.

Qvin tanta eſt humani intellectus fertilitas, ut ejusmodi propaginum (103.) tres aut qvatuor eleganter poſſit ſibi invicem inoculare, velut à Pindaro Mercurius vocatur χρυσόῤῥαπις, qvod latine diceretur *aurea geſtator virga & ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι* hoc eſt *hymni in cithara regnantes* & familiam Xenophontis idem vocat τρισολυμπιονίκην h. e. *ter Olympico in certamine victricem*. Ubi vides latinam lingvam ſimilibus inſerendis multo ſteriliorem eſſe, qvam græcam, & Italicam adhuc magis qvam latinam, ob verborum longitudinem & connectendi difficultatem.

(103.) Ar. Poët. c. 20. Triplex inſuper & quadruplex nomē eſſe poteſt.

At freqventiora & modeſtiora ſunt compoſita, ubi verbum aut nomen aliqva particula orationis augetur, ut *abdicare*, *addubitare*, *circumſcribere*, *circumvolitare*, *dejerare*, *deſpicere*, *deminuere*, *emaculare*, *emergere*, *exprobrare*, *infatigabilis*, *inamœnus*, *illiberalis*, *perambulare*, *proſcribere*, *prócumbere*, *reprobare*, *reſcindere*, *ſuccumbere*, *ſecedere & alia*. Ejus generis eſt compoſitum à Cicerone laudatum EXPECTORARE *ex animo ſapientiam* & apud Plautuш *Ballionem EXBALLISTABO lepide*, verbum ductum à baliſtis bellicis. Unde etiam Boccacius: *balleſtrato dalla fortuna*.

Atq; hæc compoſita, ut audiſtis, mirifice implent & attollunt Inſcriptiones, veluti in illa Conſtantini: *Ob* AMPLIFICATAM *toto orbe* REMPUBLICAM *factis conſultisq;*. Et in iſta Septimii Severi: *Ob rempubl. RESTITUTAM imperium populi Romani PROPAGATUM* & in

aliis *ob INFATIGABILEM pietatem, ob reditum aqvarum placide* PROSILIENTIUM. Et ſæpe facetis inſcriptionibus ſalem adſpergunt. Qvalis eſt hæc cujusdam Romani in tumulum jumenti, cui nomen Martinus:

DIIS BELLUARUM
MARTINO PATRIA ILLYRICO
EPHIPPIGERO, AC CLITELLIFERO,
DORSIGERO, AC CLUNIGERO.

Et Martialis in vocis compoſitione argutias in clientem avarum & podagricum invenit:

Litigat & PODAGRA Diodorus, Flacce, laborat.
Sed nil Patrono porrigit: hæc CHIRAGRA eſt.

Innuens non manibus minus qvam pedibus conſtrictum eſſe. Et alibi riſurus eum, qvi ex medico oculorum, qvem compoſita voce græci *Ophtalmicum* vocant, factus erat gladiator qvem iidem *Hoplomachum* dicunt, ſcripſit:

Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus ante,
Feciſti medicus qvod facis Hoplomachus.

Acerbe exprobrans hominum interficiendorum non minus peritum fuiſſe medicum, qvam nunc ſit gladiator.

Sed in ſeriis inſcriptionibus tibi cavere debes à Grammaticorum cenſura, qvi ejusmodi compoſita graviter ſolent reprehendere. Sic probam illi qvidem compoſitionem habent in *Contribulis & Colliberius*, non item in *Concivis*, utut analogiæ ratio eadem ſit. Similiter *parricida* freqventi uſu comprobatur, *matricida* raro *fratricida* nunqvam, multo minus *ſororicida* utut Cicero veluti proverbialiter eo uſus ſit. Et in univerſum qvædam compoſita ſua natura videntur poëtica,

Digitized by Google

poëtica, qvædam ob freqventiam. Unde iſta vocabula Gorgiæ: *Perjurus & Ptochomuſus* & Alcidamantis iſta *facies ignicolor & purpureocolor* ab (104.) Autore noſtro inter frigora ſolutæ orationis referuntur, qvæ in poëſi ut gemmæ ſplendeſcerent. Sed, qvod de peregrinis vocibus monui, poëtarum propria in proſa oratione ſaltem figurata eſſe poſſunt.

(104.) *Ar. 3. Rhet. c. 3. hæc omnia propter compoſitionē poëticavi dentur.*

Reſtat ut de verbis FICTIS (105.) & prorſus ab ingenio noſtro factis dicamus, qvæ adeo magis peregrina ſunt qvam compoſita, utut minus barbara. In hoc genere primum pono, qvæ nihil ſignificant & riſus gratia conficta ſunt, veluti iſthæc qvæ coqvus Plautinus excogitat, ut lurconem illum Ballionem irrideret, cibos qvosdam nominans, qvos nemo qviſqvam guſtaverat, imò ne ſomniaverat qvidem:

(105.) *Ar. Poët. c. 20. Verbum factum eſt, qvod à nemine uſurpatum eſt.*

Nam ego CICILENDRUM qvando in patina ſcindidi,
Aut POLINDRUM, aut MEACIDEM, aut ſanè RAPTIDEM.
Ea ipſa ſeſe patina fervefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt.
Terreſtres pecudes CICIMANDRO condio:
Aut HAPPALOPSIDE aut CATARACTRIA.

Cui Ballio ſe derideri ſentiens reſpondit:

At te Jupiter
Diiq; omnes perdant cum condimentis tuis
Cumq; tuis iſtis omnibus mendaciis.

Eodem privilegio Muſæ Italicæ interdum audacter ludunt, ut Allius Boccacii ſtultis qvibusdam iter in alterum mundum narrans: *Jo capitai in TRUFFIA, & in BUFFIA: & qvivi troverai il Venerabil Padre Meſſer NON MIBLASMATE, ſe voi piace &c.* Et Brunus verba dans Magiſtro Simoni, perſvaſurus ſe noctu una cum ſtrygi-

bus in conventum formoſiſſimarum mulierum tauro vehi, ſic loqvitur, *Voi vedreſte qvivi la Donna de BARBANICHI: la Reina de BASCHI: la Moglie del Soldano: la Imperatrice di OBSEC: la CIANCIANFERA di NOFNIERA: la SEMISTANTE di BERLINZONE, & la SCALPEDRA del preſto Giovanni.* In qvibus verbis etſi aliqvid ſimile vocibus communibus auditur: ſignificationes tamen ſunt fictæ novæ, in qva novitate conſiſtit figura & argutia.

Alia ratio eſt *verborum fictorum* qvæ imitatione fiunt, qvales initio fuêre voces *ſonum* imitantes, qvomodo ingratus ille gentium Septentrionalium, qvæ Græciam invaſerant, ſonus *Var Var* nomen peperit *Varvariſmus*, qvod Latini barbariſmus dicunt, qvo extraneus & impurus ſermo notatur. Sic à primis infantium vocibus *va va* natus eſt ROMANIS *vagitus*, & infantium Deus dictus eſt Vaticanus. Similis imitatio vocum, qvæ animalibus propriæ ſunt peperit nomina: *hinnitus, ululatus, boatus, mugitus, latratus.* Et iſta Ovidii:

Dum turdus TRUTILAT, ſturnus dum PISITAT ore.

Sic Itali noſtri ejuſmodi imitationibus exprimunt Gallinæ *crocchia*, felis *miagolar*, canis *baubar*, apum *ronzar*, veſparum *rugular* & ingenioſus DANTES nova voce CRICCA repræſentavit ſonum glaciei qvæ rumpitur, atqve inde rythmum fecit à TABERNICCA. Et qvis vetaret easdem voces in latinum transferre *miagulatus, baubatus, rurulatus, ronzatus.*

Pari licentia nova derivata fabricari poſſunt. Qvod ſi enim Ennio permiſſum fuit ſonum tubæ vocare TARATANTARA & hodiernis formare nomina ſubſtantiva SCLOPUS, BOMBARDA: cur non auderemus & verba facere TARATANTARE, SCLOPARE, BOMBARDARE: Utut Grammaticorum auribus bombardarum viderentur diſploſiones.

Qvod de *ſoni imitatione* dictum eſt, extendi poteſt ad *imitationem actionum & motus*, aut ad qvamcunqve aliam *Categoriam*, ut abſtruſa & peregrina vocabula inde extrahas. Sicut enim à prehendendi & manibus aliqvid arripiendi actione Laberius formavit verbum MANUARI qvod eſt *furari*: ſic fur & prædo ab Italis vocatur MANESCO. Eadem ratione à motu pedum Cato fecit verbum PEDARE,

Digitized by Google

DARE, qvod eſt progredi & Lucilius REPEDARE, qvod eſt regredi unde porro eſt nomen PEDATUS pro itinere & adverbium PEDETENTIM. A celeri motu, qvem buccæ eſurientium comedendo faciunt, natum eſt verbum Plautinum TUBUCCINARI. Et GRÆCARI nimium vini græci bibere. A relatio nibus dixit Plautus PATRISSARE & Terentius PATRIZARE: à ſitu GENICULATIM, DEXTROVORSUM, & ſic in aliis.

At hæ imitationes, qvando à genere ad genus aut ex diverſis Categoriis ducuntur, fient verba nova ſatis lepida & ingenioſa. Mæcenas eqves à columbarum oſculis phraſin novam ad homines transtulit, LABRIS COLUMBARI. Et Varro ab inſana & ridicula ſaltatione Sacerdotum Cybeles, qvi GALLI dicebantur, transtulit verbum GALLARE pro *inſanire.* Sicut eadem ſignificatione Virgilius à Bacchanalibus ſumſit verbum BACCHARI. Similiter verbum EXPECTORARE in arte factis numerat Cicero, & verbum ACCIPITRARE Laberius excogitavit, ut curſum velocem accipitri ſimilem exprimeret. Et Itali à Categoria *qvantitatis* petierunt vocem TORREGGIARE & GIGANTEGGIARE, qvibus enormem corporis humani aut plantæ magnitudinem denotant. Et ex Categoria HABITUS verbum ASINEGGIARE pro laſcivire, & BUFALEGGIARE qvod ingeniis ſtolidis & inſulſis tribuitur. At ejusmodi translatæ imitationes gratiam accipiunt à nobiliori figura, qvæ eſt metaphora proportionis, videlicet ***qvando (106.) vocabulum ab una re ad aliam traducitur.*** ***(106.) Ar. Poët. c. 20. translatio eſt nominis alieni illatio.***

TRACTATIO DE METAPHORA.

CAP. VII.

ECce tandem qvaſi per gradus ad ſummum faſtigium enisi ſumus *figurarum ingenioſarum*, ad qvas reliqvæ comparatæ vileſcunt. Eſt enim METAPHORA ***ingenioſiſſimus & acutiſſimus maxime peregrinus & admirabilis, lætiſſimus & utiliſſimus, facundiſſimus & fæcundiſſmus*** mentis

Digitized by Google

tis humanæ fœtus. Ingenioſiſſimus qvidem, qvoniam (ut diximus) poſitum eſt in remotis & ſeparatis propoſitorum objectorum notionibus comparandis & connectendis: iſtud prorſus eſt officium *metaphoræ* nec ullius alterius figuræ. Hæc enim mentem non minus qvam verba à genere ad genus traducens, notionem aliqvam alterius planè diverſæ beneficio exprimit & in rebus diſſimilibus ſimilitudinem reperit. Unde infert (107.) autor noſter metaphoras excogitare perſpicacis eſſe & verſatilis ingenii. Atqve adeo hinc apparet, eam qvoqve præ reliqvis figuris *acutiorem* eſſe propterea qvod cœteræ grammatica veluti ratione formantur, & in ſuperficie orationis hærent: hæc vero acuta animadverſione detegit & penetrat abſtruſiores notiones, ut eas copulet & conjungat, & cum iſtæ ſententias verbis exornent, hæc verba ipſa ſententiis conveſtit.

Hinc eadem præ reliqvis omnibus eſt maximè *peregrina* ob ingenioſæ illius rerum diverſarum conjunctionis novitatem, ſine qva ingenium gloriam, translatio virtutem nullam habet. Unde autor noſter admonet ſolam eſſe metaphoram qvam per nos ipſi parere, non aliunde tanqvam partum ſuppoſitum petere debeamus. Unde naſcitur (109.) *admiratio*, qva auditoris animus novitate captus & acumen ingenii repræſentantis & inexſpectatam imaginem repræſentati conſiderat.

Qvod ſi hæc eſt adeo admirabilis, non minus *jucunda* & grata ſit neceſſe eſt, cum admiratio delectationem pariat, ut in ſubitis theatri inverſionibus & nunqvam viſis ſpectaculis ipſi experimur. Qvod ſi voluptas qvam figuræ excitant (ut 111. autor noſter docet) à cupiditate proficiſcitur mentis humanæ, qvæ res novas ſine labore & multas parvo tempore addiſcere geſtit: certè præ aliis figuris jucundior erit metaphora, qvæ mentem noſtram puncto temporis (112.) ab uno ad aliud transfert, & in una voce non unam rem exhibet & repræſentat. Nam ſi dicis: *prata* AMOENA *ſunt*, nihil

(107.) Ar. Poët. h. 21. In multo diverſis perſpicere ingenioſi eſt atq; ſolertis, quod ipſum in philoſophia ſimile eſt.

(108.) Ar. 3. Rhet. c. 2. peregrinum affert translatio, nec eſt accipere ipſum ab alio.

(109.) ib. innuſitatiora ſunt adhibēda: hac enim maxime admiramur.

(110.) *ibib. Mirabile autem omne jucundum eſt.*

(111.) *Ariſt. 3. Rhet. c. 10. Faciliter diſcere omnibus à natura jucundum eſt, qvare qvacunqve ex verbis velocem nobis ingerunt diſciplinam hæc ſvaviſſima ſunt.*

(112.) *Ibid. translatio autem id maxime facit. Nam cum ſenectutem qvis ſtipulam dixit, diſciplinam per ſenectutem cognitionemq; fecit, qvoniam utraqve defloruerunt.*

hil aliud mihi objicitur, niſi pratorum viriditas. At cum dicis: *prata* RIDENT: efficis ut videar mihi videre terram ut *hominem vivum*, cujus *vultus* ſit pratum & *riſus* amœnitas. Sic in una vocula apparent omnes hæ notiones diverſorum generum: *terra, pratum, amœnitas, homo, anima, riſus, lætitia.* Et viciſſim celeri trajectu obſervas in *facie humana* notiones *pratorum*, qvæqve inter hæc intercedat ſimilitudo & proportio à me alibi oſtenſa. Et in hoc poſitum eſt illud cito & facile diſcere, à qvo naſcitur oblectatio, cum mens auditoris in una voce theatrum qvoddam rerum admirabilium ſe aſpicere ſentit.

Qvam vero auditoribus jucunda, tam Oratoribus *commoda* eſt Metaphora. Hæc enim inopiæ ſermonis ſæpius proſpicit & deficiente voce propria, ſuccurrit translatio. Sic propriis verbis *vites gemmant, & ſol lucem ſpargit* dicere non poſſumus. Unde eleganter Cicero metaphoras veſtibus comparat, qvæ neceſſitatis cauſa inventæ ornatui qvoqve & ſplendori ſerviunt. Sed præter hæc, qvod Rhetorica inſtrumentum habet accommodatius ad *laudandum & vituperandum, extollendum* aut *extenuandum, animos aut percellendos aut faceto riſu relaxandos?* Ex uno fonte (113.) Simonides duas contrarias Metaphoras hauſit, eandem rem altera qvidem reprehendit altera prædicavit. Cum enim ab eo peteretur, ut laudaret mulas in ludis Olympiis victrices, neqve præmium ullum acciperet, *qvid vis*, inqvit, *qvod dicam in honorem FILIARUM ASINÆ?* At rurſus oblata mercede rogatus heroicum illud cecinit: *Salvete* EQVORUM VENTIPEDUM FILIÆ. (114.) Sic cum ſub eodem genere *candoris* contineatur argentum & ſputum, nives Alpium magnificè vocat Poëta Italus TENERUM ARGENTUM, at Poëta Latinus ridiculè SPUTUM BOREÆ.

At qvæ oratio ex vocibus *propriis* adeo facunda reperiri poſſet, qvæ cogitata exprimeret verbis carentia, qvæ res ſenſus expertes ad ſenſum adduceret, & à viſu remotas oculis ſubjiceret, niſi metaphoræ auxilio uteremur? Veluti cum dicimus *hic moribus eſt* SUAVIBUS, facile EFFERVESCIT, *ingenio eſt* LURO, NIGER *eſt*, *animo* PERTURBATO, *conſilia fovet* PRÆCIPITIA, qvæ propriis vocibus æqvè ſignificantibus nullo modo dici poſſunt.

Qvare *Metaphoricas* voces cum aliis *ingenioſis*, de qvibus dictum

eſt,

(113.) *Ar. 3. Rhet. In epithetis adjectiones fiunt tam à malo vel turpi qvam à meliore ut Simonides.*

(114.) *Ar. ibid. Cum laudare velis à melioribus: cum vituperare, à pejoribus, qva in eodem genere ſunt, ducenda translatio eſt.*

Digitized by Google

(115.) Ar. ibid. Dilucidum quoq; jucundum ac peregrinum maxime affert translatio.

eſt, comparanti, apparebit metaphoricas ſplendere (115.) magis & magis afficere, plus exprimere & altius imprimi. Propone tibi figurandam vocem ALBUM, eamqve ex propria & vulgari in peregrinam & ingenioſam commutandam eſſe. Poteris qvidem voce *priſca* à Veteri Latio accepta dicere ALPUM, *peregrina* ex Græco derivata λέυκον, *derivata* ALBITUDO qvam Plinius dixit, *mutata* ALBIUM ut Anglia dicta fuit, *compoſita* ALBICOLOR, *ficta* MUBLA, deniqve *Metaphorica* NIVEUM, qvæ cœteris omnibus argutiarum & ingenii laude præſtat. Idem diſcrimen in continuata oratione obſervare licet. Attende certamini probrorum & convitiorum inter duos bellatores neqvitia & fraudibus pariter invictos, *Toxilum & Dordalum*, iſtum ſervum, hunc lenonem.

Toxil. *Eho dum, Lenonium,*
Commixtum cœno: STERQVILINIUM publicum:
Impure, inhoneſte, injure illex LABES populi.
Pecuniæ ACCIPITER, atq; invide;
Procax, rapax, TRAHAX. Trecentis verſibus
Tuas impuritias traloqvi nemo poteſt.
Teneſis argentum: etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere, ut argentum accipias LUTUM.

Huic encomio Dordalus ordine reſpondet:

Vir ſumme populi: STABULUM ſervitricium;
Scortorum liberator: SUBICULUM flagri
Compedum CONTRITOR; piſtrinorum CIVITAS;
Perenni ſerve, lurco edax, furax, fugax.

Cedo

Cedo ſis mihi argentum: da mihi argentum, impudens.
Poſſum à te exigere argentum? Argentum in qvam cedo.

Non liqvet certe, utri palmam ſeu neqvitiæ ſeu ingenii tribuas. Animadvertis voces proprias peregrinis intermixtas. Nam *impurus, inhoneſtus, avidus impudens, invidus* ſunt voces propriæ. *Perenni ſervus lenonium, edax, furax, fugax*, ſunt voces derivatæ. *Lurco & procax* à verbis *lurco lurcas & proco procas* ſunt voces priſcæ ſimul & derivatæ. *Injurus & illex* voces ſunt derivatæ ſimul & novæ. Cœteræ majuſculis literis notatæ ſunt metaphoricæ, qvæ ut ingenioſiores & acutiores altius penetrant, & ut magis novæ & peregrinæ vehementius delectant.

Illud tamen conſtat, vocem (116.) Metaphoricam, accedente alio peregrino habitu, duplici ſplendore eniteſcere. Qvod perſpicitur in voce STERQVILINIUM *publicum*, qvæ metaphorica eſt & compoſita, & SUBICULUM *flagri à ſubjicio ſubjicis*, qvæ metaphorica eſt & derivata. Qvomodo & TRAHAX ductum à verbo *traho* tanqvam leno ex alieno marſupio argentum, ſicut magnes ferrum, trahat. Et ob ſimiles mixturas ingenioſiſſimæ ſunt Metaphoræ antea allatæ: EXPECTORARE *ex animo ſapientiam*, *labris* COLUMBARI, GALLARE, BACCHARI.

(116.) Ar. Poët. c. 21. Illa veneranda & omne prorſus plebeū excludens qvæ peregrinis utetur vocabulis.

Eo igitur peregrinior erit metaphora, qvo plures peregrinæ rationes in unum vocabulum colliguntur: qvibus hoc adjicio eo *acutiorem* fore & ingenioſiorem, qvo minus ſuperficiales ſunt *notiones*, qvæ in ea exhibentur. Nam qvi dicit *pecunia* TRAHAX, non aliud ſubjicit oculis, qvam notionem ſuperficiariam & communem, videlicet actionem pecuniæ attractæ. At *pecunia* ACCIPITER, ſpecialem accipitris actionem conſpiciendam præbet: qva nimirum ungvibus prædam corripit, & ad ſe rapidè pertrahit. Unde cum major perſpicacia ad comprehendendas uno intuitu tot notiones ſub uno genere contentas reqviratur: ingenioſior qvoqve eſt & acutior Metaphora. Qvod ſi diceres ACCIPITRARE *pecuniam*: acumini metaphoræ accederet derivati peregrinitas, & tam ingenii

(117.) Ar. 1. Rh. c. 10. Dicimus ſuperficialia qvæ cuilibet patent nec qvicqvā habent, qvod in iis qværere oporteat.

tui gloria qvam voluptas auditoris duplicaretur. Similiter ingenioſior & acutior eſt ea metaphora, cujus notiones longe diſtant, ut non niſi multis gradibus ad ſimilitudinem pervenias. Exempli cauſa: Si Toxilum dixiſſes: *piſtrinorum* CIRCULUM, ut indicares eum continuo in piſtrino verſari, ſicuti circumferentia circa centrum circuli, metaphora certe eſſet ingenioſa, qvæ de *perſona actionem* affirmaret, qvæ eſt metaphora *ab opere ad opus facientem*. At multo ingenioſior eſt iſta Plauti acutiſſimi: *Piſtrinorum* CIVITAS. Nam à verſanda piſtrini machina transfertur cogitatio ad circuli peripheriam, & ab hac ad muri ambitum, qvomodo *civitas* pro muro & *murus* pro circumferentia circuli, & *circumferentia* pro orbiculari verſatione machinæ, & orbicularis iſte motus pro eo qvi in orbem verſat piſtrinum. Ex qvo intelligis, qva velocitate & qvot gradibus uno momento cogitatio tua debeat ad argutiam aſſeqvendam properare, qvaqve perſpicacia & ingenii velocitate inſtructus ſit oporteat is, qvi metaphoram invenit & qvi intelligit.

Obſervandum tamen illud, ne qvid nimis. Nam in metaphoris æqvè ac aliis peregrinis vocibus ſanctè cuſtodienda eſt lex (118.) *decori*, de qvo ſparſim aliqvantulum monuimus. In univerſum autem id habeo dicere, tibi conſiderandam eſſe naturam ſoli, in qvo ſpargendum eſt metaphoræ ſemen. Qvotuplex enim eſt materia, tot modis qvoqve variat *decorum*, cui metaphoræ accommodandæ ſunt. Si argumentum eſt *nobile* & magnificum, nobilis qvoqve res ſit, unde ducitur metaphora: veluti iſta de Theleſo REGNANT *capuli* i. e. gladii, ut id diceret, qvod Romanis Gallorum imperator: *ſe in armis jus ferre, & omnia fortium virorum eſſe*. Et Ovidius qvartum cœlum vocavit REGIAM SOLIS. Et Seneca ſupremum cœlum TEMPLA *ætheris*. Sin *vile ſit* argumentum & ſervile, metaphoræ qvoqve tales erunt, veluti STERQVILINIUM PUBLICUM pro ſordido lenone, & Laberius vetulam impudicam & moroſam vocavit GRUNNIENTEM SCROFAM. Et Lucius Pomponius ſtultum qvendam Comicum irridens vocat *Comicum* COMMICTILEM hoc eſt dignum, in qvem canes mejant. At ſi argumentum eſt *horribile* & noxium, translatio qvoqve ſectabitur ſera & horribilia vocabula, ut Catilina à Conſule appellatus fuit PESTIS PATRIÆ, MONSTRUM ET PRODIGIUM *urbis*. Et Tiberius

(118.) Ar. Poët. c. 21. atqve menſura æqve omnibus partibus regula eſt. Nam ſi quis trãslatis, mutatis, cæteriſqꝫ peregrinis vocibus abuſus fuerit, pari ratione ridicula ſtruxerit.

rius de Caligula dicebat ſe PHAETHONTEM *orbi terrarum educare.* Sin idem erit acceptum & *lepidum*, verba qvoqve erunt læta. Ut *prata* RIDENT præ amœnitate. Et *ætatis* VER pro adoleſcentia, qvomodo Odyſſeam Homeri Alcidamas vocavit, *pulcherimum vitæ humanæ SPECULUM.* Et à Seneca ſomnus vocatur PORTUS VITÆ, LUCIS REQVIES NOCTISQVE COMES. Et (119.) autor noſter magis probat ut dicatur *aurora* ROSEA qvam *aurora* PURPUREA aut RUBEA. Iſtud enim eſt jucundius. Porro ſi oratio erit *pathetica*, tranſlata qvoqve ejusmodi reqvirit, qvæ animum afficiant, ut apud Plautum: *meum* CORCULUM, OCELLUS *meus*, MEL *meum.* Et Cicero parvulum Ciceronem appellavit MELLITUM CICERONEM, qvi in bovem poſtea adolevit, ut ſolent Sapientum filii, & ex melleo factus eſt felleus. Qvod ſi argumentum valde *exaggerandum* ſit, inflatas qvoqve Metaphoras vibrare conceſſum erit, aut verbi gravitate ut BOMBACHIDES Plauti, aut ſignificationis exceſſu, ut Lycophron de Xerxe: *Vir* MONTIS inſtar, & MONTES AURI *polliceri, & telis UMBRARE diem* pro magna ſagittarum copia, & Barbarus Senecæ: ÆQVALIS ASTRIS *gradior.* Et contra extenuandæ rei ſerviunt tranſlata tenuia, ut deminutiva Ariſtophanis & TANTULA Plauti, qvæ fœminam parvam ſignificat. Et idem ejus NIHIL *beſtia.* Et alibi pro re nullius pretii: *non ego iſtud emptitem TITIVILLITIO.* Et *homo MINUTUS* apud autorem noſtrum, & MINUTA *ſpes* apud Tacitum. At *vim* & vigorem orationi additurus, metaphoras qvoqve adhibebis, qvæ motum & violentiam ſignificant, ut Plautus: DIFFLARE *ſpiritu legiones* pro diſſipare exercitum. Et ſervus piſcatoris *in cerebro colaphos* ABSTRUDAM *tuo.* Et Cicero: *Scelus* ANHELARE, qvo concipis laborem pulmonum, qvi anhelitu nituntur ſummum qvoddam ſcelus perficere. Et Statius: *Saguntum* LUCTANTEM *fatis*, qvo exhibetur civitas, qvæ cum fortunâ virtute contendit. Et à noſtro autore magis probatur *haſta VOLABAT* qvam *haſta ferebatur*, & magis: *haſta VOLARE ARDEBAT* qvam *haſta volabat.* Evidentiores qvoqve ſunt metaphoræ, qvæ perſonam uno aut duobus verbis depictam oculis ſubjiciunt: veluti iſta Laberii: GRUS BALEARICA, qvæ videndum præbet homuncionem aliqvem macrum, longo & extenſo collo. Et Labienus à populo appellatus fuit RABIENUS, qva una voce inſtar canis rabioſi exhibetur. Et iſtæ fœ-

(119.) *Ar. 3. Rh c. 2. melius dicitur aurora roſea quam Phœnicia & multo ineptius rubea.*

Digitized by Google

mineæ Plauti metaphoræ: LIMACES, LIVIDÆ, SCHOENICULÆ, MIRACULÆ, SCHRANTLÆ, SCRUPEDÆ. Porro cum argumentum eſt *ridiculum*, ut ſales Comici, & facetæ narratiunculæ, decorum erit limites tranſilire decori, ea copulando & conjungendo, qvæ nullo modo inter ſe conveniunt, veluti TRIBUNAL COQVINARIUM & PALUDATA SIMIOLA in eum, qvi veſte qvam forma pulchrior. Et Mercurius ad Soſiam, qvi lumen lucerna incluſum geſtabat: *qvo ambulas tu, qvi VULCANUM IN CORNU concluſum geris*, ubi vides ridiculum naſci ex rerum magnificarum & vilium conjunctione. Et hujus generis ſunt metaphoræ viles de rebus amplis, veluti Poëta Italus ſtellas vocavit:

Del celeſte Crivel BUCHI LUCENTI.

Cœleſtis cribri *foramina luminoſa.* Contra Metaphoræ amplæ de rebus vilibus: ut alius in vermes noctu lucentes:

Luciole mie, che d' OR la GROPPA havete.
LANTERNINI animati:
Vive CANDELE, & MOCOLI INCARNATI.

O meæ cicendelæ, qvarum *auro* fulget tergum, *laternulæ* animatæ, *candelæ* vivæ & *lumina carne induta.* Qvod ſi oſtentationis cauſa verba facis: *ingenioſæ* & acutæ reqviruntur metaphoræ, nunc à remotis notionibus per plures gradus, ut dixi, ductæ, qvalis eſt Plautina PISTRINORUM CIVITAS, & iſta Martialis *poemata* SCOMBRIS DONANDA, qvod eſt *inepta.* Nam ex inteſtinis Scombrorum conficiebatur muria, qvæ chartis librorum inutilium amiciebatur, atqve adeo hoc idem valet, ac ſi dixiſſet, *Tu quidem te fatigas poëmatis ſcribendis, quæ poſtea ſalſamentariis vendenda ſunt.* Sic Scombrus piſcis refert muriam, muria chartam inutilem, qva amicitur, & charta iſta poëma ineptum. Sic eqves Marinius facete riſit æmulum ſuum, dicens, eum ſcribere poëmata, *ne* FRIGORE EXTINGVERETUR *piſcis ſalitus*, qvod à Martiali mutatus eſt:

NE TOGA CORDYLIS ne PENULA deſit olivis.

Nunc

Digitized by Google

Nunc acumen conſiſtit in alluſione ad raram qvandam eruditionem, ut hoc Plauti: *De* COCLITUM PROSAPIA *te eſſe arbitror*, allocutus Curculionem, qvi altero lumine captus erat, & ita Horatio Cocliti & Arimaſpis, qvi Coclites dicebantur, qvod eſſent unoculi, comparabatur. Et iſtud acutiſſimi Juvenalis: [1.73] *Scribere aliquid brevibus* GYARIS DIGNUM pro *Satyras ſcribere valde mordaces*, reſpiciens eos, qvi facinore aliqvo admiſſo Gyaros relegabantur, qvæ parva erat & nuda inſula inter Sporades maris Ægæi. Ejusdem generis & ingenii eſt hoc: LUGDUNENSIS RHETORIS PALLOR pro *extremo* qvodam *pallore*. Cum enim illo tempore dura lege tenerentur Rhetores Lugdunenſes, ut, qvi in certamine Oratorio ſuccubuiſſet, lingva deleret ſcriptum, qvilibet æmulus ad hoc experimentum trepidus, tanqvam febri laborans, accedebat. Aut deniqve acumen Metaphoricum *ænigmatica* qvadam voce obſcure perſpicua & tacitè loqvente occultabitur. Exemplum (120.) autor noſter habet: ÆNEUM *vidi* VIRUM, *ignitum viro conglutinatum.* Qvo ænigmate indicantur cucurbitulæ, qvæ priusqvam vitrum inventum eſſet, ex metallo capitis humani figuram referente conſtabant. Unde hodie metaphoricè vocari poſſet cucurbitula: CAPUT VITREUM *ſuper humeros carneos.* Cujusmodi metaphoræ nobis ſunt gratiſſimæ, qvoniam, ut (121.) idem dicit, cum primum audiuntur, abſurdæ videntur, ſed iis explicatis ingenium noſtrum reprehendimus dicentes: *certe hoc erat iſtud.* Concludo igitur, qvot ſunt differentiæ DECORI, tot ſunt etiam metaphoræ videlicet *magnifica, viles, crudeles, pathetica, inflata, exiles, vegeta, pulchra, ridicula, acuta, longinqva, & ænigmatica.*

Hinc denuo cognoſcere datur, qvam amœnum & ſpatioſum campum metaphora nobis aperiat, qvantamqve facultatem det ingeniorum libertati, qvæ tum demum oculos tollere & ex nido puerilis ignorantiæ evolare incipiunt, cum acumen metaphoræ ſentire, & unam atqve alteram proprio Marte invenire poſſunt. Nec certiori indicio indolem ingenioſam agnoſcas, qvam ſi ſubito aliqvid transferre poſſit. Nec te deterreant qvatuor illæ leges, ad qvas (122.) autor noſter metaphoram adſtrinxit, hoc eſt ne ſit *impropria*, ne

Mm 3 *ridicu-*

(120.) Ar. 3. Rh. o. 2, innominata per translationem ita nominare oportet ut cum nominata fuerint, pateat eſſe propinqua Ut in illo comprobato ænigmate: æneum vidi virum.

(121.) Vide notam præcedentem.

(122.) Ar. 3. Rh. c. 3. In tranſlationibus qvadrupliciter frigiditas fit, aut quia non conveniant, aut qvoniam ridiculè, aut qvoniam inflatè nimis, aut qvoniam remotiores quia obſcura.

Digitized by Google

ridicula, ne *inflata*, ne *remota*, tanqvam voluiſſet alas ingeniorum circumcidere, & horum limitum anguſtiis includere. Agit ille iſto loco de metaphoris Oratori propriis non poëtæ, aut alii, qvi in arguto & ingenioſo ſcribendi genere verſatur. Cum enim Oratoris abſolutio *perſvadendo* ſpectetur, neqve perſvaderi poſſit niſi eo, qvod *veriſimile* videtur, & veriſimili repugnet, qvicqvid non *natura* ſed *affectatione* niti videtur: hinc decernit non ſolum *enthymemata*, in qvibus eſt ſubſtantia orationis, ſed etiam *dictionem, figuras, vocem, geſtum & motum* omnem adeo (123.) veriſimilem eſſe oportere & Oratori convenientem, & ab omni affectatione remotum, ut ars natura & falſum ipſum veroſimile videatur. Interdicit itaqve oratori translata *ſordida & ridicula*, ut pote qvæ Oratoriam gravitatem non decent, *audacia hyperbolica & inflata* qvoniam nimis à veriſimili recedunt, & artem aperiunt: nimis *acuta, remota & ænigmatica*, qvæ non illuſtrant orationem ſed obnubilant. Etiam nimis *florida & amœna*, *qvæ* ingenium qvidem alliciunt, ſed idem ab orationis argumento ad verborum novitatem avertunt. Qvin & (124.) *modeſta & temperata* metaphoræ ſi nimis crebræ ſint & diutius continuatæ (cum alienum ſit id ſermonis genus à vitæ conſvetudine) magis conveniunt furori poëtico qvam gravitati oratoriæ. Hujus qvippe metaphoræ non tam ſtudio qvæſitæ, qvam neceſitate arceſſitæ in locum verbi proprii videri debent. Permittit igitur Oratori tanqvam proprium ejus ornatum metaphoras illas, qvæ *verbis planis & communibus* ſed non communi ſignificatione adhibitis, conſtant, qvæ ſignificationem habent *peregrinam*, ſed non obſcuram, & peregrinitatem qvidem *ingenioſam*, ſed non à veri ſpecie recedentem, qvomodo pictura perfecta non qvidem res ipſa eſt, attamen ſimilis rei. Ac ejusmodi metaphoris contextas cernes orationes Iſocratis, Demoſthenis & Ciceronis. Catilinariam ſecundam aliqvis juvenili calore abundans forte ſic exordiri pulchrum putaſſet:

Tandem aliqvando Qvirites L. Catilinam tigreſcentem *petulantia ad flagitiorum* culmen anhelo *conatu* eluctantem, phineam luem *patriæ* Harpyaliter architectantem, *vobis atqve huic* urbium reginæ Martem Vulcanumqve *barbaricè* ominantem *ex urbis* ſinu *vel* evomuimus, *vel* exploſimus, *vel ipſum foras* proſerpentem venabulis impetivimus. Erupit, avolavit efluxit *in nihilum* vanuit. *Nulla jam*

carni-

(123.) Ar. 3. Rh. c. 3. oportet id facientes latere, ne ficte dicere videatur ſed innate. Hoc enim veriſimilem facit orationẽ, illud autem cõtrariũ.

(124.) Ar. 3. Rh. c. 3. In oratione ſoluta qvadam per ſe indecora ſunt, qvædã ſi crebrius ponantur, arguunt modum poeticum.

Digitized by Google

carnificina *ab* lernæa excetra & larvali portento *mœnibus ipſis intra mœnia* procreabitur. *Atq; hanc qvidem unam hujus* inteſtini Carcinomatis radicem *ſine ferro* averruncavimus. *Non enim jam inter* medullas *noſtras* machæra *illa* verſabitur, *non in ſuburbano* diverticulo, *non in forenſi* theatro *non in conſiliorum* ſacrario, *non deniq; intra* domeſticos lares focosqve contremiſcemus.

Nonne audire tibi videris non placidum Senatorem, ſed fanaticum Poëtam. Nunc audi Ciceronem & verba verbis conferens intelliges hujus metaphoras ne metaphoras qvidem videri, & pondus adjicere orationi ne ſententia corrumpatur, ſplendoremqve afferre, qvi menti auditoris non officiat. *Tandem aliqvando, Qvirites, L. Catilinam* furentem *audacia*, *ſcelus* anhelantem, peſtem *patriæ nefariè* molientem, *vobis atq; huic urbi* ferrum flammamqve *minitantem ex urbe vel ejecimus vel emiſimus*, *vel ipſum egredientem urbe* proſecuti *ſumus*. *Abiit*, *exceſſit*, evaſit erupit. *Nulla jam* pernicies à monſtro *illo atqve* prodigio *mœnibus ipſis intra mœnia*, *comparabitur atqve hunc qvidem unum hujus belli domeſtici* Ducem *ſine controverſia vicimus. Non enim jam inter* latera *noſtra* ſica *illa* verſabitur, *non in* campo, *non in* foro *non in* curia, *non deniqve intra* domeſticos parietes pertimeſcemus.

Hæc qvidem utut vera ſint, ſi *decorum* orationis ſpectes: in aliis tamen generibus eloqventiæ ingenii frena laxare licet. Nam metaphoræ *Panegyrici* freqventiores & elatiores eſſe poſſunt, qvam forenſium orationum: illic enim majus artis ſtudium profitemur, & ingenium de induſtria oſtentamus. Plus adhuc licet in *poëſi*, qvam in panegyrico. Illic enim mens divino afflatu extra ſe rapta creditur. In Tragœdiis porrò terribiliores & ſubliniores metaphoræ locum habent, qvam in poëmate alio: cum excelſæ perſonæ loqventes introducantur, in *Comœdiis* vero ob argumenti vilitatem ridiculæ qvoqve & abjectiores metaphoræ adhibentur, in *Lyricis* inflatiores, cum Odæ tantum ſuperent carmen, qvantum panegyricus orationem forenſem. In *Epigrammatis & Dicteriis* acutiores, utpote qvorum laus in brevitate & acumine ſententiæ poſita eſt. In *Inſcriptionibus* nunc nobiliora, nunc acutiora, nunc communiora erunt translata, prout locus & argumentum poſtulabit. Qvanqvam igitur huic facultati in univerſum propoſita ſit PERSVASIO, cum tamen

tamen modus perſvadendi differat, etiam *decorum & veriſimile* non erunt eadem. Qvare metaphoræ illæ veræ erunt ſeu oratoriæ, ſeu Tragicæ, ſeu Comicæ, ſeu Lyricæ, qvæ dicerentur probabiliter ab eo, qvi perſonam ſuſtinet vel Oratoris vel Tragici vel Comici, vel Lyrici vel cujusvis alterius Scriptoris.

Atqve hæc generatim dicta ſint. Sed non uno tenore dicendi fluit oratio. Eſt enim Orator interdum *ſedatus* interdum *inflammatus*, argumentum nunc *grave & ſerium* eſt nunc *ridiculum*, auditor alius *ſtupidus* alius *perſpicax*. Secundum has igitur circumſtantias perſonam mutat Orator, & cum perſona *decorum* qvoqve ac *veroſimile*. Eſt enim illud veroſimile, pectus incenſum & inflammatum metaphoras expellere, qvas tranqvillum & qvietum non proferret. Qvemadmodum vero Muſæ mutuas ſibi operas tradunt, & amice inter ſe conſpirant: ſic Orator non nunquam ad fines Epici aut Tragici aut Comici Poëtæ prolabitur, prout rebus & perſonis conveniet. Et ſi alia cauſſa nulla eſſet, qvis retineat ingenium, qvod ſciens prudens jugum excutit, frenumqve mordet? Certe ipſe autor noſter, ut alibi dictum eſt ejusmodi ingeniis habenas remittit his verbis: *Niſi qvis conſulto ita dicere velit.* Et qvot arguta legas ſcripta, in qvibus ingenia mirabilia veriſimile ponunt in metaphoris veri ſpeciem excedentibus & decorum in neglectu decori, qvod de Ludio pictore dicebamus? Tales erant verſus *Archipoëta.* Talis erat oda ante memorata de NOCTILUCIS. Talis eſt VIRGILIUS IMMVTATVS Galli cujusdam feſtivo ingenio, qvi cum de culmine carminis Epici ad ſcenæ humilitatem detraxit, & erepta tuba heroica tympanum ruſtici ſubſtituit. Audi Virgilium paludatum & cothurno incedentem, qvo ſono, qva granditate Jovem præſagientem inducat:

Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem & Mavortia condet
Mœnia, Romanosq; ſuo de nomine dicet
Romanos rerum dominos gentemq; togatam.

Nunc

Nunc audi eundem Cuculione & ſoccis indutum gallicis:

Des deſcendans du jeune Jule
Deuoit venir ce grand Romule
Dous ces benois peres conſcripts,
A la barbe longue, au poil gris
La Nation porte ſoutane
Inventrice du Veau Mongane. &c.

Qvod italicè ſed minori gratia tale eſſet:

De diſcendenti del giovane Julo
Provenir ne dovea Romolo il grande;
E qvei Padri conſcritti benedetti;
Di bigio pelo, & della barba lunga:
Et qvella Nation portaſottana;
Che invento la Vitella Mongana.

Et alio in loco, ubi Sinon narrat prodigia, qvæ Græcos rapto palladio terruerint:

Vix poſitum caſtris ſimulacrum, arſere coruſca
Luminibus flamma arrectis, ſalſusq; per artus
Sudor iit. &c.

Immutatus Virgilius ſic loqvitur:

Les vaillans autant qve les laſches,
Pleuroient par tout comme des Vaches;
On n' entendoit qve des helàs.
Le Franc Cocu de Menelas,
Trembla bien fort en chaqve membre:
Voiant le tonnere en Sa chambre,

Digitized by Google

Qvi ſon pot de chambre rompit.
Il en piſſa de peur au lict.

Qvod Italice ſic converti poſſet:

I valenti non men, che li poltroni,
Piagnevano per tutto come vacche.
Et altro non s' udia, che meſti Omei!
Qvel franco Barbagian di Menelao,
Fortemente tremo per ciaſcun membro,
Nella camera ſua veggendo il lampo,
Che l' orinal li ruppe; e l' poveretto
Per ſoperchio timor piſcio nel letto.

Talis eſt impetus poëtaſtri alicujus in *muſcam* importunam, qvæ ipſum cum verſus faceret inclementer pupugerat, & tandem atramentario ſe immergens exſtincta erat. Unde eodem atramento qvo muſca ſe peremerat, indignationem ſuam evomebat, niſi forte muſcæ translatione alium notavit, qvi ipſum immerito carpſerat, & tandem in captivitate deceſſerat.

MUSCA IN CALAMARIO.

Bibe avis infernalis, Monſtrum Apulum, Sangviſuga volans, Strix alata, bibe ut Ilia rumpantur, & ſpurca terra Harpyia mari atramenti immergaris. Tantum mihi ſangvinis detraxiſti, vorax Echine, ut vena mihi ſint exhauſta; nec pœnas de crudelitate tua ſumere licuit, qva tam fugax es, qvam impia & crudelis. Sine fine & induciis, atra Meduſa, qva & arcum & ſagittam ex te facis, eadem & eqves & eqvus, & tubicen & bucci-

buccina, os pariter ac Muſam meam telo petiiſti. Qvoties effeciſti, ut pennam abjicerem, Parnaſſumq́ exeerarer, aeremq́ verberans me ipſe colaphis caderem? qvoties bilem in naſum concivit Muſca? Qvin nec muſca es, ſed ferus aſylus, qvem Juno immiſit pellici à Jove mutata in Vaccam, qva furore acta in Nilum ſe egit præcipitem. Scribenti in manum inſilis, peſtis, manum tuenti in oculum involas: Qvare oculos ita confixos, naſumq́ ita inflatum gero, ut Homero cæco ſim ſimilis & Naſoni. Parum eſſet ſangvinem & ſpiritus exſugere, niſi in contumeliam meam & ſorberes illum, & excrementis tuis ſcripturam meam chartamq́ inficeres. Verum Deus ille, qvi Heliconi præſidet, cui curæ eſt honos Poëtarum & Muſarum, digno te conſtrinxit ſupplicio, & in cornu, velut carcere, te concluſit. In ſacro illo atramento, qvo venuſta ingenia hortos Pindi irrigant, demerſa, & aculeum & alas & vitam liqviſti, Muſarumq́ lac tibi factum eſt venenum. Agite, ergo, qvorum ora forficibus armata, accurrite ad hanc prædam formicæ, veſpæ, pulices, papiliones, aſili, & diſcite qvid ſit irritare Poëtam.

Reſtat ut de ultima dote metaphoræ diſſeramus, videlicet metaphoram, (qvod ante innuimus) eſſe omnis *argute dicendi facultatis* parentem. Sed ut ordine progrediamur, agemus primò de differentiis METAPHORÆ SIMPLICIS, qvæ ſphæram qvaſi primæ in mente operationis non excedit. Deinde de METAPHORICA PROPOSITIONE, qvæ nihil eſt niſi metaphora continuata, & ad ſecundam veluti regionem intellectus adſcendit. Et deniqve de ARGUMENTO METAPHORICO, in qvo veræ & nobiliſſimæ ſunt argutiæ, in tertia intellectus regione natæ atqve adeo ingenioſorum ſcriptorum ſuprema ſunt gloria. Sed à prima ſpecie orſi qvæ radix eſt reliqvarum, venas ejus jam nunc aperiemus.

DE METAPHORA SIMPLICI
EJUSQVE SPECIFICIS DIFFERENTIIS.
CAP. VIII.

CUrioſa, ſed & difficillima eſt hæc inveſtigatio, nec ab alio, qvod ſciam in fontibus ſuis qvæſita, nec ab ullo forte ſatis cognita. Sed utut autor noſter ſpeciatim non declaraverit, qvænam ſint ſpecies *ingenioſarum figurarum*, omnes tamen ſpecies, ſparſim in eodem reperire & agnoſcere licuit, qvarum, qvod de patheticis faciebamus, veſtigia proſecuti ad ſummum earum genus ſagaciter pervenire ſtudebimus, atqve inde ad diſtinctam & ordinatam partium diſtributionem rurſus deſcendemus, qvæ totam nobis artem aperiet.

Primum video cognitas fuiſſe ipſi & commendatas metaphoras qvasdam SIMILITUDINIS, qvas vocat metaphoras (125.) A SPECIE AD SPECIEM aut A GENERE AD GENUS. A ſpecie ad ſpeciem eſt illud freqventatum ipſi exemplum ſi *ſcutum* voces SCYPHUM MARTIS, aut *Scyphum* SCUTUM BACCHI. Nam ſcyphus & ſcutum uno *genere* continentur ROTUNDORUM & veluti ſorores ab uno patre naſcuntur in hunc modum.

(125.) *Ar. Poët. c. 20. Translatio eſt nominis alieni illatio vel à ſpecie ad ſpeciem vel ſecundum aliqvid qvod proportione reſpondeat.*

Genus *ROTUNDUM*

Species *Scutum* *Scyphus.*

Conceſſum igitur eſt fœcunditati ingenii nomine unius ſpeciei abuti pro nomine alterius ſpeciei, qvæ è latere ipſi oppoſita eſt, & communi genere univoco & immediato continetur. Hac igitur ratione *nives* appellare licet FRIGIDA ALPIUM LILIA & *lilia* ANIMATAS

Digitized by Google

NIMATAS HORTORUM NIVES. Nix enim & lilia ſunt ſpecies CORPORIS CANDIDI. Hæc igitur eſt Similitudo inter *ſpeciem & ſpeciem*, qvam voco SIMILITUDINEM VNIVOCAM.

Altera ſimilitudo eſt inter duas res diverſis generibus ſubjectas, qvæ tamen à *ſummo genere analogo* pendent. Atqve hæc Logicorum more appellari poteſt SIMILITVDO PROPORTIONIS ANALOGA ab (126.) autore noſtro præ altera laudata utpote qvæ plus ingenii ad excogitandum reqvirat & majorem voluptatem auditori afferat. Omnino enim majori opus eſt ingenio, ut notiones ſub diverſis generibus ſitæ indagentur qvam qvæ ſub uno ſunt genere, & major voluptas naſcitur ex pluribus rebus cognitis iisqve multum inter ſe diſtantibus. Talis erat metaphora qvam idem ex Periclis oratione laudat, qvi juventutem dixit VER *Civitatis.* Nam JUVENTUS & VER ſpecies ſunt duobus generibus ſubjectæ, qvæ rurſus pendent à genere analogo hunc in modum.

(126.) Ar. 3. Rhet. c. 10. translationes quæ ſecundum proportionem ſunt, maxime probantur.

DURATIO TEMPORIS

Genus Analogum.

Ætas humana — *Anni tempus.*

Genera Subalterna

Juventus — *Ver.*

Species Analoga

Nimirum ſicut ver primum eſt & pulcherrimum anni tempus ſic juventus prima eſt & pulcherrima hominis ætas. Et (127.) commutata proportione ver appellari poteſt JVVENTVS ANNI & Juventus VER ÆTATIS HVMANÆ. Qvod jam antea monuimus occaſione metaphoræ PRATA RIDENT. Eadem Analogia idem vocat *Senectutem* VITÆ OCCASVM, qva exhibetur ſol, qvi radiis ab oriente per meridiem magno ſplendore ſparſis, tandem veluti defatigatus & obſcuratus occidit. Similes ſunt metaphoræ qvibus ſenectutem idem vocat *vitæ* VESPERAM & *vitæ* STIPVLAM. Unde non ſine gratia diceres: *Vir iſte adeo ſplendens gloria nunc ad* OCCASVM *inclinat. Hic ſuperatis honeſtis laboribus ad VESPERAM*

(127.) Ar. 3. Rh. c. 4. Oportet translationem quæ ex proportione ducitur ad utramq; partem in iis quæ ſunt generis ejuſdē reddere.

annorum pervenit, efflorescens illius puellæ forma hodie eſt STIPULA: hoc eſt, ut Veneti dicunt *Laxe vecia.*

Ex hoc fonte procedunt multa *Hieroglyphica*, multi Apologi in ſimilitudine fundati, & omnia *corpora* ſymbolorum heroicorum, de qvibus ſuo loco.

(128.) Ar. Poët c.20. nominis alieni illatio à ſpecie ad genus vel a genere ad ſpeciem.

Altera ſpecies metaphoræ eſt, qvam (128.) vocat A GENERE AD SPECIEM aut A SPECIE AD GENUS, qvæ non *ſimilitudine* ſed *identitate* qvadam nititur. Sicuti enim filius & pater ſic ſpecies & genus ferè idem ſunt, cum ſpecies inter ſe ſorores qvaſi videantur. Primum igitur Homeri exemplo *ſpeciem* pro *genere* nominari docet. Is enim dicturus: MULTA *Græcis beneficia contulit Ulyſſes* dixit: DECEM MILLIA *beneficiorum contulit Ulyſſes.* In qvibus MVLTVM eſt genus & DECEM MILLIA ſpecies multi in hunc modum:

Genus; *MULTUM*

|

Species. *Decem millia.*

Atq; ſic dicimus CENTIES *id monui* pro *ſæpius*, qvæ ratio tanqvam figurata nec vulgaris freqventata eſt à poëtis, qvi PONTUS dicunt pro qvocunq; mari & ALPES pro qvocunq; monte. Et Horatius dicturus *qvid* GLADIO *rei cum vino?* dicit: *qvantum diſcrepat vino* MEDUS ACINACES Loco nominis generici nomen ſpeciei, gladii ſcilicet more Perſarum incurvati ponens. Similiter pro *apro* dixit MARSUS APER & Virgilius: *dentesq́;* SABELLICUS *exacuit* Sus. Et alii ERYMANTHIA FERA & pro *leone* NEMEEA FERA qvæ omnia ſunt nomina ad ſpeciem aut individuum reſtricta: hic vero ſignificant qvemcunqve *aprum* aut *leonem.*

Contra loco *Speciei* interdum nomen generis ponitur. Veluti STATIO (ut idem dicit) generatim eſt qvilibet locus, in qvo aliqvis ſtat, ſpeciatim accipitur pro loco, in qvo naves receptum habent. Sic etiam Virgilius: *ſcandit fatalis* MACHINA *muros*, nomen generis pro *ſpecie machina*, eqvo ſcilicet Trojano accipiens.

Omnes hæ metaphoræ nituntur IDENTITATE qvæ latius adhuc patet. Qvæcunqve enim res qvacunqve ratione alteri adhærent: hinc nomen ſuum mutuari poſſunt. Atqve hæc eſt alia ratio *analogiæ* qvam

Digitized by Google

qvam Dialectici vocant ANALOGIAM ATTRIBUTIONIS, cujus exemplum illi nobis dant vocem SANUS qvæ primario ſignificat *bonam corporis humani temperaturam:* deinde cum aliis rebus communicatur, qvæ ipſi aliqvo vinculo conjunctæ ſunt, aut *cauſa*, ut SANUS CIBUS, aut *effectus* ut SANUS COLOR, aut *ſigni* ut SANUS PULSUS. Hujus generis fuit Metaphora Gorgiæ, qvam (129.) autor noſter reprehendit tanqvam *obſcuram & remotam* adeoqve poëticam, PALLIDA *negotia, quæ turpiter ſeminaſti & perperam meſſuiſti* pro *turpia illa negotia, quæ tibi pallorem pudoremq; injecerunt.* Qvod eſt *effectum* accipere pro cauſa. Et hæc: *Regnabunt* CAPULI, hoc eſt, (ut qvidam interpretantur) regnabunt *Remi*, in qvibus duplex eſt metaphora attributionis altera *partis* pro toto videlicet *Capuli* pro *Remo* & *Remi* pro *claſſe*, ut ſenſus ſit, *qui claſſe valebit regnabit*, altera eſt *inſtrumenti* pro eo qvi utitur inſtrumento, *Remi* ſcilicet *pro remigibus.* Sic *inſignibus* uti licet pro iis, qvorum ſunt inſignia, veluti CORONA *cedit* MITRÆ, hoc eſt, *Imperator cedit Pontifici:* ad exemplum Ciceronis: *cedant* ARMA TOGÆ. Et Plinius timorem Domitiani ridens: *timidè navigantem*, inqvit, *Roma* AQVILÆ *ſpectabant.* Ubi Aqvila ſignificat exercitum Romanum, cujus ſigna erant *Aqvilæ.* Similiter *materia* ponitur pro re, ut *lethalis* ARUNDO pro *ſagitta.* Et Seneca *niveus* LAPIS *diducit aures* pro *unione.* Et *inventor aut artifex* pro re inventa vel opere artis, ut *lucens* PALLAS pro *oleo in lampade, & laborata* CERES pro *frumento attrito aut pane.* Has omnes & alias, qvas alibi ex omnium prædicamentorum fontibus deduxi, vocare libuit more Logicorum METAPHORAS ATTRIBUTIONIS, ut diſtingverentur à metaphoris *ſimilitudinis & proportionis*; qvod diſcrimen aliis qvoqve qvi libros meos legerunt, placuiſſe animadverti.

(129.) Ar. 3. Rh. c.3. aut quoniam obſcura, quia remotiores, ut Gorgias Pallida negotia & exangvia, qvæ &c. hoc enim valde poëticum eſt.

Ex hoc fonte etiam multa *corpora* ſymbolorum heroicorum, multa qvoqve *hieroglyphica* derivantur, ut *pileus* pro libertate, qvem ſervi non geſtabant, & *manus* pro libertate, qva ſcilicet liberabantur, ſed de his alio loco accuratius.

Tertia ſpecies Metaphoræ ab (130.) autore cognita & commendata eſt HOMONYMIA, qvæ à duobus prioribus generibus multum differt. Cum enim illæ mutata ſententia mutent nomen, hæc manente nomine mutat ſententiam. In illis impropriè loqvimur, & propriè intelligimur, in hac propriè loqvimur & impropriè

intelli-

(130.) Ar. 3.Rh. c.11. quæ omnia probantur cum per æqvivocationem nomen effertur.

Digitized by Google

intelligimur. Hujus exemplum tale ab Herodico petitum Autor ſuggerit. Is enim nimii rigoris inſimulans leges *Draconis* merito abrogatas, qvod leviſſima errata gladio vindicarent, dixit: *Leges iſtæ prorſus ſunt DRACONIS non hominis.* Nec minus ingenioſe Demades: *leges illas ſcriptas eſſe non atramento ſed ſangvine civium.* In qvibus qvidem eſt metaphora *attributionis*, ubi effectus accipitur pro cauſa. Atramentum enim illud, qvo leges ſcriptæ erant, cauſa erat ſangvinis effuſi. At de *homonymia* metaphora ſi ſchema qvoddam expetis ad eundem modum, qvo *ſimilitudinis metaphora* exhibentur formandum eſt, ita ut nomen æqvivocum ſuſtineat vicem generis.

Nomen generis DRACO

Species æqvivocæ *Legislator* *Fera.*

In qvibus perſpicitur ob ſolam nominis ſimilitudinem rem pro re accipi. Hoc modo Cicero in leges Verris iniqvas jocatus eſt, appellans illas JUS VERRINUM ludens in ambiguitate juris Verrini qvod *juſculum* qvoqve *porcinum* ſignificat, rem itidem ingratam. Et in Metelli Magiſtrum cui nomem erat CORACI, & præſtans Rhetor haberi volebat, idem dixit: *Hic qvidem Corax ſeu Corvus melius ſcit crocitare qvam dicere.* Et in alium Magiſtrum æqvè indoctum dictum eſt: *Tantum ſapit, qvantum Achillis præceptor*, hic enim Centaurus fuit partim homo partim eqvus. Et Martialis in fœminam qvæ NIX dicebatur, *eam NIVEM eſſe frigore non candore.* Facetiſſima qvoqve homonymia luſit ſervus plautinus, gloriatus ſe domo ILLUSTRI natum eſſe, qvam venti undiqve perflabant. Ex hoc fonte naſcuntur *ænigmata & divinationes*, *Amphibologiæ* qvoqve & *Ironiæ*, qvæ verum dicendo decipiunt & falſa dicendo vera docent.

Huc refero PARONOMASIAS, (131.) qvæ parva nominis mutatione *Etymologiam* qvandam *æqvivocam* formare videntur, ut loco ejusdem nominis affine ponatur, & qvi hoc dicit, illud dicere voluiſſe

(131.) *Ar. 2 Rh. c. 25. alter vero ponet æqvivocationem, ut ſi μῦς laudando diceretur quoniam myſteria inde dicantur.*

voluiſſe videatur: ut ſi qvis *murem, viliſſimum animalculum, affirmare velit rem eſſe ſacram; ideo quod græce MYS dicatur, à quo myſteria tanquam res ſacræ denominentur.* Sic Martialis eleganter riſit illum, qvi donatô ipſi prædiolô ſeſe jactabat: FUNDUM *Varro vocas, quod poſſis mittere FUNDA.* Et in pigros nautas: *Non* NAVTAS *puto vos ſed ARGONAUTAS.* Et noſtrum hoc Italicum: DANNO, *voleva dire chi diſſe DONNA.*

Qvarta ſpecies metaphoræ eſt HYPOTYPOSIS (132.) cujus propria ratio eſt, rem ita vividè menti objicere, ut oculis eam cernere videamur. Primum itaqve qvoniam motus oculos maximè in ſe convertit: maxime vividæ erunt illæ metaphoræ, qvæ rem agentem & potiſſimum *animatam* exprimunt. Nam qvi dicit: (133.) *hujus animus in rebus adverſis QVADRATUS eſt* hoc eſt conſtans & firmus, qvomodo ſaxa qvadrata difficilius moventur loco, qvam qvæ ſunt alterius figuræ: Hæc qvidem ſatis pulchra erit proportionis metaphora, ſed jacens & langvida. At ſi dicas: *hic cum rebus adverſis* LUCTATUR metaphora erit idem qvod prior ſignificans, ſed ἐνεργικῶς, cum videre nobis videamur hominem cum fortuna manus conſerentem. Sic Ovidius: BELLA GERUNT *venti fretaque INDIGNANTIA miſcent.* Et Virgilius: *pontem INDIGNATUS Araxes,* qvo flumen exhibetur tanqvam eqvus indomitus, qvi freni impatiens caput jactat. Ob eandem vim laudat autor noſter hemiſtichium illud in ſaxum Siſyphi: *lapis IMPUDENS ferebatur,* qvod non ſaxum relabens ſed hominem barbarum & abſurdum ante oculos ponit, cui ludus jocusqve eſt contumacem ſe alteri præbere. Et iſta Virgilii: *geminiq; MINANTUR in cœlum ſcopuli.* In qvibus omnibus actio exterior, qvæ à vita pendet, exhibetur.

Sed in hoc genere cœteris præſtitit (ut idem affirmat) hæc Iſocratis, qvi ſignificaturus Græciæ lugendum eſſe obitum eorum, qvi Salamine occubuerant, dixit, *æquum eſſe ut in horum ſepulchro Græcia ſibi capillum tonderet.*

Alia ſpecies eſt *hypotypoſis* cujus idem mentionem facit, qvæ rem qvidem non agentem exhibet ſed ita *ſenſibus expoſitam* ut *colore, ſono odore,* & aliis qvæ ſub ſenſum cadunt maxime notabilis ſit. Hujus generis eſt hæc Æſionis: *Græcia* (134.) *CLAMAT* pro Græcia loqvi-

(132.) Ar. Rh. 3. c. 10. præterea ſic præ oculis poni to rem, quaſi agatur.

(133.) ib. c. 11. præ oculis igitur ponunt quæcunq; ſignificãter aliqvid oſtendunt nam ſi quis bonum virum quadratum dicit, trãslatione uſus eſt, ſed hæc translatio nihil gerentẽ ſignificat.

loqvitur, *clamare enim* (ut idem dicit) *rem certo modo ante oculos poſuit.* Qværcunqve enim circumſtantiæ ſenſus exteriores vehementer afficiunt, eæ phantaſiam qvoqve, cum audiuntur, valde movent, & ab iſta mens ad animadvertendum excitatur. Sic Cicero dicturus: *Catilinam ſcelus* OPTANTEM maluit *ſcelus* ANHELANTEM ut aliqvem magno conatu & anhelitu aliqvò nitentem audire videaris. Hoc modo voces propriæ qvoqve fiunt metaphoricæ, ut hæc: *immaniaqve oſſa ſerpentum paſſim tumulis exangvibus* ALBENT, ubi Tò *albent* vox eſt prorſus propria, & nihilominus ſpecies translationis, Nam pro eo, qvod generatim dici poterat: *ſtant, ſunt*, aut *jacent* ſpeciatim *color albus* oculis ſubjectus eſt. Ovidius qvoqve fervorem aheni ſic repræſentat: FERVET & EXULTAT *ſpumiſq; tumentibus* ALBET. Similiter Plautus ſenem amantem metaphora deſcribit, qvæ *odoratum* afficit: *qvum ſis jam ætatis plenus animâ* FOETIDA *ſenex* HIRCOSUS. *Calorem* repræſentat hoc Horatii: *bilis* INÆSTUAT *præcordiis*, *pro bilis mihi* EST *in præcordiis.* Et Ovidius eleganter:

Ictaq; conjectos INCALFACIT *hoſtia cultros.*

Metaphora admodum vivida. Pro eo enim qvod vulgariter diceretur, *iſta hoſtia cultrum gula* RECIPIT, dicit *victima percuſſa cultrum gula* CALEFACIT, qvæ propria qvidem eſt vox, ſed ad ſpeciem & ad ſenſum translata. Hinc naſcuntur *Epitheta*, qvibus *deſcriptiones* animantur, nimirum ejus generis, qvæ propria qvidem ſunt & velut ſuperflua ſed qvod ad ſenſum & rem ſingularem pertinent, *figuram* induunt. Unde Alcidamas (ab (135.) autore noſtro ob nimiam copiam reprehenſus) nunqvam *ſudorem* dixiſſet, niſi cum adjectione eum eſſe HUMIDUM, nec *lac* niſi CANDIDUM nec *hiemem* niſi FRIGIDAM nec *ver* niſi VIRIDE. Nec Alcidamante parcior eſt Boccacius in juvenili ſcripto, cui titulus *Admeti*, in qvo ejusmodi epitheta, qvæ non alia figura, qvam qvod rerum communium & jacentium *deſcriptiones* ſingulariter & ad ſenſum exhibeant, conſpicua ſunt, prodiga manu diſſeminantur.

Venio ad qvintam ſpeciem qvæ eſt HYPERBOLE latinè SUPERLATIO, (136.) autori noſtro ſatis cognita & laudata, qvæ qvidem ab *hypotypoſi* ſatis differt. Hæc enim rem *excitat & animat*, illa *anget*

(134.) *Ar. ib. Æſion quoque: Græciam clamare. Nam & modo quodam ante oculos ponere eſt.*

(135.) *Ar. Rh. c. 3. l. 3. non enim quaſi bellariis, ſed veluti cibariis utitur epithetis.*

(136.) *Ar. 3. Rh. c. 11. Sunt antè probatæ quoq; ſuperlationes.*

auget & amplificat. Hæc rem evidentiorem, iſta (137.) admirabiliorem reddit, ideoqve poëtis afflatu qvodam actis freqventatur. Sic (inqvit autor) qvi ira incenſi ſunt, in hyperbolas incidunt, dicentes: *Hic dolor eſt* MONTIS INSTAR ET AD COELUM USQVE PERTINGENS. Et Virgilius: INSTAR MONTIS *eqvum* pro eqvo magno. Sic Claudianus: Et *telis* UMBRASSE *diem*. Cui ſimilis eſt hyperbole noſtri Poëtæ de naſo longo, *cum* UMBRAM *projicere ad fines usqve regni Mauritani*. Idem autor hyperbolis annumerat dictum illud Comicum in varum: *Putabam eum non crura, ſed apia habere, adeò diſtorta ſunt*. Similis illi hyperbolæ Ovidianæ: *Unumq; erat omnia vulnus*.

(137) *id. Poët. c. 20. augeri omnia ut admirabilia ſint.*

Idem de *quantitate diſcreta* (138.) admonet. Unde poëtæ pro numero ſingulari pluralem adhibent, veluti PORTUS *in Achivos pro in portum Achivum*. Et Achilles Agamemnoni ſuccenſens: *Nec ſi mihi tot daret, quot* ARENA & PULVIS. Cicero hoſti ſuo aſſentans: *Domuiſti gentes locis* INFINITAS, *multitudine* INNUMERABILES; tanqvam ſpatia illa qvæ cogitatione comprehendimus, omnia ſubegiſſet. Ovidius: *Somnia vana jacent totidem, quot meſſis ariſtas, ſylva gerit frondes, ejectat littus arenas*. Similiter proverbia hyperbolica: *Chiliadem malorum pati & montes frumenti, Pactoli opes polliceri*. Et Hecuba apud Senecam: *Et vos meorum liberum magni* GREGES. Egregie vero ageretur cum ejus re familiari, cui talis vacca alenda contingeret. Alias numerus ſingularis majorem vim habet plurali, qvam *Antonomaſiam* dicimus, ut PHOENIX *ingeniorum* pro Pico Mirandulano, PHILOSOPHUS pro Ariſtotele, SAPIENS pro Salomone, ROMANUS ORATOR pro M. Tullio tanqvam reliqvi omnes Crocodili fuiſſent elingves.

(138.) *Ar. 3 Rh. c. 6. Si multa pro uno ponas ut poëta faciunt nam etſi unum ſignificare velint portum dicunt tamē Portus in Achivos.*

Ex eadem hac figura proficiſcuntur inflatæ illæ hyperbolæ militis glorioſi Plautini:

Curate, ut ſplendor meo ſit clypeo, clarior
Qvam ſolis radii eſſe, cum ſudum eſt, ſolent.
Ut ubi uſus veniat contra conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.

Qvod in hodiernis Comœdiis imitatur formidabilis Centurio: ***Nunquam ſomnum capio, niſi in centum culcitris è capillitio Svecorum conſutis,***

tis, qvod uno hujus ſupercilii nutu à capitibus ſeparavi: non induor, niſi corium Elephanti Perſici, ungvis minimi mei digiti tactu detractum: non bibo niſi ſangvinem Maurorum, quos non ſecus ac uvas in torculari, calcibus meis contundo: non edo niſi polentam è Tartariis, hujus ferri mei ſplendore in pulverem redactis: & ſi quando cupido me tenet pulli gallinacei aſſati, Polonum qvendam arreptum, ſupra Sphæram ignis projicio, & calidum fumantemq́, cum recidit, in aëre deglutio.

Non minorem vim habet hyperbole in (139.) *minuendo*, qvam *augendo.* In qvo genere proponuntur *diminutiva* mordaci ſenſu à faceto Ariſtophane adhibita, veluti *veſticula* pro penula ſinuoſâ & enormi. *Convitiolum* pro execrando maledicto. *Ægrotatiuncula* pro morbo incurabili. *Aurulum & argentulum* pro magna pecuniæ vi, qvod idem eſt ac ſi qvis petat *ſtipendiolum* mille talentorum; Aut Papam roget *ædiculam* Vaticani cum *hortulis* Farneſiis.

Et generatim ad hanc figuram pertinent, qvæcunqve ſtateræ modo ſententiam nunc deprimunt nunc attollunt, (140.) qvorum hæc eſt ratio, ut *laudaturi* ſpecie *meliori*: *vituperaturi pejori* ſpecie, qvæ eodem genere continetur, utamur. Qvod Simonidem feciſſe autor obſervavit, qvi in *mularum* ignominiam ſcripſit eas eſſe *filias* ASINÆ, in honorem earundem eas eſſe *filias alipedum* EQVORUM. Sic qveniam *rem facere & bona comparare*, genus veluti eſt, qvod continet & *honeſtam* acqviſitionem, qvalis eſt Principum bello aliqvid parantium, & *inhoneſtam*, qvalis eſt latronum: Alexandrum vituperaturus appellare potes *magnum* LATRONEM *regnorum Aſiaticorum*, & Cacum laudaturus vocare DOMITOREM & VICTOREM *armentorum Latinorum.* Atqve hinc forte gentes qvædam (ut (141.) idem obſervat) rapere dixerunt *ſibi proſpicere.*

Alia ſpecies *metaphoræ* (142) ipſi melius qvam cuicunqve alii perſpecta eſt LACONISMUS. Hæc eſt figura illa ex *Archetypa & vocali* argutia conflata, qvæ *uno veſtigio*, ut principio hujus operis dicebamus, rem integram compendio exhibet, ut ab eo, qvod dicitur, intellectus celeriter transferatur ad id, qvod tacetur. Exemplum à Steſichoro mutuatur, qvi Locrenſibus duobus verbis minitans: *Videte, inqvit, ne CICADÆ vobis HUMI CANANT.*

Qvo

(139.) *Ar. 3. Rh. c.2. eſt autem diminutio qvæ tam bonum quam malum minꝰ oſtendit.*

(140.) *Ar. 3. Rh. c.2. Ad hæc ſi laudare velis à melioribus qvæ ſunt in eodem genere ducenda eſt translatio*

(141.) *Ib. Unde & latrones ſe acqviſitores vocãt.*

(142.) *Ar. 3. Rh. c.11. dicta etiã commoda ex eo quod non dicitur urbana ſunt. Et lib. 2. c. 22. Qvibus etiam Laconica dicta accommodantur.*

Qvo ipſo intellectus ad res futuras transfertur. Metus enim incutitur, *fore ut ager ipſorum adeo devaſtetur, ne arbor ſuperſit, cui cicada cantillans inſideat.* Alii Laconiſmi alludunt ad res præſentes, ut is qvi de naribus alterius ſangvinem ſtillare videbat, cujus uxor alios æqve ac ſe ipſam deperire dicebatur: *reſerva,* inqvit, *hunc ſangvinem gemmariis, ut adamantes eo diſſolvas,* indicaturus eum eſſe hircum. Alii deniqve intellectum revocant ad res præteritas, veluti iſte qvi arrogantem illum jactatorem obmuteſcere fecit hoc dicto: *Tace tu, cujus pater ſe cubito emungebat.* Et ingenioſior erit Laconiſmus, qvi eruditionem *hiſtoricam* aut *fabularem* reſpicit, ut diximus. In qvo genere refert & laudat elegans illud dictum (utut de re minime eleganti) Gorgiæ Leontini, in hirundinem qvæ caput ejus ſupervolans fœdaverat: *Turpe tibi, ô Philomela.* Ubi idem obſervat hunc bene luſiſſe, *qvoniam non qvod eſt, dixit, ſed qvod fuit.* Reſpexit enim priſcam fabulam de *Philomela & Progne*: iſtam uxorem Terei, hanc virginem, qvarum altera in luſciniam, altera in hirundinem mutata fuit, qvanqvam alii Prognen uxorem & Philomelam virginem fuiſſe dicant. Nihilominus ironica hic ſubeſt alluſio, cum Progne virgo non eſſet, utpote ab affini vitiata. Unde ruborem ipſi incutere voluiſſe videtur Gorgias dicens qvaſi: *Si virgo eſſes integra, non tam turpiter te gereres.* Quam venuſtatem autor noſter *Tragicam* vocat id eſt, *ingenioſam*, qvoniam ejusmodi alluſionibus condiebantur ſententiæ ſublimes Tragicorum. Tales ſunt Senecæ, acutæ omnes & *Laconiſmis* exſplendentes, veluti Agamemnonis in Troadibus, ubi Sapiens ille Rex temerarias filii Achillis minas tribus verbis repreſſit: *Hos SCYROS animos!* hoc eſt, *non ne in mentem venit te ſpurium eſſe illius hominis effœminati, qvi in inſula Scyro una cum ancillis probroſiſſima Deidamia colum duxit? Unde igitur tanti ſpiritus?* Cui Pyrrhus ſtatim repoſuit: SCELERE, *qvæ fratrum vacat:* hoc eſt *ſi memoria Scyri ob patris inceſtum mihi erubeſcendum eſt, tibi multo magis Argi memoria pudenda eſt ob patris tui ſcelus, qvi fratri Thyeſti filios epulandos appoſuit.* Sic par pari retulit, & Rex indignabundus nihil profecit adverſus inſanum juvenem.

Ex hoc loco promanant illa dicta, qvæ latini vocant *Acumina* græci σκώμματα Itali *Mottipiccanti* Galli *Pointe.* Naſcuntur porro hinc *proverbia*, qvæ mentem tuam ſola indicare poſſunt, ut

CARPATHII LEPOREM pro damnum ſibi ipſi accerſere, qvod Carpathii feciſſe dicuntur, cum leporibus foris accerſitis tanta illorum copia domi ſuccreſceret ut coacti ſint emigrare. Hinc etiam *Synthemata ſententioſa*, ut illud Pythagoræ: CHOENICI NE INSIDEAS. Chœnix erat menſura cibi diurni, unde id docuit laborandum eſſe ei, qvi victum expetit. *Verba* porro omnia *ſymbolorum*, qvæ duas voculas verſus abrupti in medium jacientes reliqvas ſupplere te jubent. De hiſce ingenii operibus inter metaphoras propoſitionis agam.

Sed propriè ad hunc locum pertinent *notæ*, qvæ una litera vocabulum integrum ſignificant, in qvibus eſt metaphora verborum ſimplex veluti literæ S. P. Q. R. & aliæ, de qvibus dictum eſt. Talis erat nota LABARI & galeæ Conſtantini, ubi in memoriam *oſtenti* ſibi oblati exſtabat litera X. diviſa per literam R. qvibus Laconicè ſignificabatur CRUX CHRISTI. Vbi obſervamus divinum qvoddam myſterium qvod prima litera ſancti nominis *Xriſtus*, qvod *Regem* ſignificat, crucis figuram habet, & idem in cruce demum nomen regis accepit, & hoc crucis ſigno imperium Conſtantino portendit. Sic ſola figura literæ interdum *metaphoram* facit, qvemadmodum litera B. compedes furi minatus eſt qvidam, & de claro qvodam Doctore (cujus uxor non pauciores ipſo habebat diſcipulos) cum qvidam ex iis dixiſſet, *Certe Vir eſt multarum literarum?* alius (figuram digitis in fronte ſignans) *& maximè pythagoreæ* repoſuit, qvæ erat Y.

(144) Ar. 3. Rh. c. 10. Si per oppoſitionem dicuntur & 2. Rh c. 29. qvod per oppoſita dictum eſt id videtur Enthymema.

Tranſeamus ad metaphoram OPPOSITIONIS nec iſtam (144.) autori ignotam. Eſt enim in Oppoſitis vis qvædam enthymematica, qvæ non ſolum facit, ut acqvieſcat intellectus ſed ad aſſentiendum cogit. Hic recordari debes duplicem eſſe *contrapoſiti* reſpectum, alterum qvidem, qvi ad *concinnam verborum collocationem* pertinet, alterum qvi *acumen ſententiæ* ſpectat. Priori modo figura eſt harmonica, poſteriori ingenioſa, qvoniam contraria ſimul collata magis intellectum illuſtrant, ut idem (145.) monet. Pulcherrima Oppoſitorum ratio eſt iſta, qvæ eandem *vocem* repetit; veluti qvod iſte exemplum proponit: *Non oportet* PEREGRINVM *ſemper eſſe* PEREGRINVM. Vbi eadem vox ſibi ipſi contraria, primo ſignificat *extraneum*, deinde *imperitum*, in qvo exemplo cum oppoſitione

(145) Ar. 3. Rh. c. 2. Contraria ſimul collata maxime apparent.

Digitized by Google

tione concurrit homonymia, ut duplex ſit venuſtas, ut mox dicemus. Huc itaqve referuntur ea, qvæ duas voces tanqvam æqvivocas opponunt, ut Anagrammata, paronomaſiæ & omnes in verbis luſus, qvæ eccho referre videntur. Ut LAUDATOR *eſt* ADULATOR. Et hoc Senecæ de Canio loqventis, qvi mortis nuncium ludens exceperat, eoqve ſpreto in ludendo perrexerat: LUSISSE illum putas an ILLUSISSE? Et Poëtaſter qvidam, qvi verſibus Magnati cuidam dicatis nihil præter laudes retulerat: LAUDARE, *hic ſcit non* DARE. Et de milite luſore noſter eſt jocus. *Egli ſa meglio lanciare il* D A D O *che il* D A R D O. Et de muliere liberius vivente, qvæ tamen minio freqventer ora pingebat: *R U B E S C I T* non *E R U B E S C I T*. Et ejusmodi alia, qvorum exempla ſatis multa ſuppeditavimus inter *figuras harmonicas*. Unde autor noſter infert *hoc opus eſſe metaphora* qvoniam eadem ſententia aliis verbis explicata pretium & pulchritudinem amittit. Veluti acutiſſimam illam oppoſitionem (147.) *Dignum eſt M O R I antequam dignus ſis M O R I*, ſi ita explices: *Dignum eſt M O R I dum innocens es* ſenſus idem eſt, gratia non eadem. Similiter ſi dicta Italica latinè, aut latina Italicè convertas, plerumqve ſalem amittent ut Si Canii illud ſic Italicè reddas: *parti egli queſto, giocare, ò ſchernire?* Aut illud militis ſic latine transferres *aptior eſt alea quam telo*.

(147) *Ar. 3. Rh. c. 11.*

Eſt aliud genus pulchræ *oppoſitionis metaphoricæ* ab (148.) autore noſtro monſtratum, cum *poſitivo* jungitur *negativum* aut ejusmodi *poſitivum*, qvod alteri repugnat, ita ut alterum altero deſtruatur & utrumqve monſtroſum aliqvod compoſitum faciat, qvod novitate admirationem & admiratione delectationem pariat. Prioris exemplum eſt, inqvit idem ſi *poculum* vocas *N O N M A R T I S S C U T U M & teſtudinem L I R A M S I N E C H O R D I S*. Sic qvidam luſciniam vocavit *O R G A N O N S I N E F I S T U L I S M U S I C U M*. Et *Organum L U S C I N I A M S I N E P E N N I S*. Atqve huc pertinent *oppoſita privantia M E N S A M E N S & M U S A* ΑΜΟΥΣΑ id eſt *inelegans*, ut ſi Italice diceres *Verſi riverſi & Componimenti Scompoſti* (149.) Alterius generis exemplum erit ſi *mare* cum Lucretio voces CAMPOS NATANTES, aut cum Virgilio modeſtius CAMPOS LIQVENTES. Atqve hinc Nonius vocavit *nautas U N D A R U M A R A T O R E S*. In qvibus apparent duæ voces af-

(148) *Ar. Poët. c. 20. alio modo licet träslatione uti cum nominaverimus alienum qvippiam, aliqvid ejus proprium ab eo removentes.*

(149) *Ar. 3 Rh. c. 11. non ſimplex träslatio.*

firman-

firmantes qvæ ſimul conſiſtere non poſſunt. Sic *limpidæ aqvæ* dicuntur LIQVIDI CRYSTALLI, & contra poëta dixit *Chryſtallos* AQVAS CONGELATAS. *Et Congelatæ plus meruiſtis aqvæ.* Hinc Auguſtus Mæcenatem ſuum joco appellavit EBUR *ex Etruria*, qvoniam Tuſcis Regibus ſe prognatum eſſe jactabat, ſed innuere volebat eum potius à *porcino dente* cognominandum eſſe, qvo eboris genere tunc abundabat Hetruria. Porrò JASPIS *figulorum* & Cirneorum SMARAGDUS ejusdem ſunt generis. Atqve hoc modo ænigmata formantur argutiſſima & mirabilia, veluti illud de manu teſſeris in tabula ludente: *vidi carnem humanam oſſibus ludentem in campo ligneo.* Sed hæ propoſitiones egrediuntur qvaſi ſphæram metaphoræ ſimplicis, & ad ſecundam pertinent. Magis proprie huic loco conveniunt contraria una voce comprehenſa, ut *Antiphraſis* figura, (150.) qvo brevior eo acutior, qvam appellare licet *numiſma utraqve facie ſignatum.* Tales principio fuere, *voces* contrariæ ſententiæ: LUCUS *qvia minimè lucet*, PARCÆ *qvia non parcit*, MANES *qvia non ſunt manes.* Priſcis enim MANUM idem erat qvod *bonum.* Forte derivatum à Syriaco *Mann*, unde *Manna.* Sic qvibusdam nomina imponuntur contraria joci cauſa. Veluti ſi Maurum mancipium vocares *Candidum* aut Pigmæum Goliathum. Sic *Gigantes* NANI appellati ſunt & *nanus* aulæ dictus eſt ATLAS qvod riſum excuſſit Satyrico. Atqve hinc naſcitur lepos *Ironiæ* qvæ contrarium ſignificat ac dicit, ut Itali noſtri *valde ſapis, qui tam pulchram occaſionem amiſeris* pro valde deſipis. Et Virgilius de militibus Trojanis: *O verè PHRYGIÆ: neq; enim phryges.*

(150.) *Ar. 3. Rh. c. 11. Qvanto brevius & per oppoſitionem dicuntur tanto magis probātur.*

(141.) *Ar. 3. Rh. c. 11. Sunt etiā urbanitates per tranſlationem ex deceptione.*

Metaphorarum octava & ultima meli' ab autore noſtro qvam ab ullo priſco aut novo Rhetore obſervata eſt (151.) DECEPTIO, figura cavillatoria qvidem ſed lepidiſſima, & ut verbo dicam, *facetiarum & ſalium omnium mater.* Cujus virtus poſita eſt in eo ut opinionem fallat, qvæ ſententiam aliqvam exſpectat, cum alia non exſpectata reddatur. Unde fit, ut (152.) novitas rei improviſæ te oblectet & cum in aliis argutiis rem ipſam rideas, hic te ipſum tuumqve errorem rideas. Exemplum autoris qvod tamen græce prolatum melius qvadrat, eſt hoc, *Is lepide incedebat, geminos in pedibus geſtitans elegantiſſimos* PERNIONES. Vox Græca ſignificat morbum calcanei ex frigore læſi, qvem vocabulo à Gallis petito vulgo appellamus le MULE, ut ſi diceres: *Præteribat*

(152.) *Ib. qvia nova placēt ideo ſententiæ qvæ deſinunt prater opinionem, delectant.*

teribat elegans ille geſtitans in pedibus pulcherrimum par calcaneorum frigore correptorum cum intellectus exſpectaret *par ſandaliorum*. Aliud exemplum æmulus ipſius & tamen laudatus (153.) ab ipſo ſuppeditat Iſocrates, qvi principatum dixit *principium omnis MALI*, verbum qvod autor judicat facetiſſimum. *Qvod enim non putabatur dicturus, id dixit.* Potius dicere velle videbatur *principium eſt omnis amplitudinis.* Sic Martialis irridens Coramum, cujus vinum ex parva vinea collectum pluvia vaſis vinariis illabente dilutum fuerat, dixit: *Mirum! centum Coramus fecit* AMPHORAS AQVÆ. Ac ejusmodi facetiis ut pote ridiculis & popularibus florent Comœdiæ plautinæ, veluti ſalutatio illa Argyryppi: *Vale apud ORCUM.* Et alterius ſalutatio ad piſcatores: *Valete maritimi MURES, qvid agitis? ut* PERITIS? Ubi illi ex latini ſermonis conſvetudine exſpectabant: *ut valetis?* Et alius ſervus, qvi ad ſtimulos occalluerat, qvaſi heroica fortitudine glorians: *quis me vir fortior eſt ad ſufferendas* PLAGAS? Et ſenex ille acriter ſed facetè puero ſuo ſuccenſens: *Spero tibi eventuram hoc anno maximam meſſem* MALI. Cum ille audito verbo, Spero, meſſem frumenti non verberum exſpectaret. Et hujus generis maximam partem ſunt facetiæ Craſſi illius, qvi inter ridiculos maxime ſerius erat, qvem Cicero aliqvo loco imitatur, poſtqvam de ſpinis Grammaticorum locutus erat: *Verum ſi placet, qvoniam hac ſatis* SPERO *vobis qvidem* MOLESTA *videri, ad reliqva aliqvanto* ODIOSIORA *pergamus.* Qvo pertinet etiam hoc Boccacii, qvi de muliere fabulatus, eamqve deſcribens *non erat*, inqvit, *admodum Juvenis*, ATTAMEN *facie erat adeo deformi, ut nihil ſupra.* Nam poſt adverſativam illam attamen, alias dotes laudaturus videbatur præter ætatem.

(153) *Ar. 3. Rh. c. 11.*

Ad hæc *Epitheta* (154) lepidum ejusmodi errorem injiciunt, cum nobilitas & amplitudo ipſorum non reſpondet ſubſtantivo, cujus exemplum eſt apud auctorem ex Cleophonte ſumtum: *Et tu* VENERANDA DIVINA *ficus.* Unde *Marinius* noſter ridet Epitheta ab æmulo ſuo in *mundo creato* ſine judicio adhibita, qvi dixerat INCLYTAS *herbas*, SACROSANCTISSIMUM *pulmonem*, & BEATUM atqve BENEDICTUM SPLENEM. Et ſimiliter deceptio eſt in (155.) *actionibus & veſtitu* qvi non reſpondet perſonis, ut ſi diceres (qvod ejusdem eſt) *ſimiam pulſare teſtudinem* qvomodo poëta Ferrarienſis *vetulam* juveniliter

(154.) *Ar. 3. Rh. c. 3.*

Ad hæc in translationibus frigiditas fit cum non conveniat, qvoniam ridicula, ut Comici faciunt. Et ib. c. 7.

(155.) *Ar. 3. Rh. c. 11. Fingunt enim imaginem ſic velut ſimia pulſanti.*

niliter ſe comentem deſcribit: *Sic ornata videbatur ſimiola, qvam riſus concitandi cauſa aliqvis veſtiit.*

Sed alia ſpecies eſt *deceptionis* ferè falſior, qvæ metaphoris in ſpeciem honeſtis & ad laudem comparatis, revera vituperantibus te in errorem inducit. (156.) Atqve hæ ſunt ejus generis argutiæ, qvas non intelligimus, dum dicuntur, ſed *non multo poſt.* Sic qvidam blandiri viſus puellæ, qvæ bella & elegans haberi volebat revera luſit ipſam his verbis: *Tua nitet in fronte fulgor* AUREUS: ARGENTUM *in cirris:* SMARAGDUS *in oculis:* SAPHIRUS *in labris:* CHRYSOLITHUS *in genis: collum in* RESTI, hoc eſt, *collum in patibulo*, cum dicere debuiſſe videretur *collum in margaritis & gemmis.* Et Cæſar Auguſtus ut jam diximus hoc modo lepidè irriſit affectatas ſtili delitias Mæcenatis ſui, Epiſtolam claudens his blanditiis, qvarum ſingula translata ironicum morſum inferunt, *Vale* MELCULE, *ebur ex* HETRURIA, *lacer* ARETINUM, *adamas* SUPERNAS, *margaritum* TIBERNIUM, CIRNEORUM *Smaragde*, *Jaſpis* FIGULORUM, *Carbunculum* HABEAS, qvod dicere videtur *pretioſus es Carbunculus*, cum revera id dicatur: *Te peſtilentia invadat.*

(156.) *Ar. 3. Rh. c. 10. qvorum cognitio vel ſimul dum dicuntur fit vel non multo poſt mens ea conſeqvitur.*

Etiam in uno *verbulo* (157.) latet *deceptio*, cum ab una litera incipit, & in eam deſinit, qvam minimè exſpectabas. Tale exemplum eſt ſupra laudatum *Theodori*, qvi cum ſe dicere ſimularet TRATTISE dixit TRATTISES, ubi in poſtrema litera, ſicut in extrema cauda *Scorpii*, venenum latet. Aliud non minus pungens verbum ſuppeditat nobis acutus Ariſtophanes, qvod in Cleonem Athenienſium Imperatorem, cum calami adhuc eſſent liberi, impunè jecit. Cum enim bellator is auri magis qvam ferri ſtudioſus eſſet, & Muſica ſimul delectaretur, poëta dicturus videbatur, *me hercule aliis melius didiciſti* DORICUM, qvi erat modus muſicæ, ſed poëta pro δωριστί qvod exprimit illud *Doricum* dixit: δωροδοκιστί, qvod ſignificat, donis corruptum. Sic etiam ejusmodi verbis inter Latinos luſit argutiſſimus Plautus, apud qvem *ſenex* iratus ſervo facetè minatur in hunc modum: *At ego per crura & talos tergumq; obteſtor tuum, ut tibi uberem eſſe ſperes* VIRGIDEMIAM, cum exſpectaretur *vindemiam.* Cujusmodi ſalibus hodierni Comici aſpergunt ſententias eorum, qvos inducunt Doctores, & *ignorantia* condiunt *ſapientiam.* Sic Gratianus filium malè moratum corrigens, *Non habeo, qvod dicam, mi fili, niſi* APO-

(157.) *Ar. 3. Rh. c. 11. In ſalibus qvi ex literarum qvadam fiunt depravatione. Decipitur enim auditor.*

STEMA

STEMA (pro *Apophthegma*) *ſapientis* GREPPIÆ (pro Græciæ) *reſpice* FUNEM (pro *finem.*)

Ex hoc fonte proficiſcuntur miræ & inſperatæ interpretationes ***notarum & literarum initialium***, veluti iſta qvatuor literarum A. F. P. R. qvas Caninius lepidè interpretatus eſt, ut ſupra diximus. *Correctiones* qvoqve acutæ & pungentes, qvam in medio orationis curſu metaphoram veluti fugiendo projicis, qva poſtea ad proprium ſenſum revocata, aculeum *metaphora* oſtendis, veluti hæc Ciceronis, qvæ cum in verbo errare videatur, peſſimum qvod dici poteſt, ſignificat: *qvod qvidem facerem vehementius, niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris VIRO: fratrem volui dicere. Semper hic erro. Et inverſæ interpretationes* diverſi idiomatis, commentum argutiſſimi Plauti in Pœnulo, ubi Milphio ſtolidus & arrogans *Pœni* interpretem ſe gerens, cum hic lingva ſua diceret: *Mebarbocca:* iſte ſic explicabat:

Miſeram eſſe prædicat buccam ſibi,
Fortaſſe medicos nos eſſe arbitratur.

Unde hodierni Gratiani ſuas inverſiones didicerunt, veluti iſte, qvi puerum comparare juſſit carnem ſalitam braſſicæ inſerendam, autoritate uſus eſt hujus verſus:

Triſte miniſterium viridi ſine carne ſalutis.

Qvem ſic explicavit:

Triſta la mineſtra di verze ſenza carne ſalada.

Hæ ſunt octo ſpecies METAPHORÆ diverſis locis ab autore noſtro obſervatæ, qvarum qvælibet fœcunda eſt argutiarum mater. Videlicet:

METAPHORA.
1. SIMILITUDINIS, *homo qvadratus.*
2. ATTRIBUTIONIS, *regnat gladius.*
3. HOMONYMIÆ, *jus Verrinum malum.*
4. HYPOTYPOSIS, *pontem indignatus Araxes.*
5. HYPERBOLES, *inſtar montis eqvum.*
6. LACONISMI, *Carpathii leporem.*
7. OPPOSITIONIS, *Mens amens.*
8. DECEPTIONIS, *Vale apud Orcum.*

Digitized by Google

Qvod ſi mavis unam *vocem* per omnes haſce formas ducere, en tibi exemplum in nomine ROMA, qvo non aliud eſt celebrius.

Ex *ſimilitudinis Metaphora* dici poterit, URBIUM SOL. Sic enim Roma inter urbes, ut Sol inter ſtellas ſplendet. Unde diceres: *Urbium cæterarum nitorem Tiberini ſolis fulgor infuſcavit.*

Ex *metaphora attributionis:* CAPITOLIUM videlicet partem pro toto. Ut ſi dicas: *montes omnes capitolio deceſſerunt.*

Ex *metaphora homonymiæ:* VALENTIA Græcum enim nomen ῥώμη *Valentiam* ferè ſignificat, ut fatali conſilio hoc nomen impoſitum videatur, ne qvis barbarus Romam nominare poſſet, qvin valentem & robuſtam confiteretur. Unde dicere liceat: *qvis iſti urbi prævaleat? Valentia eſt.*

Ex *metaphora hypotypoſis* POPULORUM TRIUMPHATRIX. Sic enim oculis ſubjicitur actio, qvæ unqvam fuit glorioſiſſima, videlicet *triumphus.* Sic diceret aliqvis: *Arduas Regum cervices ferrato curru populorum triumphatrix proculcavit.*

Ex *metaphora hyperboles* ALTER ORBIS, tanqvam murorum ampliſſimus ambitus, & incolarum infinita multitudo orbem urbi incluſiſſe videatur. Unde dicere poſſumus: *miratur orbis altero ſe in orbe concludi.*

(158.) *Ar. 3. Rh c. 11. quanto plura contineat tanto urbanio videtur. Ut ſi ea verba per translatiorum ſint & translatio ex proportione & ſi oppoſitum inſit, & hypotypoſis.*

Ex *metaphora Laconiſmi* unica litera R loco nominis integri. Hæc enim litera ſignis inſcripta Sabinos magis terruit, qvam ſigna ipſa, ſic diceres: *Ne qvicqvam de imperio decertatis Sabini: Rho Sigma antecedit.*

Ex *metaphora oppoſiti* ANTICARTHAGO, tanqvam fatis ad evertendum Africæ imperium ſibi æmulum deſtinata. Ut ſi ſic diceres: *Carthaginem ſuis è montibus* Anti *Carthago fulminavit.*

Ex *metaphora deceptionis* ROMULA. Cum enim magnificum Romæ nomen ſonare audimus, poſtea diminutivum accipimus fundatoris humilitati reſpondens. Prorſus enim cum conderetur, dicta fuit ROMULA, poſtea vero ROMA: ne potentiæ famam vox deminutiva minuere videretur. Unde ſic diceres, *qvid eſt cur ingenti de imperio ſuperbias Romula?*

Sæpius qvidem plures metaphoræ ſpecies in unam vocem concurrere videas. Qvæ qvò plures ſunt, eò ingenioſior (ut (158.) autor docet) & argutior tua erit oratio. Hinc inter metaphoras ignobi-

gnobiliores hanc refert: HOMO QVADRATUS, pro *conſtanti:* Qvanqvam enim translatio ex *proportione* ſatis pulchra ſit, nulla tamen admixta eſt *hypotypoſis, quia nihil gerentem ſignificat.* Et contra in hac Iphicratis translatione: (159.) *Via eſt mihi orationis* PER MEDIAS *res Chareris.* Et in iſta (160.) Æſionis: *Græciam in Siciliam* EFFUDERUNT. Majorem venuſtatem deprehendit ob *metaphoram proportionis* cum hypotypoſi conjunctam. Qvin in proverbio modo laudato CARPATHII LEPOREM (161.) *metaphoram ſimilitudinis & Laconiſmi* obſervat idem. Et in hoc ejus exemplo: (162.) *Non oportet* PEREGRINUM *ſemper eſſe* PEREGRINUM, laudat *æqvivocum oppoſito* mixtum. Sed ampliſſime laudat hoc Iſocratis in eos, qvi pugna Salaminia ceciderant: (163.) *Dignum eſt Græciam ad eorum tumulum crines incidere: qvia cum illorum* VIRTUTE LIBERTAS *quoque* SEPULTA *eſt.* Nam ſi dixiſſet tantum: *virtus ſepulta eſt,* duæ eſſent elegantes metaphoræ, altera *proportionis*, altera *hypotypoſis.* Sed dicens *libertas cum virtute ſepulta eſt* adjicit tertiam ex oppoſitione urbanitatem, qvæ reliqvarum pretium auget. Sic in iſtum cui facies ſugillata: *Exiſtimaſſes eum eſſe calathum plenum moris:* *ſimilitudinem* vides, *hyperbolen & hypotypoſin* qvam efficit color vitii.

(159.) Ar. 3. Rh. c. 10.
(160.) 3. Rhet. c. 11.
(161.) Ar. ibid.
(162.) ib.
(163.) ib.

Atqve hæc mixtio obſtitit qvò minus Rhetores figuras ingenioſas ſuis qvasqve *generibus* reddere poſſent. Unde ipſe Cicero de *dictis argutis* præcipiens, multis acutiſſimis, pro ut in mentem veniebant, relatis, ingenue fatetur hæc ad ſua *genera & ſpecies* certas velle revocare eſſe opus infinitum & humano ingenio majus. Unde ipſe non *ingenioſas* figuras modo inter ſe ſed cum *patheticis & harmonicis* qvoqve permiſcet & confundit.

At ſi mecum Oraculum qvod nihil ignorat atqve *philoſophico ſuo conſpicillo* minutias Rhetoricas planè perſpexit, atqve uno verbo plus, qvam integris libris alii dixerunt, conſulis: primum animadvertes, ab ipſo nobis SUMMUM GENUS omnis *ingenioſæ figuræ* ſuppeditatum eſſe. Poſtea OCTO SPECIES ab ipſo ſparſim indicatas perfecte *ſummum* illud *genus* dividere. Deniqve SPECIES INFIMAS & ſingulares qvaſi, in qvas hæ OCTO ſubdividuntur, ita ut nullum librum legas, metaphoram fœcundo tuo ingenio excogites nullam, qvin natales ejus agnoſcas, & ad qvod *genus* aut qvam *ſpeciem* illa referenda ſit ſcias.

Revertendum itaqve nobis eſt ad *principium philoſophicum*, qvod (164.) idem in veſtibulo ponit tractationis de Urbanitate, qvæ non alia eſt qvam *metaphora ingenioſa* qvam eruditè inqvirens in hunc modum philoſophatur:

Faciliter (165.) Discere Omnibus A Natura Suave Est. Qvo igitur plures ſunt res & magis novæ, qvoqve velocius diſcuntur eo major eſt ſvavitas & oblectatio. Hinc infertur, (166.) *ſicuti verba ſunt inſtrumenta notitiæ parandæ: ſic ea verba, qvæ* (167.) *propria ſunt, & ante cognita*, (168.) *ſuperficiaria item, qvæ nihil præter rem nudam ſignificant, nec ingenioſa eſſe nec urbana.* Et contra *verba, qvæ extra vulgarem uſum rès nobis* (169.) *celeriter exhibent, alteram in altera: neceſſario magis ingenioſa eſſe & auditu gratiora.* Et doctrinam hanc exemplo illuſtrans: Senectus, inqvit, *non eſt vox urbana nec ingenioſa, ſed propria & ſuperficialis, qvoniam rem unam animo repræſentat, eamqve ſatis cognitam At qvi* (170.) Stipulam *vocat urbanè & ingenioſe locutus fuerit cum multas res uno verbo doceat, videlicet ſenectutem caducam & ſtipulam, qvæ defloruit*, atqve hæc introſpicere ut poſſim, ſagaciſſimi ingenii commentum efficit, qvod non aliud eſt (171.) niſi Metaphora in qva neceſſario concurrunt hæ tres virtutes: *brevitas, novitas, claritas.*

Brevitas, qvatenus in unam vocem plures qvam unam notionem congregat, atqve alterius coloribus alteram pingit. Nam ſi ita diceres: *Sicuti* Stipula *eſt culmus frumenti antea viridis & vegetus, nunc exſuccus & ſterilis: ſic* Senectus *eſt defectus vigoris in corpore olim robuſto & vegeto.* Hæc qvidem pulchra eſſet *Comparatio*, Imago (172.) & Metaphora non eſſet, cum res omnes ſuis qvæqve verbis propriis ordine ſignificentur. Sed (173.) Metaphora omnes in unum cogit vocabulum, & admirabili modo alteram in altera cognoſcendam præbet. Unde (174.) major naſcitur oblectatio, qvomodo & curioſius eſt ac jucundius multa artificio Opticæ exhibita aſpicere, qvam illa ipſa ordine prætereuntia oculis uſurpare, qvod

Opus

(164.) *Ar. 3. Rh. c. 10.* (165.) *Ar. ibid.* (166.) *Ib. verba autem aliqvid ſignificant.* (167.) *Ib. propria & noſtratia ſcimus.* (168.) *Ib. Superficiaria ſunt in qvibus nihil qværere oportet.* (179.) *Ib. qvare neceſſe eſt urbana eſſe verba qvæ velocem nobis cognitionem faciunt.* (170.) *Ib. nam cum ſenectutē qvis ſtipulam dicit disciplinam per ſenectutem facit qvia utraqve defloruerunt.* (171.) *Ibid. translatio autem hoc maxime facit.* (172.) *Imago minus ſvavis eſt qvam translatio qvoniam longior.* (173.) *Ar. 3. Rh. c. 11. qvanto plura contineat, tanto urbanius.* (174.) *ibid. qvanto brevius tanto magis probantur.* (175.) *Ar. 3. Rh. c. 10. poſſe urbanè dicere ingenioſi eſt aut exercitati. Et. c. 11. in-*

opus eſt, (ut (175.) autor noſter dicit) non ſtupidi ſed acutisſimi ingenii.

Ex *brevitate* naſcitur Novitas. Metaphora enim tuus proprie eſt partus (176.) nec Latinis Lexicis familiaris. Et ſi enim vox Stipula vulgaris ſit, & ruſticis qvoqve cognita: pro Senectute tamen vox eſt ſignificatu nova, eoqve reliqvis verbis factis in qvæ antea diviſimus *vocabula peregrina*, (177.) popularior & gratior qvod in his ſonus ſit notus, ſignificatio nova, in illis ſignificatio eſt nota, novus vero ſonus. Atqve hinc eſt oblectatio qvæ parvo ſæpe riſu cognoſcitur, qvoties pulchram & congruam metaphoram audimus (178.)

Ex duabus his virtutibus naſcitur tertia videlicet Caritas. Objectum (179.) enim unum altero illuſtratum non aliter ac lumen cadit in intellectum, & novitas parit *admirationem*, qvæ eſt attenta qvædam animadverſio, qva res menti altiùs imprimitur. Unde voces (180.) metaphoricas memoriæ firmius inhærere ſentimus, manifeſto indicio, eas clarius perceptas mentiqve impreſſas eſſe. Et ſi vero non nullæ forte metaphoræ difficulter primum intelliguntur, ut *ænigmata & Laconiſmi*: (181.) ſimulac tamen in ſententiam eorum penetravimus, multo ea clarius firmiusqve menti infigitur, ac ſi verbis communibus eſſet recitata. Sic igitur metaphora appellari meretur *urbanitas ingenioſa, mentis enthymema, argutum acumen, & lumen orationis.*

Sic igitur in luce poſita eſt vera & non vulgaris *metaphoræ* definitio, qvæ eſt Vox Peregrina Rem Alterius Rei Beneficio Velociter Significans. Atq; hæc ipſa definitio eſt Summum illud Genus qvod qværebamus.

Hoc igitur *conſpicillo Ariſtotelico* perſpicuè dignoſcere incipies metaphoræ à reliqvis eloqventiæ humanæ figuris *differentias.*

VOX) hæc metaphoram diſcernit ab *oratione continua*: ſed hâc comprehendimus etiam *verba muta* ut *geſtus metaphoricos* & reliqva omnia inſtrumenta argutiarum, de qvibus ſuo loco dictum eſt. Porro VOCE intelligitur omnis *flexio grammatica* unde eadem metaphorica

multo diverſis perſpicere ingenioſi eſt atq; ſolertis.

(176.) *Neque eſt accipere ipſum ab alio.*

(177) *Ar. 3. Rh. c. 2. Celātur facile ſi qvis ex conſvetis eligens componat.*

(178.) *Ib. elocutionis virtus diluciditate definiatur.*

(179.) *Ar. 3. Rh. c. 11. qvanto brevius tāto magis probātur, quia major diſciplinatio fit, & qvoniam paucis ideò citius.*

(180.) *Ar. 3. Rh. c. 9. dilucida vero qvoniam memoria facilius retinentur.*

(181.) *Ar. 3. Rh. c. 11. qva comprobantur ænigmata jucunda ſunt diſciplinatio enim fit.*

phorica vox *mœror ſubſtantive* occurrit apud Senecam: *cuncta MOERORE horrida, adjective* apud Lucanum: *nec Græcia MOERENS*, verbum apud Claudianum MOERENT *captiva polluto judice leges*. Adverbium apud plautum: *Obſecro tam MOESTITER veſtitas?* Et ſic alii modi de qvibus ſupra. Nonnunqvam una metaphora duas aut plures voces amplectetur, ut iſta de teſtudine: *Lyra ſine chordis*, & de luſcinia: *organum alatum.* Vox Peregrina Significans) hæc particula metaphoram diſtingvit ab aliis figuris, qvarum vis propriè non eſt poſita in *novitate ſignificationis ingenioſa* ſed vel in lepida *verborum collocatione, ut HARMONICÆ*, vel in vivido *animorum motu*, ut PATHETICÆ, qvanqvam cum iſtis metaphora nonnunqvam concurrat, cum nihil repugnet, qvo minus, qvod metaphoricum eſt, aut concinnè exprimatur, aut modis illis, qvos enumeravimus, patheticis varietur. REM ALTERIUS REI BENEFICIO VELOCITER SIGNIFICANS) hæc particula metaphoram à *ſimplici* VOCE PEREGRINA ſeparat. Et ſi enim *lilium* ALPUM antiqvè, *lilium* ΛΕΥΚΟΝ græcè, *lilium* ALBICANS derivatè, aut *lilium* ALBICOLOR compoſitè, voces ſint *peregrinæ* & ingenio qvodam *figurata* qvatenus pro voce propria ALBUM adhibentur, atqve adeò latiſſimo ſenſu & ipſæ poſſint dici METAPHORÆ: nihilominus *Grammaticæ* tantum erunt *Metaphoræ*, qvæ rem ipſam in ſe nudè ſignificant. Sed lilium NIVEUM, utut vox ſit ſono familiaris, *Rhetoricè* tamen rem unam alterius ope ſignificat, videlicet candorem *lilii* candore *nivis*; qvæ eſt *metaphora ſimilitudinis.*

Reperto GENERE SUMMO eodem *conſpicillo philoſophico* diſtinctè agnoſces SPECIES GENERICAS ab autore noſtro enumeratas & rationem veram cur octo ſint non plures. Sicuti enim *metaphoræ* eſſentia in eo poſita eſt, *ut objectum per* eam *facile cognoſcatur*: ſic duæ ſolæ rationes ſunt objecti alicujus remoti facile cognoſcendi, altera ABSOLUTA altera COMPARATA. Abſoluta qvidem cum objectum eſt adeò ingens, ut oculus illud vel procul aſſeqvatur: ut *Coloſſus Caretis* qvi ſeptuaginta cubitos in altum ſurgebat. Et hæc eſt HYPERBOLE aut qvando ita eſt perſpicuum, ut ſua luce ultrò in oculos noſtros incidat; veluti luna, qvæ tantum à nobis videtur qvantum à ſole illuſtratur, & hæc eſt HYPOTYPOSIS. *Comparativa* autem, qvando rem vel ſimilem vel contrariam vel conjunctam exhibes.

hibes.

Digitized by Google

hibes. *Simili*, qvomodo hominem ex imagine ſua agnoſco, & hæc eſt metaphora SIMILITUDINIS. *Contraria*, qvomodo melius candorem percipio *nigroris* oppoſitu, & hæc eſt metaphora OPPOSITIONIS. *Conjuncta*, qvomodo cervum ex veſtigiis cognoſco, & hæc eſt metaphora ATTRIBUTIONIS. Sed hi tres *comparandi* modi iterum dividuntur. Qvodſi enim ſimilitudo eſt in nomine in re non item, erit HOMONYMIA. Et Contrarietas ſi non ſit inter res, ſed inter rem & *opinionem* meam, erit DECEPTIO. Et Conjunctio ſi profundam reqvirit *intellectus conſiderationem*, erit LACONISMUS. Has igitur octo ſpecies, ſi ramis ſuis explicatas videre cupis, en typum:

- *Ratio rem aliqvam cum facilitate cognoſcendi*
  - ABSOLUTA
    - *Magnitudine* — HYPERBOLE.
    - *Claritate* — HYPOTYPOSIS.
  - COMPARATA.
    - *Simili*
      - in re — METAPHORA SIMILITUDINIS
      - in nomine — HOMONYMIA.
    - *Contrario*
      - in objecto — OPPOSITIO
      - in opinione — DECEPTIO.
    - *Conjunctione*
      - plana & ſuperficiali — METAPHORA ATTRIBUTIONIS.
      - profunda & involuta — LACONISMUS

En œconomiam *octo metaphorarum*, qvæ ab autore noſtro fortuito diſperſæ videbantur. Ex qvo agnoſcere licet profunditatem illius ingenii, qvod veluti projicit duo verbula *definitionis*, qvæ vulgo nullius pretii videntur, & rem omnem continent. Nunc ſicuti ex *definitione generis ſummi* invenimus omnes Species Genericas: ſic reperta harum qvoqve *definitione* tam facile tibi erit unam qvamqve partiri in Species Infimas, qvam ſummis *ingeniis* hoc ſemper arduum, imo impoſſibile viſum eſt.

METAPHORA PRIMA
PROPORTIONIS SEU SIMILITUDINIS.
Cap. IX.

HÆc eſt Vox Ingeniosa, Qvæ Rem Ex Re Simili Velociter Cognoscendam Præbet. Sicuti enim duæ res ſimiles in uno tertio neceſſario conveniunt veluti *ſcyphus & ſcutum* in *rotunditate:* ſic cum in uno tertio eadem fiant, inter ſe qvoqve eadem videntur ſecundum axioma Geometricum: *Qvæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Unde metaphora non dicet: *ſcyphus eſt ſimilis ſcuto*, ſed Scyphus Est Scutum, alterum de altero affirmans. Qvod ſi igitur omne ſimile neceſſario ob rem aliqvam eſt ſimile, & res omnes decem *Categoriis*, de qvibus dixi, continentur percurre Indicem tuum Categoricum, & qvot ſunt iſtæ, tot etiam ſpecies in ſimas cujusqve metaphoræ conſtitues. Qvædam enim res ſibi ſimiles erunt Substantia, qvædam Qvantitate, qvædam Qvalitate qvædam Relatione Actione, Passione, Situ, Tempore, Loco, vel Motu & Habitu. Sic igitur decem ſunt & hujus & aliarum metaphorarum Species Minores, aut etiam undecim, ſi *motum à loco* ſepares. Unius cujusqve exemplum dabo, qvo ad meliora excogitanda provoceris, dum modo cum Dialecticis nullum ſcrupulum foveas utrum inter *ſpeciem & ſpeciem* ſimilitudo intercedat an identitas, qvoniam hoc, ubi de re ipſa conſtat, nihil refert.

Eſt

Eſt igitur prima ſpecies METAPHORÆ SIMILITUDINIS appellare *SUBSTANTIAM* alterius ſubſtantiæ nomine, qvæ ſub eodem genere ſeu *univoco* ſeu *analogo* continetur. Sic Homerus *metallum* pro *metallo* poſuit in exemplo ab autore laudato, & in alios libellos Rhetoricos tranſcripto: *Abſtulit ÆRE animam*, qvanqvam vis exempli apud autorem poſita ſit in voce ABSTVLIT, qvæ *actionem* refert. Et Lucretius *aqvam pro aqva* accepit *lacrimas* vocans guttas, qvæ de frigidis cavernis decidunt: *Uberibus FLENT omnia guttis.* Et ſimiliter thus & Balſamum Poëtæ vocant, *lacrymas Sabaas & palaſtinas*. Et contra lacrimas, *ROREM amarum & calidam PLUVIAM oculorum*, & *BALSAMUM animæ pœnitentis.* Sic *aerem* pro *aere*: Horatius *ANIMÆ Thraciæ* ab *halitu humano* ad ventum Aqvilonarem ducta metaphora. Et Virgilius *ventum* pro *vento*: *Dare claſſibus AUSTROS*, ponit enim Auſtrum pro Aqvilone, qvi Thracia Delum petentibus ſecundus eſt. *Et ignem* pro *igne* ut: *Sicula FORNAX* pro Ætna, *& plantam* pro *planta* Unde Virgilius lignum eqvi Trojani modo *abietem* modo *qvercum* vocat, *& volat lethalis ARUNDO*, arundinem pro *corno* accipiens. Et *materiam* pro *materia*, ut Catullus pro *trunco* vitis: *ſed tenerum prono deflectens pectore CORPUS.* Ovidius ſimiliter lapides vocat OSSA *terra*, *& ſuccum VIRIDEM herbarum SANGUINEM.* Et Seneca feram pro fera, leonem ſcilicet NEMEUM pro Cleoneo, cujus ſpoliis Hercules ſe veſtivit Et Marinius feram LERNÆAM pro fera NEMEA, id eſt, hydram pro leone. Ob qvam licentiam Apologiam virulentam ſcripſit. Virgilius *aprum* SABELLICUM pro qvocunqve alio. Pindarus CERVAM pro Cervo, cui aurea cornua impoſuit, ab (182.) autore noſtro in Poëtica excuſatus & magis excuſandus qvod cœcus fuerit, qvem tamen imitatus eſt oculatus & ſapiens poëta:

Vidi una Cerva con due corna d'oro.

Sed in his metaphoris judicium adhibendum eſt ne tale *adjectivum* ſubſtantivo adjiciatur, ut metaphora fiat *eqvivoca* veluti LETHALIS *arundo* Virgilii ſatis indicat non eſſe communem arundinem. Et ſi diceres *audivi Organon in arbore*, nec adjiceres ORGANUM ALATUM nunqvam intelligerem de luſcinia te loqvi.

Hæ ſunt metaphoræ à *ſubſtantia ad ſubſtantiam*, qvæ *genere univoco*

(182.) Ar. Poët. c. 23. Levius eſt ſi cervam cornua non habere ignoraverit qvã ſi non bona imitatione deſcripſerit.

Digitized by Google

(183.) Ar. 3. Rh. c. 11. in multo diverſis proportionem perſpicere ingenioſi eſt atqve ſolertis.

voco certo modo continentur. Sed ingenioſiores ſunt (183.) dicit idem qvæ ex *genere analogo* ducuntur, ut pote qvod à ſenſibus remotius eſt & ſæpe nomen non habet. Veluti à ſubſtantia *phyſica* ad moralem, à concreta ad abſtractam, à *corporea* ad ſpiritualem & contra. Atqve hæ ſunt veræ metaphoræ proportionis, ex cujus metamorphoſi nata eſt decantata ſed inutilis metaphorarum diviſio *ab animato ad animatum, ab animato ad inanimatum* & contra, cum parum proſit noſſe, qvomodo remota differant ſubjecta, niſi cognitas habeas ſpeciales categoriarum differentias, in qvibus fontes ipſi latent. Similis generis eſt uſitata hæc phraſis MATERIA & OSSA *orationis* pro argumento & partibus. Et Enthymemata qvæ ſunt orationis *ſubſtantia*, à Cicerone dicuntur SANGVIS & NERVI orationis. Et ICTorum CORPUS *delicti*, qvo Livius utitur pro factione: *ſui* CORPORIS *creari regem volebant*, innuens populum eſſe magnam belluam. Et ex hoc genere naſcuntur imagines, qvæ viſui repræſentant *eſſentias materiæ expertes*, ut *divinitatem angelos, animas, dæmones*, *ſub humana* aut ferina ſpecie: aut *Metaphyſicas & abſtractas* ut *ideas* ſubſtantiarum, *tempus* filios ſuos devorans imagines *civitatum* aut *partium orbis terræ* ſub ſpecie *mulierum* aut *heroum* vario ornatu, vel *morales* ut icones virtutum, vitiorum, muſarum & ſic in aliis Categoriis, qvanqvam hoc miraculum propriè ſibi vendicet *hypotypoſis* mater mutæ & loqventis picturæ, qvæ videri facit, qvod videri neqvit, ut dicemus.

Secunda ſpecies metaphoræ ſimilitudinis voces transfert à QVANTITATE ad QVANTITATEM, figura multo vividior & jucundior, qvoniam magis ſentimus accidentia qvam ſubſtantias. Hujus plurima exempla, qvantum ad magnitudinem rerum & parvitatem, ſupra dedi cum *nanus* appellari poſſit ATOMUS *animata* & *Gigas* MACHINA *carnis humanæ.* Sic Columella grandes Indiarum beſtias dixit *mirabiles ferarum* MOLES. Sed pulcherrimæ ſunt illæ Metaphoræ, qvæ ducuntur à remoto genere Analogo, veluti à qvantitate molis ad qvantitatem virtutis, & ab *extenſiva* ad *intenſivam*, ut in ſcholis loqvimur unde dicitur: *Animus* ALTUS, *Spes* BREVES, *ingenium* VASTVM, TVMOR *ſuperbiæ*, COLOSSOS *in aëre fabricari* de conſiliis nullo fundamento ſubnixis. Hinc Ovidius: MOLES *Romani nominis urget*. Et Qvintilianus: *in FASTIGIO*

Eloqven-

Digitized by Google

Eloqventiæ ſtetit Cicero. Et hinc derivantur in lingvis vulgaribus *honorum tituli GRANDEZZA, ALTEZZA, ECCELLENZA, EMINENZA* VOStra.

A pondere qvoqve hanc metaphoram accepit Seneca: *curæ* LEVES *loqvuntur* GRAVIORES *ſtupent: Et: probris omne Phœbeum genus* ONERAT *profundis*, qvod eſt pondus adjicere nihilo. Et Servus Plautinus: *illæc* MACHINA *meas* ONERABIT *ſcapulas* i. e. *hi doli ſcapulas onerabunt virgis.* Sic etiam de gravi negotio aut munere dicimus ONUS GRAVE *ſuſtinere* qvod locum dedit fabulæ de Atlante, qvi *globos cœli* i. e. ſummum imperium ſuſtinebat.

Figuræ qvoqve eleganter *à ſpecie ad ſpeciem* transferuntur, ut dictum eſt de *ſcypho & ſcuto.* Similiter ob rotunditatem *ſolem* dicimus PUPILLAM COELI, & *pupillam* SOLEM VISUS. Et ob figuram crinitam *flores* vocantur STELLÆ *pratorum & ſtellæ* FLORES *cœli.* Ob figuram curvam reciprocè dicitur *tauri* LUNATA *frons & Lunæ* CORNUTA *facies*, qvæ multas imagines terris impreſſit. Et ob figuram *aduncam* Ovidius *hamum* accepit pro articulo rapaci in eleganti hoc verſu:

Canities pennis, ungvibus HAMUS ineſt.

Porrò à genere analogo ſunt *animus* QVADRATUS, *ingenium* ACUTUM vel RETUSUM *& ire per* ANFRACTUS id eſt aſtuta circuitione uti: & Auguſtus dicebat: *aureo* HAMO *piſcari* eos, qvi donis gratiam captant. Et hac figura Græcus qvidam lepido ornavit naſum ingentem & incurvum alicujus, cui nomen erat Caſtori:

Caſtoris eſt naſus FODIENDIS commodus arvis
Ad meſſem FALX eſt, inq; ſopore TUBA.
ANCHORA navigiis, condenti ſemen ARATRUM.

Idem dico *de menſuris.* Unde eſt pulcherrima hæc Virgilii metaphora: METIRI *Claſſibus æqvor.* Et à genere analogo remotiori: *animus magnæ fortunæ* CAPAX & Plinius: *agere* MENSURAM *ſui ipſius* id eſt ſeipſum cognoſcere &c.

(183.) Ar. 3. Rh.c.11. in multo diverſis proportionem perſpicere ingenioſi eſt atqve ſolertis.

voce certo modo continentur. Sed ingenioſiores ſunt (183.) dicit idem qvæ ex *genere analogo* ducuntur, ut pote qvod à ſenſibus remotius eſt & ſæpe nomen non habet. Veluti à ſubſtantia *phyſica* ad moralem, à concreta ad abſtractam, à *corporea* ad ſpiritualem & contra. Atqve hæ ſunt veræ metaphoræ proportionis, ex cujus metamorphoſi nata eſt decantata ſed inutilis metaphorarum diviſio *ab animato ad animatum, ab animato ad inanimatum* & contra, cùm parum proſit noſſe, qvomodo remota differant ſubjecta, niſi cognitas habeas ſpeciales categoriarum differentias, in qvibus fontes ipſi latent. Similis generis eſt uſitata hæc phraſis MATERIA & OSSA *orationis* pro argumento & partibus. Et Enthymemata qvæ ſunt orationis *ſubſtantia*, à Cicerone dicuntur SANGVIS & NERVI orationis. Et ICTorum CORPUS *delicti*, qvo Livius utitur pro factione: *ſui* CORPORIS *creari regem volebant*, innuens populum eſſe magnam belluam. Et ex hoc genere naſcuntur imagines, qvæ viſui repræſentant *eſſentias materiæ expertes*, ut *divinitatem angelos, animas, dæmones, ſub humana* aut ferina ſpecie: aut *Metaphyſicas & abſtractas* ut *ideas* ſubſtantiarum, *tempus* filios ſuos devorans imagines *civitatum* aut *partium orbis terræ* ſub ſpecie *mulierum* aut *heroum* vario ornatu, vel *morales* ut icones virtutum, vitiorum, muſarum & ſic in aliis Categoriis, qvanqvam hoc miraculum propriè ſibi vendicet *hypotypoſis* mater mutæ & loqventis picturæ, qvæ videri facit, qvod videri neqvit, ut dicemus.

Secunda ſpecies metaphoræ ſimilitudinis voces transfert à QVANTITATE ad QVANTITATEM, figura multo vividior & jucundior, qvoniam magis ſentimus accidentia qvam ſubſtantias. Hujus plurima exempla, qvantum ad magnitudinem rerum & parvitatem, ſupra dedi cum *nanus* appellari poſſit ATOMUS *animata*, *& Gigas* MACHINA *carnis humanæ.* Sic Columella grandes Indiarum beſtias dixit *mirabiles ferarum* MOLES. Sed pulcherrimæ ſunt illæ Metaphoræ, qvæ ducuntur à remoto genere Analogo, veluti à qvantitate molis ad qvantitatem virtutis, & ab *extenſiva* ad *intenſivam*, ut in ſcholis loqvimur unde dicitur: *Animus* ALTUS, *Spes* BREVES, *ingenium* VASTUM, TVMOR *ſuperbiæ*, COLOSSOS *in aëre fabricari* de conſiliis nullo fundamento ſubnixis. Hinc Ovidius: MOLES *Romani nominis urget.* Et Qvintilianus: *in FASTIGIO*

Eloqven-

Digitized by Google

Eloqventia ſtetit Cicero. Et hinc derivantur in lingvis vulgaribus *honorum tituli GRANDEZZA, ALTEZZA, ECCELLENZA, EMINENZA* VOStra.

A pondere qvoqve hanc metaphoram accepit Seneca: *curæ* LEVES *loqvuntur* GRAVIORES *ſtupent: Et: probris omne Phœbeum genus* ONERAT *profundis*, qvod eſt pondus adjicere nihilo. Et Servus Plautinus: *illac* MACHINA *meas* ONERABIT *ſcapulas* i. e. *hi doli ſcapulas onerabunt virgis.* Sic etiam de gravi negotio aut munere dicimus ONUS GRAVE *ſuſtinere* qvod locum dedit fabulæ de Atlante, qvi *globos cæli* i. e. ſummum imperium ſuſtinebat.

Figuræ qvoqve eleganter *à ſpecie ad ſpeciem* transferuntur, ut dictum eſt de *ſcypho & ſcuto.* Similiter ob rotunditatem *ſolem* dicimus PUPILLAM COELI, & *pupillam* SOLEM VISUS. Et ob figuram crinitam *flores* vocantur STELLÆ *pratorum & ſtellæ* FLORES *cæli.* Ob figuram curvam reciprocè dicitur *tauri* LUNATA *frons & Lunæ* CORNUTA *facies*, qvæ multas imagines terris impreſſit. Et ob figuram *aduncam* Ovidius *hamum* accepit pro articulo rapaci in eleganti hoc verſu:

Canities pennis, ungvibus HAMUS ineſt.

Porrò à genere analogo ſunt *animus* QVADRATUS, *ingenium* ACUTUM vel RETUSUM *& ire per* ANFRACTUS id eſt aſtuta circuitione uti: & Auguſtus dicebat: *aureo* HAMO *piſcari* eos, qvi donis gratiam captant. Et hac figura Græcus qvidam lepido ornavit naſum ingentem & incurvum alicujus, cui nomen erat Caſtori:

Caſtoris eſt naſus FODIENDIS commodus arvis
Ad meſſem FALX eſt, inq; ſopore TUBA.
ANCHORA navigiis, condenti ſemen ARATRUM.

Idem dico *de menſuris.* Unde eſt pulcherrima hæc Virgilii metaphora: METIRI *Claſſibus æqvor.* Et à genere analogo remotiori: *animus magnæ fortunæ* CAPAX & Plinius: *agere* MENSURAM *ſui ipſius* id eſt ſeipſum cognoſcere &c.

Digitized by Google

Similiter à *toto & partibus* qvantorum Cicero dixit: *juſtum* CORPUS, librum integrum & abſolutum. Et à partibus *corporis humani* transferuntur voces ad partes aliorum corporum. Unde Ovidius ramos arborum vocavit *nemorum* MEMBRA, frondes autem *virides* COMAS. Et Seneca: *movere ſylvæ* CAPITA. Qvomodo Itali dicunt *la TESTA frondoſa, le SPALLE ignude il PIE fiorito* dei monti. Et Virgilius: VISCERA *montis* vocat lapides, qvos Ætna ejicit. Sic etiam à genere *analogo* inter res corporeas & incorporeas Homerus ſæpius *roſeos auroræ* DIGITOS & Seneca *lacera domus componit* ARTUS qvod eſt detrimenta familiæ reſarcire, & veteri verbo *negotium hoc neqve* pedes *habet neqve* CAPUT, hoc eſt, nec principium nec finem. Sic igitur res omnes inſtar *corporis humani* ex partibus ſuis compoſiti conceptæ in hoc genere *qvantitatis Geometricæ* infinitas, pulchras, ornatasqve metaphoras parient.

Non minus pulchræ naſcuntur ex *qvantitate Arithmetica.* Primum ſingularem ſibi licentiam poëtæ dederunt ut *numero falſo* pro vero impudenter uterentur. Sic Seneca SEPTENA *Tanaim ora pandentem bibit*, cum conſtet duobus tantum oſtiis Tanaim ſe infundere paludi Mæotidi. Et Homerus PORTUS *in Achivos.* Virgilius: PECTORIBUS *inhiant & minuere* ANIMOS Oratoribus uſitatum eſt. Et Ovidius *lactea* COLLA de unius hominis collo, ac ſi *hydra* eſſet loqvens. E contrario Seneca: *tota ſub noſtro ſonet Argolica tellus* EQVITE. Qvæ ratio non ſolum gratiam habet ex *hypotypoſi* aut *attributione* ſed ex hac figura *ſimilitudinis*, qvæ *numerum pro numero* accipit. Sed in hoc genere præſtant & ſenſum magis afficiunt, qvæ à *phyſica multitudine* ad aliam ducuntur, ut Seneca à beſtiis terreſtribus ad marinas commune ducens *vocabulum* piſces vocat *cæruleum* GREGEM *Nereidum*, & Lucretius *ſqvamigeros* GREGES & *Nerei* POPULUM. Contra Virgilius AGMEN *aqvarum.* Et Ovidius: *ſtellarum* AGMINA *cogit Lucifer.* Qvæ metaphora ſtellam matutinam exhibet veluti Centurionem, qvi cum explicatis ſignis ſol campum ingreditur, receptum militibus imperat. Nec minori gratia eædem voces ad numeros non corporeos transferuntur: veluti *Cupiditatum* GREGES *paſcere*, EXERCITUM *curarum animo claudere*, qvibus ſubſtantivis conjungenda ſunt Epitheta propria & ſignificantia ex collectione, qvam ſupra dedi. Hæc enim conſtituunt *differentiam*

ſpecifi-

Digitized by Google

ſpecificam generis. Sic Claudianus copiam gemmarum in veſte deſcribens dicit, *Tempeſtas pretioſa Tagi:* ubi *tempeſtas* eſt genus multitudinem ſignificans, *pretioſa* eſt differentia genus reſtringens, & ſingularitas *Tagi* propiorem conſtituit differentiam & vividiorem. Qva metaphora reperta & adjectiva & verba & alios modos hinc ducere licet, ut diximus: veluti *tempeſtuoſa gemmis veſtes.*

Huc deniqve ſpectant applicationes eruditæ & metaphoricæ unius numeri ad alterum: veluti de nomine in virtute aut vitio *unico: hic* SOL *eſt ſapientum*, *hic* PHOENIX *eſt imperitorum.* Sic qvidam ſymbolum arripuit *heliotropium* cum dicto: SOLI SOLI h. e. *ad ſolem tantum me converto.* Si numerus ſit *binarius: hi ſunt ſpei tuæ* BINIPOLI, *hæ duæ SCYLLA & CHARYBDIS ſunt in tuo naufragio.* Sic cum qvidam duos ingentes homines ad ſe accedere videret, dixit: *En SYMBOLUM Caroli quinti*, qvaſi duas columnas non homines videret. Si numerus ſit *ternarius: hæ ſunt tres formoſæ* GRATIÆ, *aut tres deformes FURIÆ.* Sic Auguſtus duas Julias & & Agrippam Nepotem TRIA dixit *familiæ ſuæ* CARCINOMATA. Et Varius Geminus Ciceronem, ut vitam potius qvam libertatem ſub Trium Viris amitteret, exhortans *qvid mori times? Habent & inferi ſuos TRIUMVIROS*, Auguſto, Lepido, & M. Antonio Æacum Minoa & Rhadamantum comparans Et Aulicus qvidam in duos fratres armigeros, qvibus ſoror erat famæ non bonæ falsè dixit: *En* CASTOR, POLLUX & HELENA! Si numerus ſit *quaternarius* diceres: *hi ſunt* QVATUOR CARDINES *imperii.* Et de qvatuor fœminis liberius viventibus dictum eſt: *hæ ſunt* QVATUOR PARTES MUNDI. Sic mordax qvidam juvenis cum Venetiis ad ſtatuam *Leonis lapideam* ſedere cerneret doctorem ſordidum cum filia pulcherrima & fratre ipſius exactore fiſcalis pecuniæ dixit: QVATVOR ANIMALIA EZECHIELIS, *leonem* ſcil. *lapideum* pro primo, exactorem fiſcì pro *aqvila rapace* puellam pro *angelo* Doctorem pro *bove* accepit. Et ſic in aliis numeris.

Tertia ſpecies eſt à QVANTITATE ad QVALITATEM largiſſimus & jucundiſſim' menti camp', qvi porrigitur ad omnes qvalitates tam ſenſus participes qvam expertes, infinita & varietate & gratia. Inter eas qvæ ſub ſenſus cadunt primum occurrunt *oculorum objecta colorata*, unde dicere ſolemus: *teneros herbarum SMARAGDOS, limpidos*

rivorum

rivorum CHRYSTALLOS *labella* ROSEA, *colla* EBURNEA *coma* AUREÆ NIVES *frigidæ ſenectutis, montium* CANITIES. Sic etiam à rebus claris & lucidis Virgilius dixit *Solem* LAMPADA & *ſtellas* IGNES *æternos.* Et contra ſtulti amantes STELLAS vocant *oculos* ſuarum Divarum. Et SOLEM *vultum* interdum fuco magis ſplendidum qvam Sol ipſe eſt. Sed in hoc genere Poëtis conceſſa eſt hæc licentia, ut *falſum colorem* pro vero ponant: qvomodo Horatius: PURPUREOS *olores* pro *candidis &* Virgilius *mare* PURPUREUM pro *cæruleo*, tanqvam alter cygnos, alter mare non vidiſſet.

Etiam ad res qvæ cerni non poſſunt, tranferuntur nomina *colorum* ob analogiam qvandam & convenientiam, veluti qvemadmodum color *pictura* inprimis in vultu *mulierum* eſt *apparens &* qvædam *ſimulatio*, ſic *ſimulatio* omnis vocatur *color.* Sic Valerius M. *libidinoſam* inqvit, *liberalitatem debiti nomine* COLORAVIT. Et qvoniam candor color eſt, cui minimum ineſt nigroris atqve ideo ſincerior, hinc SINCERITAS vocatur CANDOR. Unde Virgilius: CANA *fides.* Et Horatius: CANDIDE *judex.* Et Qvintilianus: CANDIDE *lector*, utut niger interdum ſit, qvi legit, & à Græcis λευκὸς λόγος dicitur ſtilus ſincerus & inaffectatus. Contra NIGRI *mores*, FOEDUS *animus.* CONTAMINARE *famam.* Et Cicero: *multa facere impure, & inqvinatè loqvi.* Sic à *virore* herbis proprio dicitur *ſpes* VIRIDIS & Tireſias ſenex apud Senecam *ſi foret* VIRIDIS *mihi calidusq; ſangvis.* Et hinc natæ ſunt argutæ ſignificationes colorum in armorum *inſignibus*, qvibus virtutes ſuo modo ſignificantur, ut ſupra dictum eſt. Et *habitus* varii *imaginum abſtractarum* veluti religionis veſte *alba*, ſpei, veſte *viridi*, vindictæ *flammea*, mœſtitiæ *nigra*, & inconſtantiæ *verſicolori.* Hinc Poëta Ferrarienſis Bradamantin deſcribens *deſperatam & mortem in prælio qværentem*, qvod deſertam ſe doleret, veſtem illi tribuit *cypreſſi ramis* diſtinctam in campo coloris, qvem *folia* præferunt *cadentia*:

E toſto una diviſa
Si fe ſul' arme; che volea inferire
Diſperatione, e voglia di morire.

Simul in armis oſtendit ſymbolum, qvod ſignificabat deſperationem & moriendi

Digitized by Google

riendi propoſitum. Similiter eqves ille qvi campum ingrediebatur *nigris* inſignibus *argento* paululum illuminatis in eqvo nigro, cujus extrema erant *candida*, ſignificare volebat ſicuti *clarum* inſignium ſuorum *obſcuro* multum ſuperabatur, ſic *riſum* in animo ſuo *obſcuro planctui* ut plurimum cedere. Inprimis autem à luce viſui gratiore translata nobilia & illuſtria ad res incorporeas ducuntur, veluti LUMEN *ingenii* FAX *veritatis*, SPLENDOR *gloriæ*. Et Qvintilianus TRANSLUCIDA *oratio* h. e. figuris velut gemmis ornata. Et ab hac qvalitate analogica ducti ſunt *tituli honorum* CLARISSIMUS, ILLUSTRISSIMUS, SERENISSIMUS & Regem Tartariæ qvi ſe fert FRATREM SOLIS ſubditi ſalutare dicuntur VESTRA SOLARITAS, & ex regula proportionis ſolem compellare poſſent VESTRA TARTARITUDO. Et de *Coloribus* qvoqve ſine dubio ridicula formantur adjectiva metaphorica ineptè adhibenda, ut Furius *nivem* dixit SPUTUM *Alpium* & Polyphemus Ovidii in Galatea ſua laudat faciem molliorem LACTE COACTO. Et ex noſtris qvidam Cancros vocat CARDINALES *aqvarum*, qvoniam ad ignem rubeſcunt, qvod legens Eqves Marinius dixit: *Errat iſte qvi rectius* CAPELLANOS *aqvarum vocaſſet, cum in aqvis nigro habitu induti ſint.*

Porrò *à ſono ad ſonum* ſylva naſcitur metaphorarum, primum qvidem in vocabulo ad diverſam ſpeciem κατὰ χρηστικῶς translato, ut de *coloribus* dicebamus. Sic MURMUR qvod de aqvis propriè dicitur, ad ignes tranſtulit Plinius: *pallidi* MURMURANTESQVE *ignes tempeſtatum nuntii ſentiuntur.*

Ex Analogia Cicero tranſtulit ad clandeſtinam maledicentiam: *Tametſi dominus non invitus patitur ſervi* MURMURANT. Abuſus vero eſt cum Dionyſius irriſus idcirco ab (184.) autore noſtro, dulces Muſarum cantus vocat CLAMOREM *Calliopes*, tanqvam Poëſis eſſet Muſarum qvædam crocitatio. Contra Horatius Poëtas vocat CYGNOS *canoros* & in verſa ratione aviculas canoras dixerunt qvidam *Poëtas auroræ.* Et à Marinio eædem vocantur ANGELI *ſylvarum*, ſeu ut Italicé in alluſione venuſtas eſt *angeli della ſelva non angelli* Etiam à *vocibus animalium* fit ad homines translatio: ut OBLATRARE de eo, qvi ſine ratione repugnat, ſicut canes lapidi: & BOARE, qvi inſulſe loqvitur. Analogicè qvoqve ſonus tribuitur rebus inanimatis:

(184.) *Ar. 3. Rh. c. 2.*

ut, HARMONIA *virtuti*, STREPITVS *Conſcientiæ*, BVCCINA *famæ*. Et Contra qvicqvid ſono caret, MVTVM dicitur: ut *muta ſolitudo* in qva nemo habitat; *muta roſtra*, in qvibus nemo declamat & *lyra muta* & Statius Lunæ SILENTIA noctem dixit, & MVTI *lapides* vocabantur terminales ſtatuæ ſine inſcriptione, unde inſcriptæ vocari poſſent *lapides* LOQVENTES.

Pergas nunc ipſe ad objecta ODORATVS, SAPORIS, TACTVS aliarumq; SENSIBILIVM qvalitatum, cum nulla non ſit qvin vividas metaphoras *ſimilitudinis univocæ* aut *analogæ* tibi ſuggerat: veluti ODOR: *virtutum fragrantia*, *vitiorum fœtor*. *GUSTUS*: *acerbus caſus*, *amara cogitatio*, *dulcis recordatio*, *ſermo inſulſus*. *TACTUS amplecti animo*, *tractabile ingenium*, *palpabilis error*. Et Ovidius: *tangit & ira Deos*. *CALOR*: *Cupidinis ardor*, *irarum æſtus*. *FRIGUS*: *algens virtus*, *frigida oratio*, *tepens amor*. *HUMIDITAS*: *humida regna*, *madentes Muſarum pennæ*. *SICCITAS*: *arida ſpes*, *exſangvis oratio*. *MOLLITIES*: *molle ingenium*, *mollire iram*, *tenera ætas*. *DURITIES*: *ſaxeum pectus*, *dura mens*. *ASPERITAS & LENITAS*: *aſperrimi vel leniſſimi mores*.

Qvin & ſenſus mutuas ſibi operas præſtant, & vocabula inter ſe communicant. Unde dicimus color *ſvavis*, vox *aſpera & acerba*, ſonus *fuſcus*, verba *dura*, odor *nectareus*, *auribus* nova odorari, *tactu* pretium auri cernere. Idem dico de *actionibus humanis* à facultatibus *cognoſcente* aut *appetente*, aut habitu morali ſeu bono ſeu malo intrinſecus naſcentibus, de qvibus ſupra cum de pulchritudine Epithetorum agerem, exqviſitam enumerationem inſtitui. Qvantum ad *cognoſcentem*, qvoniam oculis cernere & animo intelligere ſunt duæ ſpecies COGNITIONIS analogæ; hinc aqvilam poſſumus dicere CONTEMPLATRICEM *ſolis*, & Philoſophum contemplantem *aqvilam ſcientiarum*. Qvantum ad *effectum*, qvoniam Heliotropii converſio ad ſolem & hominis amor erga alterum ſunt duæ ſpecies PROPENSIONIS, iſta naturalis hæc moralis, hinc amans dici poteſt HELIOTROPIUS *formoſæ* & Heliotropium *AMANS ſolis*. Qvantum ad *vitium*: ob crudelitatem Neronem vocare potes TIGRIDEM *Romanam* & Tigridem NERONEM *Hircanum*. Ob iram indomitam, mulier improba dici poteſt MEGÆRA *civitatis*, & Megæra MULIER *Acherontis*: *ob Ignaviam* Margiten LEPOREM

Digitized by Google

REM *bipedem* dices & leporem MARGITEN *quadrupedem.* Hominem diſſolutum SINE FRENO & eqvum indomitum SINE LEGE. Qvantum ad *Virtutes* Achillem ob magnitudinem animi LEONEM *Trojanorum* & Leonem *ACHILLEM ferarum. Innocentem COLUMBAM humanam*, & columbam *INNOCENTIAM volantem* Breviter: tranſlata *à qualitatibus moralibus* ad qvamcunqve rem utilem & innoxiam lepida & arguta ſunt omnia.

Idem dico de *facultatibus naturalibus* hominis ad res incorporeas aut ſenſu carentes tranſlatis. *VEGETANS* à Livio ingenio accommodatur, *vegetum ingenium in vivido pectore vigebat viribusq́.* Et Cicero: *volo ſe efferat in adoleſcente fœcunditas*, fœcunditate facundiam intelligens. NUTRIENS ab Ovidio transfertur ad Ver. *Nam tener & lactens pueriq́ ſimillimus annus.* A Plinio ad terram mollem: *tenero velut nutritio ſinu recipiat incrementa & cœleſtes admittat imbres.* Hoc modo nubes erit terræ *infantis nutrix*, pluvia vero *lac.* A Tullio ad præcepta artis: *Educata his nutrimentis ars Oratoria.* Et à Seneca ad herbas: *Zephyrus teneras educat herbas*, tanqvam ventus eſſet *herbarum nutritius. SENTIENS* à Cicerone transfertur ad ſpiritum: *Animus ſentit neſcio qvid in ſe eſſe divinum.* A declamatore ad res ſenſu carentes: *ſentiebant ædes indigno ſe à Domino poſſideri*, nimirum qvæ dominum oppreſſerant. *A FAME.* Virgilius: *Auri ſacra fames.* Et Ovidius: *largis ſatiantur odoribus ignes. A SITI*: Idem de miro Narciſſi amore erga fontem locutus: *dumq́ ſitim ſedare cupit, SITIS altera crevit.* Et de mari: *peregrinos EBIBIT amnes. A MOTU.* Idem de flumine loqvens: *In mare deducit feſſas erroribus undas. A SANITATE.* Seneca: *Sana conſilia expete. Ab INFIRMITATE & ROBORE.* Columella: *montibus vinea difficulter convaleſcunt, humidis locis robuſtiſſima, ſed infirmi ſaporis vinum faciunt. A SENECTUTE.* Claudianus: *priſcamq́ reſumunt canitiem leges. Et à MORTE.* Seneca: *periit pudor*, nimirum qvi ſemel exſtinctus non naſcitur.

Deniqve ad *qualitates inhærentes* adjici poſſunt *Denominationes externæ ut fama, infamia, nobilitas, ignobilitas, felicitas, infelicitas, paupertas, divitiæ, pretium, vilitas, honor, ignominia.* Svetonius vocat EQVOS FAMOSOS qvi ſæpius ſtadio vicerant. Et Horatius *INFAMES Acroceraunios* tanqvam piratas maris. Et Ovidius: *Et veterum terras INFAMES cæde virorum.* Plinius herbas NOBILES

Digitized by Google

vocat domeſticas & *IGNOBILES* ſylveſtres. Virgilius lolium dicit INFELIX & contra: *Exiit ad cœlum ramis FELICIBUS* arbos. Ovidius: *ingenium DIVES.* Et contra Cicero: nos PAUPERTATE ſermonis laboramus. Circa honorem Statius: *haſta vetuſtum ſylvarum DECUS. Et VENERABILE lucorum ſenium.*

Qvarta ſpecies metaphoræ *ſimilitudinis* vocabulum à RELATIS ad alterum RELATUM transfert. Prima claſſis relatorum à Dialecticis vocatur *æqviparantia, ut frater & frater, ſocius & ſocius, Collega, Commilito, complices, fœderatus, conſors, amicus, agnatus, gemelli, ſponſus.* Qvæ voces ad aliud qvam proprium ſibi ſubjectum translatæ *metaphoras* faciunt lepidiſſimas. Hac licentia Statius Plutonem vocavit *Infernum JOVEM.* Et Silius Italicus: *Tartareo eſt operata JOVI,* alterius fratris nomen alteri tribuentes, qvod fratres iidem eſſe videantur. Sic *Progne* à qvibusdam *Philumena* ſororis nomine appellatur, & Statius qvoqve Proſerpinam vocat *Infernam JUNONEM:* omnes Metaphoræ ſunt ejusdem generis. Sed in diverſo genere *ſomnus à* Seneca dictus fuit FRATER *durus langvida mortis,* & à Virgilio CONSANGVINEUS *lethi ſopor* ob ſimilia effecta. Etiam Muſæ vocantur *docta SORORES,* ob communia ſubjecta. Unde Tullius: *omnes artes habent quoddam commune vinculum & COGNATIONE quadam inter ſe continentur.* Eadem figura margaritæ duæ vocantur *PRETIOSÆ SORORES* & duæ herbæ unius ſylvæ *VIRIDES SORORES,* ut in fabula Phaëthontis. Eadem ratione Plinius vitem & arborem *ſponſum ſponſamq;* vocat: *In Campano agro populis NUBUNT vites maritaq; complexæ atqve per ramos earum procacibus brachiis geniculato curſu ſcandentes cacumina aqvant.* Et Horatius *ulmis* MARITARE *vites.* Et contra: *INNUBÆ & COELIBES ſunt vites ſine pedamentis.* Statius: Cœli & terræ matrimonium in fœcundis pluviis, qvæ verno tempore cadunt, ponit: *Ipſum in CONNUBIA terra Æthera, cum pluviis rareſcunt nubila ſole.* Unde poëtæ finxerunt nuptias *cœli & terræ.* Simili gratia transferuntur nomina ſocietatis & amicitiæ, aut à *ſpecie ad ſpeciem* ut ſervus Plautinus conſervum vocat COLLEGAM & COMMILITONEM, æqvè ſcil. compedibus vinctos, fortiterqve adverſus flagella humeris decertantes. Et Cicero civitatem Mamertinorum vocat SOCIAM *furtorum & flagitiorum* Verris. Aut à *genere ad genus* qvomodo aurora

vocatur

vocatur *Muſarum* AMICA. Et ſolitudo *arcana mœſtorum* SOCIA, & infelicitas paupertatis FOEDERATA. Sic Horatius zephyros vocat *veris COMITES* & Varro *Canitudini COMES virtus*, & poëta: *virtuti fortuna* COMES. Et puella Plautina matrimonium ſine patrimonio contrahens: COMITEM *pudicitiam duxero.* Sic Petrarcha flores nominat *dulcem* FAMILIAM *zephyri*, qvomodo aves appellare poſſes *canoros auroræ* AULICOS, & Hirundines *garrientis Veris* PUELLAS hoc enim tempore revertuntur, & ventos aqvilinares *feroces hiemis* SATELLITES, ut veſpertiliones *furtivos noctis* CASTRA METATORES & noctem qvidam vocarunt *furum RECEPTATRICEM.* Ut Cicero fere adverſus Antonium: *nocte SOCIA, hortante libidine.*

Etiam in *contrariis* eſt alia *æqviparantiæ* ſpecies, qvæ in utroqve relato idem nomen ſervat: veluti *inimicus adverſarius, rivalis, Antagoniſta, Antipodes, competitores, obtrectatores, æmuli, antipathia* & ejusmodi alia. Sic argutus leno apud Plautum ex ara Veneris puellas, qvæ eò confugerant, igne abacturus: *Vulcanum*, inqvit, *adducam: is Veneri* eſt ADVERSARIUS. Et contrariæ qvalitates elementorum vocantur INIMICÆ: *frigida* PUGNABANT *calidis, humentia ſiccis.* Et vitis exiſtimatur INIMICA *braſſicæ* ex naturali antipathia. Etiam in bonam partem Poëta dixit: CERTANTEM *uvam purpuræ.* Unde vulgo dicitur: *manus iſta candore cum liliis* CERTANT. *Hi oculi ſplendorem ſolis* ÆMULANTUR. *Hæc forma Helenam, pudicitia Lucretiam* PROVOCAT. Hinc eandem formam amantes metaphorice dicuntur RIVALES à ſimilitudine armentorum, qvæ ad eundem rivum de potu decertant. Unde aculeatum erat Tulli dictum in pulchellum illum *Narciſſum* purgamentum hominis: *O Dii qvam ineptus, qvam ſe ipſe amans ſine RIVALI!*

Altera claſſis eſt *relatorum diſqviparantia* inter *cauſam & effectum* aut *ſuperiorem & inferiorem.* Prioris generis ſunt vocabula *patris & filii, ſcriptoris & ſcripti, fabri & operis* & cujus cunqve rei qvæ alterius eſt *principium*, qvæ vocabula ſub eodem genere inter ſe permutata, aut ad aliud genus traducta, metaphoras valdè elegantes pariunt. Sic Romulus ab Horatio dicitur *Romæ* PATER & Roma dicta fuit *Romuli* FILIA. Hinc natæ ſunt aſſentantes metaphoræ PATER PATRIÆ & PATER *populi* & PARENS *orbis* Domitianus à

Martiali appellatus fuit. Hinc occaſionem arripuit mordax qvoddam ingenium, cum ſtatuæ Claudii inſcriptum cerneret: PATER POPULI ut impudicæ ejus uxoris Meſſalinæ ſtatuæ ſubſcriberet: MATER POPULI. Transfertur hoc relatum ad res inanimas, ut Horatius de Rheno dixit: *nympharum PATER amniumq;*. Et terram tanqvam cauſam materialem Oraculum Delphicum MATREM appellavit, qvod imitatus eſt poëta Italus:

Tutti tornate alla gran MADRE antica.

Et *natura* à Cicerone, ut cauſa formalis, dicitur MATER *rerum omnium*, qvanqvam aliis *mater* ſit, aliis *noverca*. Pauſanias vocavit HORAS *matres fructuum*, & famelicus paraſitus plautinus: *famem fuiſſe ſuſpicor* MATREM *mihi*, ut matrem ventre geſtaverit & forte ex partu ſit mortuus. His relatis qvæ paternitatem ſignificant, reſpondent ea, qvæ *filii* nomen habent. Unde flumina vocantur *filii maris* & haſta Statio eſt *ſylva* FILIA, & ſurculi Virgilio PROLES *Olivæ*, & honores Horatio *filii victoriæ*, *cui laurus æternos honores Dalmatico PEPERIT triumpho*. Sic ingenium humanum ſuum PARTUM ſuosqve CONCEPTUS vocat argutias. Et PROLEM dicimus vitii *febres, morbos, mœrorem*. Et ex hoc fonte prodeunt *fabuloſæ genealogiæ*: ut temerariorum *Gigantum*, filiorum *terræ* & *ſolis* i. e. vaporum, qvi ex montium faſtigiis ad cœlum à ſole attolluntur, & palladem eſſe ex cerebro Jovis ſine fœmina natam i. e. *ſapientiam* ab intellectu à *materia* abſtrahente naſci. Et *Sirenes* filias *Muſarum & Acheloi* pro adulatione, qvæ naſcitur ex *aulica eloqventia dolis* imbuta. Et *Dis* divitiarum Deus fingitur filius eſſe *Opis*, qvoniam ad diteſcendum *benignum* reqviritur *auxilium*, qvanqvam O in voce Opis, qvæ Deam ſignificat, producatur, qvæ *auxilium*, corripiatur. In qvo genere proditum eſt Archipoëtam, qvi vocabatur, cum de paupertate ſua apud Leonem X. papam qvereretur, hoc verſu compellatum fuiſſe à Papa:

Dic mihi cur DITES non cernimus eſſe poetas?

Cui Archipoëta repoſuerit ingenioſa homonymia ad fabulam alludens:

DIS

Digitized by Google

DIS fierem fieret ſi mihi mater OPIS.

i. e. *ſi opem ferres, facile diteſcerem.* Cui è veſtigio argutiſſimus herus reſpondit:

Culpa tua eſt: vitio ignavi nam carminis OPEM,
Qvam reliqvi longam, tu facis eſſe BREVEM.

Atqve hæ erant *ingenioſa* oblectationes magni illius eruditorum Mæcenatis.

Et generatim res omnes, qvæ aliqvam habent rationem *principii*: veluti *cauſa*, *occaſio*, *origo*, *fons*, *radix*, *caput*, *Exordium*, *autor* & ſimilia aut vocabula inter ſe commutant, aut rebus diverſi generis concedunt. Hinc Seneca: *Et CAUSA litis regibus, Chryſe, jaces.* Et Demades ab autore noſtro citatus dixit: *Magiſtratum Demoſthenis eſſe omnium malorum originem.* Ab illo enim tempore (qvanqvam ſine ejus culpa) in Rempubl. mala incubuerant. Sic tempus & dies, unde adverſa incipiunt, accuſantur tanqvam illorum auctores. Virgilius: *Ille dies primus lethi primusq́, malorum* CAUSA *fuit.* Unde ſine cauſa Virgilium reprehendit Macrobius, in eo qvod dixerat *Servium Tyrrhenum cauſam fuiſſe malorum bello Æneæ Italiæ illatorum.* Figurate enim *cauſam* accipit pro occcaſione. Qvomodo Polycrates dixit: *muribus magnam eſſe gratiam habendam à Samiis, qvi victoriam retulerant, cum mures in caſtris hoſtium nervos arcuum corroſiſſent.* Argumentum, qvod *elegans* Epiſodium feciſſet in Homeri *Batrachomyomachia.*

Ad eandem relationem pertinent qvoqve voces disqviparantes *imaginis, picturæ, exemplaris, ideæ, idoli, typi, delineationis adumbrationis, umbræ, perſonæ* cum correlatis diverſorum nominum *prototypi, autographi, authentici, &c.* Hinc dicimus: *hæc viva eſt virtutis IDEA, hæc ſpirans eſt mortis IMAGO. Salomo viventis ſui IDOLI mortua idola coluit. Scelus ſæpe virtutis PERSONAM induit.* Plautus formam laudans Ampeliſcæ: *Veneris EFFIGIES hæc quidem eſt.* Tacitus de Seneca: IMAGINEM *vitæ ſuæ relinqvere teſtatus eſt.* Florus de

de Romulo: IMAGINEM *urbis fecit potius quam urbem.* Et Eccho muta illa fabulatrix qvæ nec loqvi nec tacere ſcit, cum adeo ſit obliviosa, ut vix ultimarum ſyllabarum reminiſcatur, ab Horatio vocatur: *jocoſa vocis IMAGO:* à Statio *vocis* UMBRA à Poëta Græco: PICTURA *ſoni.* E contrario negotium inceptum vocatur ADUMBRATUM, & homo deformis RUDIMENTUM *hominis.* Sic Antonia filium ſuum Imperatorem Claudium vocabat, *hominem INCHOATUM non perfectum.* Et de Domitiano degenere declamator dixit: *Dii immortales quam diſsimilis* PROTOTYPO TYPUS. Relatum enim cui non reſpondet relatio, ridiculum eſt. Unde argutè irriſa eſt vana qvædam ſponſa, qvæ fuco & pigmentis faciem oblita matri effigiem qvandam ſuam non ad veritatem ſe exprimentem commonſtrabat, cui ſapiens matrona: *pictura*, inqvit *ô filia, non tibi eſt ſimilis, ſed tu picturæ.*

Reſtant relationes *ſuperiorum & inferiorum:* veluti *Rex*, *patronus judex, arbiter*, *Magiſter Paſtor* & alia, qvæ cum ſuis correlatis Metaphoricè commutari & ad alia transferri poſſunt, ut diximus. Hac figura Virgilius cenſuram effugit Zoili, ubi Minoa dixit *Arbitrum Acheruntis:* cum Zoilo videretur non arbiter ſed *judex* vocandus fuiſſe, ut qvi ſecundum rigorem *talionis* & non ſecundum *æqvitatem* judicaret. Eadem figura regem optimum Æneam TYRANNUM appellavit, qvo ſemidoctus qvidam cauſam tueri voluit, qvi cum accuſaretur, qvod Regem ſuum tyrannum appellaſſet, apud judices dixit: Nonne Virgilium legiſtis?

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe TYRANNI.

Qvæ excuſatio, qvod poëta magis eſſet qvam Doctor, tunc qvidem valuit. Hæ omnes ſunt metaphoræ à *ſpecie ad ſpeciem*, ſed *à genere ad genus* eſt hæc Homeri: Agamemnonem vocantis *Græcorum* PASTOREM. E converſo Latinus Poëta caprum vocat DUCEM *gregis* & Seneca in Hippolyto: *Sed DUX malorum fœmina, & ſcelerum artifex.* Et Horatius de Rheno: *Tibris te* DOMINUS *rogat.* Simili translatione ſolemus dicere: Cæcus rationis TYRANNUS pro *amore*, & *ira* dicitur: HERA *mentis* & Horatius: *& genus & formam REGINA pecunia donat.* Et contra MANCIPIUM *ſenſuum* ac SERVUM *volu-*

ptatum

ptatum vocamus animum diſſolutum & Varius Geminus Ciceronem vocavit *veteranum* MANCIPIUM *jam tritum habens collum ad ſervitutem*, qvoniam valentiorum partibus ſtudens clamare videbatur: *Vivat victor*. Ex hac figura proficiſcuntur aulicæ *adulationes* in ſubſcriptionibus, ubi SERVUM aut MANCIPIUM ejus nos profitemur, qvi detracta metaphora libenter nos compedibus vinctos cerneret.

Qvinta & ſexta ſpecies naſcuntur ab ACTIONE & PASSIONE, qvarum metaphoræ generatim qvoqve ex prædictis derivari poſſunt. A *ſubſtantivis* enim *&* *adjectivis* facile poſſunt *verba* inflecti. Unde ſi ex metaphora ſubſtantiæ lapides vocaſti *oſſa terræ*, ſi metaphora qvantitatis *cogitationes* dixiſti *graves*, ex qvalitate *canitiem montium & ſtrepitum conſcientiæ*, ex relatione *victoriam* eſſe *matrem honoris*: dices qvoqve terram EXOSSARE pro lapides exſcindere, EXONERARE animum cogitabundum, montes CANESCUNT, conſcientia OBSTREPIT, Victoria honores PARIT. Sic igitur ab omnibus *ſubſtantiis*, ab omnibus nominibus *qvantitatum & qvalitatum*, ab omnibus objectis *ſenſuum exteriorum & interiorum*, ab omnibus *operationibus* animi ſeu *naturalibus* ſeu *moralibus*; & deniqve omnibus aliis *Categoriis*, qvæ dicentur, novas lepidasqve ſpecies verborum metaphoricorum tam activorum qvam paſſivorum formare poteris. Qvin hæ ſpecies eò pulchriores ſunt, qvod in ſubſtantivis, ut pote nimis vividis, affectatio & artificium magis agnoſcitur. Unde verecundius dices FONTES CHRYSTALLESCUNT & *fontes* CHRYSTALLINI qvam LIQVIDI FONTIUM CHRYSTALLI: ut pote qvo duæ ſubſtantiæ, qvæ ſimul conſiſtere non poſſunt, audacius conjunguntur: cum *verbum* & *adjectivum* unam ſubſtantiam repræſentet, qvæ naturaliter qvalitatem admittit.

Sed in hunc locum proprie cadunt metaphoræ ab *actionibus artium & facultatum*, qvæ in opus externum deſinunt, proficiſcentes, qvarum obiter aliqvot ex optimis autoribus exempla tibi ſuppeditabo, qvæ ad alia multo ingenioſiora conqvirenda te excitent.

Ab ACTIBUS JUDICIALIBUS. *Conſcendere* rationis *tribunal*, Cupiditates ſecum ipſæ *delitigant*, *citare* ſemet ad conſcientiæ prætorium, *caſtigare* mores ſuos atqve componere, *proſcribere* ab oculis

verecundiam, genus omne humanum mortalitate *damnatur*, terra, nimbos *criminatur* & Boream, divitiæ vitia *in clientelam aſſumunt. &c.*

A NEGOTIIS CIVILIBUS. *Nectere* cum cœlo *commercia*, *abdicare à* ſe delitias, ingenti pretio fumum *vendere*, *aſſerunt ſe* in libertatem ignes concluſi, ſol aviculis matutina *indicit comitia*, vita mortalibus *commodatur* non datur: ſemet *emancipat*, qvi opes *manumittit. &c.*

A RE MILITARI. *Indicere bellum* voluptatibus, levibus armis *proludunt*, Oratores *amentatis* argumentorum *jaculis confligunt*, maledictis *velitari*, in ſolem *rebellat* vapor. Aureis machinis *arietare* conſtantiam, fraudum *cuniculis expugnare*, æqvore fervido *deprælianter* venti, alieno in gemitu *triumphat* invidia, naufragorum *exuvias* victrix unda ſideribus *oſtentat*, eadem ratio iras *conciet* atqve *receptui canet*, *excubias agere*, neqva nos fortuna imparatos ſecurosqve *adoriatur. &c.*

A MEDICINA. Æri alieno juris jurandi *paſtillus illiditur*. Etiam nolenti patriæ *medicina* eſt *adhibenda*. Curæ ſomno *curantur*. Amicitiæ vulnera vix *cicatricant*, Epiſtolarum *fomentis* animi ſenſim *convaleſcunt*. Recens dolor *tractari* non patitur. De ſana Republ. diſcordiarum concitores *ſcalpello* ſunt *exſecandi*. *Febrit* mare atqve *inhorret. &c.*

A RE NAUTICA. Honori ſuo *velificari*. Momento felicitatis *malacia tempeſtate mutatur*. Inter factiones *fluctuat* Reipubl. navis. In *vada & Syrtes* difficultatum *incidere*. Turpis eſt publicæ navis Rector, cui prudentiæ *gubernacula fluctus eripuit*, qvi fluctuantia *vela deſeruit*, *permiſit* tempeſtati *navem*, at ille vel in naufragio laudandus, qvem obruit mare *clavum tenentem & obnixum*. Publico ex naufragio *tabulam arripere*. Iſtius hominis fortuna *ad anchoram ſtat. &c.*

Ab ARCHITECTURA. Firma non eſt fortuna qvæ *magnitudine laborat* ſua. *Architectari* voluptates Dolos *machinari*. Labantem domum novo conjugio *ſubſtruere*. *Fundare* publicam qvietem. Magnum opus *ad coronidem perducere*. Vitæ gloriam illuſtri dignitate *faſtigiare. &c.*

A RE FABRILI. *Dolare* orationem. Spei domeſticæ radicibus *bipennem admovere*. Ad tædium ſua *procudere*. Calentem *tundere* maſſam

ſam. Ad *amuſſim* rationis *dirigere* cupiditates. Diffidentes animos *conglutinare*. Decreti *clavum figere*. *Affabre* negotium *abſolvere*.

A Re Textoria. Orationem ſolidam *texere*. Ruptum negotium *redordiri*. *Pectere* ſtylum. Schematum luminibus orationem *phrygiare* vel *acu pingere*. Laciniam dictis *aſſuere*. Vitia vitiis *inglomerare*. Genas ungvibus *carpere* (tanqvam lanam) morti *penſum ſolvere*, &c.

A Pictura. Age jam & *tabulæ manum admoveas*. Negotium *adumbrare tum colorare*, deniqve manum *extremam imponere*. *Appingere* veritati mendacium. Simulatione *infucare vel infuſcare*: Ver terram *pingit*. Nubes *miniat* aurora. &c.

Ab Arithmetica. Sua facta *ad calculos redigere*. Actorum *rationes* conſcientia *ſubducit*: Avara mors dum annos *ſupputat*, ſomnum *imputat*. Argumenta *habere in numerato*. Dicta omnia *in ſummam colligere*.

A Musica. Sibi blandius *accinere*. Surdis auribus *lyra ludere*. Virtutes omnes ſibi *conſonant*. *Abſonant vitia*. Poſt tripudia *Chromaticum canere*. Ovantium avium chorus rivulis *admodulatur*.

A Venatione. Incautis animis procaces oculi *tragulam injiciunt*. Populi rumuſculos auribus *aucupari*. *Captare* favores fraudum. *Cubilia è veſtigiis indagare*. In hoſtium *caſſes incidere*. Aureis retibus *expiſcari* beneficia.

Ab Agricultura. Sol radios *diſſeminat*. Rugis frontem *arat* curva ſenectus. *Amputare* ſtylo pampinos orationis. Felicitati publicæ *inducere* aratrum. De ſeminario triumphorum lauream *metere*. Rumores in populo *proſeminare*. Cupiditatum *greges*, qvà libet, *paſcere*.

Sed pulcherrimæ ſunt iſtæ qvæ ducuntur à Ceremoniis veluti Sacrificiorum *initiare* ſe philoſophiæ. *Caſtrare* ſe lacrymis, (ex pœnitentia ſcil.) *Mactare* cupidinem virtuti. Fortuna impios *coronat* ad ſacrificium.

Ab Auguriis. *Auſpicari* proſperum armis eventum. Irata facie malum *ominari*. *Inauſpicatò* aggredi negotium. A Ceremoniis Natalitiis. Palladem hic heres *habuit pronubam*. Dignitas *averſa Lucina orta*. Urbis illius natalibus funeſtæ *faces præluxerunt*. Ars ingenio *parturienti obſtetricatur*. A Sponsalitiis. Amicitiæ

Ss 2 morum

Digitized by Google

morum ſimilitudine *conjugantur*. Eumenides *tenuere faces* Æneæ ſponſalibus. *Matrimonium* cum fortuna *ſtipulari*. Funebribus. Propriam famam ſceleribus *funerare*. Atlantico in Oceano dies *tumulatur*. Carmina ſibi *exeqvialia* cygnus *canit*. Idem ſibi *præfica*. Inutilibus ſcriptis *pyram ſuccendere*, oblivione tumulandis. A Ludis & Spectaculis. Cum morte *luctari*, mare inter litora *geſtit ac ludit*. *In forenſi curriculo qvadrigas Eloqventiæ agitare. Alius alium in hoc vitæ ſtadio prævertimus. A meta ad carcerem remeare. Magnum qvisqve ſibi theatrum pandit, ſi ſe norit. Dimoto velo rem in ſcenam producere. Actum agere.*

In ſumma: ſi verbum qvoddam metaphoricum excogitare ſtudes, oculis ad *naturæ* vel *artium operationes* converſis mille modis iisqve elegantiſſimis id præſtare poteris. Sed qvoniam hæc exempla à ſuperficie *artium* ducta ſunt, ingenioſiora ex viſceribus cujusqve artis eruere poteris, qvæ peregrinæ eruditionis colorem præferant, ut non niſi à peritis, à vulgo minimè intelligantur. Veluti in fratres perpetuò diſſidentes dicere licet: Hi inter ſe *concordant* ut *diateſſeron & diapente*. Qvis hoc intelligat niſi Muſicus, qvi ſcit *ſeſqvitertiam & ſeſqvialteram* nunqvam in concentum redigi poſſe. Cujus rationem Philoſophus in problematis reddidit. Idem dicam de aliis *artibus* omnibusqve rerum naturalium *proprietatibus*, *metallis*, *herbis*, *animalibus*, *ſpiritibus*. Sed hæc opera eſt majoris operæ & infrà ſuo loco recurret, cum de *materia* argutiarum dicendum erit. Ne igitur patientia tua abutar, reliqvas Categorias ſuccinctè proponam, qvarum exempla per te ipſe augere & amplificare poteris ea ratione, qva in præcedentibus factum eſt.

Septima ſpecies Metaphoræ *ſimilitudinis* eſt, qvæ à vocibus Situm ſignificantibus transfertur: Et ad hanc majoris facilitatis gratia cum nona ſpecie conjungam, qvæ Locum & Motum continet.

A ſpecie igitur ad ſpeciem ratione Situs translatum eſt illud Virgilii: *Intonuit lævum*. Pro *intonuit dextrum*. Agitur enim de felici augurio. Et ratio nititur in diverſâ acceptione *dextri & ſiniſtri*. Latini enim dextrum vocant, qvod noſtro dextro lateri reſpondet. Contra Græci dextrum vocant, qvod reſpondet dextro

tro

Digitized by Google

tro Dei lateri, qvem ſemper ſibi ſpecie humana adverſum figurabant. Sic igitur qvod nobis eſt *dextrum*, Græcis eſt *ſiniſtrum*. & manus imbecillior apud ipſos erat nobilior, melioriſqve augurii qvam dextra. Unde Virgilius metaphorâ *Situs* Græco more loqvitur, *ſiniſtram* vocans qvæ dextra erat. Eadem ratione in Antiqvis picturis, aureiſqve bullis S. Petrum ad lævam Pauli videbis, qvi locus erat dignior ritu Græco, qvi apud Latinos metaphoram facit.

Erunt itaqve metaphoræ *à ſpecie ad ſpeciem*, qvando inter duo corpora commutantur voces, qvæ *ſitum* ſignificant reſpectu *punctorum in univerſo fixorum* veluti *altum*, *depreſſum*, *pendens*, *jacens*, *rectum*, *ſedens*, *pronum*, *ſupinum*. Hac figura Saluſtius dixit: *In medio campus* JACET. Columella: *Campus ad ſolem* PRONUS. *Et* SUPINI *Colles*. Horatius *levia pe ſonuere ſaxa* CUBANTIS *Uſtica*, qvi collis erat in Sabinis. Seneca: *ſigne* TORPESCIT *fretum & arbores qvaſſa* PROCUMBUNT. *In Tiberis ripa* SEDET *Roma*. Horatius: PRONUS RELABITUR *fons*. Et contra: *fons ibi* SURGIT, dixit Qvintilianus. Et Ovidius de monte Parnaſſo: *Verticibus* PETIT *aſtra duobus*. Ubi vides omnia iſta vocabula à *ſitu* corporis humani ad inanimata eſſe translata. Aliæ voces ex *poſitu communi* traducuntur. *Arbor* CADUCA, *ſtella* PENSILES, ut ſi lampades eſſent. Et Martialis: *ære vacuo* PENDENTIA *Mauſolea*. *Et ædificium* SUSPENDERE *pro attollere* dixit Cicero.

Idem dico de *ſitu* reſpectu duorum corporum inter ſe. Veluti *mons monti* AVERSUS vel ADVERSUS *Columna oneri* SUCCUBUERE, INCUMBUNT *marmoreis parietibus aurea laqvearia*. *Theſauris* INCUBAT *avarus*. HÆRENTES *litori naves*. *Colles* CATENATI. ADJUGATÆ *arboribus vites vel* ABJUGATÆ: *Exercitus* DILACERATUS Et generatim omnia illa vocabula, qvæ CONJUNCTIONEM aut DISJUNCTIONEM ſignificant, cum à proprio ſubjecto ad aliud transferuntur, jucundas grandeſqve metaphoras conſtituunt.

Nec voces ſolum *ſitum* notantes, ſed & ipſa ſubjecta metaphoricè inter ſe commutantur. Sicut igitur *fornix* conclavis & cœlum ratione ſitus ſibi reſpondent, ſic *cœli* appellantur *ſtellata mundi* LAQVEARIA, *& laqvear* auratum ædium COELUM. Præcipue à *corpore humano* ad alia corpora translata ſunt lepidiſſima. Unde baſis vocatur PES *columnæ* & pes BASIS *hominis*. Sic dicere poſſumus *mons Veſuvius*

FACIEM *in Italiam*, TERGUM *in Galliam convertit*, CAPITE *hiemem geſtat* PEDIBUS *ver calcat. Ex* SINU *Eridanum emittit*, *& ex* FIMBRIIS *rivos.* DEXTRAM *Liguribus*, SINISTRAM *Salaſſiis porrigit.*

Hæ ſunt omnes metaphoræ *à ſpecie ad ſpeciem* qvæ uno genere materiali continentur, ſed ingenioſiores & nobiliores iſtæ ſunt qvæ à *corpore phyſico* ad rem *metaphyſicam moralem aut intellectualem* transferuntur. Sic à ſitu reſpectu FIXORUM mundi PUNCTORUM dicimus: *Celſus animus, erectus, ſublimis*, aut *pronus dejectus*, *jacens*, *profunda cogitatio*, *humilis ſtilus ac ſerpens pedeſtris & plani loqva facundia*, *cadens ruens*, *enervata ſpes*, *complanata difficultas*, *longe lateqve graſſata crudelitas*, *ire per medias laudes Charetis*, *proſtrata audacia*, *pendens fortuna ſuſpenſum judicium*, *ſedet hac mihi ſententia. &c.* Reſpectu ſitus DUARUM RERUM INTER SE: *hærere conſvetudini*, *contiguus voluptati dolor*, *adnata nobilibus ingeniis libertas*, *hæret oculis imago mortis*, *ſenectus annorum complexu hominem ſternit*, *diviſus animus inter ſpem metumq̃*, *amicitiæ nexus*, Et Virgilius dixit: COMPRESSUS *amoredendi*, pro famem cibis ſedare. A *ſitu* qvi Nos reſpicit, *dextra vel ſiniſtra fortuna*, *à tergo inſtat mors*, *poſt tergum præteritorum memoriam rejicere*, *ante pedes poſita & obvia rationes.*

Ex hac metaphora joci argutiſſimi interdum naſcuntur, cum ab impropria voce ad propriam tranſitur aut vice verſa veluti apud Comicum: ſervus à ſene interrogatus, *ubi eſſent nummi ablati* cum reſpondiſſet *animi* PENDEO, ſubjecit herus *collo* PENDEBIS. Et arroganti furis filio: *non temere ſuperbis, cum pater tuus* SUB PEDIBUS *viderit cives ſuos & in* ALTISSIMO GRADU *mortuus ſit.* Eadem hac figura oculis ſubjiciuntur imagines *Divinitatum urbium virtutum* vario poſitu ut *Roma* SEDENS *in ripa Tiberis*, *Bacchus* INEQVITANS *dolia*, *fortuna virtutem* PROSTRATAM STRANGULANS, *Venus dormiens & ſub umbra Myrti* RECUBANS, cui qvidam ſubſcripſit dictum Virgilii: CONSANGVINEVS LETHI SOPOR & alia ejusmodi.

Huic ſpeciei metaphoræ conjungimus illam à LOCO, qvoniam à verbis unius multa alterius ſpeciei formantur veluti ſedere, qvod eſt *ſitus*, reſpondet ſedes qvæ eſt loci & *jacere* reſpondet *ſepulchrum*, in qvo jacetur. Primum igitur hæc figura concedit, *locum pro loco* nominare, ut Virgilius qvi caſtellum *Pheneum* poſuit pro *Palanteo* ob viciniam ut Servius obſervat, & Seneca: *Nemea* pro *Cleo-*

nis.

nis. Eadem figura Grammaticorum qvæſtio ſolvi poteſt: Cur Virgilius Priamum in *regia* interfectum memoret, qvi in *littore* mortuus ſit, ut Turnebus notat. Qvin perſona interdum facit, ut nomen loci mutetur. Sic Caſſandra dixit: *ubi Helena eſt, ibi Troja.* Et Artemo, ut controverſiam Grammaticorum componeret qvorum alii Tiphœum ſub Ætna alii ſub Inarime, alii ſub Cilicia ſepeliunt, ſic pronuntiavit: *Qvicunq; locus incendium vomit, impoſitus Typhœo dici poteſt.*

Sed illuſtriores & populariores metaphoræ naſcuntur ex locis inter ſe commutatis, ob rationem *ſimilitudinis phyſicæ.* Sic ab HUMANIS HABITATIONIBUS transferuntur vocabula ad univerſum. Arcturum ſidus apud Plautum ſic loqvitur: *Ejus ſum civis civitatis cœlitum.* Ovidius: *Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis.* Idem: *Haud timeam vaſti dixiſſe palatia cœli.* Propertius: *Qvis Deus hanc mundi temperet arte domum?* Sic centrum ejus dicere poſſes *fundamentum*, elementa *parietes*, cœlum *tectum*, ſtellas *feneſtras.* Sic ſylvæ à Poëtis vocantur *viridis avium domus*, apium alvearia *cerea tecta & mellea palatia.* Avium nidi *lutei volucrum penates, & pendentes ædes.* Et de Harpyjarum cubilibus poëta dixit:

Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

Qvi verſus inſcriptus fuit ædibus qvorundam fœneratorum. Hinc majori adeò gratia transferuntur particularia magis vocabula, veluti *cunæ, thalamus, lectus, ſedes, thronus, ſepulchrum. &c.* Hinc Virgilius parvas illas cellulas, in qvibus apes partus ſuos nutriunt, eleganter vocat thalamos nuptiales: *Poſt ubi jam thalamis ſe compoſuere ſiletur.* Et *vitreos nympharum thalamos* idem vocat pellucidos fontes, & abſtruſa talparum cubilia. Ovidius de hirundine: *Sub trabibus cunas parvaq; tecta facit.* Sic ſepulchrum appellatur *durus mortuorum lectus*, & lectus *delicatum vivorum ſepulchrum.* Et ſic de reliqvis omnibus locis, qvæ rebus humanis ſpeciatim conveniunt veluti *ſiderea templa, & Jovis arx* cœlum dicitur, *fulminum officina* nubes, *ventorum palæſtra* aer, *humida regna cærulei campi, fluminum diverſorium* mare, & *inſani maris carcer*, littus, *veris theatrum prata* amœna, *frondoſa canentium avicularum orcheſtra*, ſylva, *prærupta ferarum aſyla* earundem cubilia & cavernæ. Et Martialis in eleganti illo Epigrammate:

in

Digitized by Google

In viperam electro incluſam, acumen ponit in comparatione cum pretioſo Cleopatræ Mauſoleo:

Ne tibi regali placeas Cleopatra ſepulchro
Vipera ſi tumulo nobiliore perit.

Et contra locorum vocabula qvæ aliis rebus propriè conveniunt *metaphoricè* homini tribuuntur, ut Homerus patriam Ulyſſis appellat *dulcem nidum ſcopulo affixum*, & Piſonum domum Cicero vocat *triumphorum ſeminarium.* Et in malam partem lupanaria Plautus appellat *libera luſtra*, ob ſimilitudinem cubilium in qvibus feræ deliteſcunt. Item ovile & bubile domum alicujus idiotæ & rudis hominis. Et Jul. Cæſar ab inimicis dictus fuit: *ſtabulum Nicomedis.* Sic ex inſtrumentis Mechanicis, id qvod aliud continet: veluti *vas, vagina, clauſtrum. &c.* ad alia transfertur, veluti Tullius corpus appellat *animi vas* & Ovidius pharetram *telorum cuſtodem* & Dantes pellem vocat *membrorum vaginam.* Unde Apollo Marſiam pelle detracta *evaginaſſe* dici poteſt.

Sed pulcherrimæ ſunt translationes à locis phyſicis & materialibus ad res *immateriales & morales*, ut *virtutis arx* pro animo qvi vitiis expugnari non poteſt, & *doctrinarum atrium* pro Logica, & apud Saluſtium *rudimenta & incunabula virtutis*, & Cicero domum Iſocratis vocat *officinam Eloqventiæ.* Et *argumentorum patriam* locos Topicos, & *ſcientiæ penetralia* ſubtiliores ſpeculationes, & in contemtum Capuam vocat *domicilium ſuperbiæ & ſedem luxuriæ.* Sic Plautus arrogantem appellat *ſtabulum confidentiæ.* Idem nomen MUNDUS & *materiato & morali* mundo ſervit, qva homonymia, cum Philoſophus qvidam dixiſſet, Democritum & Anaxagoram multos feciſſe mundos, Satyricus qvidam reſpondit: nec unqvam pejorem feciſſent, qvam qvi nunc eſt.

Hac figura Poëtæ utuntur in aſſignanda divinitatibus ſuis FABULOSA PATRIA: veluti Veneri *ſpumam maris*, Baccho *collem* eumqve ad littus *maris*, ut patriam utriqve commodam tribuerunt, & Cereri *Siciliam* apud Ætnam, ubi campi ſunt omnium fertiliſſimi, & Muſis utut in *Pierio* paupere pauperis Theſſaliæ monte natis ſedem & domicilium in amœno ſed ſolitario *Heliconis* monte aſſignarunt qvoniam ſcientiæ, utut induſtriæ paupertatis filiæ, aprica & ſola

& ſola amant loca. Hinc etiam ſumuntur ſingularia illa inventa PALATIORUM, ſub qvorum ſignificatione aliqvod *myſterium* latet, veluti *regia ſolis* aureis parietibus ſupra columnas gemmeas ab Ovidio nobiliter exſtructa, & *palatium chryſtallinum nymphæ Cyrenes* ſub undis fluminis Penei, & *palatium ſomni* à Luciano ingenioſè deſcriptum in ſpiſſa ſylva ad ripam Lethes templo noctis vicinum, & alia ſexcenta. Hinc deniqve multa ducuntur *ænigmata* de qvibus ſuo loco.

Metaphoris *loci* ſuccedunt metaphoræ MOTUS, eò pulchriores & vividiores, qvo magis rem oculis, ut dictum eſt, ſubjiciunt. Et primum ſunt *motus naturales* FACULTATIS VEGETANTIS ut *naſci*, proprium eſt fœtus, *erumpere* de pullo dicitur qvi teſtam ovi frangit, *pullulare* de herbis, *florere* de floribus, *gemmare* de gemmis, & *voces augmentativæ* ut *adoleſcere* proprium hominis *gliſcere & vernare* proprium plantarum. Ex qvibus bellæ naſcuntur metaphoræ *à ſpecie ad ſpeciem* vocabulis inter ſe permutatis aut ad diverſa translatis. Sic pulchra metaphora dixerunt, *gemmare vites* pro germinare, *floret adoleſcentia*, *viriditas herbarum adoleſcit*, *floret exercitus armis*, *pariente aurora Sol naſcitur*, *aſtra denaſcuntur* Et Plinius de adamante loqvens Arabico: *illi pallor gentis & in auro non niſi excellentisſimo natalis*. Sed ingenioſisſime transferuntur ad immateriata & moralia ut: *naſcitur ea mihi occaſio*. Et Seneca: *omnia noſtra ſcripta dum naſcuntur, nobis placent*. Cicero: *omnium ſcelerum & audaciæ maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit*. Livius: *gliſcente in dies ſeditione:* Tullius: *hæc tua juſtitia & lenitas animi floreſcet qvotidie magis*. Seneca: *adoleſcebat lex majeſtatis*.

Idem obſervatur *in motibus naturalibus* PROGRESSIONIS. *Moveri aſtra*, *ambulare homines*, *progredi pecudes*, *natare piſces*, *volare aves*, *ſerpere angves*, *repere lacertas*, propriè dicimus, qvæ vocabula eleganter *à ſpecie ad ſpeciem* inter ſe commutantur aut aliis rebus applicantur. Seneca: fumus *altè ſerpit* in cœlum. Cicero: errantes ſtellæ *progrediuntur*, ut ſi diceres *ſtellæ in ſolio cœleſti prodeambulant*. Ovidius: *volitant* ſuper ora favillæ. Et Cicero: *Cum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares* i. e. ambulares. Virgilius: Inter victrices hederam tibi *ſerpere* lauros. Plinius: Adminiculatæ ſudibus vites *reptant*, pampinorumqve ſuperfluitate amplo *diſcurſu*

atria media complectuntur. Et Columella utitur voce *natare* pro *ſerpere*. Summa parte terræ *natantibus* radicibus. Similter rebus inanimis hi motus non ſine elegantia & vehementia tribuuntur. Seneca: *Eunt* ſcelera per cunctas domos, qvo *vitium* inſtar hominis audacis repræſentatur, qvi ſe ubiqve ingerit. Ovidius: amor in pectore *ſerpit*. Statius: medio *natat* umbra profundo. Cicero: *irrepit* error in hominum mentes. Ovidius: *volat* dubiis victoria pennis.

A motibus ARTIFICIOSIS veluti *eqvitare*, *velificari*, *remigerare*, *vehi*, *rapi*, *&c.* Virgilius: illum prono *rapit* alveus amne. Horatius de vento: cœruleis *eqvitare* campis. Et ſervus Plautinas puellas facetè alloqvitur. *Eqvo igneo* per vias cœruleas eſtis *vecta*. Et hac figura *à ſpecie ad ſpeciem* tueri poſſumus Saluſtium immerito reprehenſum ab Aſinio Pollione cenſore inter Grammaticos maximo, qvod *transgredi* dixerat pro *transnavigare*. Sed vivida fiunt ejusmodi verba à *phyſicis* ad *metaphyſica & incorporea* translata, ut *enatare* maximis ex difficultatibus. Et Cicero: tanqvam ratis in mari immenſo noſtra *vehitur* oratio. Florus de Bruto loqvens: Favori civium etiam domus ſuæ clade & parricidio *velificatus* eſt: Metaphora è Cicerone ſumta: ſe poſſe in turbulenta ratione honori *velificari* ſuo. Virgilius: me deſerta per avia dulcis *raptat* amor. Seneca: fulgor teneris qvi radiat genis, momento *rapitur*.

A motibus SITUM UNIVERSI reſpicientibus veluti *moveri à loco*, *ad locum*, *per locum*, *intus*, *extra*, *circa*, *deſcendere*, *ſalire*, *vacillare &c.* Ovidius ejusmodi motibus *Mæandrum* fluvium placidiſſimum depingit:

- - liqvidis Phrygius Mæander in undis
Ludit: & ambiguo lapſu *refluitq; fluitq;*
Occurrensq; ſibi venturas adſpicit undas
Et nunc ad fontes nunc *ad* mare *verſus* apertum
Incertas *exercet* aqvas &c.
In mare *deducit feſſus erroribus* undas.

Ejusdem metalli eſt Virgilii metaphora de ventis, qvos æqvora dicit *verrere*, & hæc Ovidii: ſtellarum agmina *cogit* Lucifer tanqvam paſtor

ſtor gregem, & *mulcebant* zephyri natos ſine ſemine flores. Non cœlum *ſparſerat* aſtris. Sed ſingulari elegantia hæc verba transferuntur ad res *corporis expertes*. Ovidius: forte pervenit ad aures Orithya tuas i. e. *fama Orithyæ*. Petronius: in ſcientiæ latebras acutum ſe ingenium *penetrat*. Ovidius: per funera Mauros *aſſultat*, madidisqve *errat* victoria pennis. Et omnes hæ elegantiores locutiones: recti *metas contingere*, omne *diſceſſit* decus, veſtræ *accedo* ſententiæ, *ſcandere* ad pietatis arces, *exire* de mentis poteſtate, *emergere* ſe magnis ex difficultatibus, *repellere* preces, *vagari* animo, ingenio *peregrinari*, per ambages & anfractus ſpem diu *circumagere*, *deſcendere* in ſeſe & ſuam imbecillitatem agnoſcere. Et Virgilius: *Varium & mutabile* ſemper fœmina. Unde argutè non nemo dixit, *fœminas plus de cœlo trahere qvam mares*, cum mobiliotes ſint. Sic ut in laudem mulieris pingere poſſis *globum cœleſtem* cum dicto: VARIUM & MUTABILE SEMPER.

Sic etiam percurre *motus* LENTOS aut VELOCES: haſta *volat*, *volabat* ambiguis mobilis alis hora, res eſt forma *fugax*, *fugiente* dulcis murmurat rivo ſonus, *præcipitare* moras *velis remisq;* contendere, animo *reſtitare*, *moras* bello nectere.

Et motus RERUM LIQVIDARUM. *Manare* beneficiis, ſenſim *inſtillare* doctrinam, *fluxas* opes ſeqvi, *fluunt* per colla comæ, flendoqve dolorem *diffudit* miſeranda ſuum.

Ab hac *figura* inprimis naſcitur *energia*, qvæ robur & nervos orationi conciliat, nam qvi dicit: *Pyrrhus iratus* EST langvidè & remiſsè loqvitur. Vividius eſt, qvod Statius dicit: STANT *in vultibus ira*. Major adhuc vis eſt in hoc Ovidii: *at illis ira ferox* MOTA EST. Longè maxima in Virgilii iſto: FLUCTUAT *ira intus*. Qvo enim fortior eſt *motus*, eò vividior eſt *translatio*.

Hinc porrò intelligimus, qvi *ſtatus* imagines deceant, qvibus velocitas ſignificatur. Veluti alæ, qvæ *famæ*, *victoriæ*, *tempori* appinguntur, *capiti* item *pedibusq;* *Mercurii* miniſtri Jovis, ut intelligamus principum adminiſtris celeriter percipienda eſſe & exeqvenda Dominorum juſſa. Et Auguſtus Cæſar nummos ſignans *Delphino anchoræ* circumplexo, ſymbolum illud ſuum prudentiæ expreſſit: FESTINA LENTE.

Hinc deniqve prodeunt *ſalſa* qvædam *dicteria in Metaphora motus*

Digitized by Google

tus fundata, qvale fuit illud Jul. Cæſaris in oratorem humeros & caput indecore moventem, *qvis loqvitur è lintre?* Et facetiſſimus Craſſus cum eundem vicinum Conſuli vidiſſet, qvi devinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, *nunqvam*, inqvit, *gratiam huic Oratori referes, qvi niſi ſe ſuo more jactaviſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent.* In utroqve dicto eſt *metaphora motus* in eandem rem ac ſi alter dixiſſet: *hic linter eſt fluctuans*, alter: *iſte eſt flabellum abigendis muſcis.* Sed figura *ingenioſa* adjuta fuit & excitata ratione *pathetica.*

Venio ad *octavam ſpeciem*, qvæ qvidem ex recepto in ſcholis ordine præcedere debebat. Hæc eſt, qvæ TEMPUS pro TEMPORE accipit, metaphora eò cœteris *ingenioſior*, qvod reliqvæ ſenſibus expoſitæ ſunt, ſed tempus adeò ſentiri non poteſt, ut ſola metaphoræ vi ope ingenii ſenſibus ſubjiciatur.

Primum autem, qvod admirabiliter præſtat hæc metaphora, eſt res præteritas aut futuras tanqvam præſentes exhibere. In qvo genere ſingularem vim habet hæc Senecæ locutio: *Lycus Creonti debitas pœnas* DABIT, *lentum eſt*, dabit; DAT. *Hoc qvoqve lentum eſt* DEDIT. Ac ſi diceret: *tam certum eſt eum moriturum, ac ſi jam eſſet mortuus.* Et Oedipus Paſtori: *Secreta thalami fare, qvo* EXCIPIAS *modo*, pro *exceperis.* Sic Virgilius Æneam Tyrrhenum mare ſulcantem reperire facit portum Velinum: *portusq́; exqvire Velinos*, & Agrigentum videre, *Arduus inde Agragas oſtentat maxima longe mœnia*, cum conſtet illo tempore nec Veliam Lucanorum, nec Agrigentũ Siciliæ aut muros aut nomen habuiſſe. Unde errorem forte Virgilii tanqvam figuram ſuſpicimus. Attamen ejusmodi facta præter veriſimilitudinem inſerta ſæpius fiunt artificioſa Epiſodia, ut inter recentiores Arioſtus in *Crypta Merlini* temporibus *Caroli M.* cognoſcenda præbet bella *Caroli VIII.* ſeramqve pœnitentiam *Ludovici Mori*, qvi ſuo ſibi jumento bellorum mala acciverat. Sic Comici hujus incantatricis metaphoræ virtute alterius *ſeculi* actiones & perſonas, qvæ cum ſuo *ſeculo* conſiſtere non poſſunt, permiſcent. Qvomodo Sophocles in pulcherrima ſua Tragœdia Oreſtem mori facit ludis Pythiis, qvi ſexcentis demum annis à morte Oreſtis cœperunt. Paribus anachroniſmis ſeu laudatis ſeu toleratis refertæ ſunt *Hiſpanorum Comœdiæ*, qvæ cum produxerunt Ramirum Regem, anteqvam exſpuas,

Digitized by Google

exſpuas, Carolum V. tibi exhibent, aç ſi qvingentos dormiſſes annos, ut horum Muſæ Sirenes cœleſtes eſſe videantur, qvarum ad arbitrium orbes cœli circumferantur. Eadem figura *pictores* (muti Poëtæ) ſæpe utuntur ſeu ignorantia, velut is qvi *Achillem* pinxerat nuptiis *Patris* ſui Pelei aſſiſtentem, ſeu ſimplicitate, ut Maſaccius, qvi in tabula annuntiationis *virginem* beatam pinxit qvæ recitaret preces coronarias ſecundum globulorum numerum. Qvæ omnes ſunt metaphoræ ab una temporis ſpecie ad aliam.

Pari licentia termini omnes temporis exterioris commutantur. Sic *dies* ponitur pro longo tempore: *longa DIES homini docuit parere leones.* Et contra *tempus longum* pro die: *quid craſtina volveret ÆTAS?* aut *annus* pro longo tempore. Terentius: *fœmina dum poliuntur, dum comuntur ANNUS eſt.* *Aut ætas* pro anno. Varro: ÆTATEM *vix decimam ingreſſus.* *Aut anni quadrantes aut actiones* aut aliam menſuram exteriorem pro ipſo tempore. Sic *multas HIEMES atque octogeſima vidit* SOLSTITIA. Et Martialis de ſene: *hic prope ter ſenas* vidit OLYMPIADAS. Et de alio: *Bruto* CONSULE *natus.* Veluti Horatius de *amphora* ſua: *O nata mecum* CONSULE MANLIO. Et vetula à Gellio dicitur: MATER EVANDRI. Et Plautus argutè *Sileni* epitheton ſeni adjecit: *Ecqvem vidiſtis recalvum ac* SILENUM *ſenem?*

Eſt alia pulchra ratio, qva una ſpecies durationis pro altera (ut jam diximus) accipitur. Sic Ovidius de qvatuor anni temporibus non aliter ac de humanæ ætatis gradibus loqvitur:

Nam tener & lactens pueriq; *ſimillimus annus,*
Vere novo eſt: tunc herba nitens & roboris expers
Tranſit in æſtatem, poſt ver robuſtior *annus,*
Fitq; valens juvenis: *neq; enim robuſtior ætas*
Ulla nec uberior, nec qvæ magis ardeat, ulla eſt.
Excipit autumnus poſito fervore juventæ
Maturus *mitisq; inter* juvenemqve ſenemqve.

Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu
Aut ſpoliata ſuos aut qvos habet alba capillos.

Sed ingenioſior qvia remotior eſt *Lucii Flori* metaphora qvæ qvatuor *Populi Romani* tanqvam unius corporis *ætates* depingit. *Si qvis Populum Romanum qvaſi hominem conſideret, totamq; ejus ætatem percenſeat, ut* cœperit, *ut* adoleverit, *ut qvaſi ad qvendam* juventæ florem *pervenerit, ut poſtea velut* conſenuerit *qvatuor gradus progreſſusq; inveniet.* Hinc *infantiam* ejus ſub regibus per ducentos qvinqvaginta annos repræſentat, *adoleſcentiam* in proximis ducentis qvinqvaginta annis à Bruto ad Appium Claudium, *virilem ætatem* aliis ducentis annis ad Cæſarem usqve Auguſtum, & *ſenectutem* reliqvis ducentis annis à Cæſare ad ſua tempora ſub Trajano, *qvibus qvaſi inertia Cæſarum* conſenuit atqve *decoxit.* In hunc modum poëtæ veteres qvatuor *ætates mundi* fecerunt, primam Auream, qvæ forte vix viginti qvatuor horas duravit: alteram Argenteam ubi virtus aliqvantum degeneravit, tertiam Æneam, & poſtremam Ferream in qva adhuc vivimus.

Pulcherrimæ porrò ſunt translationes à vocibus *temporis interioris* ad corpora phyſica, ut INFANTULI *flores*, DECREPITA *quercus*, Virgilius: LACTENTIA *frumenta* Statius: SENIO *venerabile nemus.* Ovidius: *nec longa referuntur vina* SENECTÆ. Horatius: *merum* QVADRIMUM.

E converſo homini tribuntur omnes *durationes* rerum inanimatarum. Sic *ſenectus* dicitur *gelida* BRUMA, *ætas* ADVESPERASCENS, *cana* HIEMS, & *virilis ætas* AVTUMNITAS *hominis*, *annorum* MERIDIES *ætatis SOLSTITIUM.* Ovidius de puella: *nubilibus* MATURUIT *annis.* Et de alia, qvæ adoleſcentula defuncta erat, *in ipſo APRILI ſucciſa: & Arioſtus.*

Era anco ſul fiorir di PRIMAVERA
Sua tenerella, e qvaſi acerba etade.

In hoc genere ſita eſt argutia Juvenalis in *vetulam* rugoſam qvæ juvenis videri volebat: *Facies tua computat annos*; tanqvam rugæ fuiſſent totidem lineæ horologii ſolaris. Et de muliere ſubfuſca, qvæ

ex

Digitized by Google

ex viginti qvatuor diei horis ſolas duodecim ſomno vendicabat, acute dictum fuit: *mirum non eſt huic mulieri toto anno eſſe* ÆQVINOCTIUM, *qvæ ex Æthiopia usq́; eſt.*

Etiam ad *Metaphyſica & incorporea* transferuntur durationes temporis phyſici tam exterioris qvam interioris, ut *virtus* SENUIT, ANTIQVAM *ſuam verſutiam retinet vulpecula, virtuti ſunt* COÆTANEA *vitia*, PRÆCOX *ingenium*, TEMPESTIVUM *beneficium*, PRÆMATURA *fortuna cito decoqvit.*

Sed vividiſſimæ ſunt metaphoræ, qvæ de *tempore* loqvuntur, tanqvam corpore materiato *peregrinis locutionibus* ex qvacunqve *Categoria* ductis, veluti à SUBSTANTIA: *tempore*, *anno*, *horis* tanqvam Numinibus repræſentatis, qvæ Ovidius in *palatio ſolis* deſcripſit, *à dextra lævaq́; dies & menſis & annus ſeculaq́; & poſita ſpatiis æqvalibus horæ. &c.* A QVANTITATE: *metiri tempus*, *diſponere*, *æqvare*, *numerare momenta*, *tempus anguſtum aut longum.* A QVALITATE: *tempus jucunde conterere, dies candidi, fauſti, hora propitia, felices, anni tranqvilli aut turbulenti, tempus ſanctum, improbum, invidum. &c. A RELATIONE: tempus rerum parens frater mortis, filius cœli, fati ſocius, magiſter prudentiæ & artium. &c. AB ACTIONIBUS: tempus partus ſuos devorat, marmora corrodit ſeipſum occidit, de omni pulchritudine triumphum ducit, vultum rugis arat, prata floribus veſtit, campos renovat, ſecreta aperit, veritatem in apricum protrahit, mundum ſurſum deorſumqve vertit, nullaq́; non dies famoſi ſpolium corporis abſtulit. A PASSIONIBUS: ſumere aut perdere tempus, manus tempori injicere, illud otio conſumere, cum felicitate copulare, de illo factis egregiis triumphare. A LOCO: horæ habitant in regia ſolis tempus ſphæris inſidet. A MOTU: tempus lubricum aut lentum, fugit, redit, anni effluunt elabuntur, horæ volant. A TEMPORE* ipſo: *tempus antiqvum recens, & ſic* qvoqve à Categoria HABITUS de qva nunc dicere aggredimur.

Eſt itaqve ultima ſpecies metaphoræ ſimilitudinis, qvæ HABITum pro habitu accipit, qva licentia Virgilius regi Pico Latini regis

gis avo *trabeam* induit: *Ipſe Qvirinali lituo parvaqve ſedebat ſuccinctus trabea*, cum *trabea* genus eſſet pallii auguralis à *Romulo* multis annis poſt Picum inventum. Eadem figura alium ejus locum tuentur ubi Æneas victorem donat chlamyde aurea: *victori chlamydem auratam. &c.* qvamvis talis ante Numam (ut eruditi affirmant) vix conſpecta ſit.

Sed ut has qvoqve metaphoras certis capitibus intexam, primum omne id qvod *rem qvandam operit*, eleganter poteſt appellari VESTIS. Collumella, *arbores, ubi ſe frondibus* veſtiverint. Idem: veſtire *agrum vineis*. Cicero: *riparum* veſtitus *viridisſimi*. Plinius: veſtita *floribus tellus*. Sic veſtire *hamum eſca*. *Gladius vagina* indutus inducere *pectore tela*, induere *ſe locis ſenticoſis* qvæ ſunt phraſes nobilisſimæ, & Seneca: *Nunc manum cerebro* indue, qvo videre nobis videmur manum crudeliter & profundè cerebro immerſam. Et contraria metaphora: aperire vocatur *ſpoliare*, & omnis privatio nuditas. Lucretius de ſerpente: Exuit *in ſpinis veſtem*. Et *ſerpens ſenectam* exuit. Virgilius: *poſitis novus* exuviis *nitidusqve juventa*. Seneca: *non ſic vere novo prata decentia, aſtatis calidus* diſpoliat *vapor nullaqve non dies formoſi* ſpolium *corporis abſtulit*. Et Cicero facetè hac metaphora in ſtatuam eminentem Verris luſit: *Huic fornix in foro Syracuſis eſt, in qvo* nudus *filius ſtat: ipſe vero ex eqvo* nudatam *à ſe provinciam proſpicit*.

Sed pulchriores vividioresqve fiunt *veſtimentorum voces* ad *partes* relatæ, qvibus adaptantur. Sicuti igitur frondoſa faſtigia vocantur APICES & Plinius *apices* nominat criſtas qvarundam avium metaphora ducta à priſcis *mitris* pontificum. Qvæ alterutri lateri conveniunt veſtes, vocantur MANICÆ unde *manicata* vaſa & Italia à Coſmographis dicitur *manica* Europæ; qvod pectus tegit dicitur LORICA unde Auſonius: & loricato *ſqvamoſus pectore piſcis*. Quod ex veſte humum verrit SYRMA ſeu *tractus*, videlicet *cauda* pallii in Tragœdiis adhibiti: unde *radiato* ſyrmate *funeſtisſimi cometa Tragœdias donant*. Sic jocans nubes poſſes appellare *petaſum* montium & nives congelatas frigidam hiemis *penulam*, & florentes oras collium *cothurnum*. Sed ob *integumentum totius rei* cortices arborum & pellis cerebri à phyſicis vocantur TUNICÆ, & Martialis craſſa æmuli ſui ſcripta vocat: TOGAM Cordyllorum & PENULAM olivarum.

Etiam

Digitized by Google

Etiam à *coloribus* ſpecialiores formæ capiuntur, unde qvidam de liliis dixit: *ſalvete florum* CANDIDATI *lilia*, tanqvam toga candida florum conſulatum ambirent, & purpurea roſa, *trabeata* florum matrona, pavo ob plumas aureas *chlamydatus* avium princeps, nigra vaccinia *atrati florum pollinctores*. *Ob tenebras noctis roſcida funereo induta paludamento exſtinctum natura Solem lacrumatur*. Et loca floribus pictisqve avibus variè diſtincta vocantur *Babylonica telluris aulæa*, *vegetæ naturæ emblemata*, *periſtromata belluata*, i. e. Arabico more elaborata. Qvæ metaphora qvoqve jacta fuit in juvenculum veſte ſerica ſuperbientem. Cum enim ex condiſcipulo ſuo qvæſiſſet, qvid ipſi de tali veſte videretur: *nullum*, inqvit iſte, *veſtimenti genus tibi convenientius eligere potuiſſes*. Illo cauſam ſciſcitante, reſpondet ſtudioſus, *iſta enim à Latinis propriè appellatur veſtis* BELLUATA.

Qvod ſi veſtis *ſuperficies* minutis qvibusdam ornamentis eminet & diſtingvitur, iſta GEMMÆ dicuntur & SEGMENTA. Unde ad veſtium ſimilitudinem ſolemus dicere *vitis* GEMMÆ, *herbæ virides roris* MARGARITIS *diſtinctæ*, *liqvidi oculorum* UNIONES, *veſtis gemmarum* STELLIS *& cœlum ſtellarum* GEMMIS *ornatum Luminum* CLAVIS *transfixum viviſq; flammis* FIMBRIATUM. Et qvidam *ſtellas* vocant CLAVOS *argenteos nigri pallii noctis*. Sic ludens diceres: *hujus facies variolis eſt* SEGMENTATA, *inciſuris* DISSECTA, MUSAICO *Cicatricum opere* ELABORATA.

Sed & *figura* particulares formas ſubminiſtrat. Sicuti enim ſub Categoria HABERE continentur *annuli*, *collaria*, *ſceptra*, *gladii arma inſignia*, omnisqve adeo habitus: ſic voces illæ ingenioſe ad ſimilia transferuntur. Unde *flavus* ille in roſa *circulus* vocari poteſt *aureum roſæ* DIADEMA, & lilia dicuntur SETIGERI *flores* ob fila illa, qvæ intra folia emergunt. Et *ſepes* hortorum SATELLITES, unde ſpinæ erunt ipſorum HASTÆ & SAGITTÆ. Sic de nocturno furunculo, qvi interdiu annulis in digito aureis dominū agebat, dictum fuit: Annulus *cruribus illius melius conveniret qvam digitis*. Et Paraſitus nobilitatem ſuam extollens: *Patrem*, inqvit, *habui* TORQVATUM *eqvitem*, qvi ſcil. vitam finierat gula laqveo ſ. *torqve cannabino* fracta. Et alius: *majores mei graviſſima Reipubl.*

ONERA *ſuſtinuerunt*, qvi nimirum ferendis ſarcinis à Republ. conducti fuerant.

Qvin hæc ipſa *Categoria* porrigitur ad omnes illas res qvæ à nobis poſſidentur, tanqvam *divitiæ theſauri*, *ſuppellectiles.* Unde qvicqvid ſupereſt, *divitiarum* nomen habet: & qvicqvid deeſt, *paupertatis.* Unde dicimus: *flumen aqvis* DIVES, *planta fructus* EGENS, *autumni* DIVITIÆ, *Cereris* THESAURI, *Diogenis* SUPPELLEX videl. *cochlear* ligneum & *lagena* vacua. Qvin ea, qvæ *deficiunt* atqve adeo *vitia* huc pertinent, ut *oculus luſcus*, *naſus ingens*, *gibboſum tergum*, qvoniam ſuo modo ab iis poſſidentur, qvi iſtis laborant vitiis. Sic monoculo dixit paraſitus Auguſti: *Tu qvidem ſine PERSONA Cyclopem poſſes agere*, alii naſo aqvilino longe maximo prædito qvi liberalis videri volebat, reſponſum fuit: *Ipſa es liberalitatis imago, qvi CORNU COPIÆ facie præferas.* Et de Caroli V. ſcriba gibboſo, cum literas qvasdam cum aliis communicaſſe argueretur, aulicus qvidam dixit: *Vix illud crediderim, ſemper enim SCRINIO ſuo adhæret.*

Sed omnia hæc vocabula rerum *materiatarum* translatione *à genere ad genus* ingenioſè rebus *immateriatis & moralibus* applicantur. Cicero de eloqventia Hortenſii ſenſim refrigeſcente, poſtqvam nives in illam incidebant, loqvens: veſtitu *illo orationis*, *qvo conſueverat*, *ornata non erat. Et ſyrma tractusq; orationis* verborum pompa appellatur. Et Martialis verſuum acumina gemmas appellat, comparatione inſtituta cum iis, qvas autor verſuum digitis geſtabat: *Multas in digitis, plures in carmine gemmas.* Livius: *induere novum ingenium.* Cicero: *induere perſonam judicis* & contra: *exuere fortunam, honoribus ſpoliari*, *nuda veritas* qvæ ſæpe frigore enecatur, & priſcum verbum *Amor veſtem non habet*, qvo uſus eſt filius familias adverſus Patrem ſe accuſantem, qvod pretioſas veſtes turpiſſimæ cuidam Laidi donaverat. Ab eadem hac Categoria argutæ pendent inventiones in repræſentandis ſymbolicis *idearum*, *divinitatum*, *anni*, *temporum*, *provinciarum*, *virtutum*, *vitiorum*, *perſonarum in ludis & ſaltationibus larvatis* veſtimentis. Sic Lucanus *Romam* deſcripſit Cæſari ad Rubiconem lugenti habitu occurrentem:

Ingens

Ingens viſa Duci patriæ trepidantis imago
Clara per obſcuram VULTU mæſtisſima noctem,
TURRIGERO canos effundens vertice CRINES,
CÆSARIE lacera NUDISq; adſtare lacertis.

Et Ovidius qvatuor *anni tempora* cum ſuis ornamentis circa thronum ſolis deſcribit:

Verq; novum ſtabat cinctum florente CORONA
Stabat NUDA æſtas & SPICEA SERTA tenebat
Stabat & autumnus calcatis SORDIDUS UVIS
Et glacialis hyems CANOS hirſuta capillos.

Sed de hac *ſpecie ſymbolica* alibi dicemus.

En lector ingenioſe, qvam latum campum tibi aperiat vel prima ſpecies METAPHORÆ SIMPLICIS SIMILITUDINIS, ubi occaſionem reperis rem unam mille modis metaphoricis ſemper novis ſemper pulchris nominandi, ingenio ad unamqvamqve *categoriam* celeriter converſo, cujus rei ut unicum tibi exemplum præbeam, non diſcedam à voce ROMA, qvam per octo genera jam ante duxi & videbis in hac ſylva, qvot ſingularibus modis nominari poſſit ex ſolo genere SIMPLICIS METAPHORÆ SIMILITUDINIS, ut nec alias ſpecies ingrediamur, nec eruditiores & abſtruſiores hujus generis metaphoras attingamus, de qvibus alibi.

A Subſtantia.

Urbium Dea, cælum terrenum, Sol Chriſtianiſmi, flos Europæ, nova Hieruſalem &c.

Digitized by Google

A qvantitate.

Parvus mundus, compendium univerſi, unica Phœnix, urbs immenſa, & urbium menſura &c.

A figura.

Cæcorum oculus, hydra ſepticollis &c,

A qvalitate.

Civitas ſancta, mundi ornamentum, ſplendor Italiæ, amor populorum, honos Numinis, terror inferorum, ſtupor artis & naturæ &c.

A relatione.

Filia Romuli mater Cæſarum, nutrix fidei, Magiſtra artium, urbs Regum & regina urbium, æmula Paradiſi &c.

Ab actione.

Dominatrix mundi, domitrix barbarorum, deſtructrix hæreticorum, ſanctificatrix juſtorum &c.

A paſſione.

Civitas à gentilibus adulterata, à Pontificibus ſanctificata, à Gothis lacerata, à fidelibus reſarcita, ſcopulus armorum, amicorum & hoſtilium, ludus fortunæ, malevolorum ludibrium &c.

A ſitu.

Urbs Tiberi inſidens, ſeptem montibus innixa, imperii ſedes, caput mundi, centrum fidelium, apogæum gloriæ, ſcala cœli &c.

A tempore.

Urbium antiqviſſima, Evangelii primitiæ, civitas immortalis, ingeniorum ver, religionis ſolſtitium, ſeculum in medio ferreo aureum &c.

A loco.

Patria communis, ſedes Petri, regia Chriſti, ſanctorum conditorium, Muſarum Parnaſſus, templum virtutis, theatrum magnificentiæ, nidus aqvilarum &c. A mo-

Digitized by Google

A motu ejusqve contrariis.

Oculorum magnes, hæreticorum naufragium, peregrinantium portus, errantium dux, mare inter tempeſtates tranqvillum, fortuna Euripus &c.

Ab habitu.

Gratiarum theſaurus, Italiæ gemma, Europæ ornamentum, corona mundi, adamas in annulo univerſi &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum igitur primus hic fons metaphorarum tantam copiam afferat: cogita, qvale diluvium ex reliqvis ſeptem exundare poſſit? De qvibus tamen animus non eſt tantam recludere venam, ſed qvaſi guttas qvasdam brevi ſpecimine ſuppeditare. *Argutiarum* enim prima iſta & qvæ nunc ſeqvitur metaphora præcipuæ ſunt ſcaturigines, reliqvæ ſunt acceſſoriæ & veluti iſtarum rivi. Unde qvod in his poſitum eſt laboris, reliqvis omnibus inſerviet, dummodo eandem Categoriarum methodum ſeqvaris, qvam audies.

METAPHORA SECUNDA ATTRIBUTIONIS.

CAP. X.

ALTERUM GENUS metaphorarum eſt METAPHORA ATTRIBUTIONIS, qvæ vocem transfert non à *ſimili ad ſimile*, ſed à re qvadam *conjuncta*. Sic ut ſeqvar inſtitutum ordinem:

A prima *Categoria* elegantia duces translata, qvæ per GENUS SPECIEM aut INDIVIDUUM per SPECIEM repræſentant. Ut URBS pro Roma apud Liviū & Claudianus: *militat omne* FERÆ *corpus*, pro erinaceo & Virgilius: *ſi forte VIRUM qvem* pro homine magnæ autoritatis & ponderis. Et ſæpe adjicitur Epitheton, qvod ab aliis ſubſtantiis vocem diſtingvat ut FERA *magnanima* pro leone FERÆ *natantes* pro piſcibus, ARBOR *palladis* pro olea.

Aut *genus* pro *ſpecie* ponitur ut: ERIMANTEUS *aper* pro qvocunqve apro & NEMÆUS leo pro qvocunqve leone, ut diximus. Pariter materia ſola pro materiato, ut Cicero: *In ſervorum FERRUM*

Digitized by Google

incidere pro gladio. Ovidius: DENTIBUS *Indis* pro ebore elaborato. Virgilius: *transverberat* ABIETE *pectus*, pro lancea. Statius: *plena laſſatur portitor* ALNO pro cymba Charontis, & Seneca: *capaci ducit* ARGENTO *merum* pro poculo argenteo. Et candidus LAPIS pro margarita, *& gracili levis armata ferro*, CORNUS pro ſagitta.

Interdum *individuum* ſeipſum ſignificat peculiari qvadam ratione, ut Medea apud Senecam maternum animum exuens: MEDEA *nunc ſum: crevit ingenium malis*. Et Herodices adverſus Thraſymachum: *ſemper tu* THRASYMACHUS *es*. Et ita adverſus Polum: *ſemper tu* POLUS *es*. Sic etiam vox grammatica, *nomen*, tanqvam genus metaphyſicum, ſignificat individuum aliqvod phyſicum ſub ſpeciali reſpectu veluti: MAGNUM NOMEN pro viro magno, & Virgilius de Megæra: *Cui* NOMINA *mille* i. e. qvæ multas perſonas ſuſtinet. Laberius: *ſepulchri ſimilis, nihil niſi nomen retineo*. Cujus generis eſt jocus metaphoricus: *cornu eſt* NOMEN *indeclinabile*.

Etiam ab hoc genere proficiſcuntur *accidentia abſtracta* divinitatum, virtutum, affectuum, Muſarum, fortunæ, temporis & ſimilium, qvæ inſtar ſubſtantiarum animatarum repræſentantur unde multa fiunt *ſymbola tam communia qvam heroica*, *emblemata hieroglyphica & argutia*. Sed qvoniam horum ſignificatio ab aliis *Categoriis* pendet, de iis ſuo loco dicetur.

A QVANTITATE primum ducitur metaphora, qvæ *totum pro parte* ponit, ut Virgilius: *ſectus* ELEPHAS pro ebore & *tribus* TAURIS *intextum opus* pro ſcuto ex triplici bovis corio. Et contra *pars pro toto* ut MUCRO pro gladio, *anima ditandum Argolica* pro homine & *polus* pro cœlo, *pontus* pro mari.

Aut *figura pro re figurata* ut DELTA pro Ægypto CURVUS *Planeta* pro Luna, ORBIS pro mundo aut ſcuto. Idem dico de pondere ut Virgilius de Metabo loqvens: *charoq;* ONERI *timet* intelligens Camillam infantem qvam humeris geſtabat. Et apud eundem ruſticus: GRAVIS *ære domum mihi dextra redibat* i. e. multa pecunia onuſtus revertebar.

Ab hac ſpecie multa qvoqve ducuntur *arguta cognomina*. Sic miles cui nomen ALEXANDER, ignaviſſimus homo ſed immenſa mole corporis, qvæ ſenſus oppreſſerat, joco dictus fuit à commilitonibus *Alexander* MAGNUS. Et Senecionem GRANDIONEM

NEM vocabant oratorem illum Longurionem nulla venuſtate, de qvo diximus. Et ex figura membrorum cognomina tulerunt PLATO, LABEO, DENTO & *Ovidius* NASO ob longam tubam, & Galbæ ob naſum *ſimum* adhæſit cognomen ex fabulis Attelanis ſumtum SIMUS De VILLA, qvin & ipſum GALBÆ cognomen in Sulpitiam familiam intulit parva cujusdam ſtatura, cum *Galba* vocetur exiguus vermiculus.

A QVALITATE: magna gratia repreſentatur ſubjectum beneficio *coloris*, ut Virgilius: *Et jam Sigæa RUBEBANT littora* ob ſangvinem in Troade fuſum. Et Seneca hanc ſententiam: *hinc nata ſunt bella*, ſic extulit: *Hinc terra cruor INFECIT omnes fuſus & RUBUIT mare.* Varro Canitudinem accepit pro ſenectute: CANITUDINI *comes virtus.* Statius vocat *DEas VIRIDES nymphas marinas. A ſono*: Seneca: *aves QVERULÆ* i. e. luſciniæ. Ovidius: *VOCALEM nympham* pro Eccho. *Et mentum figit LATRANTIS* i. e. canis, ULULANTES *campos* pro regno Circes, æterna *SILENTIA* pro inferno: & Horatius pro eo: *Medi reſciverunt Italiæ magnam cladam illatam*, dixit: *Auditumq; Medis Heſperiæ SONITUM ruinæ.* Ab *odore*. Ovidius Arabes vocat *gentem* ODORIFERAM propter thus & odores, qvi ibi proveniunt. Mallonia Tiberium vocavit OLIDUM *ſenem* & populus HIRCUM *veterem*. Et Vitellius ineptè ſententioſus cum ad fœtorem cadaverum in prælio occiſorum qvidam nauſearent, dixit: *nil ſvavius olere hoſte occiſo*, hoſtes enim ejus Ottonis milites ceciderant. Ab *humido*. *MADUERE* genæ pro *flevit*. *A calore* Virgilius: INCALEFACIT *hoſtia cultros* pro victima exenteratur. *A frigido*. Idem *largus opum*, *lingva melior*, *ſed FRIGIDA bello dextera*, pro imbelli: & FRIGIDUS *thorus* pro viduitate. Sic Martialis balneatori demonſtraturus non ſatis calidum eſſe ejus balineum: *Vis*, inqvit, *ut tibi demonſtrem piſcinam in qva piſces conſerventur? Immittas eos licet balineo tuo.* Et ſic ab aliis qvalitatibus ſenſibilibus.

Sed non minus pulchræ ducuntur metaphoræ à *qvalitatibus interioribus*: veluti *affectibus*, *moribus*, *aut facultatibus ingenii*, qvæ etiam in ſexta Categoria ſpectantur. Fit autem hoc pluribus modis. Primum qvidem qvando ab ejusmodi *qvalitate abſtractum* formatur, ut in prima Categoria indicavimus, *affectus virtutis vitii imaginem* ſeu *divini-*

divinitatem ſeu *furiam* ſeu *monſtrum* & ejusmodi qvid effingentes. Sic pro *Dido AMAT* dicunt: *AMOR Didonem incendit*: & Ovidius: *CREDULA res amor eſt amor COECUS eſt, FURIT, MOERET.* Et hinc naſcuntur poëtarum inventiones qvi ſuas amori proprietates attribuunt facientes eum *cœcum*, *nudum*, *volantem*, nunc *arcitenentem*, nunc *incendiarium* ut Statius:

Hic PUER è turba volucrum, cui plurimus ignis
ORe manuq́; levi nunqvam fruſtrata ſagitta.

Et ſic de aliis affectibus qvomodo pro eo: IRATUS *amens eſt* Virgilius dixit: FUROR IRAQVE *mentem prœcipitat.* Et Horatius: dicturus *vino Cretico me oblectabo & animum confirmabo* dixit: TRISTITIAM & METUM *tradam protervis per mare Creticum portare ventis.* Et hæc figura multorum *ſymbolorum & argutorum enthymematum* eſt mater, ut poſt intelliges.

Alius eſt modus, cum *qvalitates* noſtras rei nobis conjunctæ tribuimus. Seneca: *Nondum ſecabant CREDULÆ pontum rates*: navem vocans credulam, qvoniam nauta eſt credulus. Sic *ferrum* CRUDELE, *opes AVARÆ*, *calamus* ERUDITUS, *DOCTA Peripateticorum porticus.*

Ingenioſius *qvalitates* in caſu recto (ut Logici loqvuntur) de perſona aut ſubjecto affirmantur. Qvomodo Antigone à Tragico vocatur DOLOR *parentis*, qvoniam ejus cauſa cœcus pater dolores capiebat. Et Ovidius: *geminosq́;* DOLORES *accipe*, qvomodo Mater vocat duos infantes, ex qvibus dolorem metumqve ſentiebat. Oedipus à Seneca dicitur *ſeculi* CRIMEN, Phædra *terrarum* PUDOR, Ariſtæus a matre; *mea maxima* CURA. Therſites à Tiberiano PRODIGIUM *vetuſtatis.* Sic Nero: *Romæ INFAMIA, Cæſarum PROBRUM naturæ HORROR.* Claudius ab Antonia PORTENTUM hominis, & alius non nimis amabilis, *Generis humani AMOR.* Etiam ex rebus inanimis flores à Claudiano vocantur, *prati* VOLUPTAS, & roſa ab Anacreonte: *prima veris CURA.*

Hinc deniqve deſcendunt cognomina à *qvalitatibus* derivata & in antiqvis inſcriptionibus obvia: *fortiſſimo*, *providentiſſimo Principi*,

cipi, abſtinentisſimo proconſuli, totius bonitatis animæ dulcisſimæ innoxiæ, Conjugi integerrimæ LECTISSIMÆ fœminæ Qvod Epitheton is qvi noverat fœminam, non metaphorice accepit à LEGO *legis* ſed proprie à LECTUS *lecti*.

ARELATIONE. *Agamemnonis FRATER* pro Menelao. CONJUX & SOROR *tonantis* pro Junone, in qvo argutè luſit Cicero *Junonem* vocans *inimici ſui ſororem*. Sic *Phaëthontis PATER* pro Sole, & FILIÆ *Alcitoës* pro veſpertilionibus, unde ænigma eſſet, ſi diceres: *Filiæ Alcitoës oderunt patrem Phaëthontis*. Sic *Ægyptia Conjux* pro Cleopatra. Et Virgilius:

Aggeribus SOCER Alpinis atq; arce Molœci
Deſcendens: GENER adverſis inſtructus Eois.

Per ſocerum intelligens Jul. Cæſarem, per *generum* verò Pompejum. Sic etiam: REGINA *nemorum* pro Diana, *umbrarum* TYRANNUS & *pelagi* TYRANNUS pro Plutone & Neptuno. HOSTIS *parentis* à Seneca dicitur Electra, & Paris, *Trojanus* ADULTER. Hinc Plinius ad Trajanum de Nerva: *Nullo magis nomine publicus PATER qvam qvia tuus*. Et Heliogabalus ab aviæ nomine dictus fuit VARIUS, ſed plebs eum ita appellavit tanqvam multis patribus prognatum, cum mater corpore qvæſtum feciſſet. Et hæc *relativa* etiam ad res irrationales transferuntur, unde Horatius: *Eſt in eqvis PATRUM virtus*. Et ne CAPRAS nominaret, vocem ſordidam, honeſtius viſum eſt appellare: *olentis UXORES MARITI*.

Hinc proficiſcuntur etiam *Patronymica*: ut QVIRITES i. e. Romani à Romulo, qvi dictus fuit *Qvirinus*. *Dardanidæ* i. e. Trojani à Dardano, *Atridæ* ab Atreo.

Sed *Categoria ACTIONIS* copioſiſſimus eſt & ingenioſisſimus fons metaphoræ *attributionis*, ut diſtinctè monſtrabo. Et ut à ſimplicioribus incipiam, hinc primum proficiſcuntur *cognomina antonomaſtica*, qvæ *actione* qvadam nituntur, & perſonam uno verbo deſcribunt. Ut EVERSOR *Carthaginis* pro Scripione, PACATORI *orbis* PROPAGATORI *qvietis*, LIBERATORI *urbis* pro Conſtantino M. Et Helvius dicebatur PERTINAX, qvod obſtinatè electioni ſuæ adverſabatur. Et Aurelianus MANV AD FERRVM, qvod adeo promtus eſſet ut uno die ſua manu hoſtium qvadraginta

 octo

octo interfecerit, & tota vita tam ſtrenuus fuit lanio, ut milites in Epinicio triumphali per viam canerent:

Mille mille mille vivat
Qvi mille mille mille occidit
Tantum vini bibit nemo
Qvantum fudit ſangvinis.

Sic ex noſtris Principibus Carolum dicimus BELLATOREM, Amedæum PACIFICVM, Emanuelem FERREVM CAPVT, ob inflexibilem in conſiliis ſemel placitis conſtantiam. Contra alius Conſtantinus in opprobrium dictus fuit COPRONYMVS, qvoniam ſacrum baptiſmatis fontem ſiniſtro augurio contaminavit. Similiter Ptolomæus Rex Ægypti frater Cleopatræ dictus fuit PRODITOR ob fidem Pompeio hoſpiti & ſupplici non ſervatam. Orbilius Grammaticus ab Horatio dicitur PLAGOSVS, qvoniam ſine miſericordia pueros cædebat. Epidius Auguſti Magiſter dictus eſt CALVMNIATOR, qvoniam falſæ accuſationis convictus eſt Nero appellatus fuit CITHAROEDVS, qvod Roma conflagrante citharam pulſaverat. Et Piſo amicus ejus dictus eſt *tragœdus*, qvoniam cum hiſtrionibus in ſcenam prodibat. Unde poſtqvam Nero, ut mortem effugeret, ſe occidit, Flavius Romanis ſvaſit, ut etiam amicum occiderent argute cavillatus: *Parum eſſe ſi ſublato CITHAROEDO TRAGOEDUS re inqvęretur*. Qvin hac figura interdum vox injuria projicietur, qvæ mille injurias in clauſula concludet ut ſervus Plautinus à ſene interrogatus, qvis templum violaſſet, reſpondet: *fraudis, ſceleris perjurii pleniſſimus legirupa, impudens, impurus, inverecundus, uno verbo abſolvam, LENO* eſt. Et ſecundum hanc figuram in poëmatis & Comœdiis finguntur nomina heroum, Thraſonum, ſervorum, qvæ ipſo vocis ſono perſonam indicant.

Porro hinc formantur nomina paulo ingenioſiora & figurata, qvæ *autorem* ponunt pro *opere*, ut ROMULUM *adire* pro Romam ire, CEREREM *ſaxo frangere* pro molere frumentum, *Lampadi PALLADEM infundere* pro oleo, *pluribus nitet in foribus DÆDALUS* pro opere ſculpto *Pleno ſua vitis JACHO brachia curvat* pro muſto. Et famelicus ille apud Plautum juveni, qvi amicæ gratia templum Veneris

Digitized by Google

neris adibat, dixit: *Tempus eſt CEREREM magis qvam VENEREM ſectari.* Hac figura Claudianus argute riſit illum Semi Virum, qvi virorum exercitus ductabat: *Habeas pro MARTE CYBELEM* i. e. *viris arma, Eunuche, linqvas, & tibiam Crotalumq́, inter fœminas bacchantes tractes.* Qvod reſpondet huic Virgiliano: *O vere PHRYGIÆ: (neq́, enim Phryges) ite per alta. &c.* Eadem figura argute ponitur *cauſa pro effectu* ut Statius: *Non ocyus alti in terras cadit IRA JOVIS* i. e. fulmen. Virgilius de grandine: *Sternit ſata læta boumqve* LABORES pro meſſibus: & *tertius Alcidis* LABOR pro hydra. Aut *effectus pro cauſa* ut PALLIDA *mors*, SOLICITÆ *opes*, *arcium* PRODITOR *aurum*, qvoniam *mors* facit pallidos, *opes* ſolicitos & *aurum* magis qvam ferrum portas urbium diffindit. Pariter res donata à donatore tanqvam cauſa denominari poteſt. Sic eqvus ille à Dejotaro Pompeio donatus dictus fuit DEJOTARUS. Et Palæſtra apud Plautum gemmas vocat *parentes* ſuos, qvas à parentibus dono acceperat. *O mei* PARENTES, *hic vos concluſos gero.* Qvod ſervus propriè accipiens, *Tibi*, inqvit, *hercle Deos iratos eſſe oportet, qviſqvis es, qvi parentes tuos tam anguſtum in locum compegeris.* Et breviter: qvicqvid cum aliqvo *antecedentis* aut *conſeqventis* vinculo conſtrictum eſt, inde nomen poteſt accipere. Unde Martialis aqvam vocat DEUCALIONEM, qvoniam ex diluvio prodiit & ignem PHAETHONTEM qvia orbem combuſſit. Unde æmuli verſus irridens, & dignos ſignificans, qvi vel aqva deleantur, vel igne conſumantur dixit:

Materia eſt mihi crede tuis aptiſſima chartis
DEUCALION, vel ſi non placet hic,
PHAETHON.

Hæ omnes ſunt metaphoræ *nominum ſimplicium*, qvæ actionem ſignificant, ſed ingenioſiores ſunt *actionis* metaphoræ *verbis* ſignificatæ. Et primum *cauſa remotisſima & accidentalis pro proxima* venuſtè ponitur qvæ Dialecticis qvidem eſt *fallacia*, (185.) Rhetoribus *figura.* Horatius: *Ilion, Ilion fatalis inceſtusq́, PUER & MULIER peregrina VERTIT.* Utut qvo tempore Troja evertebatur, Paris jam eſſet mortuus & Helena domiret. Sed vividius Andromacha idem Helenæ exprobrat apud Senecam: *Cernis hos tumulos Ducum & nuda to-*

(185) *Ar 2.Rh.c.25. Alius locus eſt ex accidentis ut cauſa.*

tis oſſa qvæ paſſim jacent inhumata campis hac HYMEN SPARSIT *tuus.* Multo longius metaphoram duxit Actius Poëta, qvi TRABES montis Pelei incuſavit, unde navis prima exſtructa fuit. *Utinam ne in nemore Peleo &c.* Simile eſt hoc Claudiani ad Honorium: *Tibi* MILITAT ÆTHER *& conjurati* VENIUNT AD CLASSICA VENTI. Caſu enim ventus prælio ſecundus fuerat, pulverem hoſtium oculis injiciens. Et hæc Periclis: mures ſociis dediſſe victoriam, à qvibus nervi actuum hoſtilium corroſi fuerant. Et in Dionyſiacis Nicæa vitiata, dum dormiret, dicit: SOMNUS *mihi* RAPUIT *meam virginitatem.* Braſidas ictus ſagitta, qvæ clypeum trajecerat: CLYPEUS *me* PRODIDIT. Et Ovidius: FORMA FUIT DAMNO. Sic Tullius de Coloſſis Cereris & Triptolemi: *his pulchritudo periculo, magnitudo ſaluti fuit.* Verres enim illos propter molem ingentem auferre non potuit, & miles glorioſus apud Plautum, cum Paraſitus mulieres omnes ejus amore captas diceret, bellum hoc epiphonema ſubjicit: *Nimia eſt miſeria pulchrum eſſe hominem nimis.* Eadem urbanitate *inſtrumenta* metaphoricè fiunt cauſæ principales. Sic Cicero dixit: *ſe Antonium non timere ſed* ANNULUM *ejus ſignatorium.* Indicans Antonium mentito ſigillo falſa Cæſaris reſcripta ſubjicere non ſine malo Senatorum. Martialis ad Sutorem, qvi magnas poſſeſſiones comparaverat: CALCEUS *iſta* DEDIT. Et de navi demerſa, qva Lado Barcajolus pratum obſtruxerat: *Auxilium Domino merſa* CARINA TULIT. Et de agro illo, in qvo Phileros ſeptem mulieres compoſuerat, magnas dotes lucratus idem ſcripſit: *Plus nulli Phileros qvam tibi* REDDIT AGER.

(186.) *Ar. 2. Rh. c. 22. Alius, ſi cujus gratia factum non ſit, id hujus gratia factum eſſe dicatur.*

Alius ingenioſus modus ducitur à *cauſa finali* (186.) cum dicimus aliqvid factum eſſe in eum finem, de qvo nunqvam eſt cogitatum. Capitolium à morte Syllæ conflagravit, Catullus magnificentius reſtituit. Cicero hanc inde ſententiam exſculpſit: *Ut illa* FLAMMA *divinitus exſtitiſſe videatur, non qva deleret Jovis Opt. Max. templum, ſed qva præclarius magnificentiusq; DEPOSCERET.* Et acutius Martialis ad eum, qvi domuncula caſu combuſta palatium reſtituit: *Potes IPSE videri INCENDISSE tuam domum.* Idem de ape in electro mortua, & in gemmam mutata: *Credibile eſt ipſam ſic VOLUISSE mori.* Et Seneca de Polyxena de Achillis monumento præcipitata: *Cecidit ut Achillis* GRAVEM FACTURA *terram.* De remi-

Digitized by Google

ge ſuffocato: ſua verbera NEPTUNUS ULCISCI *voluit*. Et ſenex Plautinus, ex cujus puteo qvilibet aqvam hauriebat, qverens: *aliis puteum*, inqvit, EFFODI, *non mihi*. Hujus generis eſt acumen Martialis in ægrotum illum, qvi textilia ſtragula & ſtrata pulcherrima oſtentare cupiebat: *Zoilus ægrotat*: FACIUNT *hæc* STRAGULA *febrem*. Unde infert: Si citò ſanari velit *ut laceratam ſuam culcitram ſubſternat*. Et vetulæ gibboſæ ſcrantiæ & tuſſienti ſed diviti & ideo à multis adamatæ: *Stulta, iſti non te amant ſed TUSSIM tuam*, ſignificans illos hæreditatem ipſius adamare, ea ſpe ut tuſſis ipſius & dentes & animam cito ejiciat.

Et generatim omnis *circumſtantia*, qvæ forte aliqvam rem comitatur, virtute metaphoræ fit cauſa (187.) efficiens. Sic Ovidius *Luciferum* vocat ADMONITOREM OPERUM, qvoniam illo tempore ſurgebant. Sic qvoniam eodem tempore ſol oritur & aves cantant, dicimus aves SALUTARE ſolem. Et qvoniam mare ſalſum eſt, & flumina recipit, qvidam dixit: *Illud tot fluvios* BIBERE, *qvoniam ſalſugo maximam ſitim excitet, & aurum eſſe pallidum, qvod multi illud perſeqvantur*, & ſi Muſicus eſt faber, idem *lapides cantu ducet*. Idem dico de circumſtantiis *antecedentium conſeqventium*. Sic de ſtella, qvæ poſt mortem Cæſaris apparuit, dixerunt: *cœlum alterum oculum aperuiſſe, ut interfectores Cæſaris aſpiceret*. Et Plinius in Panegyrico argutatur in canos Trajani adhuc juvenis: *Munere Deum feſtinatis ſenectutis inſignibus, ad augendam Majeſtatem ornata cæſaries, nonne longe lateq; principem oſtentant?* Sic igitur ex hoc fonte maxima prodit copia argutiarum poëticarum, qvæ in eo cernuntur, cum vi ingenii verſatilis metaphoricum aliqvod vinculum inter res diſparatas invenitur, & convenientia qvædam, qvæ in re ipſa non eſt. Sic Timæus hiſtoricus, cum obſervaſſet Alexandrum ea nocte eſſe natum, qvà templum Dianæ conflagravit, hoc acumen in eo reperit: *Dianam non ſubveniſſe templo ſuo, qvod ut Dea parientium occupata eſſet magni Alexandri partu*. Sententia qvæ Ciceroni viſa eſt acutiſſima, ſed Plutarcho adeò frigida, ut (qvod idem dicit) ſola potuiſſet incendium illud reſtingvere. Uterqve meo judicio rectè judicavit. Tullius ut erat ingenii amœni, ingenium acuminis ſpectavit. Sed Plutarchus vir gravis hiſtoricam ſeveritatem deſideravit. Sed hæ argutiæ, qvæ terminos *metaphoræ ſimplicis* egrediuntur, ſuo loco revertentur.

(177.) *Ar. 2. Rh. c. 25 Alius locus eſt penes non cauſam pro cauſa qvia ſimul ſimul ut poſt hoc factum eſt.*

Xx 3 Sub

Sub hac figura qvoqve continentur, qvæ *phraſin* ita *invertunt* ut patiens fiat agens, aut contra. Ut Virgilius: *dare claſſibus Auſtros*, pro *dare Auſtris claſſes. Et dare vulnera lymphis. Et, qvia nam ſententia vobis verſa retro*, pro *retrovertiſtis ſententiam*, & Horatius: *debes ludibrium* pro *tibi debetur ludibrium.* Tullius ad Tuberonem: *qvid tuus ille gladius agebat in acie Pharſalica? i.e. qvid agebas cum illo gladio.* Seneca: *paucos novit ſecura qvies.* Et Antigone ad Patrem: *Patria tibi vivo periit* pro: *tu vivus periiſti patriæ*, utpote qvi excœcatus non magis eam videbat, qvam mortuus. Et apud Plautum Leonidas ſervus vocatur *cuſtos carceris*, qvoniam ſæpe cuſtodiebatur carcere.

A *Categoria* Passionis deſcendunt *Epitheta & cognomina*, qvæ *paſſivam* perſonæ *conditionem* ſignificant, cujusmodi ſunt (qvæ injuriosè ſed facetè in *ſervos, lenones* & ſimilem hominum fæcem jaciuntur. Veluti à verberibus, qvæ iſti pro alimento ſunt, *verberones, verberabiliſſimi, ſubiculum flagri* à verbo *ſubire* vel *ſubeſſe. Tribunus vapularis, flagrorum mendicabulum, cenſio bubula* i. e. cæſus flagris bubulis, qvomodo *cenſio haſtaria* dicitur, qvando in puniendo milite haſtæ eriguntur. *Ulmorum Acheruns* i. e. infernus & ſtrages virgarum ulmearum. *Ulmeum crepitaculum, vindemia ulmea, ulmeis catapultis tranſacta latera*, tanqvam virgæ eſſent machinæ bellicæ *Virgarum laſcivia*, ac virgæ humeros demulcere geſtirent. *Vibicum culcitra* i. e. ſtragulum virgarum ſigno plagarum pro ipſis plagis poſito. *Loricrepus, cui bubuli cottabi crebri crepant* ubi cottabus ſignificat ſtrepitum, qvem aqvæ anguſtum orificium tranſeuntes edunt. *Periſtromata Campanica* i. e. terga plagis picta, ut tapetes Arabici. A Carcere *ferriteri* i. e. ferrum atterentes, *ferri illuſtrator*, cum ferro rubiginem demant pedibus ſuis. *Compedum contritor ferri crepidines* à ſono vinculorum, *catenarius cuſtos carceris catenarum colonus.* A Stimulis ſeu ferro exacuto, qvibus latera trajiciebantur *Stimulorum ſeges, ſtimulorum tritor, ſtimulorum pruritus, carnificum cribrum.* A Pugnis *oculi crepida*, à ſtrepitu qvem pugni ſub oculis edunt, ſicut crepida dicitur à ſtrepitu, qvem ſub calcibus edit. *Follis pugillatorius* i. e. pila, qvæ pugnis in ſublimi ſuſtinetur. *Dentifrangibulus & dentifrangibula* qvoniam pugni dentes frangunt: ſicut *nucifrangibula* dicitur, qvæ nuces frangit machina. *Plagipatida, plagigerulus, plagigerum genus,*

irrigatus plagis. A MOLENDO. *Piſtrinorum civitas, aſina molendinaria, Cerericida.* A trahendo CURRU. *Curricrepida.* Et denique à CRUCE in qua veluti triumphum agebant, *crucifer patibulatus.* Qvin à Græcis qvoqve ejusmodi voces ducuntur, ut *gymnaſium flagri*, in gymnaſio enim perferendis plagis adſveſcebant palæſtritæ. *Maſtigia & homo maſtigius* à maſtix, qvod Græce virgam ſignificat & *maſtigophorus* qvi in ceremoniis virgas præferebat, qvibus populum ſubmoveret. *Flagritriba* ut pædotriba, & *ferri tribaces viri:* & alia qvædam his verſibus comprehenſa, qvibus Plautus gloriam ſervorum deſcribit:

Therrucus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, Curricrepidæ, Ferriteri, Maſtigiæ.

A SITU colliguntur eæ ſpecies, qvæ reconditum ſenſum beneficio *ſitus & ſtatus* exprimunt. Tales erant minæ: *Cicadæ tibi HUMI canent* i. e. omnes arbores exſcindentur, & hoc dictum facetum: *Pater tuus* CUBITO *ſe emunxit* pro fuit ſalſamentarius, & de otioſo: *aut* ACCUMBIT *aut* DECUMBIT i. e. vel edit vel dormit, aliud nihil agit. A Plauto ſervus vocatur SUBICULUM *flagri*, & decrepitus ſenex à Terentio, *homo* SILICERNIUS i. e. ut qvidam explicant, adeo curvus, ut ſilices pavimenti capite contingat. Eadem figura dicunt SEDERE pro imperare, DESIDERE pro otioſum eſſe. Et Horatius cum dicere vellet, facinoroſum qvendam factum eſſe eqvitem Romanum: SECTUS, inqvit *flagellis hic triumviralibus prætoris ad faſtidium Ottone Contemto* SEDET. Eqvitibus enim in theatro lege Ottonis diſcretæ à populo ſedes conceſſæ erant. Contra JACERE & *jacentum turba* pro mortuis, PENDERE pro cruci ſuffigi. Unde apud Comicum cum ſervus diceret: *animi* PENDEO, herus reſpondit: *Collo* PENDEBIS, eodemqve ſenſu homini neqvam, qvi ſupplicem ſe ferens dicebat: HUMILIS *vivo*, reſponſum fuit: SUBLIMIS *morieris.*

Sic ex ſitu vultus humani affectus explicantur: veluti, ERIGERE vel DEMITTERE *ſupercilium* pro efferri animo aut dejici: & INCURVARE *ſupercilia*, pro admiratione capi, CONTRACTA vel PORRECTA

CTA frons, ſeveritatem aut ſerenitatem animi ſignificat. Et ADUNCO *ſuſpendere naſo* pro reprehendere, *caput* DEMITTERE pro uti patientia, & poëta Italus: *La fanciulla negli honori ſi* STRINGE, *E riſponde, che fù tarda a venire.* Pro neſcio qvid ibi agam. Ovidius ut ſignificet, hominibus tantum ineſſe divini, qvantum belluis terreni, ſic loqvitur:

PRONAq; cum ſpectent animalia cætera terras
Os homini SUBLIME dedit, cœlumq; tueri
Juſſit & ERECTOS ad ſidera tollere vultus.

Mille non qværit TEGI dives columnis. Et pro eo qvod cinis ſolum tegat: *altus* SEPULTAS OBRUIT *gentes cinis.* Horatius: PREMERE fluminis ripam pro reqvieſcere in ripa. Et Cicero argutiſſimè de rapaciſſimo Verre loqvens: *Si cui domus* PATERET, *utrum ea* PATERE *an* HIARE *& poſcere aliqvid videbatur?*

Deniqve in deſcriptionibus ea, qvæ *ſitum ſpeciatim* exprimunt, rem qvoqve ad vivum repræſentant: ut Virgilius de mari irato:

Fluctus ut in MEDIO cœpit cum albeſcere ponto:
LONGIUS ex ALTOq; ſinum trahit: utqve VOLUTUS
Ad terras immane ſonat PER ſaxa, nec ipſo
Monte minor PROCUMBIT & IMA exæſtuat unda
VORTICIBUS, nigramq; ALTE SUBJECTAT arenam.

Et ab hac Categoria ducta ſunt qvædam ſymbolorum heroicorum dicta, ut de *hiſtrice*: EMINUS & COMINUS De *palma*: INCLINATA RESURGO De *Sole*: NONDUM IN AUGE. De *Capra* repente:

Digitized by Google

te: ERIGO & ERIGOR. De *ſcopo*: NEC CITRA NEC ULTRA DE *Columnis Herculis*: PLUS ULTRA. &c.

Ad eundem modum conſideratur categoria LOCI inprimis ubi *continens pro contento* ponitur ut *regio*, *flumen*, *habitatio* pro iis qvi ibi habitant. Virgilius ad Cæſarem mortuum: *Te* NEMUS *Angitiæ*, *vitrea te* FUCINUS *unda*, *Te liqvidi flevere* LACUS. Et Cicero: PARIETES *ipſi qvidem geſtire mihi videntur*. Sic dicimus: TIBRIS *belli flammam exſtingvet i. e.* Pontifex. *Cælo ita viſum i. e.* Deo. REGIA *fumoſa eſt* i. eſt Aulici & *mortuorum* DOMUS pro ſepulchro aut cœmiterio: in qvo argutum notatum eſt Florentini cujusdam dictum, qvi cum ſenes in in cæmiterio verbis turpibus uterentur: *In domo qvidem veſtra*, inqvit *pro arbitrio veſtro loqvi poteſtis*. Et hujus generis qvoqve fuit amarus ille jocus Caligulæ, qvi cum qvosdam Gallos & Græcos ſimul occidiſſet: *Hodie* inqvit, GALLO GRÆCIAM *ſubegi*. Contra pro continente ponitur *contentum* ut Virgilius: *Purpuream vomit ille* ANIMAM i. e. ſangvinem aut *habitator* pro habitatione: *Jam proximus ardet* UCALEGON, pro domo Ucalegontis. Claudianus: *Proterit imbellem ſonipes hoſtilis* ORONTEM pro Syria Virgilius: *Eoasq; acies & nigri* MEMNONIS *arma* pro Africa.

Huc pertinent *Epitheta* à locis derivata, ut Terentius: CAPULARIS *ſenex* i. e. ſenex mox in capulo reponendus. Et Plautus: *Servus* PATIBULATUS. Et Auguſtus per ludibrium à M. Antonio dictus fuit THURINUS, qvoniam natus erat in regione urbis Thurina. Et Tiberius CAPRINEUS, qvod ſe mirabili conſilio Capreis abdiderat. Aut à provinciis ſubactis GERMANICUS, PARTHICUS, ADIABENICUS. In qvo non minus ingenioſus qvam modeſtus fuit Aurelianus Imperator, cui cum ob victoriam de Carpis relatam in Senatu decerneretur cognomen CARPICUS, facetè reſpondit: *Vocate me potius* CARPICULUM, qvod ſignificat vilem balteum.

Sed hujus generis argutiſſimæ ſunt illæ metaphoræ, qvæ *locum phyſicum rei incorporeæ* affingunt: ut Auguſtus rogatus, an Tragœdiam qvam inſcripſerat AJACEM perfeciſſet, *Ajax* inqvit *meus ſpongia incubuit*, indicans ſe illum deleviſſe, qvod parum ipſi ſuccederet poëſis, cum laurus Apollinis non poſſit occupare caput lauro Martis cinctum. Sic apud Plautum, cum oblivioſus paraſitus in amici nomine hæreret, Charmides dixit: *Non places qvi amicos in-*

Digitized by Google

tra dentes Conclusos *habet.* In Tragœdiis Græcis ſæpius legitur: *Qvod verbum tibi effugit extra SEPTA dentium*, unde dentes qvidam appellavit: *Secretorum ſepta.* Sic dicere poſſumus: *hoc ſecretum effugit è cancellis labiorum. Aures bonis conſiliis occludere. Dolorem corde concludere. Suſpiria in pectore & lacrymas in oculis ſuffocare. Amor per oculos ingreſſus ad cor deſcendit. In vultu habitat ingenuitas. Multa cogitationes è mente hauriuntur. Magna vitia non intrant humiles caſas.* Sed hæ figuræ cum iſtis *ſimilitudinis* confunduntur.

Eandem virtutem ſervant metaphoræ MOTUS. Primum in exprimendis *animi ſenſis*, ut PRÆCURRERE *mente*, FLUCTUARE *animo*, *ingenium* VELOX & aliæ qvæ pariter ad figuras *ſimilitudinis* referri poſſunt.

Sed magis proprium eſt hujus figuræ *motum* ſubſtantivè pro *ſubjecto* ponere. Ut Tantalus apud Senecam: *Redire ad arboris* FUGAS i. e. ad arborem *fugientem*: Catullus, de prima navi: CURSU *primo imbuit Amphitriten.* Claudianus de Stymphalidis: *Spicula vulnifico qvondam ſparſiſſe VOLATU i. e. volantibus alis.* Et *derivare fontium PERENNITATEM i. e. fontes perennes.*

Aut adhibere *adjectivum motus* tanqvam *differentiam ſpecificam.* Ut *anima* NATANTES & LUBRICA *monſtra* pro piſcibus. LEVIPES *fera* pro lepore *qvi* Repit & Graditur pro animalibus reptilibus & qvadrupedibus. Sic *armigera* VOLANTES, pro Stumphalidis. VOLANTES *peſtes* pro Harpyis. *Meduſæus* PRÆPES pro Pegaſo. *Aëris Curſores* i. e. venti. ERRANTIA *lumina i. e.* ſtellæ. Sic etiam cognomina perſonarum, ut *Valerianus* CELER, qvod ad nutus tyranni præſto eſſet. Et *Papirius* CURSOR Conſul Romanus, qvod ut Livius loqvitur, *præcipua illi pedum pernicitas inerat.* Et Imperator Maximinus ab aulicis ſuis dictus fuit SALTATOR, qvoniam grato nuntio accepto ſaltare ſolebat, ut hircus. Et Fabius CUNCTATOR: cunctando enim fregit impetum furiæ Carthaginenſis. Qvod cognomen etiam joco datum fuit Tiberio, qvi cum animoſe ſumſiſſet imperium, ab omni Senatu diu multumqve flexis genibus ſe rogare patiebatur, ut illud acciperet. Ut etiam Senator qvidam vocem emiſerit *aut agas aut deſiſtas.* Et alius dixit: *Alii cito pollicentur, tarde præſtant: tu cito præſtas, tarde polliceris.*

A Categoria Temporis elegantes naſcuntur metaphoræ, qvæ *tem-*

Digitized by Google

tempus ponunt pro re, qvæ illo tempore provenit. Ovidius: *totumqve tulit præ divite cornu* AUTUMNUM i. e. fructus Autumni. Et Martialis argutè in *uvam vitro* concluſam: AUTUMNUM *ſterilis ferre jubetur* HIEMS. Et Claudianus cryſtallum vocat *pretioſam* HIEMEM *& ſecretam* HIEMEM. Contrarium eſt, cum loco temporis *res ipſa loqvitur*. Virgilius: *Poſt aliqvot mea regna videns mirabor* AR STAS i.e. poſt aliqvot æſtates. Et Seneca: *Decies* NIVIBUS *canduit Ide*, i. e. decem hiemes tranſierunt.

Interdum etiam *tempus* pro hominibus ponitur, ut oraculum ad Neronem: *Cave tibi ab anno ſeptuageſimo tertio* i. e. à Galba. Aut contra loco temporis ponitur *perſona* illius temporis, ut: *Saturnus* pro ætate aurea, aut *motus aſtrorum* ut Ovidius: *Libra die ſomniq́; pares cum fecerit horas* i. e. menſe Septembri. Aut *opera rei ruſticæ*, loco temporis. Virgilius: *Cum rubicunda Ceres ſucciditur* pro æſtate. Aut *qvod iſto tempore contigit memorabile*, ut ſi dicas: *Annus, qvo Tiberis præ gaudio partæ pacis tota Roma exſiluit*, ſignificando ſcil. anno 1557. & pace Italiæ & inundatione Tiberis notabili. Sic Poëta Italus cum dicendum ipſi eſſet: *erat dies paraſceves* dixit: *Erat dies qvo Sol radios ſuos ex dolore erga Conditorem ſuum contexit, cum imprudens capiebar*. In qvo genere argutiſſima exſtat litera ſcribæ Benedicti XIII. ſcripta cum navigaret tempeſtate ingruente; ibi enim, cum multa jocatus eſſet in ſchisma illorum temporum, ſic concludit: *Status meus eſt neſcio qvalis, reviſam te, neſcio ubi, die dimidii capitis, menſe duorum capitum, anno trium capitum.* Qvæ hoc ſignificant: *Incommodus eſt ſtatus meus* verſor enim in navi fluctuante, *reviſam cum ventus permiſerit, dedi* has literas *navigio procedente* atqve adeo loco incerto, *die lunæ* cum luna præſit lunaticis, qvibus cerebrum non eſt ſanum, *menſe Januarii* qvi nomen accepit à Jano bifronti, *anno 1417.* qvo viventibus Benedicto & Gregorio Anti-Papis tertius creatus fuit Martinus V. ut Pontificatus triceps videretur.

Supereſt poſtrema *Categoria* HABITUS & INSTRUMENTORUM inprimis arguta & bella. Hinc primum efflore ſcunt metaphoræ, qvæ perſonas deſcribunt ab *habitu* ipſorum. Sic *pro moribus puerilibus & levioribus* dicebant PRÆTEXTATI *mores*. Erat enim prætexta veſtis puerorum. Cicero: *Cedant arma* TOGÆ i. e. milites literatis. Et Seneca: Alciden effœminatum depicturus: *Crinemq́;* MITRA *preſſit &*

Digitized by Google

famulans ſtetit hirtam Sabæa marcidus MYRRHA COMAM. Et Remulus in opprobrium Trojanorum ſe jactans:

Vobis picta croco & fulgenti murice VESTIS
Et TUNICÆ manicas & habent redimicula
MITRÆ.

Qvod tantundem erat ac: *Eſtis gens imbellis & effæminata.* Et Sylla notans perverſam indolem, qvam in Julio Cæſare adoleſcentulo prævidebat, ſenatores admonuit: *ut* MALE PRÆCINCTUM *illum puerum caverent*, argumentatus: non paſſurum ſe legibus adſtringi, qvi cingulum veſtium ferre non poſſit.

Etiam ab *inſignibus dignitatum ut ſceptris, coronis, thronis, gemma, purpura, oſtro*, translata ducuntur nobiliſſima. Cicero: *Minitare iſta horribilia* PURPURATIS *tuis.* Seneca: *vigilesq́ trahit* PURPURA *noctes* i. e. tyranni non qvieſcunt. CHLAMYDATA *vitia* i. e. regum vitia. *Conſpicua ſunt ſcelera, qvæ OSTRO lucent. Propiora fulminibus SOLIA ſunt. Civili ſangvine Cæſaris TRABEA purpuravit. Infirma capita onerat CORONA non ornat. Periculoſa fortuna fulcra ſunt SCEPTRA.*

Ab inſignibus Magiſtratuum, ut *togis, tribunalibus, faſcibus, ſede curuli* aut etiam militaribus, ut *gladiis, tympanis, vexillis, aqvilis, pharetris, ſcutis, galeis.* Ut: *lignatorum* FASCIBUS *aptior qvam Conſulum* dicebatur de Doctore robuſtiore qvam doctiore. *Urbium ſecuritas eſt* SECURIS i. e. juſtitia. Claudianus Eunuchum Eutropium irridens, qvi ex imperatricis gratia ad ſummas dignitates pervenerat:

- - FLABELLA peroſi
Aſpirant TRABEIS. Jam non UMBRACULA geſtant
Virginibus: Latias auſi vibrare SECURES.
Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ;
Tu TELAS non TELA pati.

Sic *enſis* pro virtute militari ingenioſe ponitur: veluti Pyrrhus Rex inter-

interrogatus, qvem ſucceſſorem diceret: *Cujus*, inqvit, GLADIUS *erit acutior*. Et Galli Capitolium obſidentes rogati, qvo jure invaderent Romam reſponderunt: *Se jus circumferre in* VAGINA *gladii*. Sic dicimus: *quò* TELUM *Alexandri perveniebat, id omne ipſius erat*. TUBÆ *Muſas Pindo & Cygnos Eridano pellunt*. *Plus potuit* SCUTUM *Fabii qvam* LANCEA *Marii &c*.

Ab inſignibus victoriæ: ut *curru triumphali, arcu, palma, laureis, ſpoliis, trophæis*. Pulcherrimum eſt hoc Tullii in Piſonem ignavum, majoribus, qvi triumpharant prognatum: *Ex illo ſeminario* TRIUMPHORUM *arida folia* LAUREA *retuliſti*. Et alibi: LAUREA *illa magnis periculis parta amittit longo tempore viriditatem*. Claudianus de ſponſa Palladii: *Mavortia matris nobilitas* SPOLIIS ARMISQUE *exultat avitis*. De duce bellico, qvem poſt victoriam ſua ipſius preſſit Reſpubl. *amariſſimas* LAURI *baccas duntaxat expertus*: *Auguſtus* OLEAM LAURO *inſeruit*. Qvoniam poſt bella pacem reddidit. Claudianus: *Suntq́, TROPHÆA tuas ſemper comitata* SECURES i. e. Conſulatus Honorii ſemper aliqva victoria inſigniti ſunt. Themiſtocles: *Miltiadis mihi* TROPHÆA *ſomnum excutiunt*: *quernam & gramineam* CORONAM *uno tempore promeruit Carolus*, qvi ſcil. uno tempore urbem expugnaverat & cives conſervaverat.

Ab inſignibus ſacrorum, ut *mitris, tiaris, lituis, altaribus, victimis, immolationibus*. Achilles apud Homerum jurat *ſe effecturum, ut Tireſiæ Sacerdoti* MOLA SALSA *amara videatur*. i. e. ut eum pœniteat ſacrificii, qvod moſa ſalſa adſpergi ſolet. Sic dicere licet *Metuenda eſt* INFULA, *haſtam* LITUO, MITRÆ *galeam qvandoq́, Pontifex copulavit*. Et hac figura Urbanus VI. cum decreviſſet excommunicare Carolum regem, legatis ipſum admonentibus: *ut meminiſſet eum eſſe Carolum, qvi* CORONAM *geſtet*, reſpondit: *ſe meminiſſe* TRIREGNUM, (i. e. triplicem coronam qva Pontifex utitur) *eſſe qvavis* CORONA *ſublimius*. Sed poſtea pro ſiniſtro omine acceptum fuit, cum eqvum conſcenſuro *triregnum* hoc capite decideret. Ab inſignibus natalitiis, ut *obſtetricibus, faſciis, auſpiciis, cunis, lectis genialibus*. Claudianus natalem Honorii celebrans:

Excepit Tyrio venerabile pignus in OSTRO
Luſtravitq́, tuos AQVILIS *victribus ortus*

 Miles:

Miles: & in mediis CUNABULA præbuit HASTIS.

Qvaſi dicat ipſi *oſtra* fuiſſe profaſciis, *milites* pro obſtetricibus, *aqvilas* pro auſpiciis, *haſtas* pro crepundiis.

A Sponſalitiis, ut *dote, facibus thalamis, caſtu, pronuba.* Et funereis, ut *cereis, pheretris, tumbis, præficis, campanis, cypreſſo, veſte pulla.* Virgilius de nuptiis Æneæ:

Sangvine Trajano & Rutulo DOTABERE virgo
Et Bellona manet te PRONUBA nec FACE tantum
Ciſſæis prægnans IGNES enixa JUGALES.

Et de nuptiis, qvæ bellum pepererunt: *nuptiali ea* FACE *regnum conflagravit.* De victore in prælio cæſo: PALMA *ſimul &* CUPRESSUS *poſtibus affixa.* De infante in partu exſtincto: *Fati perfidia*, CUNIS PHERETRUM THALAMO TUMULUM, *Genealibus TÆDIS funebres ſociavit, &* OBSTETRICIS *miniſterium excepit* PRÆFICA.

Ab inſtrumentis *artium liberalium, calamis chartis, cera, ſtilo, atramento, libris, laureis, oleaſtris poëtarum.* Poëta Marinius, cum ictum ſclopeti evaſiſſet, ſcripſit LAURUM *ſuam à ſe hoc fulmen prohibuiſſe.* De mordacitate poëtarum dixit Ovidius: *ex ſucco* OLEASTRI *dotem ipſorum cognoſci poſſe*, is enim acerbus eſt. De hiſtorico res geſtas narrante: *Ex ejus* ATRAMENTO *naſcuntur heroës immortales. Sine hac* PENNA *non tam altè ſubvolarent tela militaria.* De ſtupido ſcriptore: REMO *qvam* CALAMO tractando aptior.

Idem dico de *inſtrumentis* aliarum *artium*, veluti *fabrilis.* Vulcanus Virgilii pro eo, qvantum poteſt mea ars, dicit: *qvantum* IGNES ANIMÆQVE *valent* i. e. *qvantum ignis officina mea & flatus follium meorum efficere poterunt, tantum præſtabo.* De ſculptore: *hujus* SCALPRA *vitam dant marmori.* De pictore: *Natura invidet ejus* PENICILLIS i. e. ejus arti, De nauta: *ejus fortuna pendet à debili* FUNE. *Neptunus*

Digitized by Google

ptunus eſt ſub JUGUM ANTENNÆ *miſſus.* De ruſtico: *Innocentia invenitur inter* ARATRA. *Mors ſceptrum æqvat* LIGONI & alia ejusmodi.

Ab *inſignibus & ſymbolis* civitatum vel perſonarum. *Cæſar* ENSEM *eripuit* LEONI h. e. Pompeio arma extorſit, qvi utebatur ſymbolo Leonis ungvibus gladium tenentis *Hodie* LEO ALATUS *fœdere conjunctus eſt* GALLO i. e. Veneti Galliæ. *Henricus. I. tres pennas* AQVILÆ NIGRÆ *evellit* i. e. Metim, Tullum & Verdunum imperio eripuit. LUNA *Ottomannica defectum paſſa eſt ad ſinum Corinthiacum.* Arioſtus alludens victoriæ regis Ludovici qva capto duce Ludovico Moro Mediolanum cepit:

> *E ſuelto il MORO, pon la FIORDILIGI,*
> *Nel fecondo terren gia de' Viſconti.*

Evulſa moro florem lilii plantat in fœcunda terra qvæ qvondam erat Vice-Comitum. Et alludens Bononiæ recuperationi:

> *Poi moſtra il Re, che di Bologna fuore*
> *Leua la SEGA, e vi fa entrar le GHIANDE.*

Deinde monſtravit Regem qvi de Bononia ſuſtulit ſerram, ibiqve conſtituit glandes. Serra Bentivolios qvorum erat inſigne, intelligens, *glandibus* Papam Julium II. qvi & cognomine & inſignibus utebatur *qvercu.*

Non minori elegantia cogitata explicantur beneficio *inſtrumentorum & inſignium fabuloſorum*, qvalia ſunt *rota* fortunæ, *urna* fati, *forfex & fuſum* Parcarum, *falx* mortis & temporis, *fax* Cupidinis & furiarum, *Cornu* copiæ Cybeles, *fulmen* Jovis *Caduceus* Mercurii, *tridens* Neptuni, *fons* Muſarum. &c. unde dicimus: *Sylla* ROTAM *fortunæ clavis in faſtigio confixit. Cæſar non aliam ſortis ſuæ* URNAM *deſideravit, qvam galeam ſuam. Amor huic inflammando* FACEM *de furiis mutuatus eſt. Ægiſtus ſuo ſangvine* FACEM *cupidinis extinxit. Andreas Auria* TRIDENTEM *Neptuni invaſit. Tempus* FALCEM *exacuit contra molem Adriani, Vix exorſum erat* STAMEN *hujus infantis, cum Atropos* FORFICE *illud reſecaret. Jupiter* FULMINA *ſua mittit in capita coronata:* Sed iſta ſunt inſtrumenta ſeparata. Sed alia ſunt *inſtrumenta nobis conjuncta*, à qvibus non minus argutæ dicendi rationes

Digitized by Google

nes petuntur. Veluti *manus* eſt inſtrumentum liberalitatis & fortitudinis, *brachium* fortitudinis, *oculus* vigilantiæ, prudentiæ & veritatis, *auris* obſeqvii, *cor* affectus & conſilii, *pes* celeritatis, *caput* ſapientiæ, *terga* fugæ, *pectus* conſtantiæ. Sic dicimus: *multum conſilio & MANU præſtitit. Hic PEDIBUS melius qvam BRACHIIS pugnat. TERGA hoſti non PECTUS obvertit. OCULO aperto incedit.*

Porro ab hac Categoria naſcuntur pulcherrimæ SENTENTIÆ ab ejusmodi vocibus inſtrumenta ſignificantibus petitæ, ut iſta Regis Alphonſi qvæ inter memorabilia ejus refertur: *Tria conſervant amicos*, CADUS PILEUS & FOLIUM CHARTÆ. Qvodſi dixiſſet: *Tria conſervant amicos, non nunqvam eos vino donare, amicè ſalutare & literas ad ipſos dare*: eadem maneret ſententia ſed ſine aculeo.

Poſtea multa ÆNIGMATA poſita in *metaphora attributionis*. Si dicas: *Julius Pontifex Bentivolios Bononia ejecit*, plana eſt & hiſtorica propoſitio, *fit ænigmatica* cum dicis: *Glandes ſerram disjecerunt*. Tale eſt ænigma Sphingis: *Eſt animal qvoddam primum qvadrupes, tum bipes, demum tripes.* Hoc enim ab inſtrumento conjuncto pedibus ſcil. vim mutuatur.

Præterea multa SYMBOLA in hac *metaphora attributionis* fundata. Eadem enim propoſitio, qvam propriè enuntiares fiet *ſymbolum*, ſi per *inſtrumenta* eandem ſignificas. Tales ſunt maximam partem FACIES nummorum. Unde Senatus Romanus moneta ſignificaturus *Auguſtum terris culturam & mari navigationem reddidiſſe*, *gubernaculum* navis & *cornu copiæ* cum nomine Auguſti nummo impreſſit. Item ſicuti pro eo: *Cives meos ſervavi*, dicere poſſumus: *Coronam querceam mihi peperi*, ſic Caligula coronam qverceam nummis inſculpſit, cum dicto OB CIVES SERVATOS.

Idem dico de EMBLEMATIS. Nam pro eo qvod hiſtoricè & propriè dicitur: *Brutus & Caſſius Cæſarem gladiorum ictibus transfigentes Romæ libertatem pepererunt* ſi dicas: PUGIONES *Bruti & Caſſii Romam donarunt* PILEO (hoc enim libertatis inſigni liberti donabantur) erit *metaphora ab inſtrumentis*, unde Alciatus emblema condidit *pileum* pingens inter duos *pugiones*. Sic ſi emblemate velles explicare verſum hunc Tibulli:

Longa

Longa dies homini docuit parere leones.

Pingere licet *tempus jugum* imponens *collo* leonis.

Etiam *ſymbolorum heroicorum* qvædam in metaphoris *attributionis inſtrumentalis* fundatæ ſunt, veluti iſta *gladii calamiqve* copulati, cum dicto: Ex Utroqve Cæsar, ut intelligatur eandem manum æqve feliciter res geſtas ſcripſiſſe ac perfeciſſe. Et hæc Maximiliani, qvi principibus Italiæ minatus, *aqvilam imperialem* pinxit *arma & fulmina* undiqvaqve vibrantem.

Hinc pariter diſcimus adornare *trophæa, arcus triumphales, conclavia ſtragula, tabulas & ſepulchra.* Tale eſt hoc, qvod Virgilius depingit ob Æneæ de Mezentio victoriam, qvod pro reliqvorum exemplo eſſe poteſt.

Ingentem qvercum *deciſis undiqve ramis*
Conſtituit tumulo, fulgentiaqve induit arma:
Mezenti Ducis exuvias *tibi Magne* trophæum
Bellipotens, aptat rorantes ſangvine criſtas
Telaq; trunca viri & bis ſex thoraca *petitum*
Perfoſſumq; locis, clypeumqve *ex ære ſiniſtræ*
Subligat, atqve enſem *collo ſuſpendit eburnum.*

Nec *trophæa* ſolum *militaria*, ſed etiam *ſacra*, ut ex *mitris, crucibus calicibus, caſiolis* atqve alia ſupellectile eccleſiaſtica qva altaria & loca ſacra ornantur. Item *trophæa literata*, bibliothecis & clarorum virorum imaginibus exornandis. Qvin & villis ſuburbanis aut officinis artium adornandis pinguntur *inſtrumenta fabrilia* confusè & ſine ordine aut etiam coqvinaria ut *veru, lardarium, piſtilli, folles, climacter, patella, olla, utenſilia* & alia ejusmodi ſuppellex de loco ex capite bovis aut porci ſuſpenſa mirabiliter funibus coriaceis & ſangvinolentis inter ſe implexis, ut adeò in rebus vilibus & ridiculis æqve ac ſeriis & heroicis ingenii vis appareat.

Deniqve inſervit hæc Categoria exprimendis *figuris Iconologicis divinitatum, virtutum, provinciarum, temporum & artium* ſeu graves ſint ſeu facetæ. Sic ſi placeat imaginem *artis fabrilis* repræſentare,

tare, pingas licet *mulierem ruſticam*, robuſtam qvidem, at non obeſam, inſidentem *faſciculo operum fabrilium*, *menſis*, *ſcamnis*, *ſcriniis*, *veſte* lacera coloris ligni aridi in pectore lato *clavo* conſtricta, capillitio ex *ſegmentis* ſparſo & *corrigia* colligato, altera manu tenebit *aſciam*, altera in ſinu collecta minutiora inſtrumenta fabrilia, veluti *forcipes*, *clavos*, *fibulas*, *malleos*, *terebras*, *ſcalpra*, & ad pedes varia *opera* elaborata cum *dolabris*, *ſerris*, *fuſtibus*, *uncis ferreis*, *cuneis*: tabula illuminetur fumoſa *lampade* ad indicandam nocturnam fabrorum operam.

Si malis ridiculam facetamqve imaginem effingere, pingas licet abſurdum aliqvod *compoſitum*, qvod *humanam ſpeciem* referat, veluti pro trunco corporis *urnam*, pro cingulo militari *zonam dolii*, unde varia pendeat *ſupellex*, loco colli *ſalillum*, loco menti *manubrium* pro dentibus *ſerram*, pro naſo adunco *falcem*, pro oculis *ſcutellas* & ſic reliqvas partes.

En igitur recluſas duas præcipuas *metaphorarum* ſcaturigines genitrices omnium Argutiarum Corporumqve Symbolicorum, qvæ omnia aut metaphora Proportionis nituntur: ut qvi *leonem* pingit pro virtute bellica, ſimile pro ſimili ponens: aut metaphora Attributionis, ut qvi *brachium cum gladio apprehenſo* pingit, inſtrumentum fortitudinis pro ipſa fortitudine ponens. Et ad hæc *duo genera* referuntur omnia ſymbola arguta & figurata. Sed qvoniam ars ſymbolica ut dixi etiam Inscriptiones Argutas amplectitur, & argutiis pariter omnibus reliqva *genera metaphorarum* inſerviunt: hinc neceſſe erit ut de his qvoqve diſtincte præcipiam.

METAPHORA TERTIA HOMONYMIÆ.

Cap. XI.

VEnio ad tertium GENUS videlicet ad HOMONYMIAM, ingenioſiſſimum humanæ mentis commentum unde magna pars acuminum derivatur, qvæ excitant

tant *dictionem* æqvè & *Enthymemata* tam Poëtica qvam Oratoria, *dicta item arguta* atqve faceta. Cum enim *enthymema* argutum in eo poſitum ſit, ut *urbanè decipiat:* inter lepidas & ingenioſas cavillationes (188.) autor noſter locum qvoqve dedit homonymiis.

(188.) Ar. 2. Rh. c. 25 alter locus eſt penes aqvivocationem, ut ſi mus laudandus diceretur quoniam myſteria inde dicantur.

In prima igitur Categoria pono SUBSTANTIAS METAPHYSICAS, qvas Dialectici vocant *notiones ſecundas: ut genus, ſpecies, individuum*, vocabula item technica Grammaticorum, *nomen, cognomen, verbum &c.* ex qvibus vocibus conſtituuntur æqvivoca, arguta, ingenioſa. Tale eſt dictum in adminiſtrum qvendam rapacem patre & liberis carentem: Tu cares NOMINATIVO, *qvia nullius es nominis: GENITIVO, qvia ſine liberis, DATIVO, qvia nihil donas, ACCUSATIVO, qvia nemo accuſat, VOCATIVO, qvia nemo invitat, ABLATIVO tantum non cares*, erat enim fur. Et in duas ſorores liberius viventes: *Hæ mulieres ſunt generis fœminini, caſus genitivi, numeri PLURALIS.*

Porrò *amphibolia* ex nominibus propriis orta, cujusmodi ſunt iſta Ciceronis: *Mirandum non eſt, JUS tam neqvam eſſe VERRINUM*, ludens in nomine Verris & animalis illius nigri, qvod à Romanis itidem *Verres* dicitur. Et hoc ejus acutius: SACERDOTEM *execrabantur, qvi VERREM tam neqvam reliqviſſet*, reſpiciens ad nomen Caji Sacerdotis, qvi Verrem in Sicilia ſucceſſorem reliqverat, tanqvam rectius feciſſet eundem ſacrificans. Et in *feſta Verrea* à Verre inſtituta qvorũ Etymologiam æqvivoce deduxit *à verrendo: O VERREA præclara, qvoqvam ſi acceſſiſti qvo non attuleris tecum.* Et in nomen Verris in diplomate corrupto fere deletum: *Videtis extremam partem nominis caudam illam VERRIS tanqvam in luto demerſam eſſe in litura?* Pulcher etiam jocus eſt lenonis Plautini, qvi à milite irato interrogatus, ubi eſſet ſervus *Curculio*, qvi ipſum expilaverat: *ubi nunc CURCULIONEM reperiam?* Reſpondit ambiguo nomine vermium ludens: *In tritico facillime vel qvingentos* CURCULIONES *faxo reperias.* Et Stratonicus Muſicum audiens, cui BOVI cognomen, parum ſcitè fides tangere: *Adagium*, inqvit, *fuit Aſinus ad lyram, nunc BOS ad lyram.* Et in Cæſarem: qvi multas poſſeſſiones matri Bruti donabat, dictum fuit *qvid qvod TERTIA qvoq; ſubducta eſt?* ubi dici videtur *tertia pars bonorum detracta eſt.* Sed ſignificatur *tertia* filia Bruti cui à Cæſare æqve ac matri illuſum. Valde

aculeatum qvoqve eſt in Domitium Ænobarbum*: mirandum eſſe, qvod* ÆNEAM BARBAM *haberet, cor plumbeum.* Qvà amphibolia Oraculum qvoqve luſit Dioclerianum imperium ipſi promittens: *ſi* APRUM *occideret.* Deſignans APRUM Ducem bellicum heri ſui proditorem, cum ipſe intelligeret aprum ſylveſtrem. Idem dico de nominibus *populorum, urbium, provinciarum*, veluti cum Galliæ rebellaſſent Nerone in metum adducto, Romæ ſcriptum fuit: *Neronem* GALLI *excitarunt.* Et Pontifex Paulus II. cum Gallis adimeret præfecturam Rhodiorum, namqve ad Hiſpanos transferret: GALLICUS, inqvit, *morbus* HISPANO *medico eſt curandus.*

Hinc æqvivoca *nominum propriorum qvæ ab homine ad alias res transferuntur.* Sic cum Tragœdia Auguſti ab argumento ſuo diceretur, *Ajax*, poſtqvam illam ſpongia deleverat, AJAX *meus*, inqvit, *ſpongiâ incubuit.* Et Marinius dicebat: ADONIDEM *à morte ſua fuiſſe ſuſpenſum.* Nam poëma ipſius, qvod inſcripſerat ADONIS, interdicto erat prohibitum ſeu ut vocant ſuſpenſum. Sed Papa Urbanus argutè dixit: ADONIDEM *illum à porcis fuiſſe devoratum*, alludens ad fabulam Adonidis & Apri.

Porrò naſcuntur æqvivoca *ex nominibus contumelioſis certi hominum generi communi ſermone impoſitis, ut cornutus, mulus &c.* Sic de ſcriptore, qvi non ignorabat uxorem ſuam fabulam eſſe totius civitatis, cum is hiſtoriam ſcribendam ſuſciperet dicebatur: *Iſte eſt* CORNELIUS TACITUS *noſtrorum temporum.* Et de qvodam ſatis docto advocato, ſed eodem morbi genere laborante, cum cliens qvidam prædicaret: *Hic certe eſt Oraculum*, reſpondit alter: *Verum eſt, prorſus enim ſimilis eſt* ORACULO AMMONIO. Qvod erat cornutum altari corneo impoſitum. Et alius qvi cœlo nebuloſo duobus ſpuriis cinctus ambulabat, cum ipſi diceretur: *Mox madebis pluvia*, reſpondit: Minime*: geſtor enim lectica:* id innuens, *ſe inter duos mulos ut lecticam verſari.*

Similiter *res depicta & ſculpta* homonymiam inferunt inter fictum & verum, cujus generis fuit dictum *ſtatuæ* Junii Bruti ſubſcriptum: *Utinam viveres!* tanqvam ſtatua eſſet ipſe Brutus tyrannidis everſor. Et hoc Martialis in piſces factos: *Adde aqvam, natabunt*, ſignificaturi nos piſces eſſe veros. Et qvoniam nummis Athenienſium impreſſa erat *noctua* vel *bos:* hinc ænigmatis qvadam ſpecie dicebatur:

Digitized by Google

cebatur: *Sub hujus tecto nidulantur multæ* NOCTUÆ, *vel ſtabulantur multi* BOVES. Hortenſius cum dono accepiſſet à Verre Sphingem argenteam in Sicilia raptam, & poſtea Ciceroni obſcurius loqventi diceret: *Non intelligo iſta tua ænigmata* ſalsè hic repoſuit: *Atqvi* SPHINGEM *domi habes.* Et hinc proficiſcuntur omnia acumina in *picturas* aut *ſculpturas* excogitata, qvæ omnia *homonymum aliqvod* inter exemplum & exemplar inferunt. Eadem eſt ratio homonymiæ inter rem *mortuam & vivam*, cujus generis erant crudeles facetiæ Claudii Imperatoris, qvi magno qvodam viro interfecto eundem ad cœnam vocare ſolebat, cumqve renuntiarent ſervi, eum *vocatum non adeſſe*, *hic qvidem*, inqvit, *valde ſomnolentus eſt.* Ad eundem modum occiſa Meſſalina, qvoties cœnabat qværere ſolebat: *cur* DOMINA *non venit?* Sic qvoqve hinc ducuntur *argutiæ Epitaphiorum*, *Apoſtropharum & Proſopopœïarum*, qvando mortui loqventes inducuntur, qvin etiam dicta in ludos *perſonatos* aut *ſcenicos* directa, veluti cum Auguſtus, qvo tempore arctiſſima erat annona, ſumtuoſum convivium celebraret, habitu Apollinis cum viris & fœminis, qvi itidem Numina repræſentabant, ipſe qvidem appellatus fuit APOLLO CARNIFEX. Et cum poſtridiè panis deeſſet dicebant: DEOS omnia comediſſe.

Deniqve huic *Categoriæ* ſubjiciuntur omnes voces *qvam cunqꝫ ſubſtantiam* ſeu totam ſeu partem ſignificantes. Veluti cum in monte Tarpejo *caput humanum* repertum eſſet, æqvivocè intelligebatur: *Romam olim*, CAPUT *mundi fore.* Et cum *cor* victimæ deeſſet, haruſpex prædixit Cæſari: *COR & vitam ipſi ereptum iri.* Et in ejusmodi homonymiis poſitæ ſunt interpretationes præſagiorum, ut ſupra diximus. Sic qvoniam *populus* ſignificat *arborem & hominem* dicitur: *Dum cecidit Phaëthon POPULUS flevit dum hic cadit POPULUS ridet.* Et de fœmina vulgati pudoris dictum eſt: *Vitis eſt*, *POPULO gaudet.* Sic auguſtus luſit in voce *Carbunculus*, qvæ *peſtem & gemmam* ſignificat, cum Mæcenati ſcriberet: CARBUNCULUM *habeas.* Sic indicaturi fœdus diſruptum pingimus grandem *unionem in partes diſſectum*, & ſic mille alia.

A Categoria QVANTITATIS elegantiam mutuatur dictum illud celebre in Scipionem cum in convivio *ſertum roſeum* ipſius capiti impoſitum rumperetur: MAGNUM *habes caput* Homonymia nimi-

nimirum à magnitudine phyſica ad moralem traducta. Qva homonymia & improbum laudare videmur; MAGNA *patravit.* Et morio ducis Mantuani ad hominem eminentis ſtaturæ in ſolenni celebritate clara voce dixit: *Accedo ad veſtram* CELSITUDINEM. Pariter à *quantitate diſcreta*, veluti *monoculo* qværenti utrum ipſi in menſa locus eſſet? reſponſum fuit, argutè: UNI *locus eſt.* Sic maritus & uxor peregrinantes cauponi ſimplicem mercedem ſolvere contendebant, ex hac cauſa: *quod maritus & uxor UNUM ſint.* Et contra caupo pro undecim ipſis ſolvendum eſſe dictitabat, qvoniam in numeris *duæ UNITATES faciunt UNDECIM.* Æqvivoca etiam erat illa pauperis ſuperbi jactantia, qvi mentiendo verum dicebat: *Opum mearum NUMERUS non eſt.* Et Oraculum ad Neronem: *Cave tibi ab anno* SEPTUAGESIMO TERTIO, qvod ambiguum erat cum ad ipſum pertinere videretur & de Galba intelligendum eſſet. Qvin & à figura lepida formantur æqvivoca, veluti litiganti gibboſo qvi à judice petebat jus ſibi dici his verbis: *Rectum facias*, reſponſum eſt, *tua mater RECTUM te poterat facere.* Et ſimili homonymia cuidam qverenti: *hodie nihil recti eſſe in mundo.* *Reſpondit Geometra: ORBEM eſſe RECTUM poſſibile non eſt.*

A QVALITATE *ſenſibili*: pulchrum eſt hoc Plauti: *Ventus* ILLUSTRIOREM *fecit domum.* Qvomodo de paupere ex caſa ruinoſa oriundo poſſes dicere: *Hic domo ILLUSTRI natus eſt.* De Marco Oleario ita appellato, qvoniam ex olei venditore ad ſummas dignitates Romæ pervenit dictum eſt: *Iſtius nobilitas* CLARA *eſt inſtar lampadis.* Lumen enim lampadis ab oleo accenditur. *A qvalitatibus naturalibus* lepidum eſt hoc Martialis in hominem validum atqve robuſtum, qvi lectica ab octo ſervis geſtata ferebatur:

Octophoro SANUS portatur, Avite, Philippus,
Hunc tu ſi SANUM credis Avite, furis.

Ubi vox *ſanus* primo loco ſignificat *ſanitatem corporis* altero *ſanitatem mentis.* Qva amphibolia Ageſilao illi medico, qvi ſe Jovem ferebat, ſcripſit: *Ageſilaus Rex Menecrati Jovi* SANITATEM. In *qvalitatibus animi* poſitum erat acumen, qvo ſeni ſecundæ nuptiæ cum juvencula diſſvadebantur. Cum enim ipſi agnatus qvidam demon-

demonſtraſſet ejusmodi mulierculas *fumtuoſas* eſſe, ſene reſpondente: *hac* PARCA *eſt*: amicus ſubjecit: Cito ſtamen ſecabit.

A RELATIONE eſt hæc Plauti metaphora: AMICÆ *qvam* AMICO *magis fidelis es.* Et hæc ſenis, qvi honoris cauſa ab adoleſcente PATER dictus reſpondit: *Qvare alium PATREM, virilem ſexum nunqvam habui.* Et Duci Valentino dictum fuit: *Hunc posſis dicere jure PATREM.* Sicut etiam iſti, qvi patri ad Miſſam ſerviebat, cum ipſe factus eſſet ſacerdos, dictum eſt. *Et tibi* PATER. Simile dictum fuit regis Alphonſi, qvem cum mendicus allocutus eſſet: MI FRATER, *da qvaſo eleemoſinam.* Is obulo porrecto dixit: *fac ut totidem à reliqvis* FRATRIBUS *accipias, & eris me ditior.* Simili homonymia doctor qvidam fratres natu minores ab hæreditate excludere tentavit, laudans Canonem, qvi de fratribus Franciſcanis eſt proditus: FRATRES MINORES *non poſſunt hareditare.* Et ita qvidam fratres naſcendi ſorte poſteriores de ſeipſi: *Nos ſumus ex ordine FRATRUM MINORUM:* indicantes ſe eſſe pauperes, qvoniam ad natu maximum omnia redibant. Et hinc naſcuntur homonymiæ *fundata in vocibus relativis, meus tuus. &c.* veluti Myrrhæ patris ſui amore captæ: *Nunc qvia jam MEUS eſt non eſt MEUS*, h. e. qvia jam Pater meus eſt, maritus meus eſſe non poteſt.

Ab ACTIONE & PASSIONE acutiſſimum fuit illud Terentii Veſpæ in Titium, qui pila ludere magno ſtudio ſed majori ſolebat furari. Unde cum noctu furtim argenteis æneisqve ſtatuis brachia detruncaret, qværentibus aliqvando ſodalibus, *cur in campum Martium non veniret ludendi cauſa* reſponſum eſt: *hac nocte Brachium* FREGIT. Qva ſententia populus Romanus de Auguſto dicebat: *Pater argentarius, Tu* CORINTHIARIUS, indicans eum delectari vaſis ſtatuisqve *æris Corinthiaci*, ſed pecunia comparare nolle. Atqve alio acumine idem populus Neroni mortem qvam aliis ipſe minabatur, apprecabatur. Cum enim ipſe oratione in vindicem clara voce exclamaſſet: *Dabunt pœnas ſceleſti ac brevi dignum exitum* FACIENT. Clamarunt omnes: *Ipſe* FACIES *Auguſte.* Qvam vocem *paſſive* dictam ipſe *active* accepit. Hujus generis ſæpe erant *reſponſa* Oraculorum *amphibolica*, gladii ancipites, veluti hoc:

Ajo

Digitized by Google

Ajo te Æacidem Romanos VINCERE POSSE.

Qvin & eadem *Actio* alio alioqve modo accepta naturam mutare videtur. Talis erat crudelis homonymia Caligulæ in nobilem qvendam Romanum cui cum permiſiſſet Anticyram navigare ut morbum melancholicum helleboro ſanaret, isqve ſanitati redditus diuturnioris moræ licentiam rogaſſet Caligula juſſit ipſi pellem detrahere adjiciens: *Cum elleborus parum ipſi profuiſſet neceſſe eſſe ut* SANGVIS. EDUCATUR. Ad qvem modum omnes *actiones ignobiles* jocoſe explicari poſſunt *verbis honorificis.* Sic de doctore qvodam dictum eſt: *Multa* EDIT *Volumina.* Bibliothecam enim vendiderat gulæ cauſa. De fure: *Homo frugi eſt,* REM AUGET *induſtria.* De Operario: *Vagus non ſum: Patriam* COLO. De alio qvi publice vapulaverat: Palmas REPORTAVIT & falſarius interrogatus: *qvam artem profiteretur:* TONSOR inqvit, *ſum Regis.* Radebat enim effigiem Regis in moneta.

A SITU argutiſſimum eſt hoc diſtichon:

Qvis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
SUSTULIT hic matrem SUSTULIT ille patrem.

Ubi eadem vox ſignificat *humeris ferre & occidere.* Et in ſervum illum furem & reſeratorem occluſorum: *Vis ſcire qvanta ſit in dominum fide? huic uni* CLAUSUM *eſt nihil.* Ejusmodi ſunt hæc: HUMILIS *vivis* SUBLIMIS *morieris & magna Reipubl. onera* SUSTINET. Qva homonymia lepidum qvoddam ingenium tumbam ex lecto fecit, inſcribens ſomnolenti cujusdam Collegæ ſui lecto: *Hic* JACET *Henricus.* In qvo genere impudens qvidam jocus Poëtæ Angli refertur, qvem Muſæ ut plures alios ad incitas redegerant. Hunc enim cum regina Eliſabetha ad portam templi ſtipem qværere cerneret, ridere hominem voluit hoc hemiſtichio: *Pauper ubiqve* JACET. Cui ſubito poëtica licentia repoſuit:

In

Digitized by Google

In thalamis regina tuis hac nocte JACEREM
Si foret hoc verum: *PAUPER UBIQVE JACET.*

Huic vicina eſt *Categoria* LOCI. Unde Stratonicus facetam homonymiam duxit. Cum enim in Maronea pignore depoſito certaſſet, ſe in qvamcunqve urbis partem duceretur, oculis clauſis locum ubi ſit divinaturum eſſe, & in vicum qvendam remotum velatis oculis duceretur: rogatus: *ubi es tu* reſpondit: *In* TABERNA, exprobrans civitati communem intemperantiam, cum omnes æqvè vino ſe obruerent Et civi qvi conſtantiam ſuam approbaturus dixerat: *qvalibet* TERRA *mihi patria erit*, reſponſum fuit *itidem uti porcis:* terræ nimirum voce ſtrictiore ſenſu accepta. Talis etiam eſt homonymia Regis Henrici II. qvi ſymbolo utebatur *luna creſcente* cum dicto: DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM. Ubi vox ORBIS ſignificat & *mundum & circulum.* Cujus generis qvoqve fuit ingenioſus luſus S. Franciſci à Caſuiſtis ut vocant celebratus: Qvi à lictoribus interrogatus: utrum iſthac furem famoſum tranſire vidiſſet, ne reo noceret affirmando aut veritati negando, medium ſibi reperire viſus eſt in homonymia: attingens enim, ut Angelus ſcribit, *manicam* aut ut Afflictus ſcribit, *cucullum*, reſpondit: *Certe hac non tranſiit.*

Huic conjungitur Motus. Unde nata eſt homonymia qvam autor pro exemplo nobis reliqvit: NON OPORTET PEREGRINUM SEMPER PEREGRINARI. Et iſta Ferdinandi regis Neapolitani, qvi à nobili ſuſpectæ fidei invitatus, cum domum ejus copioſa ſupellectili ornatam cerneret, amico in aurem dixit: *Hic multas habet res ſe moventes, ſed vereor ut qvicqvam habeat STABILE.* Differebant aliqvando inter ſe milites *qvam difficile eſſet ut ſalutem* (ſcil. æternam) *conſeqverentur milites*, cum repente hoſtis apparuit: ubi qvi in excubiis erant, ſtatim fugam arripiebant. Qva de re unus ex illis ridens dixit: *Vos rem difficilem putabatis ut velunus miles ad ſalutem perveniret & ecce tota cohors tam facile SALUTEM invenit.*

Ad *Categoriam TEMPORIS* pertinet argutum iſtius dictum qvi currui agonali Neronis inſcripſit: NVNC AGONA SUNT

qvod videbatur ſignificare tempus ludorum Agonalium, & ſignificabat Agoniam, in qva populus Romanus verſabatur ob annonæ penuriam. Hac homonymia dæmon decepit eum qvi ipſo utebatur. Adjuratus enim: an veſpera iſta feliciter luſurus eſſet, reſpondit: MANE. Poſtridiè igitur ſibi propitiam fortunam auguratus ludere cœpit, ſed ita ut omnia perderet. Qva de re conqveſtus reſpondit dæmon: *non intellexiſti mentem meam, ſtulte.* Dixi MANE. i. e. *noli ad ludum proficiſci.* Nec minus fallaciter luſit Dux ille bellicus, qvi induciis ad TRIGINTA DIES pactis, nocte qvadam ſubito oppreſſit inimicos imparatos qvippe & ſecuros, cavillatus *dierum non noctium* inducias conveniſſe. Neqve non hodie ejusmodi ambiguitatibus milites non ſatis callidi in pactis *induciarum* aut *deditionum* circumveniuntur: ut Hiſpanis accidit, qvi Gallis hoc pacto ſe dediderant ut ſalvi deducerentur *Villam novam* intelligentes villam novam Eſtenſem parum diſtantem, ſed deducti fuerunt ultra montes ad Villam novam Galliæ qvæ erat homonymia ex Categoria Loci.

Deniqve ad *Categoriam* HABERE pertinet iſta homonymia: *hic nihil* HABET SUUM qvo videtur laudari *liberalis* ſed occulte arguitur *furti.* Item hæc Ovidii in puellam ſcopulo alligatam: NON ISTIS DIGNA CATENIS. Et de eqvite duplici aurea catena ornato Nicolaus Florentinus dixit: *Aliis Canibus una catena ſufficit.* Sic pariter facetus eſt jocus civis cujusdam, qvem vulgo vocabant PILEUM VIRIDEM qvod tali pileo utebatur. Hunc enim cum judex ob delictum qvoddam condemnaſſet ſententia pronuntiata his verbis: *Condemnamus pileum viridem centum libris argenti.* Hic ſtatim projecit *pileum viridem* in Judicum ſubſellia; *En reum veſtrum*, inqviens, *hic mulctam vobis ſolvat.* Hujus generis etiam eſt celebris iſthæc homonymia Fauſti filii Syllæ in ſororem ſuam: Cum enim reſciſſet illam uti conſvetudine *Fulvii Fullonis* qvod nomen ſignificat eum qvi veſtes emaculat & poſtea cognoſceret eam qvoq; *Pompilium Maculam* in amantium numerum recepiſſe: *Miror*, inqvit, MACULAM HABERE cum FULLONEM HABEAT. Et hæc erat ejus vindicta.

Jam à toto hoc GENERE HOMONYMIÆ & qvacunqve ejus Categoria tanqvam ex radice propullulare videbis (ut initio indicabam) multos & varios & pulcherrimos ingenii fructus. Et primo qvidem

Digitized by Google

qvidem LITERÆ GRAMMATICÆ ſecundum ſonum latinum aut græcum materialiter acceptæ ut A, BE, CE, DE &c. ALPHA, VITA, GAMMA, DELTA &c. ſic dicax qvidam occultè illuſit Centurioni Hiſpano cui verbum vexillo ſuo inſcribendū expetenti commendavit tres iſtas literas Græcas Π. K. P. tanqvam his literis initialibus diceret, qvòd militaret, *Para Coger Reynos* & re ipſa deſignabant qvod eſſet qvidam PI. KA. RO. Nec minus ingenioſus fuit luſus Abbatis illius Galli, qvi cum (autore Peletario) Abbatiam cedere juſſus eſſet, cuidā alii ob criminationes qvibus delatus erat; *Triginta*, inqvit, *annos conſumſi ut primas duas literas addiſcerem A. B. Totidem volo impendere duabus ſeqventibus diſcendis*. C. D. Ubi homonymia conſiſtit in ſono horū elementorum A, BE, CE, DE, qvod Gallicè eſt ABBAS CEDE. Eodem artificio compoſitum eſt hoc ſymbolum ex literis Græco Italicis: *Nella* φ δ φ ν ρ *la* β i. e. NELLA FEDELTA FINIRO LA VITA. Et interdum notæ Muſicæ vel Arithmeticæ immiſcentur, ut principio hujus operis dixi in argutiis ſcriptis.

Alia ratio poſita eſt in SITU ſyllabarum, qvalis eſt hæc ubi linea ſuperior conjungitur cum inferiori interpoſita præpoſitione SUPER.

O Cur tua te
Be, bis? bia, abit.

i. e. O *ſuper* BE &c. Et contra inferior conjungitur cum ſuperiori interpoſita præpoſitione SUB

limis: latus, es: ita jiciet:
O Qvi nulli Mors te.

Alia eſt ratio qvæ poſita eſt in *materiali magnitudine* aut *parvitate* eorundem elementorum ſimpliciter lectorum. Sic hæ duæ literæ altera *magna* altera *parva* G, a, integram orationem qvatuor vocum ſignificat, qvæ lingva Gallica pronuntiatæ ſic ſonaut: *Ge grand a petit:* h. e. *Grandis eſt appetitus meus*. Similibus notis luſit viator qvidam qvi frigore læſus cum in diverſorio capaciſſimum caminum, ſed exiguum ignem reperiret, arrepto titione camino inſcripſit magnum K & parvum f ut avaro cauponi exprobraret: *Coppa grande; fuoco*

 piccolo,

Digitized by Google

piccolo. i. e. Magnum Caminum, parvum ignem. Atqve hæ ſunt *homonymiæ grammaticæ & elementares*, qvoniam mentem ſuſpenſam tenent, qvomodo legendæ aut pronuntiandæ ſint literæ.

Ab eadem hac radice proveniunt *Hieroglyphica Grammatica*, ubi figura ut diximus, vocem materiatam ſignificat. Sic qvidam pinxit margaritam ſeu *perlam* (ut vulgares lingvæ vocant) *ruptam* cum duabus *manibus in fidei ſignum*, ſignificans: PER LA ROTTA FEDE. Et cum à pace Chieraſcenſi milites exauctorarentur qvibus de alieno vivere aſſvetis ad paternos lares revertendum erat, pictum fuit ejusmodi hieroglyphicum, in qvo *ſol* teſſera (qvam *Dado* vocant Itali) *ala* & ligo (qvi ipſis eſt zappa) repræſentabatur. Qvæ hoc dicebant: SOL DATO, ALA ZAPPA i. e. miles ad ligonem. Interdum etiam majoris varietatis cauſa hieroglyphicis figuris immiſcentur literæ aut voces integræ, ut iſta fecit, qvæ ab amante fallaci deſerta transmiſit ipſi *adamantem adulterinum* cum hac voce Hebræa: *Lama ſabaghtani.* Qvæ figura Italicè pronuntiata cum hebræa voce hunc ſenſum habebat: DI, AMANTE FALSO, PERCHE MI HAI TU ABANDONATA? i. e. *dic doloſe amator cur me dereliqviſti?* Et in his qvoqve eſt homonymia qvoniam ſpectator incertus eſt, qvæ figuræ Grammaticè aut metaphorice ſignificent.

Grammaticis qvoqve *Homonymiis* accenſere poſſumus, ubi literæ *dividuntur*, *conjunguntur*, *truncantur vel augentur. A diviſione* vocis nata eſt homonymia Sacerdotis Ammonii qvi Alexandrum gratioſe compellaturus: PÆDIOS i. e. *filius:* poſt primam ſyllabam pauliſper hæſitans vocare eum viſus eſt ΠΑΙ ΔΙΟΣ i. e. fili Jovis. Unde in vano iſto cerebro naſcebatur tanta arrogantia ut patrem cornutum, matrem adulteram, ſeipſum ſpurium profiteretur & ut Deus fieret in ſtipitem degeneraret. Tale etiam erat ſomnium qvo eidem Alexandro expugnatio Tyri promittebatur occurſu *Satyri* qvod vocabuli diviſione interpretatum fuit ΣΑ TYROS i. e. TUA TYRUS. Et contra cum Conſtantinus in procinctu prælii committendi ſomniaret ſe ire Theſſalonicam, ex voce in tria verba diſrupta ſiniſtrum augurium ductum eſt: THES. ALLO. NIKEN i. e. *linqve alteri victoriam.* Sed ingenioſior fuit iſta dæmonis homonymia jam ſupra allata, qvæ qvatuor literis diviſis P. L. A. C. qvæ conjunctim PLACENTIAM ſignificabant qvatuor familias in Petrum

Digitized by Google

Petrum Ludovicum Placentiæ conjuratas ſignificabat. Et ejusmodi diremtionibus interdnm conſtituuntur arguta ſymbola, qvale fuit hoc eqvitis Amatoris *Peronella* ex domo *Gioia*. PERO NELLA GIOIA h. e. *pereo in gaudio*. Et ſculptor cum incidere deberet hoc ſymbolum camino eqvitis parum prudentis: IN MEMORIA ÆTERNA ERIT primas ſyllabas vocis *memoria dividens* diverſa ſententia ſcripſit: IN ME MORIA ÆTERNA ERIT. Seu de induſtria ſeu caſu hoc fecerit ita qvadrabat ſymbolum, ut aptius non poſſet.

Non minus lepida & faceta homonyma exiſtunt & *conjunctione* vocum disjunctarum. Caupo qvidam Gallus iniqviſſimus exactor cui cognomen erat *mus major*, pingi etiam fecit pro inſigni diverſorii ejusmodi murem his verbis: CHEZ LE RAT. Qvod Gallicè ſignificat *Cauponam ad inſigne muris majoris* Iſte cum delicti cujusdam accuſaretur etiam hoc argumento uſus eſt accuſator in judicio *Qvid probationem reqviritis, Judices, num iſte ſit SCELERATUS? inſpicite ejus inſigne ubi ipſe hoc confitetur*. Ex ſimili fonte profectum eſt verbum Gallicum, MOSTARDADI GIGIONE. Cum enim Philippus Audax Divionenſibus in æternam fidei memoriam ſuum ipſius ſymbolum indulſiſſet MOUT METARDE: i. e. multum me retardat. Hi iſtud ita inſcripſerunt parietibus, ut media vox ſuperiori loco poneretur & prima ac poſtrema duabus extremitatibus concurrerent, ut ſtulti ex ignorantia & ingenioſi ex malitia duo verba conjungerent legentes MOUT TARDE qvod ſignificat *ſinapi*, qvæ ridicula ſententia minimè ridiculam vindictam peperit. Tanti refert *voces* (ut ſuo loco dicemus) rectè diſtingvere. Sed caſus has argutias produxit. Artificioſa erat hæc malitioſi cujusdam Itali, qvi rogatus à divite ſed avaro Germano ut in commendationem *ſobrietatis* ſymbolum conficeret, cum non tam virtute qvam vitio ab ebrietate revocaretur: In atrio ejus pinxit *poculum* cum *lagena* iiſqve ſuperſcripſit has voces: USU RARO. Qvæ ſeparata menti Germani, conjuncta Itali ſententiæ conveniebant cum ſignificaretur *Uſurarius* ſeu *fænerator*.

Truncando pulcherrima nata eſt homonymia ex fulmine fatali qvod de nomine Auguſti (ut diximus) ſolam literam C. delevit. Illæſum relinqens AUGUSTUS ÆSAR qva voce Hetruſca, ut aruſpices interpretabantur, ſignificabatur: Poſt centum dies moriturum

 turum

turum & conſecratum iri Auguſtum. Pari artificio acerrimi morſus interdum inferuntur, veluti is qvi in rabiem dedit Gothardum Naſellum. Cum enim ſuo tribunali majuſculis literis nomen & cognomen inſcripſiſſet: litigantes cunctatione ex protractione juſtitiæ offenſi duas priores literas ex nomine & primam ex cognomine deleverunt ut relinqveretur: TARDUS ASELLVS, qvo adeo perturbatus fuit, ac ſi in illa ipſa ſede aures ejus longius creviſſent. Magis Tragicus videbatur qvorundam aliorum jocus, qvi Doctorculum meras ſententias loqvi ſolitum irriſuri accuſabant eum hæreticas propoſitiones prodidiſſe. Judicem igitur rerum ſacrarum in atrium nuper ab ipſo exſtructum & ſententioſis dictis exornatum adduxerunt. Et in Zophoro Camini inſcripta monſtrabant hæc verba: DEUS VOLENS INIQVITATEM. Omnes cohorreſcebant. Sed & omnes ridebant, poſtqvam in dextro Zophori latere Tò NON & in ſiniſtro Tò TU ES qvæ verſiculum integrabant repererant, qvæ à fronte conſpici non poterant.

Adjectione mordaciſſimum fuit illud ex autore jam antea propoſitum, ubi unica litera in fine vocis THRATTI SE adjecta convitium facit. Sic immutatum fuit Epitaphium Didii Orcelli Tarraconenſis: *Hic ſitus eſt Didius Orcellus nobili familia natus qvi civili bello laudem in arce & caſtris meritus obiit anno ætatis 55.* Qvæ verba ab hæredibus priſco more per compendium ſic ſcripta.

HIC. SIT. EST
DID. ORCELL.
NOB. FAM. NAT.
QVI. CIVIL. BELL.
LAUD. IN ARC. ET CASTR. MER.
OBIIT
AN. ÆT. LV.

Malevolis occaſionem dederunt adjectione qvarundam literarum totam ſententiam pervertendi & in opprobrium commutandi.

HIC

Digitized by Google

HIC para SIT. EST
Sor DID. pORCELL.
igNOB. in FAM. damNAT.
QVI. in CIVIL. BELLua,
cLAUDI IN cARC. & CASTRari MER.
Male OBIIT.
ANimal FÆT. L Ut.

Sed hic *homonymiæ* accedit ſpecies *Laconiſmi* de qvo mox. Etiam *adjectionibus* aut *diminutionibus* fiunt gryphi & ænigmata lepida, ut de voce ALA.

Res volitat. Pi adjunge, fodit, My adjungito, mandit
Primam deme, canit. Ultima ſola gemit.

Idem fit diviſione: ut luſit poëta qvidam amator atqve adeo dupliciter ſtultus, qvi in puellam, cui nomen GELARDÆ ſymbolum fecit montem Ætnam, qvi foris nivibus oppletus intus ardet, cum dicto: GELAT & ARDET. Hoc diſtichon ſubjiciens:

Qvod vultu GLACIEM, FLAMMAS qvod pectore geſto
Et GLACIEM & FLAMMAS, qvam colo, Nympha gerit.

Alius pinxit *Catenam* interpoſita ſyllaba RI eamqve dono miſit amicæ cum hoc diſticho:

Partem unam RIvi duræ interjunge CATENÆ
Qvæ liget & lacrymis me riget, ipſa ſcies.

Indicans eam qvæ vocabatur *CateRIna* cauſam eſſe tormenti ſui.

Hæ

Hæc igitur ſunt argutiæ homonymicæ, qvæ fiunt *demendo, addendo, dividendo, copulando.* Sed pulcherrimæ qvoqve & ingenioſiſſimæ fiunt *mutando*, ut præcipuè accidit in *Anagrammatis* qvæ nihil aliud ſunt qvam *ſignificationes peregrinæ ex mutatione literarum hominis alicujus proprii reſultantes. Ut ROMA AMOR.* In veris igitur Anagrammatis duæ virtutes neceſſario reqviruntur, altera eſt *proprietas ſignificationis*, ut perſonæ conveniat & fatali myſterio in voce recondita & comprehenſa eſſe videatur. Altera eſt *integritas* ita ut ex ſola *mutatione ſitus* literarum ſine ulla adjectione aut imminutione aut mutatione ſententia peregrina naſcatur. Atqve hæc ſunt qvæ vocantur *Anagrammata fatalia*, in qvibus humanum ingenium neſcio qvid divini deprehendit, qvæ talia non ſunt habentur potius pro alluſionibus & paronomaſiis qvam veris anagrammatis. Hanc gloriam obtinuerunt apud Græcos Anagrammata regis Ptolomæi & Arſinoës ejus Conjugis, qvorum iſte celebratur ob ſvaviſſimæ facundiæ dulcedinem, hæc ob juvenilis venuſtatis florem.

PTOLOMAIOS.
Anagr. APOMELITOS: i. e. à melle
ARSINOE.

Anagr. ERASION: qvod Græcis ſignificat elegantiſſimum veris florem qvem vocant *violam Junonis.* Et hæc Anagrammata præter *integritatem & proprietatem, hanc* etiam habent laudem, qvod ex ſolo nomine proprio ſint eruta, in qvo acumen poëticum magis elucet, qvod vulgo fatale myſterium videtur. Qvod ſi vero plures voces ſint, non difficile eſt, qvamcunqve volumus ſententiam inde exſculpere. In primis Regi Sveciæ progreſſibus magnis paſſibus ad imperium contendentibus ſummo plauſu receptum fuit Anagramma nominis ejus, qvod veluti fatidicum, animum ſuis addebat.

GUSTAVUS.
Anagr. AUGUSTUS.

Sed prælium Luzenſe demonſtravit has divinationes eſſe deceptiones. Typis etiam celebre eſt redditum hoc Anagramma Franciſci Bencii: GREGO-

GREGORIUS DECIMUS QVARTUS.
Anagr. MURUS CUSTODIAQVE GREGIS.

Qvod verè in Pontificem convenit. Sed primum deeſt *integritas* cum unum R omiſſum ſit in Anagrammate, porro *divinius* viſum eſſet, ſi ductum fuiſſet ex nomine ejus natali NICOLAUS SFONDRATUS. *Integrum & fatale* exiit hoc qvod tanqvam divinum oraculum præſagiit vulnera Eccleſiæ à Martino Luthero *ſcriptis lingva & bellis* infligenda:

MARTINUS LUTERUS
Anagr. TER MATRIS VULNUS.

Feliciter explicatum hoc diſticho:

Et ferro & lingva & calamo fera vipera Luther
Eccleſiæ MATRIS TER grave VULNUS eris.

Et hoc alterum in ejus Collegam, reſpiciens *ulcera* in ea parte corporis nata qva Philiſtæi arca fœderis profanata laborarunt:

C A L V I N U S.
Anagr. A N I U L C U S.

Ubi vides caſtigationem hanc divinam fuiſſe, qvod ſanctam Eccleſiam profanaverat. Laborioſiora & mirabiliora ſunt *Anagrammata numeralia* qvæ neſcio qvam *fatalitatem Cabbaliſticam* videntur continere. Cum enim qvævis litera Alphabeti ſuo numero cenſeatur h. e. ab A usqve ad I. numeris ſimplicibus veluti A. 1. B. 2. C. 3. &c. à K usqve ad S. denariis numeris ut K. 10. L. 20. M. 30. &c. Et à T. ad Z. centenariis ut T. 100. U. 200. X. 300. &c. Intenderunt ſe ingenia reperiendis ſententiis, qvas numerus ex literis nominis propoſiti formatus refert, ut interdum hæc argute & admirabiliter cadant. Sic argutiſſimum evaſit illud in puellam Noribergenſem cui nomen MARIA, qvæ ipſo nuptiarum die mira admodum homonymia inventa eſt *mas*, qvod ex ipſo nomine

Digitized by Google

qvidam eruit numeros literarum utriusqve verbi in hunc modum colligens:

M.	30.	M.	30.
A.	1.	A.	1.
R.	80.	S.	90.
I.	9.		121.
A.	1.		
	121.		

Certum eſt ex eodem hoc nomine alia ac diverſa anagrammata poſſe erui, pari numerô ex diverſis literis collecto. Sed etiamſi nocte integra ungves rodas: raro tamen fiet ut invenias, qvæ utramqve laudem & *proprietatis & integritatis* mereantur. Res tamen ſucceſſit ingenioſo cuidam nobili, qvi addictus nobili puellæ cui nomen MARIA AMODEA in ipſo nomine cognomen reperit, ejusqve anagramma pro ſymbolo uſurpavit: AMO DEAM, cujus numeri ſic reſpondent *themati*

M.	30.	A.	1.
A.	1.	M.	30.
R.	80.	O.	50.
I.	9.	D.	4.
A.	1.	E.	5.
		A.	1.
	121	M.	30.
			121.

Contra valde qvidem proprium & ingenioſum eſt hoc alterum anagramma ad Dei matrem ſancte relatum

M A R I A

Anagr. D E I R E G I A.

Sed ob unicum elementum hoc anagramma adeo proprium laudem *integritatis* perdit, qvoniam MARIA continet numerum 121. Et DEI REGIA tantum 120. Qvod ſi igitur diceres A DEI REGIA purum qvidem eſſet ratione *integritatis* ſed non ratione *ſententiæ* cum præpoſitio iſta inutile complementum videatur. Sed in hoc genere

Digitized by Google

nere vix * ab ingenio humano credo ſuperari poſſe Johannem Aſtulphum in Anagrammate numerali *Lutheri.* Ut enim obſcuram illam in Apocalypſi prophetiam explicet, cujus ſenſus eſt *monſtroſa quadam beſtia inficiet Eccleſiam & beſtia illa erit homo, cujus nomen continebit numerum 666. qui ingenium habebit numerum iſtum recenſere ſciet.* Subtiliter obſervavit nomen Lutheri ſua lingva ſcriptum eum ipſum numerum 666, continere, ſic qvidem exactè ad calculos revocatum

M.	30.
A.	1.
R.	80.
T.	100.
I.	9.
N.	40.
L.	20.
A.	1.
U.	200.
T.	100.
E.	5.
R.	80.
	666.

Unde infert Martinum Lutherum fuiſſe magnam illam beſtiam à S. Johanne præmonſtratam. Sed de anagrammatis alibi dicetur, hic ſatis eſt fontem indicaſſe unde profluunt. Sunt enim argutiæ ab homonymia profectæ.

Bbb 2 Ad

* *Quodſi acumen plus quam humanum eſt in anagrammate nominis contorti (neqve enim qvisqvam Germanorum nomen* Lutheri *unqvam ſcripſit* Lauter) *nonne acumen planè divinum in iſto mirabimur anagrammate?*

I L P A P A E L' A N T I C H R I S T O
9 20 60 1 60 1 5 20 1 40 100 9 3 8 80 9 90 100 50 666

Quid? quod obſervatum ſit, è voce Romuth, qua Romanum ſignificat, Hebraic literis eundem numerum ſacrum 666. confici? Cujus generis plurima ſunt in eundem ſenſum excogitata, & plura excogitari poſſunt, ſi qvis vanis hiſce ingeniorum luſibus delectetur.

Digitized by Google

Ad anagramma prope accedit *Etymologia arguta* h. e. ea qvæ non qvidem verum etymon, ſed aliud à nomine vicino ingenii acumine petitum affert. Argutus enim ſermo (ut diximus) à proprio aliqvatenus debet diſcedere. Sic Philippus utut nomen ducat à φίλος ὁ ἵππος h. e. ab amore eqvorum: nihilominus joco dictus fuit PHYLIPPUS; qvaſi dicas, *hei qvam turpis eſt nubiloſa illa in facie feneſtra.* Sic de *Tito Labieno* qvoniam ſcriptis ſuis rabioſe omne genus hominum lacerabat Romæ dicebatur: *Non Labienus* eſt ſed RABIENUS. Et *Pupillus Orbilius* Grammaticus, qvod memoriam amiſerat à Bibaculo dictus fuit: PUPILLUS OBLIVIUS. Et à S. *Johanne Chryſoſtomo* Apoſtata Julianus dictus eſt: *Julianus* qvaſi IDOLIANUS. Et Claudius Tiberius Nero, qvod vinum calidum merumqve biberet à militibus dictus eſt: CALDIUS BIBERIUS MERO. Sic *tutores* à JCtis dicuntur qvaſi tuitores ab officio tuendi & cuſtodiendi. Sed Brunus JCtus joco vocat illos TOLLITORES qvod tollant & auferant bona pupillorum, & *Parlamentum* qvod nomen habet ab eo, ut de publicis negotiis agat & loqvatur à *Benedicto* riſu appellatum fuit *Parlamentum* qvaſi PARIUM LAMENTUM, qvod duces & pares de rebus ab eo judicatis plerumqve qverebantur. Sed mordacius eſt *à conventionibus Gallicis: parlamentum*, qvod SI PARLA ET MENTE. h. e. dicitur promititurqve & nihil fit. Et *mulier* qvæ ſecundum Varronem à mollitie dicta eſt qvaſi *mollier*, ab alio contra ob duritiem obſtinatumqve animum dicta eſt qvaſi MULI INSTAR. Sed factum eſt nonnunqvam ut nomina origine ſua contumelioſa in nobilibus familiis recepta diuturno uſu venenum qvaſi depoſuerint ut *Verres*, *Porcius*, *Aſinius*, *Caprinius*, *Bos*, *Piſcis*, *Corvus*, *Draco*, in qvibus acumen jam retuſum reparatur duobus modis: altero qvidem, cum novum & peregrinum etymon voci affine reperimus, ut Cicero cum luſiſſet in Verrem ex priſca etymologia à ſordido illo animalculo deducta novam poſtea commentus eſt à VERRENDO, qvod divitias Siciliæ converreret & cum pulviſculo corraderet. Altera ratio eſt (ut autor noſter docet) cum priſcam etymologiam ad ſingulare aliqvod factum illius hominis traducimus, ut de crudeliſſimis Athenarum legibus à *Dracone* latis: *verè* DRACONIS *leges non hominis.* Et Stratonicus cantionem audiens ingratam alicujus Carcini, qvod nomen piſcem ſignificat: PISCIS *verius qvam hominis cantio.* Et Cicero de magiſtro Metelli

telli cui *Corvus* nomen: *hic* CORVUS *volare te potius docuit qvam loqvi.* Eadem eſt ratio in laudibus. Qvomodo Martialis argutus eſt in nomine adoleſcentuli *Earini* qvo VER ſignificatur: *Nomen cum violis roſisq́, natum &c.* Et de S. Urſula qvæ *parvam urſam* ſignificare videtur poëta dixit: *Eam vere eſſe* URSAM MINOREM, *qvæ ſemper in cœlo ſplendens nunqvam occidat.* Interdum argutè *corrigitur priſca Etymologia* novâ qvadam animadverſione, ut S. Hieronymus Vigilantium vocat DORMITANTIUM, qvod S. Scripturæ ſenſum non ſatis attendebat. Sic cum Rex Galliæ in Senatum Pariſienſem juvenes multos allegiſſet, Doctor qvidam eò vocatus exclamavit: *Jam non eſt hic Senatus ſed* JUVENATUS. Et de *rationariis*, qvod anteqvam munus aggrederentur vino ſe largius invitarent: *Non jam Computores ſunt ſed* COMPOTORES, ut apud Cornificium: *Demus operam ne* PATRES CONSCRIPTI PATRES CIRCUMSCRIPTI *videantur.* Et ejusmodi obſervatione priſcæ *Etymologiæ* Sanazarius compoſuit argutum illud diſtichon in *fratrem Jucundum*, qvi duos ſuperbiſſimos pontes in regio flumine conſtruxerat:

Jucundus geminum impoſuit tibi, Seqvana, pontem
Hunc tu jure potes dicere PONTIFICEM.

Innuens eum dignum eſſe, qvi fieret Papa. Olim enim *Pontifices* dicebantur à *ſublicio ponte* faciendo. Simili Etymologia pontifex qvidam, qvi Romæ pulcherrimos fontes fabricaverat, dictus eſt FONTIFEX MAXIMUS. Atqve hinc deſcendit etiam alia ſpecies æqvivocarum argutiarum, qvæ ſermonem referunt de induſtria immutatum, qvando pro vocabulis communibus utimur *nominibus propriis*, qvæ ſoni ſimilitudine aliqva cum illis conjuncta ſunt. Tale eſt hoc dictum ſervi Plautini ad monoculum qvendam: *Ex Coclitum proſapia te eſſe arbitror.* Et Hegio ſub homonymia militiæ paraſito recenſet multos cibos urbium & provinciarum nominibus appellatos:

Multis & multis generibus opus eſt tibi
Militibus. Primimodum, opu'ſt Piſtorienſibus
Opus Paniceis, *opus* Placentinis *qvoqve,*

Digitized by Google

Opus Tudertenis, *opu'ſt* Ficedulenſibus
Jam maritimi omnes Milites opus ſunt tibi.

Tale eſt hoc fragmentum literarum qvibus ſub priſcis vocabulis nominum Romanorum amicum aliqvis mores & ingenium docet alicujus juvenculi, qvi gener ipſius fieri deſiderabat.

Ne *Gabinium* me præbeam, de *Juvenali* iſto, qvi *Geneſius* tuus eſſe cupit te docebo. Eſt is verè *Brutus* magis qvam *Lepidus* & utut ſit *Caſſius* tanqvam *Juvencus*: eſt tamen *Flaccus* magis qvam *Maro Martianus*. Non habet colorem *Albutii* nec *Ruffi*, ſed *Turpilii & Mauri*, ut *Carbo* cum *Vultejo* pleno *Lentulorum Naviorum & Ciceronum*, habet *Rugam & maculam* in *frontone*, *Aurelios* ab *Aſinio Naſicam Largium & Curtium* ut *Tubero* aliqvis, oculum non nihil *Cecilium* & alterum *Strabonem*, *Grunnium & Dentonem à Porcio & Labeones Longinos* qvi *Leccam Platina* faciant. Deniqve habet *Barbulam Fuſcum & Rarium* ut *Hircius*, utut geſtet *comatum Criſpum & Cincinnatum*, habet tamen *Capitolium Cornelii Calvi*, & cerebellum ſine *Saluſtio. &c.* Contra ea non nunqvam loco vocabuli communis argute adhibetur *circumlocutio continens homonymiam nominis proprii*. Ut ſcurra qvidam literatus Alexandro dicturus: *Curre Olympia* i. e. ludos Olympios, dixit: *Curre* MATREM TUAM, qvæ Olympias dicebatur. Et de Marcano qvodam qvi ad triremes damnatus Romæ lucrum facere cuperet, dictum eſt: *hic Romulum qverens reperit FRATREM ROMULI Remum.*

Deniqve ab eadem *mutatione literarum* naſcitur (ut jam audiſti) omne genus *alliterationum & paronomaſia* ut *laudatores ſunt adulatores. Nobiliores ſunt mobiliores. Pleriq; ut famam acqvirant fame pereunt. Multis calamus calamitates peperit.* Et infinita alia, qvæ utut in orationibus gravioribus parce adhibenda ſint ne ars denudata, proſtituatur: nihilominus in qvibusdam ſcriptis & inſcriptionibus de induſtria cumulantur oſtentandi ingenii & doctrinæ cauſa. Hac via decurrit hæc inſcriptio, qvam in laudem villæ cujusdam ſuburbanæ compoſui. *Huc ex urbe in ſuburbium viator de via devia: ubi vera & mera & pia volupia colonos colit. Varia hic ſpectacula ut ſpectantes recreet natura creat. Hinc rapidus & rabidus torrens jucunde terrens pari ruina & rapina ſaxa diruit dum ruit,*

Digitized by Google

ut credas in gelidum fulmen mutari flumen. Illinc lacteus latex è gelido gelu fluens refluens flores educat qvos educit. Hinc fraga fragrant, ſerpillum ſerpit, roſa ridet, gratiùsq; grata violaria nulla violant nives. Atq; ut Flora flores ſic pomaria Pomona pingit. Nam coloris artifice calore optimorum malorum omnigena genera ramos ornant, qvos onerant. Neqve hic meridianus Apollo pollet, nam ſine luce lucus, ex vetuſtate venuſtatem adeptus abditis adytis qvos tegit protegit, ſilentiq; umbra mœſtis, lata teſtatur adeſſe Numen, ubi nullum eſt lumen. Hic perſonata perſonans Eccho mortua vivit, elingvis loqvitur, per auras ludens aures illudit. Hic per avia perfuga aves perfugium nacta ingenito ingenio ignotas notas concinnè concinunt. Luſcinia luget, turtur trutilat, grus gruit, bubulat bubo, qvibus occultatus & oculatus anceps victum in viſco, fraudes inter frondes opponit. Et noto cantu excantatas ſubdolè capit dum canit. Nulla hic curiales curæ non lata & alta palatia, ubi omnis motus eſt metus, & impotens potentia timet dum timetur. Non hic amentes opum amantes, inopes inter opes per vitia divitias qværunt, & aurum ſeqvuntur aura fugacius. Non proditor livor qvod videt invidens, qvos palam ſectatur clam inſectatur. Hinc innoxius ut innocuus ſolitudinis hoſpes ſolicitudinis expers, vilis non ſervilis contemtus & contentus lucem ſine luctu noctem ſine noxa ſecum tranſiens favente fato, parcente parca, longævo fruitur ævo, & inſtar oloris canit dum canet. Brevi: utramqve ſortem ſortitus dices: urbanos mores in agris, agreſtes in urbibus inveniri.

Ejusmodi alliterationibus pinguntur interdum verſus ea gratia ut & ſi ſententia humilis eſt ac trivialis, ab iſtis tamen arguta videatur & ingenioſa. Ut hæc Ciceronis: *Fortunatam natam me Conſule Romam.* Et hic de puella ſub umbra tiliæ fuſum ducentis:

Filia ſub tilia fila ſubtilia fila.

Et hic:

Mala mali malo mala contulit omnia mundo.

Et

Et hic vulgatus:

Qvid facies facies Veneris cum veneris ante?
Non ſedeas ſed eas ne pereas per eas.

Neqve arduum eſt ſcripta ejusmodi alliterationibus homonymis illuſtrare, modo in libros Commentarios multa ejusmodi exempla retuleris, iis etiam annotatis, qvæ caſu inmentem oculos vel aures cadent, cum qvotidie in humana vita ſine ulla cura & ſtudio talia proferantur. Qvin & idiotæ vocabula corrumpentes paronomaſias formant, qvas elegans ingenium vix reperiret. Atqve adeo ſi vel errata typographorum in calce librorum excuſa legas, ab iſtis erroribus colliges alliterationes adeò bellas, ut (qvod animi cauſa non nunqvam tentavimus) argutiæ valde peregrinæ ſuo loco utiliſſimæ futuræ inde poſſint formari. Præter hæc Lexica qvoqve & Calepini attente lecti tot voces homonymas conjungunt, tot alliterationes offerunt ut volumen inde poſſis colligere, in qvod ſcripturus oculum conjiciens & mente reſpiciens: thematuum tantam ſine dubio copiam offendes, qvæ tibi faſtidio ſit donec tandem conſvetudo in naturam abeat. Sic exempli cauſa qvando legis in Calepino *pernix* i. e. velox, huic vicinum reperies *pernitioſus*: unde de veloci ſed turbulento ingenio qvale erat Grachi poſſes dicere: PERNICI *ſed* PERNITIOSO *erat ingenio.* Et ſi legis verbum *peto* conjunctum reperies compoſitum *appeto*, qvod ad animum cupidum transferens dices: PETIT *qvicqvid* APPETIT. Sic non procul à *phreneſis* i. e. amentia reperies *phroneſis* i. e. ſapientia qvod itidem de Davide qvi ſtultitiam ſimulans mortem effugit poſſes dicere: PHRENESIS *illa* PHRONESIS *fuit.* Et vicinum *plaga* h. e. percuſſioni reperies *plagas* i. e. retia venatorum: ex qvo æqvivocam argutiam in plagas Salvatoris finges: PLAGÆ *iſtæ ſunt amoris* PLAGÆ. Et poſt *opis* legens *opus* de divite ſolicito dices: *Magna* OPES *ſunt magnum* OPUS. Et ob vicina vocabula, *Pales* qvæ Dea eſt agriculturæ & *Pallas* qvæ eſt Dea ſapientiæ, *rectus* pro juſto & *rectus* pro non curvo, de ſcholaſtico rudioris ingenii dices: PALEM *facilius coles qvam* PALLADEM. Et de judice juſto ſed gibboſo: RECTUS *eſt & non* RECTUS. Hæc fuit Lipſii & Puteani ratio, qvi ejusmodi argutiis poſtrema ſua ſcripta

pta

Digitized by Google

pta felicius qvam prima exhilararunt. Unde ſtilus ipſorum velut pulegium frigidiſſima ætatis hieme maximè effloruit.

Sed hæc æqvivoca ex mutatione *vocum* vel *literarum* nata ſunt: alia fiunt ſola mutatione vel *conſtructionis Grammaticæ* vel *ſententiæ ac mentis.* Priori ratione ex optimo peſſimum redditum fuit dictum alicujus fœminæ, qvæ ſeipſam mundo, altare Deo dicabat, hac inſcriptione: HONORE ADIO i. e. *Laus Deo* qvæ ſententia perverſa fuit unica virgula, qvæ accuſativum mutavit, malitioſe adjecta in hunc modum: HONORE, ADIO i. e. *honos vale*. Tales erant Amphiboliæ Oraculorum veluti ad Crœſum: *Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim*, ambiguum relinqvens utrum ſuas an hoſtiles opes perverſurus ſit. Et ad Pyrrhum: *Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe*, ubi neſcis qvodnam ſit agens vel patiens. Et hoc alterum: *Ibis, redibis non capieris*, qvi eſt cultellus anceps. Sic cum Abbas januæ inſcripſiſſet hunc verſum:

Porta patens eſto, nulli claudaris honeſto,

Alius ipſi malevolus virgulam deletam poſt vocem NULLI poſuit ejus avaritiam & inhoneſtos mores carpens. In hunc modum encomia converti poſſunt in vituperia ſenſu non verbis mutatis, veluti hoc:

Hic jacet miles ſtrenuus, parum jactabundus, multum vigil, nunqvam fugax, ſemper diligens, in menſa parcus, in acie metuendus, amicis amicus, vitiis carens, virtute ſumma, Dei providentia mortuum promeritis remuneret.

Ubi diſtinctione tantum mutata elogium fiet convitium in hunc modum: *Hic jacet miles, ſtrenuus parum, jactabundus multum. &c.*

Ex ſola *mentis* mutatione naſcuntur ænigmata ita ambigua ut Deus ſolus ſit, qvi ab iſtis nos poſſit defendere. Talis eſt Ironia qvæ laudare videtur & vituperat, concedere & negat, augere & minuit, admirari & contemnit. Sic Martialis ad Saletanum qvi morte vetulæ ſed divitis uxoris vehementer affligi videbatur:

Illa illa dives mortua eſt Secondilla,
Nollem accidiſſet hoc tibi Saletane.

Ubi qvod diſplicere ſibi dicit, commiſerationis videtur eſſe, & revera eſt invidia, qvod ille voto potitus ſit. Sed acutiſſima *æqvivoca* nituntur *verbo* aut *phraſi duplicis ſententiæ.* Tale eſt dictum Cæciliani Plautini ad inſulſum lenonem, qvi ſe ipſius cauſa mari fere ſubmerſum eſſe qverebatur. *Imo eſt curdebeas maximam gratiam mihi, qvi te ex* INSULSO SALSUM *feci.* Tale etiam eſt hoc: *Hic eſt corona dignus*, qvod æqve ſignificat eum qvi *dignus eſt corona regia & dignus qvi ſub corona vendatur* ut mancipia.

Hinc pariter proficiſcuntur multa *reſponſa* non *Categorica* ſed *eluſoria*, qvæ ſine mendacio interrogantem fallunt. Sic Spartanus roganti viatori num iter ad Spartam ſecurum eſſet reſpondit: QVALIS VENERIS. Et Electra ad Ægiſthum, qvi ferro ſtricto illam interrogabat: *Putasme tyrannum?* Reſpondit: *Si bonus es non puto: Sin malus, puto.* Polycratides Legatus à regiis interrogatus, num ſuo an publico nomine veniſſet reſpondit: *Si impetra vero, publicè, ſi non impetravero, privatim.* Telecrus interrogatus: *Dixitne?* Reſpondit: *Si dicendum fuit, dixit.* Et Ariſto ad hoſtem perductus rogatusqve qvot milites ſub ſignis haberet? reſpondit: *Qvot ſatis ſunt ad hoſtes arcendos.* Interdum *qvi reſpondet fingit ſe non intellexiſſe qvod qvæſitum.* Ut Syrus Terentianus à ſene interrogatus: *Filium meum vidiſtin hodie?* Velut ſomnolentus reſpondit: *Tuum ne filium?* Et interdum *interrogatio alia interrogatione eluditur.* Ut Chærea interrogatus à tyranno: *Cur male de me dicis?* Animosè reſpondit: *Cur tu meis male facis?* Sic Andromacha qvæ infantem ſuum à Græcis morti deſtinatum occultaverat, ab Ulyſſe rogata: *Ubi natus eſt?* Reſpondit: *Ubi Hector? Ubi cuncti Phryges? Ubi Priamus.* In qvo callida mater verum dixit non intellecta. Condiderat enim filium in ſepulchro Hectoris, atqve adeo porro eum eludebat reſponſis veris ſed ambiguis: *Ita qvod minari maximum victor poteſt, contingat: ut luce caſſus inter exſtinctos jacet, datusqve tumulo debita exanimis tulit.*

Hujus generis ſunt & illi callidi dicendi modi, qvi contrarios ſenſus æqvè recipiunt, & cum laudare videantur, vituperant. Veluti ut tecte dicatur: *hac mulier corpore qvæſtum facit*, qvidam utuntur his locutionibus *officioſa eſt.* i. e. nemini negat: *Hoſpitalis eſt fœmina non gentilis ſed Catholica eſt. Charis eſt, omnes diligit. Triumphali fornice digna eſt. Lectiſſima eſt fœmina, Sybilla religioſior, à pulvinaribus nunqvam diſcedit*

Digitized by Google

diſcedit, Digna eſt cujus effigiem exprimat Myron: Cujus opus celeberrimum erat vacca ænea. *Vitis eſt, populo gaudet. Reipubl. utilis eſt imo ipſa eſt Reſpubl.* Et cum qvædam hujus generis eſſet mortua, ejus lecto inſcriptum fuit: HIC CAMPUS UBI TROJA FUIT. Qvæ dicta & ſexcenta alia ex qvacunqve Categoria prodeunt. Pariter hinc naſcuntur multa *Ænigmata*: Ut ſi arcum cœleſtem voces, *arcum ſine chorda & ſagittis.* Et ciconiam i. e. machinam qvæ pondus tollit: *Sum ciconia nec volare poſſum.* Et qvi pomo h. e. capite gladii minatur: Deglutìes pomum, qvod omnes tibi dentes labefactabit. Cujusmodi ænigmaticis locutionibus Cicero Conſulem illum irridebat cujus Conſulatus unum diem duraverat dicens: *Antea tantum modo creabantur flamines diales, hodie etiam Conſul dialis. Vigilātisſimum habuimus Conſulem qui toto ſuo Cōſulatu ſomnum non vidit. Memorabilis eſt hujus Conſulatus qvo non nix, non pluvia cecidit.* Hinc etiā proficiſcuntur illa *æqvivoca*, qvæ res fictas æqvè ac veras ſignificant: unde arguti ſenſus in picturas ſculpturasq; ut dictum eſt naſcuntur. Hujus generis dictū eſt Papæ Urbani à Salazario relatum. Cum enim à Cardinali qvodam rogatus eſſet ut Michaëli Angelo præciperet, ut ſe ex inferno in qvo ab illo pictus erat, deleret, ſubridens reſpondit: *Ex purgatorio qvidem te liberare potero, ex inferno minime.* Et talis qvoqve jocus erat Ageſilai, qvi acceptis à Rege Perſarum triginta millibus Daricorum ut exercitum ex Aſia deduceret, triginta millibus ſagittariorum ſe ex Aſia depulſum dixit: Iſta enim figura ſignati erant nummi. Sic Rex Alphonſus, cum Judæus effigiem S. Johannis qvingentis aureis ſcutis ipſi indicaſſet: *Carius*, inqvit, *diſcipulum vendis qvam Majores tui Magiſtrum.*

Interdum qvidem *ambigua* reqvirunt *geſtum* aut *vocem* qvæ veram ſententiam innuat, ut hoc Junonis ad Venerem:

Egregiam vero laudem & ſpolia ampla tuliſtis
Tuqve puerqve tuus.

Qvam ironiam comitari debet amarus qvidam riſus. Geſtu vero manus hiſtrio ſeqvebatur illa in Neronem dicta: HEU MI PATER HEU MEA MATER! in altero ſcil. geſtum bibentis, in altero natantis exprimens, ut intelligeretur vitrico à Nerone venenum propinatum, matri autem naufragium paratum fuiſſe.

Ab iſto fonte ſcaturiunt qvoqve tam *ſeria* qvam *ridicula applicationes* verſuum aut dictorum alienorum ad ſententiam à mente autoris diverſam. Seria & magnanima applicatio fuit iſta Franciſci Galliarum Delphini, qvi dum Pater Carolo V. Imperatori bellum inferebat, hoſti minabatur, ſe utut puerum etiam novi orbis imperium invadere deſtinaſſe, hemiſtichio Juvenalis, ubi de magno Alexandro loqvitur:

UNUS *Pellæo juveni* NON SUFFICIT ORBIS ad ſe translato. Et hujus generis ſunt plerumqve pulcherrima ſymbolorum heroicorum dicta. Cujusmodi applicationes etiam in ſoluta oratione veluti lumina reſplendent, qvomodo Seneca indicaturus, ubi mens ſana eſt: omnes hominis *actiones verba veſtitum, inceſſum*, decorum ſervare, & contra corruptelam *morum, veſtitus, eloqventiæ* ſigna esſe mentis corruptæ, id qvod Virgilius de apibus cecinit, huc transfert:

Rege incolumi mens omnibus una eſt
Amiſſo rupere fidem. &c

Ridicula erat applicatio verſus Homerici qvem Diogenes latroni, qvi ob purpuram ſubreptam ad furcas ducebatur, accommodabat:

Te MORS PURPUREA *apprendit violentaqve Parca.*

Non nunqvam parva mutatione poëta traducitur ad noſtram ſententiam, qvomodo Auguſtus Tiberio victoriam gratulatus ſerio uſus eſt verſu Enniano in laudem Fabii Cunctatoris ſcripto una voce mutata:

Unus homo nobis VIGILANDO *reſtituit rem.*

Utut ejusmodi argutiæ ex *homonymia & deceptione* mixtæ ſint.

Eadem imo majori laude *proverbia in* ſenſum æqvivocum trahuntur. Sic teſtimonium ejus, cujus capiti natura egregium par aurium addiderat, irriſum fuit ab adverſario hoc proverbio: *Credite* AURITUS *eſt teſtis.* Et alius in eum qvi ſuſpendebatur: *hic qvidem*, inqvit, *immemor fuit ſymboli Pythagorici*: ARCTUM ANNULUM ne geſtato.

Ex

Ex hoc loco prodit qvoqve acumen qvod *ſententiam loqventis immutat diverſa re ſubjecta.* In qvo genere argutiſſima fuit apud Senecam reſponſio Electræ, cui cum mater adultera, poſtqvam illam in platea ſolam offenderat dixiſſet, *qvis eſſe putet virginem.* ſubjecit illa ſtatim: *Gnatam tuam?* Qvoipſo matris dictum planè immutatum fuit, & in hunc ſenſum converſum: *Qvis putet adultera filiam eſſe virginem?* Cum matris argumentum eſſet hoc: *Qvis putet eſſe virginem, qvæ cœtus publicos colit?* Et apud Plautum adoleſcens Argyruppus ſenem detinens & moratus dicebat: DII DABUNT intelligens filios, reſponſum tulit: TIBI QVIDEM MAGNUM MALUM. Cujusmodi argutia qvoq; eſt, cum ad ſententiam *metaphoricam propriè* reſpondemus, aut ſenſum *moralem phyſice* accipimus, ut cum myſticè dictum ſit: *Vir & uxor ſunt duo in carne una* Logicus erga ſponſum qvendam hinc intulit: *Ergo tu qvi eras BIPES, nunc es* QVADRUPES. Et Philippus cum Catulus ipſi dixiſſet: QVID LATRAS? mox reſpondit: FUREM VIDEO. Et Sextus Titius cum fides ipſi non haberetur dixerat: CASSANDRA FUI. Sed Antonius falſe reſpondit: NOVIMUS TUOS AJACES. ſic qvo tempore Dux Albanus Neapolitanis præerat, qvum tres Hiſpani mercatori, qvi pannos ſuos nimis care vendere videbatur, minarentur: *mox nihil ememus amplius* unde metus ſeditionis cives inceſſerat: dux hoc intellecto: *Verum* inqvit *dixerunt, nihil ement amplius* ſtatimqve eos ſuſpendi juſſit. Ubi vides ſenſum propoſitum reſponſione ita immutari, ut ſe ipſum juguler. Et hujus generis erat promta illa & acuta reſponſio magni noſtri Caroli ad Henricum Magnum Galliæ Regem. Cum enim duo iſta belli fulmina alea luderent & Rex ſcutatis aureis altero Gallico altero Hiſpanico depoſitis frigidè ex Duce qværeret: *Uter iſtorum ſcutatorum in Italia majoris eſt pretii?* ſolerter reſpondit Dux: *Iſte cui ipſe granum adjecero.*

Interdum *ſenſus verborum mutatur explicatione homonyma* ut juvenis Terentianus cui Pater dixerat: VADE CITO imperans nimirum ut ab amica diſcedat, reſpondit deſperabundus: *Viſus eſt mihi dicere:* VADE CITO ET SUSPENDE TE. Et in ridiculis dictum aliqvod ſecundum aliud idioma mirè exponitur. Sic cum agreſtes qvidam ſuperbæ villæ ſuburbanæ ad Mediolanum inſcripta viderent hæc verba, qvæ conditoris, bellici ducis, erant ſymbolum: NEC SPE NEC

Ubi qvod diſplicere ſibi dicit, commiſerationis videtur eſſe, & revera eſt invidia, qvod ille voto potitus ſit. Sed acutiſſima *æqvivoca* nituntur *verbo* aut *phraſi duplicis ſententiæ.* Tale eſt dictum Cæciliani Plautini ad inſulſum lenonem, qvi ſe ipſius cauſa mari ferè ſubmerſum eſſe qverebatur. *Imo eſt curdebeas maximam gratiam mihi, qvi te ex* INSULSO SALSUM *feci.* Tale etiam eſt hoc: *Hic eſt corona dignus*, qvod æqve ſignificat eum qvi *dignus eſt corona regia & dignus qvi ſub corona vendatur* ut mancipia.

. Hinc pariter proficiſcuntur multa *reſponſa* non *Categorica* ſed *eluſoria*, qvæ ſine mendacio interrogantem fallunt. Sic Spartanus roganti viatori num iter ad Spartam ſecurum eſſet reſpondit: QVALIS VENERIS. Et Electra ad Ægiſthum, qvi ferro ſtricto illam interrogabat: *Putasme tyrannum?* Reſpondit: *Si bonus es non puto: Sin malus, puto.* Polycratides Legatus à regiis interrogatus, num ſuo an publico nomine veniſſet reſpondit: *Si impetravero, publicè, ſi non impetravero, privatim.* Telecrus interrogatus: *Dixitne?* Reſpondit: *Si dicendum fuit, dixit.* Et Ariſto ad hoſtem perductus rogatusqve qvot milites ſub ſignis haberet? reſpondit: *Qvot ſatis ſunt ad hoſtes arcendos.* Interdum *qvi reſpondet fingit ſe non intellexiſſe qvod qvæſitum.* Ut Syrus Terentianus à ſene interrogatus: *Filium meum vidiſtin hodie?* Velut ſomnolentus reſpondit: *Tuum ne filium?* Et interdum *interrogatio alia interrogatione eluditur.* Ut Chærea interrogatus à tyranno: *Cur male de me dicis?* Animosè reſpondit: *Cur tu meis male facis?* Sic Andromacha qvæ infantem ſuum à Græcis morti deſtinatum occultaverat, ab Ulyſſe rogata: *Ubi natus eſt?* Reſpondit: *Ubi Hector? Ubi cuncti Phryges? Ubi Priamus.* In qvo callida mater verum dixit non intellecta. Condiderat enim filium in ſepulchro Hectoris, atqve adeo porro eum eludebat reſponſis veris ſed ambiguis: *Ita qvod minari maximum victor poteſt, contingat: ut luce caſſus inter exſtinctos jacet, datusqve tumulo debita exanimis tulit.*

Hujus generis ſunt & illi callidi dicendi modi, qvi contrarios ſenſus æqvè recipiunt, & cum laudare videantur, vituperant. Veluti ut tecte dicatur: *hac mulier corpore qvæſtum facit*, qvidam utuntur his locutionibus *officioſa eſt.* i. e. nemini negat: *Hoſpitalis eſt fœmina non gentilis ſed Catholica eſt. Charis eſt, omnes diligit. Triumphali fornice digna eſt. Lectiſſima eſt fœmina, Sybilla religioſior, à pulvinaribus nunqvam diſcedit*

Digitized by Google

diſcedit,Digna eſt cujus effigiem exprimat Myron: Cujus opus celeberrimum erat vacca ænea. *Vitis eſt, populo gaudet. Reipubl. utilis eſt imo ipſa eſt Reſpubl.* Et cum qvædam hujus generis eſſet mortua,ejus lecto inſcriptum fuit: HIC CAMPUS UBI TROJA FUIT. Qvæ dicta & ſexcenta alia ex qvacunqve Categoria prodeunt. Pariter hinc naſcuntur multa *Ænigmata*: Ut ſi arcum cœleſtem voces, *arcum ſine chorda & ſagittis.* Et ciconiam i. e. machinam qvæ pondus tollit: *Sum ciconia nec volare poſſum.* Et qvi pomo h. e. capite gladii minatur: Degluties pomum, qvod omnes tibi dentes labefactabit. Cujusmodi ænigmaticis locutionibus Cicero Conſulem illum irridebat cujus Conſulatus unum diem duraverat dicens: *Antea tantum modo creabantur flamines diales, hodie etiam Conſul dialis. Vigilantiſſimum habuimus Conſulem qvi toto ſuo Côſulatu ſomnum non vidit. Memorabilis eſt hujus Conſulatus qvo non nix, non pluvia cecidit.* Hinc etiã proficiſcuntur illa *æqvivoca*, qvæ res fictas æqvè ac veras ſignificant: unde arguti ſenſus in picturas ſculpturasq; ut dictum eſt naſcuntur. Hujus generis dictũ eſt Papæ Urbani à Salazario relatum. Cum enim à Cardinali qvodam rogatus eſſet ut Michaëli Angelo præciperet, ut ſe ex inferno in qvo ab illo pictus erat, deleret, ſubridens reſpondit: *Ex purgatorio qvidem te liberare potero, ex inferno minime.* Et talis qvoqve jocus erat Ageſilai, qvi acceptis à Rege Perſarum triginta millibus Daricorum ut exercitum ex Aſia deduceret, triginta millibus ſagittariorum ſe ex Aſia depulſum dixit: Iſta enim figura ſignati erant nummi. Sic Rex Alphonſus, cum Judæus effigiem S. Johannis qvingentis aureis ſcutis ipſi indicaſſet: *Carius*, inqvit, *diſcipulum vendis qvam Majores tui Magiſtrum.*

Interdum qvidem *ambigua* reqvirunt *geſtum* aut *vocem* qvæ veram ſententiam innuat, ut hoc Junonis ad Venerem:

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla tuliſtis
Tuqve puerqve tuus.

Qvam ironiam comitari debet amarus qvidam riſus. Geſtu vero manus hiſtrio ſeqvebatur illa in Neronem dicta: HEU MI PATER HEU MEA MATER! in altero ſcil. geſtum bibentis, in altero natantis exprimens, ut intelligeretur vitrico à Nerone venenum propinatum, matri autem naufragium paratum fuiſſe.

Ab iſto fonte ſcaturiunt qvoqve tam *ſeria* qvam *ridiculæ applicationes* verſuum aut dictorum alienorum ad ſententiam à mente autoris diverſam. Seria & magnanima applicatio fuit iſta Franciſci Galliarum Delphini, qvi dum Pater Carolo V. Imperatori bellum inferebat, hoſti minabatur, ſe utut puerum etiam novi orbis imperium invadere deſtinaſſe, hemiſtichio Juvenalis, ubi de magno Alexandro loqvitur:

UNUS *Pellæo juveni* NON SUFFICIT ORBIS ad ſe tranſlato. Et hujus generis ſunt plerumqve pulcherrima ſymbolorum heroicorum dicta. Cujusmodi applicationes etiam in ſoluta oratione veluti lumina reſplendent, qvomodo Seneca indicaturus, ubi mens ſana eſt: omnes hominis *actiones verba veſtitum, inceſſum*, decorum ſervare, & contra corruptelam *morum, veſtitus, eloqventia* ſigna eſſe mentis corruptæ, id qvod Virgilius de apibus cecinit, huc transfert:

Rege incolumi mens omnibus una eſt
Amiſſo rupere fidem. &c

Ridicula erat applicatio verſus Homerici qvem Diogenes latroni, qvi ob purpuram ſubreptam ad furcas ducebatur, accommodabat:

Te MORS PURPUREA apprendit violentaqve Parca.

Non nunqvam parva mutatione poëta traducitur ad noſtram ſententiam, qvomodo Auguſtus Tiberio victoriam gratulatus ſerio uſus eſt verſu Enniano in laudem Fabii Cunctatoris ſcripto una voce mutata:

Unus homo nobis VIGILANDO reſtituit rem.

Utut ejusmodi argutiæ ex *homonymia & deceptione* mixtæ ſint.

Eadem imo majori laude *proverbia in* ſenſum æqvivocum trahuntur. Sic teſtimonium ejus, cujus capiti natura egregium par aurium addiderat, irriſum fuit ab adverſario hoc proverbio: *Credite* AURITUS *eſt teſtis*. Et alius in eum qvi ſuſpendebatur: *hic qvidem*, inqvit, *immemor fuit ſymboli Pythagorici*: ARCTUM ANNULUM ne geſtato.

Ex

Ex hoc loco prodit qvoqve acumen qvod *ſententiam loqventis immutat diverſa re ſubjecta.* In qvo genere argutiſſima fuit apud Senecam reſponſio Electræ, cui cum mater adultera, poſtqvam illam in platea ſolam offenderat dixiſſet, *qvis eſſe putet virginem.* ſubjecit illa ſtatim: *Gnatam tuam?* Qvoipſo matris dictum planè immutatum fuit, & in hunc ſenſum converſum: *Qvis putet adultera filiam eſſe virginem?* Cum matris argumentum eſſet hoc: *Qvis putet eſſe virginem, qvæ cœtus publicos colit?* Et apud Plautum adoleſcens Argyruppus ſenem detinens & moratus dicebat: DII DABUNT intelligens filios, reſponſum tulit: TIBI QVIDEM MAGNUM MALUM. Cujusmodi argutia qvoq; eſt, cum ad ſententiam *metaphoricam propriè* reſpondemus, aut ſenſum *moralem phyſice* accipimus, ut cum myſticè dictum ſit: *Vir & uxor ſunt duo in carne una* Logicus erga ſponſum qvendam hinc intulit: *Ergo tu qvi eras BIPES, nunc es* QVADRUPES. Et Philippus cum Catulus ipſi dixiſſet: QVID LATRAS? mox reſpondit: FUREM VIDEO. Et Sextus Titius cum fides ipſi non haberetur dixerat: CASSANDRA FUI. Sed Antonius ſalſe reſpondit: NOVIMUS TUOS AJACES. ſic qvo tempore Dux Albanus Neapolitanis præerat, qvum tres Hiſpani mercatori, qvi pannos ſuos nimis care vendere videbatur, minarentur: *mox nihil ememus amplius* unde metus ſeditionis cives inceſſerat: dux hoc intellecto: *Verum* inqvit *dixerunt, nihil ement amplius* ſtatimqve eos ſuſpendi juſſit. Ubi vides ſenſum propoſitum reſponſione ita immutari, ut ſe ipſum juguler. Et hujus generis erat promta illa & acuta reſponſio magni noſtri Caroli ad Henricum Magnum Galliæ Regem. Cum enim duo iſta belli fulmina alea luderent & Rex ſcutatis aureis altero Gallico altero Hiſpanico depoſitis frigidè ex Duce qværeret: *Uter iſtorum ſcutatorum in Italia majoris eſt pretii?* ſolerter reſpondit Dux: *Iſte cui ipſe granum adjetero.*

Interdum *ſenſus verborum mutatur explicatione homonyma* ut juvenis Terentianus cui Pater dixerat: VADE CITO imperans nimirum ut ab amica diſcedat, reſpondit deſperabundus: *Viſus eſt mihi dicere:* VADE CITO ET SUSPENDE TE. Et in ridiculis dictum aliqvod ſecundum aliud idioma mirè exponitur. Sic cum agreſtes qvidam ſuperbæ villæ ſuburbanæ ad Mediolanum inſcripta viderent hæc verba, qvæ conditoris, bellici ducis, erant ſymbolum: NEC SPE NEC

Digitized by Google

Ex hoc loco prodit qvoqve acumen qvod *ſententiam loqventis immutat diverſa re ſubjecta*. In qvo genere argutiſſima fuit apud Senecam reſponſio Electræ, cui cum mater adultera, poſtqvam illam in platea ſolam offenderat dixiſſet, *quis eſſe putet virginem*. ſubjecit illa ſtatim: *Gnatam tuam?* Qvoipſo matris dictum planè immutatum fuit, & in hunc ſenſum converſum: *Qvis putet adultera filiam eſſe virginem?* Cum matris argumentum eſſet hoc: *Qvis putet eſſe virginem, qve cœtus publicos colit?* Et apud Plautum adoleſcens Argyruppus ſenem detinens & moratus dicebat: DII DABUNT intelligens filios, reſponſum tulit: TIBI QVIDEM MAGNUM MALUM. Cujusmodi argutia qvoq; eſt, cum ad ſententiam *metaphoricam propriè* reſpondemus, aut ſenſum *moralem phyſice* accipimus, ut cum myſticè dictum ſit: *Vir & uxor ſunt duo in carne una* Logicus erga ſponſum qvendam hinc intulit: *Ergo tu qvi eras BIPES, nunc es* QVADRUPES. Et Philippus cum Catulus ipſi dixiſſet: QVID LATRAS? mox reſpondit: FUREM VIDEO. Et Sextus Titius cum fides ipſi non haberetur dixerat: CASSANDRA FUI. Sed Antonius ſalſe reſpondit: NOVIMUS TUOS AJACES. ſic qvo tempore Dux Albanus Neapolitanis præerat, qvum tres Hiſpani mercatori, qvi pannos ſuos nimis care vendere videbatur, minarentur: *mox nihil ememus amplius* unde metus ſeditionis cives inceſſerat: dux hoc intellecto: *Verum* inqvit *dixerunt*, *nihil ement amplius* ſtatimqve eos ſuſpendi juſſit. Ubi vides ſenſum propoſitum reſponſione ita immutari, ut ſe ipſum juguler. Et hujus generis erat promta illa & acuta reſponſio magni noſtri Caroli ad Henricum Magnum Galliæ Regem. Cum enim duo iſta belli fulmina alea luderent & Rex ſcutatis aureis altero Gallico altero Hiſpanico depoſitis frigidè ex Duce qværeret: *Uter iſtorum ſcutatorum in Italia majoris eſt pretii?* ſolerter reſpondit Dux: *Iſte cui ipſe granum adjecero.*

Interdum *ſenſus verborum mutatur explicatione homonyma* ut juvenis Terentianus cui Pater dixerat: VADE CITO imperans nimirum ut ab amica diſcedat, reſpondit deſperabundus: *Viſus eſt mihi dicere:* VADE CITO ET SUSPENDE TE. Et in ridiculis dictum aliqvod ſecundum aliud idioma mirè exponitur. Sic cum agreſtes qvidam ſuperbæ villæ ſuburbanæ ad Mediolanum inſcripta viderent hæc verba, qvæ conditoris, bellici ducis, erant ſymbolum: NEC SPE NEC

Digitized by Google

Metu: unus ex his qvi literas deguſtaverat, hæc ita ex ſuo idiomate interpretatus eſt: *Al vol mo dir ch' al no ghe ha* Ne Spes Ne Metu: *perche l'ha fabrica à fres del Paiſan.* Atqve adeo hanc ſententiam inde exſculpſit villam iſtam ruſticorum ſumtibus exſtructam eſſe. Sed hæc æqvivoca aliqvid etiam à *deceptione* trahunt.

Præter hæc recolendum eſt æqvivoca, qvod de metaphora dicebamus, *geſtu* non minus & *actionibus* qvam *voce* fieri. Sic Angelus Politianus cum inter cœnandum ipſi offerretur poëma qvoddam, & judicium de eo ferre rogaretur, parum ſalis aſperſit chartæ, hoc facto indicans, *inſulſum eſſe poëma.* Atqve hoc modo multæ facetiæ rebus & factis deſignantur, qvæ paucis verbis dici poterant. Sic ſacerdos qvidam ad altare aſcendens, diu remoratus eſt patronum feſtinantem, cum miſſam venatoris in libro miſſali ſe qværere ſimularet. Pariter qvoniam Corpus veſtitus appellatur *femoralia*, *tunica*, *& pallium* ut diſtinguantur à *manicis*, *laciniis* aliisqve ornamentis, Scurra qvidam cui herus ſuus Marchio Canneti veſtimenta ſua donaverat, cum à diſpenſatore præter manicas & lacinias nihil accepiſſet: campanis veluti ad funus deducendum ſignum dedit, rogantibus vero Clericis ubi corpus eſſet tumulandum? reſpondit: *Corpus eſt in arca diſpenſatoris, hic manicas tantum habeo.* Nam & hic jocus ex homonymia natus eſt, qvam duobus verbis exprimere potuiſſet: *In arca diſpenſatoris corpus eſt, hic manicas teneo.*

Deniqve ab hoc genere (res digna qvæ cognoſcatur) naſcuntur pulcherrimi *nodi Tragici vel Comici*, qvos unqvam Poëtæ aut fabularum ſcriptores repererunt. Omnes enim poſiti ſunt in homonymia qva aut homo pro homine accipitur, aut *actio*, *tempus*, *locus* aliaqve circumſtantia confunditur. Et ab hac *precipua homonymia* proficiſcuntur deinde multa alia *homonyma Epiſodica*, *Innodationes & Peripetia* admirabiles ac peregrinæ, qvæ fidem *vero* adimunt aut *falſo* conciliant. Et deniqve inexſpectatæ & jucundæ *Agnitiones*, qvando *homonymia* detegitur, & nodus enodatur. Unum modo exemplum ejus rei afferam, ut & brevi abundes inventis *poëmatibus fabulisq, conſcribendis* idoneis, & in ejusmodi argumenta, ut ſæpe uſu venit, *inſcriptiones*, *ænigmata*, *oracula & acutè dicta* componere noveris.

Fingas itaqve *nodum homonymiæ* poſitum eſſe in Morte Non Vera alicujus hominis, qvalis modus eſt maxime Tragicus ac freqventiſſimus.

Ex

Digitized by Google

Ex homonymia SUBSTANTIÆ *alius pro alio occiſus creditur* veluti Thamis Pirata antrum ingreſſus ubi condiderat Charicleam cum iſtam ſe occidere putaret, occidit Thiſpen, qvæ caſu eo confugerat. Qvæ res Theageni amatori Charicleæ magnum dolorem multaq; Tragica eventa peperit, ita ut eam poſtea ex antro loqvi audiens putaret vocem hanc ab inferis venire, cumqve eam prodire cerneret, ſpectrum ſe videre crederet. Unde ſolutio hujus *æqvivoci* *eò* erat lætior qvominus exſpectabatur. Et hujus generis erat homonymia Tragœdiæ Aulidis, ubi Agamemnon reperit, ſe pro filia *Iphigenia cervam* immolaſſe, qvod locum dedit proverbio: PRO VIRGINE CERVA.

Ex homonymia QVANTITATIS Melite mortuum credidit maritum ſuum Therſandrum, qvod acceperat navim ejus cum omnibus vectoribus, naufragium feciſſe. Unde cum ſe viduam putaret Clitophonti nupſit & marito ſuperveniente, qvi ſolus ex omnibus evaſerat, in magnam calamitatem incidit. Pari homonymia cum Martuccius Gomitus ſubmerſus eſſe crederetur, Conſtantia ſe in mare projecit & Suſios delata non minori gaudio qvam admiratione ambo ſe vivos offendebant & lætabantur.

Ex homonymia QVALITATIS qvæ *ſenſibus* ſubjecta eſt, Rodericas Jerolius cum in amicæ domo frigidus ſine colore ſpiritu & motu jaceret, pro mortuo incluſus fuit ciſtæ ligneæ, qvæ à furibus ablata magnam admirationem peperit, & tandem cognitum eſt qvod ſitibundus aqvam ſoporiferam potaverat, qvam medicus amicæ maritus alii paraverat. Ejusmodi potu ſoporifero Ferondus cum mortuus videretur, publicis exeqviis tumulo illatus fuit, ubi experrecto perſvaſum eſt ipſum in altera vita puniri ob *Zelotypiam* & cum promiſiſſet ſe emendaturum hoc vitium, ex tumulo protractus fuit, ſeqve adeo vitæ redditum credens uxori ejusqve amico moleſtus amplius non fuit.

Homonymia RELATIONIS erit, ſi mortuus non is ipſe eſt qvi putatur, ſed alius *lineamentis*, *nomine officio*, *aut cognatione* ſimilis. Sic Thedaldus mortuus fuit habitus autorqve mortis eſt creditus *Aldobrandinus Palerminus*, qvod erga hunc *Zelotypia* arderet, qvi reum ſe confeſſus doloribus torturæ impar ad ſupplicium ducebatur, cum

ipſe Thedaldus ex itinere revertebatur, & occiſus fuiſſe intelligebatur *nocturnus* qvidam *graſſator illi ſpecie ſimillimus.*

Ab ACTIONE & PASSIONE pulcherrima naſcuntur æqvivoca, qvæ *actione qvadam apparente* nodum faciunt admirabilem, veluti miſer Clitipho oculis ſuis viderat *Leucippem* ſuam à piratis immolari, diſſecto ventre & viſceribus ejus ſparſis. Sed cum inopinata cataſtrophe illam vivam offendiſſet, cognovit ventri ipſius pellem inteſtinis agni fartam artificioſe impoſitam fuiſſe. Aut etiam nodi fiunt *actione* qvadam, *qva finem non eſt conſecuta.* Veluti Landulphus Ruffolus mari ſubmerſus & Bradamantis à proditore Pinabello in cavernam præceps data mortui fuerunt habiti, ſed hæc trunco apprehenſo & iſte arculæ gemmariæ innixus ſalutem invenerunt, magno ſuo commodo. Sic cum *Oepido*, *Cyro*, *Romulo* infantibus mors deſtinata eſſet, neqve tamen illata, obſcuris *oraculis* & intricatis *Tragœdiis* argumentum præbuere. Interdum qvoqve *actio opera Magica aut non naturali interrumpetur:* veluti Argia carminibus è ſervi oculis ſe ſubduxit, cum is in procinctu ſtaret, ut illam occideret. Et Chariclea maleficii inſimulata inter ignes, qvod innocens eſſet, ſine noxa verſata eſt.

Ex homonymia SITUS Theagenes proſtratus & inter mortuos in litore jacens pro mortuo etiam deploratus fuit & in ſcenis cum verum caput alicujus in pegmate ferali conſpicitur, reliqvo corpore abſcondito, vere eum decollatum eſſe exiſtimant.

Pariter ex homonymia LOCI Andromacha Græcis perſvadet filiolum ſuum eſſe mortuum, qvem vivum apud Hectorem patrem ſuū condiderat, unde tot æqvivocis non mentiendo verum obſcurat. Sic Andreaccius à furibus pro cadavere fuit habitus cum ipſum reperiſſent in ſepulchro, qvod ingreſſus erat, ut defuncto Epiſcopo Minutulo ſpolia detraheret.

Ex homonymia TEMPORIS Tophanus firmiter perſvaſus fuit uxorem ſuam periiſſe. Cum enim illam nocte qvadam domo excluſiſſet, eamqve jurantem audiſſet, qvod ſe velit in vicinum puteum præcipitem dare, illo ipſo tempore percepit ſonum rei in puteum cadentis, ſed lapis erat: ex qvo alia non minus faceta homonymia ſecuta eſt. Cum enim domo exiiſſet, ut uxorem puteo extraheret, il-

la

la in domum revertens fores occluſit,eumqve ut ebrioſum conviciis differens coram omnibus vicinis in ruborem dedit.

Ex homonymia HABITUS & INSTRUMENTORUM Thisbe à Pyramo credita fuit à leone diſcerpta,cum velum ipſius in ſylva ſangvinolentum reperiſſet, unde ſecuta eſt mox & ipſius & amicæ ſuæ vera mors. Sic filii Jacobi veſte ſangvine imbuta mortem Joſephi afflictiſſimo Patri perſvaſerunt. Sic piratæ Phari, ut Clitophontem in opinioné inducerent Leucippen in prora navis mactari:mulierem veſtimentis Leucippes indutam obtruncarunt. Et Alexander Claramontenſis cum humeris geſtare ſe crederet cadaver Scannadii Rinuccium pannis Scannadii veſtitum vivum geſtabat,qvi poſtea aufugiens Scannadius videbatur reſuſcitatus,vulgusqve mirum in modum perturbavit. Pariter *inſtrumentis artificioſis falſa cædes* repræſentari poteſt. Sic cum jugulanda eſſet Leucippe Menelai ſolertia cultellus in eum modum fabricatus fuit, ut ejus acumen cædendo non gulam feriret, ſed in manubrium rediret, in qvo cum lateret ſpongia ſangvine impleta vulnus gulæ illatum videbatur. Ejusmodi *inſtrumentis aqvivocis* annumero *falſas literas*, *ſimulatas ſepulchrorum inſcriptiones* & ejusmodi alia *ficta indicia* qvibus induci qvis poteſt ut aliqvem mortuum credat.

Qvæ vero dixi de *falſa morte* in qva eſt HOMONYMIA FACTI idem intelligas de qvocunq; *nodo aqvivoco* veluti de *delicto* aut non admiſſo, aut non ab hoc, aut non à tali, aut non in iſto loco &c. De *amore ficto* aut non hujus aut non hac cauſa &c. De *literis* aut fictis aut non tempori & loco redditis aut aliis vel alii homini redditis &c. Et ejusmodi nodis qvibus innituntur repentina & mirabilia eventa.

METAPHORA QVARTA
HYPOTYPOSIS.
CAP. XII.

PErſpexiſti jam qvantam argutiarum ſcaturiginem nobis recluſerint duæ *metaphora & homonymia*, nunc venio ad HYPOTYPOSIN qvam diximus eſſe *qvartum genus* figurarum ingenioſarum. Hæc eſt *qva rem oculis ſubjicit* atqve adeo huc pertinent non ſolum *verba* ſed etiam

Digitized by Google

oratio continua, *dicta*, *enthymemata*, *ſymbola*, *pictura* & qvodcunqve *Tragicum* aut *facetum inventum*, ita ut hanc figuram dicere poſſimus *ſpiritum vitam & motum* figurarum ingenioſarum, qvod jam de patheticis dicebamus. Percurram leviter ſingulas Categorias ut eò commodius varium uſum ejusdem demonſtrare & pulcherrimos ingenii fructus hinc provenientes oſtendere liceat.

A Categoria igitur SUBSTANTIÆ vividiſſimas hypotypoſes effinges ex propriis vocibus ſubſtantivis, vel adjectivis vel etiam verbis *vocabula abſtracta*, & veluti *animata ſimulacra* formans, in eum modum qvo pictores accidentia corporibus vivis induunt, ut *famem*, *famam*, *furorem*, *amorem*, *dolorem*, *gratiam &c.* Iſocrates non dicit: *Græci mœſti ſunt*, *ſed GRÆCIA mœret.* Plutarchus pro: *pauperes ingenioſi ſunt*, dicit: *PAUPERTAS omnes artes edocet.* Petronius Arbiter pro eo: *Etiam imperiti propter gratiam coronantur*, dixit: *GRATIA coronas etiam imperitis deferre ſolet.* Florus: *Tot laboribus periculisq́, jactatus eſt populus Romanus, ut ad conſtituendum ejus imperium contendiſſe VIRTUS & FORTUNA viderentur.* Et Chryſippus dum præcipere vult maximum crimen eſſe ingrati animi: *Cum* CHARITES, inqvit, *Jovis filia ſint, ſacrilegium eſt ſi tam bellis puellis fiat injuria.* Ubi obſervabis etiam metaphoras attributionis interdum fieri hypotypoſes.

Vividum porro erit cum res intelligibilis vocibus *corporis humani aut ferini* aut qvæ ipſorum *membra* ſignificant, exprimitur. Sic enim res qvæ tantum intelligi poteſt, ſenſibus ſubjicitur. Ut ſi dicas: *hodierna latinitas priſcæ eſt* CADAVER, *hoc ædificium TERGUM æternitati premit. Libri tui DENTES tempori effringent. Rebellio CAPUT extulit. Fortuna coronas in SINUM Niciæ dormientis projecit. Felicitas Alexandri ab Ægeo mari ad Gangem* ALAS *protendit. Fortunam* CAPILLIS *prehendit.* Qvæ ſunt ejusmodi formulæ qvæ non ſolum dici, ſed pingi, & tam oculis qvam auribus repræſentari poſſunt. Qvin & interdum ſine metaphora, ſola vocabula membrorum humanorum, efficiunt orationem ſenſibilem ac vividam, atqve adeo hac figura animatam. Ut Cornelius Severus feritatem Marci Antonii in Ciceronem occiſum deſcribens:

Informes VULTUS ſparſamq́, cruore nefando
CANITIEM, ſacrasq́, MANUS, operumq́, miniſtras

Tan-

Tantorum PEDIBUS civis projecta ſuperbi
Proculcavit ovans.

A QVANTITATE qvoqve res ad vivum repræſentantur, ut Statius de Achille puero à venatione redeunte: *Ille aderat multo ſudore & pulvere MAJOR.* Declamator: *Huic CRESCEBAT qvicqvid tellus & oceanus vehit.* Et ſic dicimus: *Lacrymis AUCTUM flumen*, ut Ovidius de ſororibus Phaëthontis in populos mutatis: *Ripamq; ſororibus AUCTAM.* Et Seneca magnitudinem corporis Hectorei ſignificaturus: *Peliacus Axis PONDERE Hectoreo gemens.* Et idem de Cicerone: *Illud ingenium qvod ſolum populus Romanus PAR imperio habuit.*

Idem fit *imminuendo.* Ovidius uno adjectivo ſenectutem Priami occiſi repræſentat: EXIGUUMQVE *ſenis Priami Jovis ara cruorem combiberat.* Et in ſvaſoria Xerxis: RELIQVIAS *victoriæ noſtræ colliget.* Etiam *qvantitas diſcreta verbis numeralibus* res vivide exprimit. Claudianus de Plutone: PRIMI *ſuſpiria ſenſit amoris.* Et Hiſtoricus: *Brutus & Caſſius ULTIMI Romanorum vocati.*

Sed inprimis hinc ducuntur *vocabula* qvæ metaphorice exhibent *figuram* qvandam, utpote qvæ maximè ſub ſenſum cadit. Veluti *rotunda amentia, craſſa ignorantia, acutum ingenium.* Etiam ſine metaphora formantur *nomina perſonam* ſignificantia, dum aliqvid qvod peregrinum ipſis eſt in qvantitate exprimunt, ut *Labeo, Fronto, Naſo, Longus, Cocles.* Pericles dicebatur LONGI CAPUT, Ptolomæus LONGIMANUS, Galba SIMUS *de villa*, & Bitontus inſignis concionator ſcommate vocabatur BREVIS *Orator*, qvoniam erat ita parvus, ut ſine alto ſcabello ſupra cathedram non poſſet eminere. In hunc modum Claudianus depingit nobis Eunuchum Eutropium bellum illum Romani exercitus Imperatorem:

Jamq; avo laxata cutis, ſulcisq; genarum
Corruerat pulla facies rugoſior uva.

Et Plautus lenonem ad vivum expreſſum tibi objicit:

Ec qvem vidiſtis recalvum ac ſilenum ſenem

Statutum ventricoſum, tortis ſuperciliis,
Contracta facie, fraudulentum Deorum o-
dium?

Et Plinius in deſcriptione cochlearum: *Tot figuris, planis, concavis, longis, lunatis in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis in dorſum elatis.*

A Categoria QVALITATIS jam color repræſentatur ut Claudianus: *Jam RUBET altus Halys* pro clade. Et hoc: *immaniaq; oſſa ſerpentum paſſim tumulis exangvibus* ALBENT. Et Junius Baſſus homo ſtolidus ſed candidus à Romanis vocatus fuit: ASINUS ALBUS. Jam odor: Ut Mallonia Tiberium vocavit: OLIDUM *& hircoſum ſenem.* Jam ſonus: Ut Seneca: *Toto ſub noſtro* SONET *Argolica tellus eqvite.* Jam calor: Claudianus: FERVENT *agmine poſtes & ſpumis* IGNESCERE *frena.* Jam tepor: idem *uno tot corpore pila* TEPESCUNT. Jam ſiccitas: ut SICCIS *oculis ſpectare cædes.* Et Cicero: ARIDA *folia laurea retuliſti.* Jam humor: STILLANTEM *pugionem oſtentans.* Et Claudianus: *Lacrymis torvi* MADUERE *leones.* Sic de victoria cruenta dicimus: *Palma tua multo ſangvine fuere lota.* Item: *Terra ruſticorum ſudore rigata.* Item: *Comedere panem lacrymis imbutum*, panem ſcil. doloris.

(159.) Ar. 3. Rh. c. 4. Imago parum à translatione differt nam cum dicimus Achilles ut leo irruit, imago eſt cum vero Achillem leonem dicimus translatio.

A RELATIONE proficiſcuntur primo *ſimilitudines* qvædam ſignificantes ſed conciſæ, qvas (198.) autor noſter vocat IMAGINES. Ut iſta Homeri: *Achilles irruit tanqvam leo.* In qvo diſtingvitur à metaphora qvæ non adhibet particulam comparationis TANQVAM ſed dicit: *Achilles eſt leo.* Sed de his infra clarius dicemus qvandoqvidem imagines perfectiſſima ſymbola heroica pariunt.

Alio modo hypotypoſis fit verbis qvæ *relationem* ſignificant ut: *Vale AMICUM lumen.* Et Plautus: *famem fuiſſe ſuſpicor MATREM mihi.* Et Poëta Italus: VIDUÆ *gratiæ, ORBAE Muſa cum patre ſuo tumulo videbantur concluſa.*

Ab ACTIONE cum loco verbi *ſum, es, eſt* aut alterius verbi langvidi & jacentis adhibetur verbum vivum & actione qvadam animatum ut Poëta pro eo qvod ſimpliciter poterat dicere: *mea capella ſunt in monte, piſcis eſt in aqva*: Dicere maluit: *Capellæ mihi* ERRANT *in monte. Piſcis in aqva* LUDIT. Qvæ rem aliqvid agentem

tem repræſentant. Et præcipuè ſi actio ſit vehemens: *Nox* PRÆCIPITAT: *Ventus* INEQVITAT *mare* pro: *nox advenit, ventus eſt in mari.* Et pro eo: Columnæ erant ſuper baſes æneas: & ſtatuæ ſtabant circa parietes: *Columnæ SURGEBANT & ſtatuæ* SPIRABANT. Pariter de aliis ejusmodi verbis langvidis ſentiendum: veluti cum Diogenes vidiſſet filium qvendam prodigum tabula affixa domum ſuam proſcribere pro eo: *mirum non eſt ſi bonis diſſipatis domum nunc* VENDIT idem hoc majori vi dixit: *Mirum non eſt ſi tot bonis devoratis atqve comeſtis domum nunc* EVOMAT. Aut vero AFFECTUS qvidam humanus rebus inanimis affingitur, ut Cicero: *Parietes* GESTIRE *mihi videntur, & domus GEMIT diſpare domino, & Conſulis indignitatem faſces* ERUBESCUNT. *Arbores* MIRANTUR *ſuos fructus.*

Sed ſingularis elegantia naſcitur ex verbis qvæ ad *ceremonias* pertinent, ut Florus de morte Remi: *Prima certe* VICTIMA *fuit munitionemqve novæ urbis ſangvine ſuo* CONSECRAVIT. Et de Romulo occiſo: *Oborta tempeſtas ſoliſqve defectio* CONSECRATIONIS *ſpeciem præbuere.*

A SITU ſignificantes vividæqve formulæ ducuntur: ut Virgilius furorem ab Auguſto pace parta vinculis conſtrictum deſcribens: *Sæva SEDENS ſuper arma & centum vinctus ahenis poſt tergum nodis. &c.* Idem Marcellum conſpiciendum præbet haſtæ innixum & Polyphemum in antro proſtratum & Carthaginenſes intentos ora tenentes cum Æneas loqveretur. Qvæ ſingulares notæ non ſolum vividas reddunt deſcriptiones ſed etiam veriſimiles. Sic Marcus Antonius ut gloriam victoriæ de Pompeio relatæ Auguſto adimeret, eum timidum ac ſomnolentum in ipſo pugnæ procinctu deſcribit: *Sub hora pugnæ arcto repente ſomno devinctus fuerat, ut ad dandum ſignum ab amicis excitaretur, nec rectis qvidem oculis adſpicere potuit inſtructam aciem, verum ſupinus cœlumqve intuens ſtupidus cubuit nec prius ſurrexit qvam à M. Agrippa fugatæ ſint hoſtium naves.*

Ad hanc ſpeciem qvoqve pertinent voces *claudendi involvendi* & ſimiles qvæ rebus inanimis & abſtractis adhibitæ illas ſenſibus exponunt. Ut Florus devicto Mithridate. *Itaqve converſus ad proximas gentes totum pene orientem ac Septentionem ruina ſua INVOLVIT.* Et Pedo deſcribens navigationem Germanici:

Digitized by Google

- - - - - orbemqve relictum
Ultima perpetuis CLAUDIT *natura tenebris.*

Nec minus ſignificantes formulæ ſunt qvæ ducuntur à Categoria LOCI, qvomodo Ciceroniani dicunt: *pallor in vultu* HABITAT &: *animis* ILLATEBRATA *malitia.* Et hoc adeo laudatum ab autore noſtro: *Via eſt mihi PER MEDIAS Charetis laudes.* Et: *producere in* MEDIUM *ſua cogitata.* Et: *ampliſſimum cuiqve* THEATRUM *eſt amicus.*

Item qvando *flumina* aut ejusmodi alia populos aut regiones repræſentant ut apud Claudianum: *Tuta qvod imbellum miratur Gallia Rhenum* i. e. Germanos imbelles &: *Mœnia qua qvondam famulus ditavit Hydaſpes.*

A MOTU privatio omnis vocabulis *fuga* exprimi poteſt, ut, *redeunte Sole aſtra* DIFFUGIUNT. EXULAT *pudor ab iſtius ore.* AVOLAT *fides terraqve urbeſqve* RECEDUNT. Et contra: ADVOLAT *læta fama*, *bachatur furor*, *fluctuant cogitationes.* IRREPIT *ſuſpicio in animum*, SERPUNT *vitia.*

Etiam motu ſine metaphora ſingulares actiones ante oculos ponuntur, ut Geta apud Terentium: *Hac ubi audivi ad fores ſuſpenſo gradu placide ire perrexi, acceſſi, aſtiti, animam compreſſi, aurem admovi.*

A TEMPORE pulchra eſt expreſſio Achillis Tatii deſcribentis Herculem ſagittis avem Promethei conficientem: *Eodem omnia hac tempore fiebant, arcus cornua nervo adducebantur, nervus manu flectebatur, manus mamma adhærebat.* Et in deſcriptione naufragii: *uno tempore unda gemit, littus mugit, tonat cœlum, ſtridet antenna, ejulant nautæ.* Porrò vocabulis *temporis* etiam acumina vivide concipiuntur, ut NOCTURNUS *miles* SERA *reqvies*, INTEMPESTIVUM *beneficium.*

Ab HABITU: *Terra floribus* VESTITA, *oratio* NUDA *ac rudis. Aurora* PRÆCINCTA *roſis.* Simili figura Ferdinandus Dux albanus à Guiſio ad aleam prælii ſubeundi provocatus reſpondit: *Se nolle regnum Neapolitanum [cum* PALUDAMENTO PURPUREO *committere*, qvæ erat locutio valde ſignificans, ut iſta qvoqve Petri Arragonii qvi à nuntio Pontificis interrogatus qva de cauſa tantum exercitum conſcribe-

Digitized by Google

ſcriberet, reſpondit qvod olim Græcus Rex: *Si* INDUSIUM *meum ſciret qvid agerem, lacerarem illud.*

Generatim omnes metaphoræ *attributionis*, qvæ ab *ornatu* vel *inſtrumentis* ſententiam exprimunt, ſimul hac figura animantur. Ut hoc Claudiani: *Lictori cedunt* AQVILÆ *ridetqve* TOGATUS *miles. &c.*

Cœterum ut de *homonymis* ſic etiam hic oſtendam exqviſitisſimas & præſtantisſimas rationes argutiſſimæ hujus figuræ HYPOTYPOSIS adhibendæ, pulcherrimosqve ingenii fructus qvi inde proveniunt indicabo. Primus erit IMAGO, qvam voco *ſimilitudinem acutam* aut *metaphoram celeriter explicatam* cujus argutiſſima exempla ex optimis poëtis & Oratoribus collegit (190.) autor, qvorum animadverſio lucem afferet SYMBOLORVM HEROICORUM naturæ & ornamentis. Talis eſt imago Androcionis adverſus Idriæum *eum ſimilem eſſe CANI, qui catenis vinctus domi tenetur. Sicut enim illi ſoluti ferociores ſunt, ita iſte è vinculis liberatus factus eſt inſolentior.* Et iſta Theodamantis: *Archidamum in regenda Republ. ſimilem eſſe EUXENO in geometria verſanti qvi loco demonſtrationum paralogiſmos traderet.* Et Plato in V. de Republ. *qvi in ſtatuas mortuorum ſæviunt ſimiles ſunt CANIBUS qvi ſaxum mordent non eum qvi illud projecit.* Et Demoſthenes: *Plebs ſimilis eſt GUBERNACULO robuſto qvidem ſed curvo.* Et: *Poëſis ſimilis eſt FORMÆ JUVENILI, nam ſi hac defloruit & iſta numerum amiſit, utraqve caret gratia.* Et Pericles in Samios, qvi ab Athenienſibus victoribus ſuis cum multa commoda perciperent, de ſervitute tamen qverebantur *eos ſimiles eſſe INFANTIBUS, qvi cibum qvidem capiunt, ſed tamen plorant.* Et in Boëtios qvi diſcordiis civilibus atterebantur: *eos ſimiles eſſe* ILICIBUS *qvi ſe invicem frangant.* Ab Ilicibus enim fiunt mallei & cunei, qvibus ipſi diffinduntur. Et Demoſthenes *plebem eſſe ſimilem* NAUSEANTIBUS *qvi alimenta ſua ejiciunt,* Et Demócrates: *Oratores* NUTRICIBUS *eſſe ſimiles qvæ cibos ipſa devorant, ſaliva autem pueros inungunt.* A populo enim conducti ut rem communem tuerentur, parum commodi afferebant populo, fructum omnem ſibi qværebant. Et iſta Antiſthenis in Cephiſodotum ſcelus hominis *eum ſimilem eſſe* THURI, *qvod cum abſumitur, delectat.* Atqve hæ ſunt IMAGINES ab autore noſtro laudatæ, qvibus adjiciam hanc Platonis: *Vita humana eſt ut* LUDUS TESSERARUM *ubi numerus qvidem bonus optatur, ſed retinetur, qvi cecidit.*

Lucius

Lucius Florus de Mithridate, qvi victus bellum inſtaurare conabatur ſed fruſtra: *More* ANGUIUM *qvi obtrito capite poſtrema cauda minantur.* Et alius: *Falſi amici ſunt ſimiles* UMBRÆ HOROLOGII, *qua ſole ſereno apparet, nubilo abſconditur.* Et de vita humana: *Similis eſt* FLUMINI *in curſu dulci in fine amaro.* Nam vita in morte ſicut flumen in mari deſinit. Et hæ IMAGINES, qvæ in re ſeria magnam vim habent ridiculis qvoqve ſerviunt, cum argumentum eſt *humile ſordidum* aut *mordax.* Humilis eſt iſta Veſpaſiani: *Quæſtoribus meis utor pro* SPONGIIS *quas exprimo impletas.* Et hæc Seſſæ: *Venter eſt tanqvam* CISTERNA RUPTA, *qva nunqvam impletur. Uxor eſt* FIDEI COMMISSUM, *qvod alienari non poteſt.* Sordidiores ſunt hæ Comicorum *Meretrices uti* VESTES, *poſtqvam ipſa uſui non ſunt alienis veſtibus aſſuendis inſerviunt.* Et de qvadam, qvæ marito ex conventione ancillæ conſvetudinem permittebat: *Hæc* SARA *eſt ancillam conjugi permittit.* Mordax fuit iſta Ciceronis in Sororem Clodii: JUNO *eſt h. e. ſoror & Conjux.* Sed mordaces æqvè & argutæ fuerunt imagines, qvibus duo ſummi Oratores & æmuli Demoſthenes ac Æſchines ſe invicem pungebant. Cum enim Æſchynes Demoſtheni dixiſſet: *Tu ſimilis es* TIBIÆ, *qva amota lingua nulli eſt uſui*, reſpondit Demoſthenes: *Tu ſimilis es* STATERÆ, *qva in eam partem propendet qva gravior eſt.* Et ſic alter nugatoris alter avari convitio notatus eſt. Sed hæc materiam argutiarum ſpectant, de qva alibi.

(191.) Ar. 3. Rh. c. 4. hæc omnia, & ut translationes, & ut imagines, dicere licet.

Sed circa formam his imaginibus utendi notare potes (qvod (191.) autor noſter admonet) omnes poſſe aut tanqvam *ſimilitudines* aut tanqvam *metaphoras* proferri. Qvod ſi enim dicas: *Populus TEMO eſt robuſtus non rectus* erit metaphora, aliud enim pro alio ponitur at ſi dicas: *Populus* TEMONI SIMILIS *eſt robuſto non recto* erit imago, alterum enim alteri comparans ſententiam clarius ante oculos ponis. Pariter ſi dicas: *Iſta ſimilis eſt* STELLÆ CRINITÆ *pulchra qvidem ſed atroci*, erit imago. At dicens: *Hæc eſt* STELLA CRINITA *pulchra ſed ferox* fiet metaphora. Sicut igitur ex qvacunqve imagine metaphoram ſic etiam ſymbolum heroicum licet facere, qvando rem ipſam pingis, ut *corpus* ſit, & *dictum* accipis ex verbis ipſis qvæ rationem ſimilitudinis reddunt. Sic ingenium plebis emblemate expreſſurus pingas licet *gubernaculum* cum dicto: ROBUSTUM NON RECTUM. Et ſymbolum illius mulieris, qvam dixi

poſſes

poſſes pingere *ſtellam crinitam* cum dicto: PULCHRA SED FEROX. Et recentior qvidam Scriptór ut *contritionem pœnitentis* ſymbolo qvodam repræſentaret, imagine uſus eſt ab autore noſtro Antiſtheni tributa, *thus* pingens iisdem verbis qvæ paulo ante laudata ſunt adjectis: CONTRITUM DELECTAT. Sed qvibus legibus perfectum ſymbolum heroicum conficiatur, ſuo loco explicabitur, ubi ex iis, qvæ de laudatiſſimis imaginibus obſervavi, ſymbolorum leges condam, id qvod memori mente cuſtodies.

Sed in continua oratione aut in *dictis Epigrammatisq;* variis modis uti poſſumus *imagine*, particulas comparandi adhibentes, *qvaſi tanqvam, ut &c.* Plautus de domo ſine tecto: *Perlucet ea* QVASI CRIBRUM *crebrius.* Cicero de Antonio: *At iſte operta lectica latus eſt per oppidum* UT MORTUUS. Et de nuda Verris ſtatua: *Qvaſi nudatam à ſe provinciam adſpiceret.* Et de Phalereo: *Illuſtrant ejus orationem* QVASI STELLÆ *qvædam translata verba.* Plinius: *inſtar velociſſimi ſideris omnia inviſit.* Petronius Arbiter: *Magiſter Eloqventiæ niſi* TANQVAM PISCATOR *eam impoſuerit hamis eſcam, qvam ſcierit appetituros eſſe piſciculos ſine ſpe prædæ moratur in ſcopulo.* Plautus: *Affligam te ad terram* ITIDEM UTI PISCEM *ſoleo Polypum.*

Sed inter omnes *imagines* illæ ſunt maxime ingenioſæ, qvæ ex rariori qvadam eruditione proficiſcuntur, qvoniam ſimul & *novitatem & evidentiam* menti objiciunt. Sic Cicero irridens gravitatem Conſulis Capuani: *Ut illo ſupercilio Reſp. tanqvam Atlante cœlum niti videretur.* Et de Verre: *Qvi viderent, eqvum Trojanum introductum eſſe dicerent.* Et de eodem cum Cereris ſtatuam auferre conatus eſſet: *Hic dolor erat tantus ut Verres alter Orcus veniſſe Ennam & non Proſerpinam aſportaſſe ſed ipſam abripuiſſe Cererem videretur.* De Marco Antonio: *Ut Helena Trojanis, ſic iſte huic Reipubl. cauſa peſtis atqve exitii fuit.* Florus de uxore Asdrubalis, qvæ in flammas ſe conjecit capta ab Africano Carthagine: *Imitata reginam qvæ Carthaginem condidit.* Et de Oratore eloqvente ſed furaci dictum eſt: *Planè Mercurius eſt, Eloqventiæ Magiſter ac furum.* Etiam raræ proprietates rerum naturalium *imagines* reddunt acceptas, ut de prodigo: *Eſt ut lacus excavatus, qvi omnia ad fundum dimittit.* De verſipelli: *Eſt veluti pernix Paphlagoniæ, cui duplex cor eſt in uno pectore.* Talis eſt hæc imago Themiſtoclis ſeu Antiphatis in Eretrienſes, qvibus non vires ſed animus

 deerat:

Digitized by Google

deerat: *Hi ſunt tanqvam piſcis Tendo, qvi enſem geſtat nec eo utitur.* Sed qvoniam maxima pars argutorum enthymematum, ſeu poëticorum ſeu Oratoriorum *ſimilitudine* nititur, ſpecimine qvodam declarabo, qvam variis modis ſimilitudo inter duas res ad vivum repræſentari poſſit, qvod uſum maximè præſtabit, ubi de picturis aut ſculpturis argutè diſſerendum erit. Omnes enim iſtæ argutiæ ad unam hanc propoſitionem revocari poſſunt: Hoc Est Isti Simillimum.

Id primum repræſentari poteſt *mera & ſimplici affirmatione* ut: *hoc eſt iſtud & non aliud.* Ut ſi dicam: *Hic non eſt homo ſed dæmonium. Hæc non eſt effigies Alexandri ſed ipſe Alexander. Non fictum ſed verum eſt.* Et hæc ratio ex Categoria SUBSTANTIÆ deſcendit.

II. *Animadverſione ſeu obſervatione* ejusmodi, ut res iſta ab eo qvi illam videt, credatur & habeatur talis. Ut Virgilius de navium magnitudine: *Credas innare revulſas Cycladas.* Et Martialis in effigiem Iſſæ catuli Domitiani:

Iſſam deniqve pone cum tabella
Aut utramqve putabis eſſe veram
Aut utramqve putabis eſſe fictam.

Item *ſi jurares hoc eſſe illud.* Ut Ovidius de Vertumno mutato in aratorem: *Juraſſes feſſos modo disjunxiſſe juvencos.* Item cum unum pro altero accipimus, ut iſti qvi Hephæſtionem pro Alexandro ſalutabant ob utriusqve ſimilitudinem. Et Claudianus de Caſtore & Polluce:

- - juvat ipſe tonantem
Error & ambigua placet ignorantia matri.

Et Cupidini picto Venus loqvi inducitur, qvæ poſtea errorem ſuum animadvertens ridet. Aut *ponentes hoc eſſe illud admirationem profitemur.* Ut apud Claudianum infantes perſvaſi milites eſſe homines ferreos: *Qvanam de gente (rogabant) Ferrati venere viri? qvæ terra metallo naſcentes informat eqvos? Aut ponentes hoc eſſe illud,* illi etiam præſtamus qvod iſti præſtandum erat. Ut ſervus Terentianus cum herum exanimatum cerneret ingrato nuntio, ſignificaturus eum mortuo ſimillimum eſſe exclamat, qvomodo in exeqviis mortuorum invi-

invitabantur: EXEQVIAS CUI OTIUM EST. Aut vero *ſentire nobis videmur effecta illius rei aut qua inde conſeqvi poſſunt exſpectamus.* Ut de igne picto: *Jam ſtrepitum ejus audio, jam ardorem ſentio.* Et Bacchus apud Nonium dicturus Ampelum Ganymedi forma eſſe ſimilem: *Timeo ne te rapiat Jovis ales.*

III. *Allata ratione cur non iidem ſeqvantur effectus.* Ut Marinius in fontem Fachinii: *Vivus eſt & biberem, niſi vinum qvam aqvam mallem bibere.* Et de S. Brunone depicto: *Vivus eſt & loqveretur, niſi regula ſilentii teneretur.* Et in effigiem S. Cæciliæ tanqvam mox decollandæ: *Carnifex jam gladium vibraret, ſed flore ætatis commovetur.* Et de piſcibus pictis: *Natare illos cerneres, ſi in aqva eſſent.* Unde hoc Martialis: *Adde aqvam, natabunt.* Et de homine irato cujus oculi ſcintillabant: *Appone lychnum, illuminabitur.* Sic de cane picto poſſumus dicere: *Affer leporem & curret.* Et ita de omnibus ACTIONIBUS & PASSIONIBUS.

IV. *Particulis* RELATIONEM *ſimilitudinis exprimentibus,* ut Martialis in catellam illam:

Tam ſimilem videbit ipſam
Ut ſit tam ſimilis ſibi nec ipſa.

Aut hunc eſſe illum alterum ſeu fratrem ſeu filium illius. Sic de homine forti dicitur: *Alter Hercules.* Et Cicero de Verre: *Alter orcus.* Et Virgilius: *alter Achilles.* Pindarus mulas vocat *filias venti.* Et Angelus Politianus in carmina Cicchæ Senenſis:

Mnemoſyne audito Senenſis carmine Ciccha
Qvando (inqvit) decima eſt nata puella mihi?

Aut hoc cum illo certare oſtenditur, ut: *nivibus certantia lilia.* Et Plinius: *immenſum latus Circi templorum magnitudinem provocat.* Aut qværitur ejus correlatum, ut de hiſtrione exiguo ſpectatores dixerunt: *Ubi Hector? Aſtyanactem enim videmus.* Et contra uno affirmato affirmatur alterum, ut in claudum, cujus uxor liberius vivebat: *Hic Vulcanus, illa Venus.*

Idem dico de SITU, LOCO & MOTU. Ut in Prometheum ad vi-

Digitized by Google

vum depictum: *Surgeret, ni ſcopulo reſupinum catena configeret.* Et de divite Epulone excellentis pictoris manu delineato: *In Erebo putabam & epulatur in tabula.* Et de aqvila marmorea: *Duo prodigia, volucris lapideſcit & lapis volat.* Et in imaginem Proſerpinæ à Plutone raptæ: *Sane Pluto Proſerpinam, Proſerpina ſpectantes rapit.*

Sed pulcherrimæ ſunt iſtæ formulæ, qvæ naſcuntur ex *Categoria* Habere. Cum differentiam in aliqva re ponimus, qvam alterum habet, alterum, qvod ſimile dicimus, non habet. Ut de eximia qvadam ſpecie pulchritudinis: *Date ipſi alas & erit angelus.* Et de ſceleſto homine, *ut Judæ proditori ſimilis ſit, nihil ipſi deeſt, niſi capiſtrum.* De juvene effœminato Seneca in declamationibus: *Date illi veſtem puella eſt, ſic imitabitur Helenam ut raptorem inveniat.* Et Ovidius Centaurum eqvo Caſtoris comparans: *Da colla caputq; , Caſtore dignus erit.* Hinc de muliere deformi poëta dixit:

Fax manibus tantum, crinibus angvis abeſt.

i. e. *furiæ eſt ſimilis.* Et elegantius geminantur argutiæ ut Ovidius filium Myrrhæ Cupidini ratione formæ æqvans:

- - - qvalia namqve
Corpora nudorum tabula pinguntur amorum
Talis erat: ſed ne faciat diſcrimina vultus
Aut huic adde leves, aut illi tolle ſagittas.

In qvo genere argutiſſimum eſt enthymema in matrem & filium utrumqve altero oculo carentem, cætera pulcherrimos:

Blande puer, lumen qvod habes concede parenti
Sic tu cæcus amor, ſic erit illa Venus.

Et interdum mutatione hominum eadem naſcitur argutia, ut de Brunone & Cornelia qvæ & facie & fama nigra erat dictum eſt: *Hi nomina inter ſe commutare deberent.* Contra major eſt illa ſimilitudo qvæ non reqvirit aliqvod inſigne aut ſymbolum. Sic Cicerrus ſcurra Auguſti Sarmento, cui magna erat in fronte cicatrix: *Tibi qvidem*, inqvit, *nulla opus eſt perſona, ut Cyclopem in ſcena agas.*

Arguta deniqve eſt illa *ſimilitudinis* ſignificatio, qvæ conditione nititur,

Digitized by Google

nititur, ut Sappho de roſa: *Si floribus Reginam eligeret Jupiter, roſa eſſet eligenda.* Et Panegyriſtes: *Si virtus orbe toto periiſſet, in te uno reſpiraret.* Et ridicule dixit Comicus: *Si patibulum eſſet taberna, tu eſſes ejus inſigne. Si urbs eſſet zodiacus, tu inter piſces & taurum ſplenderes. Si homines eſſent arbores, tu eſſes platanus.* Qvoniam vinum amat.

Alter fructus *Hypotypoſis* non multum à priori diverſus eſt figura illa, qvam nos EXPRESSIONEM dicimus, qvæ filia eſt animadverſionis, & ſententia qvadam ficta ſententiam veram ad vivum repræſentat. Ut iſta Flori, qvi præ reliqvis in hoc genere copioſus eſt: *Centum amplius navium claſſem in Pontico mari tempeſtas tam fœda ſtrage laceravit, ut navalis belli inſtar efficeret:* QVASI LUCULLUS QVODAM CUM FLUCTIBUS PROCELLISQVE COMMERCIO DEBELLANDUM VENTIS TRADIDISSE REGEM (Mithridatem) VIDERETUR. Et ſi vero qvatenus motum animi indicat, ad figuras *patheticas* referatur, nihilominus qvantum ad inventionem ſententiæ argutæ inter *ingenioſas* collocanda eſt: cum eo qvod eſt, indicet qvod non eſt. Idem Florus celeritatem qva Conſul Duilius claſſem fabricaverat expresſurus: *Ut non naves arte facta, ſed qvodam munere Deorum in naves mutata arbores* VIDERENTUR. Et de Tullo Hoſtilio, qvi Alba ſolo æqvata Albanos Romam deduxit: *Prorſus ut conſangvinea civitas non periiſſe ſed in ſuum corpus rediiſſe* VIDERETUR. Et de bello Sabino: *qva victoriâ tantum hominum, tantumqve agrorum in poteſtatem redactum eſt, ut in utro plus eſſet, nec ipſe* POSSET ÆSTIMARE, *qvi vicerat.* Cui ſimile eſt qvod Cicero dicit in convivium Piſonis: *qvod qvidem iſtius in illis Republica luctibus qvaſi aliqvod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur: in qvo* NEMO POTEST DICERE, *utrum iſte plus biberit, an vomuerit, an effuderit.* Et de candelabro Antiochi: *Ea varietate operum*, UT ARS VIDERETUR *certare cum copiâ: Ea magnitudine*, UT INTELLIGI POSSET, *non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi templi ornatum eſſe factum.* Et de Verre: *Ita natus* eſt, *ita educatus ita factus & animo & corpore, ut multo aptior ad deferenda onera qvam ad auferenda ſigna* VIDERETUR. Et Duumvirum Capuanum deſcribens, qvi philoſophicâ qvâdam vultus ſeveritate Cenſorem profiteri videbatur: *Capillo ita horrido, ut Capua (in qva ipſe tum imaginis formandæ cauſa duumviratum gerebat) Seplaſiam ſublaturus* VIDERETUR. Seplaſia erat forum Capuæ, in qvo

Digitized by Google

Ungventarii negotiabantur, cujus deliciæ Annibalem qvondam effœminarunt. Etiam Plinius Panegyriſtes hujusmodi argutiis pulcherrimas periodos claudit, veluti Poſtqvam ſtragem ſtatuarum Domitiani deſcripſerat: *Juvabat illidere ſolo ſuperbisſimos vultus, inſtare ferro, ſævire ſecuribus:* UT SI *ſingulos ictus dolor ſangvisq; ſeqveretur.* Et de eodem: *Nemo tam temperatus gaudii ſeraq; lætitiæ, qvin inſtar ultionis* VIDERETUR: *Cernere laceros artus, truncata membra, poſtremo truces horrendasq; imagines abjectas excoctasq; flammis, UT ex illo terrore & minis in uſum & voluptatem hominum ignibus mutarentur.* Et alibi: *Qvid iſti benignitati precer niſi ut ſemper obliges, obligeris:* INCERTUMQVE FACIAS *utrum magis expediat civibus tuis, debere tibi quam præſtitiſſe.*

Sed majorem gratiam acqvirit hæc figura, cum auditores ipſos ad falſum judicium ferendum inducimus, ita ut erroris ſui ſuum ipſorum ingenium arguere videantur. Petronius Arbiter picturis Apellis deſcriptis hoc acumen ſubjicit: UT CREDERES *etiam animorum eſſe picturam.* Et Virgilius de magnis navibus: CREDAS *innare revulſas cycladas.* Cicero de fratribus Cybiraticis Verris exploratoribus: *Qvo poſtqvam venerunt, mirandum in modum canes venaticos* DICERES, *ita odorabantur omnia & perveſtigabant.* Plinius Trajano ipſi modeſtiam ſuam in itineribus repræſentans: *Nullus ſtrepitus, nullus in exigendis vehiculis tumultus, nullum circa hoſpitia faſtidium* DICERES *magnum aliqvem Ducem ac te potisſimum ad exercitus ire.* In qvibus exemplis obſervare licet, tot eſſe ſpecies harum expresſionum, qvot *Categorias.* Omnes enim ad vivum exprimunt aut *quantitatem,* aut *qualitatem,* aut *actiones aut Pasſiones* aut ſimile qvoddam attributum.

(192.) *Ar. 3. Rh. c. 6. Veroſimilem enim hæc orationem faciunt, qvoniam eorum ſigna ſunt, qvæ Auditores nê ſciunt.*

Tertius fructus *hypotypoſis* lepidiſſimus certe, ſed auditoribus magis acceptus qvam Oratoribus cognitus poſitus eſt in *effictione ſingularium & veriſimilium circumſtantiarum,* qvam uno verbo poſſumus dicere CONGRVENTIAM, qvæ *narrationes, deſcriptiones,* omnemqve *orationem* & veriſimilem reddit & evidentem.

Non ignoravit (192.) Autor noſter has Rhetoricæ delicias, exemplum earum ſuggerens, qvod Æschynes dixit in Cratylum: *Ore perſonans, manusq; qvasſans intonuit, manuqve minatus eſt.* Qvin hæc figura non orationem ſolùm exornat, ſed picturas qvoqve rerum

Digitized by Google

rum geſtarum aut fabularum, in qvibus ingenium pictoris elucet, cum *veriſimiles* illas & *ſingulares circumſtantias* recte expreſſit. Sic ſi Pallas pingenda eſſet, qvam Mars à victoriâ Illyrica convenit: vulgaris artifex ſedentem illam ornatu conſveto pinget, ſed ingenioſus pictor illam repræſentabit veſtibus recenti ſangvine imbutis, ægidis ſuæ hydros pectentem & detergentem, qvæ ſingularis eſt & perſonæ conveniens actio, qvaqve adeo, qvod propria eſt, veriſimilitudinem, qvod ſingularis, evidentiam rei præſtat. Sicuti igitur pictor bonus eam pingeret, ſic ingenioſus Poëta Claudianus eam deſcribit:

- - - - Tunc implacabile Numen
Bellonam alloqvitur: qva ſangvine ſordida veſtem
Illyricis pingues pectebat cladibus hydros.

Et Statius Tiſiphonem otioſam deſcribens, cum Oedipus furioſus illam in propriam ſtirpem incitaret:

- - - inamœnum forte ſedebat
Cocyton juxta, reſolutaq; vertice crines
Lambere ſulphureas permiſeret angvibus undas.

Idem Claudianus qvo non alius freqventius hac figura utitur Plutonem ad lacrimas rapta Proſerpinâ commotum deſcribens: *Tunc ferrugineo lacrimas deterſit amictu.* Et Cybelem dolore confectam repræſentans ornatum capitis in terram projectum, & coronam pulvere ſordidatam oſtendit his verbis:

Aurea ſanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, ſummoqve volutus
Vertice crinalis violatur pulvere murus.

Sic Ceres deſperabunda capiti ſpicas evellit, & Roma lugens trabeam diripit & haſtam projicit, aqvilis cum alis acciſis proſtratis. Sic Virgilius

Digitized by Google

Virgilius cum mater afflicta mortem cari Euriali acciperet, illam in veſte texenda occupatam fuiſſe, atqve adeo fuſum & ſtamen projeciſſe dicit:

Excuſſi manibus radii revolutaq; penſa.

Cujusmodi ſingulares circumſtantiæ ad motus animorum vehementer conducunt, ut (193.) autor noſter admonet, qvoniam his veſtigiis dolor veluti oculis ipſis objicitur. Idem intelligendum de ira, amore, aliisqve affectibus aut moribus, qvibus oratio redditur vel poëtica, vel morata. Talis eſt hæc Argentarii, Antonium ſimul in vindicta crudelem & in crapula diſſolutum repræſentans: *Popina tributo gentium inſtruitur, ipſe vino & ſomno marcidus deficientes oculos ad capita proſcriptorum levat.*

(193.) *Ar. 2. Rh. c. 8. Et facta & veſtes eorum qvi paſſi ſunt, cateraq; ejusmodi miſerationem movent. Efficitur enim his, ut ante oculos malum videatur.*

Fit ingenioſior hæc figura, qvando *ſingulares* iſtæ *circumſtantiæ* rebus *abſtractis & inanimis* tribuuntur. Tunc enim *veriſimili* accedit *translatio* & duplex concurrit hypotypoſis. In qvo genere ingenioſiſſimus eſt Nonnius in ſuis Dionyſiacis, cujus libri argumentum qvidem eſt leve, ſed argutiſſimis *animadverſionibus* eſt floridiſſimum, ex qvo Marinius vividiſſimos & acutiſſimos ſuos verſus deſumſit, & imprimis *ſingularia* illa *acumina*, qvæ vivam & evidentem rem faciunt, inde accepit. Deſcribens igitur candidum illum *taurum*, qvi undis ſulcatis Europam transvexit, amorem illius tergo inhæſiſſe dicit, tanqvam aratorem *acuto ſuo telo eum incitantem.* Sic dum pulchra Nicæa dormit, *amor alis ſuis ipſi ventum facit.* Sed inter Latinos Ovidius in libris Metamorphoſeon hac in re præter cæteros amœnitatem ingenii ſui approbat, veluti in Phaëtontis incendio, ubi ſolicita animadverſione conqvirens effecta veriſimilia ac ſi vera eſſent, *congruentiam ſingularium circumſtantiarum* in ſignis cœleſtibus ad vivum exhibet.

Tum primum radiis gelidi caluere Triones
Et vetito fruſtra tentarunt æqvore tingi,
Qvæq; polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens
Frigore pigra prius nec formidabilis ulli
Incaluit, ſumſitq; novas fervoribus iras.

Te

Digitized by Google

Te qvoq; turbatum memorant fugiſſe Boote
Qvamvis tardus eras, & te tua plauſtra tenebant.

Et ejusmodi, ut ita loqvamur, *congruentiis* in diluvii aliisqve omnibus deſcriptionibus perpetuo ludit. Ubi pariter hoc obſervatur, veriſimilia iſta naſci à qvacunqve categoria.

In eodem hoc genere amœniſſimus eſt & lepidiſſimus Cæcus Adriæ, præcipuè ubi opera Alexandræ acu picta vivide repræſentat. In Oratione enim octava, cum dicere vellet, res ab ipſa effictas acu videri veras, deſcriptiones ejusmodi argutis & fabuloſis circumſtantiis exornat in hunc modum: *Ex roſis opere illo phrygio expresſis perpetuum ver efficiebatur. Vitibus aves, floribus apes, ſerpentibus pueri, flammis puella decipiebantur, metuentes, ne manu eò porrecta comburerentur. Philomena ipſa fictam ſe latabatur, dum laborum ſuorum hiſtoria texeretur, nec Arachna moleſtum erat à Pallade ſuperatam eſſe, cum iſtius acus argumentum eſſet facta, & Pallas victoriam ſuam de Arachne intuens gaudebat, nec ſentiebat ſe, dum victricem ſe credit, victam diſcedere. Vulcanus in adducendo reti tam exercitatus, Venerem & Martem eo implicito aſpiciens ab arte deluſus ad rete corripiendum currebat, ut iterum illos caperet &c.* Hic animadvertimus leviſſimum argumentum fieri enumeratione fœcundum, & ſingularibus circumſtantiis vividum, qvanqvam in hoc exemplo cœcus iſte ſæpius in decorum impingat, majori ingenio qvam judicio.

Alia figura priori non multum diſſimilis magnæqve artis eſt Parenthesis. Non communis iſta, qvæ explicandæ ſententiæ neceſſariò adhibetur, ſed hæc, qvæ ingenioſè Orationi (194.) inſeritur, ut fiat *dilucida*, aut *pathetica*, aut *morata*. Docet enim experientia qvasdam circumſtantias veluti obiter indicatas firmius imprimi, magisqve delectare & movere, qvam ſi data operâ illas oſtentes & producas, & hoc vult vox Subostendunt ab autore noſtro adhibita. *Dilucida* ſunt iſtæ, qvæ *naturalem* qvandam *circumſtantiam* veluti clanculum inſinuant, ut: *Hos inter placidi* (Poteras numerare Lapillos)

(194.) Ar. 3. Rh. c. 16. annectēda orationi ſunt, qvacunq; vel virtutes tuas, vel adverſarii vitia ſuboſtendunt, vel auditoribus jucunda ſunt.

PILLOS) *ſerpebant latices.* Ubi circumſtantia iſta numerandi lapillos, qvam liqvidus fuerit fluvius, in tranſitu oſtendit. Et de tauro: *querulis mugitibus arva* (RESPONSANT VALLES) *amiſſâ conjuge complet.* Idem intelligas de reliqvis categoriis, *temporis*, *loci*, *actionum*, *habitus &c.*

Pathetica ſunt iſtæ, qvæ transcurrentes animum pungunt, & vel admirationem vel miſericordiam vel riſum ſimilemve affectum concitant. Ovidius: *Et medio* (MIRUM) *duo marmora campo aſpicio.* Qvod ſi dixiſſes: *Rem miram vidi, medio duo marmora campo:* ſententia qvidem eſſet grandis, at figurata non item. Et hoc: *Hoc me Nate Deâ* (QVIS POSSIT CREDERE) *telum flere facit.* Miſericordiam movet hoc: *Ultima conſcendit claſſem* (MISERABILE VISU) *In mediis Hecuba natorum inventa ſepulchris.* Aut Parentheſi innuitur ejusmodi (195.) res, qvæ naturaliter affectum movet, qvarum copioſiſſimos fontes apud noſtrum (196.) autorem reperies. Sic Ovidius in Apoſtrophe Hecubæ ad filiam: *Nata tua*(QVID ENIM SUPEREST)*dolor ultime matri: Nata jaces.* Qvæ parentheſis commiſerationem ciet, cum is vere ſit (197.) miſerabilis, cui nullus amicorum aut liberorum ſupereſt. Item hoc: *Brachiaq́ in cœlum* (QVOD NON VIDET) *irrita tendens.* Eſt enim & hoc miſerabile carere cœleſtis lucis aſpectu, & hoc: *Forſitan abdideram* (SIC ME MEA FATA TRAHEBANT) *blanditias plures.* Eſt enim miſeratione dignum ab (198.) adverſâ fortunâ trahi invitum. Sed iſta parentheſis præ cæteris eſt vivida, qvæ ſermonem alicujus interrumpit pathetica repræſentatione (199.) geſtuum ejus qvi loqvitur. Unde Homerus ab (200.) autore noſtro laudatur, ubi ſermonem Aſtani hâc parentheſi interrumpit: MANU FACIEM RETINEBAT, qvo indicatur geſtus ejus, qvi prorupturus eſt in lacrymas. Et Æſchines de Cratylo: ORE PERSONANS, MANUQVE QVASSANS INTONUIT. Sic Ovidius recitans concionem Ulyſſis in lite de armis Achillis habitam:

> *Qvem qvoniam non aqva mihi vobisq́ negârunt*
> *Fata* (manuq́; ſimul veluti lacrimantia terſit
> Lumina) *qvis magno melius ſuccedet Achilli?*

Ubi

(195.) Ar. 3. Rh. c. 16. narrando exponas, qvæ affect⁹ movent.

(196.) Ar. 1. Rh. c. 2. & 2. Rh. c. 2. 3. 4. & ſeqq.

(197.) Ar. 2. Rh. c. 8. miſerabile eſt, ſi neminem habeat amicum.

(198.) Ar. ib. miſerabilia ſunt omnia mala, qvorum fortuna cauſa eſt.

(199.) Ar. ib. miſerabilia ſunt ſigna & facta.

(200.) Ar. 3. Rh. c. 16.

Ubi parentheſis conſpiciendas præbet fictas aſtuti oratoris lacrymas. Pariter recitans ultima verba infœlicis filiæ Priami:

Nulla mora eſt: aut tu jugulo vel pectore telum
Conde meo, (jugulumqve ſimul pectusqve retexit)
Scilicet haud ulli ſervire Polyxena vellem.

Ubi locus vulneris oculis monſtratus (201.) miſericordiam commovet. Et ſic in reliqvis affectibus, *ira*, *amore*, *odio*, *timore*.

Non minus pulchræ ſunt parentheſes (202.) *moratæ*, qvæ ſpecimen habitus cujusdam moralis dicenti convenietis præbent, veluti *prudentiæ*, *pietatis*, *animi imperterriti*, *juſtitiæ*, *humanitatis*, & qvæ his ſunt contraria. Hæ vero reddunt orationem veriſimilem, eò qvod perſonam oculis ſubjiciunt, tale eſt exemplum Herodoti ab (203.) autore noſtro ſuppeditatum: *Ego vero ſvadebam(qvod juſtum ac pium eſt) non deſerendos eſſe liberos.* Et hoc: *Huic ego (qvanqvam ſciebam nemini fidendum eſſe) bona fide me credidi.* Ubi vides priorem parentheſin exhibere hominem juſtum, poſteriorem virum prudentem cum (204.) Senilis prudentiæ ſit ſuſpicari. Item: (*Hæc ambulando vociferabatur.*) Hominem, inqvit ille, agreſtem & impolitum denotat. Sic de Cephalo apud Ovidium:

Hanc mihi junxit amor, felix dicebar, eramq́;
(Non ita DIS viſum eſt) *& nunc qvoqve forſitan eſſem.*

Qvo indicatur religioſa veneratio providentiæ divinæ. Item locutus de Polymeſtore, qvi Polydorum præcipitem dedit:

Et (tanqvam tolli cum corpore crimina poſſent)
Exanimem è ſcopulo ſubjectas miſit in undas.

Qvâ parentheſi ferus continetur ſermo barbaro dignus. Atqve ejusmodi vivis argutiis narrationes & deſcriptiones aſpergendæ ſunt.

Ab *hypotypoſi* porro proficiſcitur PARTITIO ſeu *enumeratio*, figura præ

(201.) Ar. ib. Afflictiones miſerabiles ſunt, qvæ oculis cernuntur.

(202) Ar. 3. Rh c. 16. moratam orationem efficiunt qvæ mores hominum cōſeqvuntur.

(203.) Ar. ibidem.

(204) Ar. 2. Rh. c. 13. Senes ſuſpicioſi ſunt, qvoniam increduli, increduli autē, qvoniam experti.

præ reliqvis nomine proprio digna, qvæ objectum PARTITE ante oculos ponit. Clarius enim & diſtinctius cernitur, qvod per partes repræſentatur, ſeu *partes* iſtæ ſint *corporea* ſeu *multitudinis* ſeu *actionis* ſeu *loci* ſeu *temporis* ſeu alterius *categoriæ*, nulla certè deſcriptionibus magis convenit, magisqve illuſtrat illas.

A partibus *corporis* Domitiani effigiem Plinius exhibet: *Occurrit viſu terribilis, ſuperbia in FRONTE, ira in OCULIS, fœmineus pallor in CORPORE, in ORE impudentia rubore perfuſa.* Et Claudianus deſcribens *hiſtricem:*

- - - Os longius illi
Aſſimilat porcum; mentita CORNUA ſetæ
Summa FRONTE rigent, OCULIS rubet igneus ardor.
Parva ſub hirſuto catuli veſtigia DORSO.

Sic Arioſtus formoſam Alcinam deſcribit: *In genis ejus ſparſum fuiſſe colorem ex roſis & liguſtris mixtum, frontem latam, qvam juſta meta concludebat ſpatium, ex polito fuiſſe ebore, ſub duobus nigris & ſubtiliſſimis arcubus poſitos fuiſſe nigros oculos, qvin potius claros ſoles, hinc naſum per mediam faciem deſcendiſſe, in qvo nullam invidia mendam reperire potuerit, ſub qvo veluti inter duos valles ſe aperuiſſe os cinnabari conſperſum, atqvè hinc duo fila ſelectarum margaritarum, qvas claudit & oſtendit pulchrum & ſvave labium &c. Et ſic palatium, templum, navem, plantam* ſingulis partibus oſtenſis vividè poteris deſcribere.

A multitudine vividiſſima fit deſcriptio Nympharum flores varios colligentium apud Claudianum:

Pratorum ſpoliatur honos, HÆC lilia faſcis
Intexit violis: HANC mollis amaracus ornat
HÆC graditur ſtellata roſis, HÆC alba liguſtris &c.

Et

Et Boccatius puellas in horto ſe oblectantes deſcribens, *Dionaus & Flammetta canere cœperunt, Philomela & Pamphilus alea ludebant, & ſic dum aliæ hoc aliæ illud aggrediuntur, tempore elapſo hora cœnæ nondum exſpectata advenit.* In qvo exemplo enumerationi perſonarum conjungitur enumeratio actionum, ſed ingenioſius idem præſtitit Arioſtus: *Illic ubi gratioſus Aprilis ſerena & læta fronte ridere ſemper videtur, pueri puellaqve congregati erant, alius apud fontem dulcibus numeris cantans, alius ſub umbrâ arboris aut montis aut ludens aut ſaltans, aut in re non vili occupatus, alius à cæteris remotus amico fido dolores amoris ſui detegit.*

Sed argutius eſt, qvod ſeqvitur, ubi hæc figura concurrit cum inventis *ſingularibus circumſtantiis*, *In faſtigiis pinuum & laurorum, altarum tagorum & hirſutarum abietum volabant ludentes parvuli amores, alii victoriis ſuis gaudentes, alii arcum dirigentes in cerda, alii iisdem retia tendentes, eſt qvi tela ad humilem rivum præparat, eſt qvi eadem ad volubile ſaxum acuit.* Contra in ſeqventi ſtrophe enumerationem *perſonarum* conjungit cum enumeratione *partium corporis & actionum*, qvas valde deformes fingit, ut non minus lepide pingantur qvam audiantur. *Nunqvam viſa fuit mirabilior turma, nunqvam vultus monſtroſiores & deformiores. Qvidam collotenus humanam habent formam: alii faciem ſimiarum, alii felium, qvidam caprinis pedibus exprimunt veſtigia, qvidam ſunt Centauri agiles & promti: ſunt etiam juvenes imprudentes & ſenes ſtulti, hi nudi iſti peregrinis pellibus involuti.* Sed qvæ ſeqvitur Strophe enumerationem conjungit *perſonarum* cum enumeratione *motus & inſtrumentorum. Iſte ſine freno eqvo concitato vehitur, hic lentus in aſino aut bove ſedens progreditur, alius centauri in dorſum inſilit, multi Struthiocamelis aqvilis gruibus ineqvitant, alii cornu ori admovent, alii poculum. Nunc fœmina nunc maſculus nunc utrumq; incedit, hic gerit uncos, iſte ſcalas cannabinas alius palos ferreos, alius limam ſurdam.* In hunc modum pulcherrimas deſcriptiones ſeu ridiculas ſeu graves conſcribere pro impetu ingenii licebit veluti *exercitus otioſi, mercatus, confluxus populi, naufragii, prælii.* Ut Taſſonius fecit in urna ſua.

Digitized by Google

Non minus delectant enumerationes *locorum*, ut iſta ejusdem Boccacii: *Hinc videbant exire cuniculos, illinc lepores, alibi jacebant capreolæ, alibi cervi paſcebant.* Et Ovidius in deſcriptione diluvii conjungit enumerationem *locorum* cum enumeratione *perſonarum & ſingularibus circumſtantiis* ingenioſe excogitatis:

Occupat hic collem, cymba ſedet alter adunca
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat,
Ille ſuper ſegetes aut merſæ culmina villæ
Navigat, hic ſumma piſcem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi, ſi fors tulit, anchora prato.
Et modo qvà graciles gramen carpſere capellæ
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.

Sic qvidem pulchræ conficientur *Topographiæ* cum *locos amœnos* vel *alpeſtres, campos ſpoliis aut cadaveribus ſparſos* deſcribimus.

Alius partus *hypotypoſis* Muſis certè utiliſſimus ſunt EPITHETA, qvorum qvædam ſunt propria & vera, qvædam ingenioſe ficta & translata. Neqve vero propria non referenda ſunt ad figuras ingenioſas, qvatenus nimirum hypotypoſi qvadam & vivida repræſentatione orationem ingenioſam à communi diſtingvunt. Habent enim admirabilem virtutem ſubjiciendi oculis qvæ dicunt, dum circumſtantias ſingulares ſenſibusqve expoſitas ita commemorant ac ſi ante oculos verſarentur manibusqve tangi poſſent. Qvomodo res univerſales fiunt ſingulares & hæ rurſus inter ſe diſcernuntur. Sermo eſſet communis & mortuus ſi dicas: *Sacerdos portabat ſacra caniſtris*, at ſi dicas cum Ovidio: PURA CORONATIS *portabat ſacra caniſtris* res illæ ab aliis ejusdem generis diſtinctæ exhibentur, oculiſqve ſubjicitur & ceremonia fructus illos purificandi & coronata caniſtra. Sic qvi dicit. *Et ſparſit VIRIDES ſpumis ALBENTIBUS agros*, & ſi ſpumas eſſe albas & campos virides ſciunt omnes, evidentius tamen eædem res repræſentantur. Idem ſentiendum de aliis circumſtantiis ſub viſum cadentibus, aliumve ſenſum afficientibus.

Horum vero Epithetorum alia ſunt *propria & plana*, alia *ingenioſa*

nioſa & acuta. PROPRIA & plana ſunt qvæ unam eamqve immediatam *notionem* animo ſubjiciunt, ita ut intellectus nullo labore epitheton cum ſubſtantivo ſuo comparet, ut *frigida nives, thus odoratum, pallidus æger, niger Æthiops.* Qvæ adjectiva utut propria ſingularem tamen vim habent repræſentandi circumſtantias alicujus rei individuas. Ut apud Terentium cum Parmeno diceret, *non novi hominem*, reſpondet Pamphilus: *Faciam ut noſcas magnus rubicundus, criſpus craſſus, caſius.* Qvæ circumſtantiæ deſcriptionibus rerum adjiciunt evidentiam & orationibus ſvavitatem, ut ſi Auroram deſcriberes hoc modo:

Jam à *cæruleo* mari ſurgens *humida* Aurora *lucentis* inſtar auri radio purpurabat *longas* qvaſdam & *ſubtiles* nubeculas, qvas *fuſca* nox diſcedens in cœlo reliqverat & *clariſſimo* rubore *candidum ſublimis* Appennini verticem percutiens *limpidiſſimo* rore *virides mollium* pratorum limbos & *pallidas trementium* populorum frondes adſperſerat cum *pennatus parvularum* avium chorus *pictis* alis *tripudians & ſvaviſſimis* modulationibus cantillans feſtive illam ſalutaret.

Ubi vides adjectiva adeo propriè convenire ſubſtantivis ut nullam in iis figuram mens agnoſcat præter nudam hypotypoſin, qvæ res illas ſenſibus qvam maxime ſubjicit. Ac ejusmodi Epithetis ſeu *lepidis & dulcibus* ſeu *amplis & gravibus* ſeu *atrocibus & terribilibus* pro rei ſignificandæ natura oratio omnis animari poteſt, ductis illis Epithetis ex qvacunqve, ut demonſtravimus, Categoria.

Contra Epitheta INGENIOSA ſunt iſta qvæ velocitatem qvandam ingenii reqvirunt, ut per aliam qvandam notionem ſuppreſſam cum ſubſtantivis ſuis componantur. Eſt enim iſta vox maximè ingenioſa qvæ plures uno tempore notiones complectitur. Hinc ſicut planum *propriumqve* Epitheton dixi, *nives* FRIGIDÆ, ideò qvod nivi frigus immediatè cohæreat, ſic FRIGIDUS *Appenninus* ingenioſius dicetur, cui frigus nimirum competit propter nives qvæ nominatæ non ſunt, ut *mens* veluti gradibus à monte ad nives à nivibus ad frigus adſcendere debeat, ac ſi dictum eſſet: *Appenninus qui frigidis nivibus eſt coopertus.* Pariter *thus* ODORATUM proprium eſt Epitheton & immediatum, ſed *populi* ODORATI cum dicuntur, à populis ad odorem mediante thure, qvod nominatum non eſt, pervenitur ac ſi diceres: *Populi qvibus naſcitur thus odoratum*

ratum i. e. Arabes. Sic PALLIDA *fames* ingenioſius eſt qvam PALLIDUS *æger*. Hic enim concurrunt duæ notiones ſibi proximè cohærentes, iſtic tertia tacite advocanda eſt ac ſi dictum ſit: *Fames qvæ hominem ægrum & ex ægritudine pallentem facit.* Sic NIGER *Ægyptus* non tam ingenioſum eſt qvam NIGER *Canopus* celebris Ægypti civitas, tertiam enim hic notionem divinare debes veluti: *Canopus cujus cives nigri ſunt.* Et ingenioſiora erunt hæc Epitheta, qvæ in mentem revocant peregrinam qvandam de locis aut perſonis eruditionem. Præter qvam enim qvod repræſentant ea qvæ ſcis, docent etiam qvæ neſcis. Sic Claudianus: CHAONIO *victu gentes alere i. e. gentes alere glandibus qvæ in Chaonia Epiri provincia naſcuntur*, ubi diſcis proprietatem illius provinciæ. Et Statius (qvi hujusmodi eruditis Epithetis orationem præ reliqvis poëtis inflat) OGYGIIS *ululata furoribus antra* qvo repræſentatur furor bacchantium qvæ *Ogygides* dicebantur. Idem poëtam laudans: *Oraqve* CYRRHÆA *ſatiavit largius unda* pro aqva fontis Caſtalii qvæ ex Cyrrha capite qvodam Parnaſſi deſcendit. Et SIDONIOS *raptus* pro raptu Europæ in littore Sidonis facto & CYLLENIÆ *artes* pro Eloqventia, qvæ Mercurii à nympha Cyllene nutriti eſt propria, & IDALIÆ *illecebræ*, à monte Ida, qvi eſt in inſula Cypro patria Veneris.

Sicuti vero omnia iſta Epitheta ideo ſunt ingenioſa, qvod hypotypoſi conjuncta eſt metaphora attributionis, ſic eidem poteris in aliis Epithetis conjungere *metaphoram ſimilitudinis*: ut *fontes* VITREI *herba* SMARAGDINÆ, *Aurora* ROSEA. Aut etiam *homonymiam*, aut *hyperbolem*, *aut* aliam qvandam *figuram ingenioſam*, idqve eo magis, ſi *verbis peregrinis i. e. priſcis*, *exteris*, *compoſitis*, *derivatis*, *mutatis*, *fictis* epitheta exprimantur. Qvo plures enim figuræ concurrunt, eò argutiora & ingenioſiora neceſſe eſt ſint Epitheta. Qvalia ſunt, qvæ antea attulimus Plautina, qvibus ridiculè bellas illas fœminas depingit:

Hæ hic ſunt *limaces*, *lividæ*
Diobolares, *ſchœnicula*, *miracula*,
Scranctiæ ſcrupedæ, *Tantulæ*.

In

In idem argumentum vel ſexcenta ejusmodi epitheta arguta excogitare licet, ſingulis Categoriis leviter percurſis: ut à SUBSTANTIA illæ appellari poſſent *Cacogenia fœminidiabola*, *tribellua*, *Acontia* qvæ ſunt ſerpentes fœminæ.

A QVANTITATE, *aliqvantula*, *pumila*, *papa burba* i. e. qvisqviliæ. A FIGURA DEFORMI, *Oſcilla* i. e. larvæ, *Metopa*, qvæ ſunt capita illa exſucca, qvæ Architecti ornamentis Doricis inſculpunt, *Cariatides*, qvæ ſunt columnæ ſpeciem habentes triſtium vetularum, *Aglypha* i. e ſine figura, *horribiliformes*, *terricula*, *Gorgonia*, *Theſiphonia*, *grunnula* qvæ erant idola roſtro ſuillo à Romulo in honorem ſcroſæ ſuæ inſtituta, *Titanica* h. e. torvæ, *lippiocula*, *tridentes*, *labeones*, *Gryphes*, *naſica*, *gruiformes*, *camura*, *cochleata ſilicernia*, *lamia*, *rumia* i e mammoſæ, *gaſtria* i. e. ventricoſæ, *cruriſcorpia*, *genutremula*, *Sphingipedes*, *ſtrigoſa*, *ſcripea*, *ſceletria*.

A QVALITATE ſub viſum cadente. *Barrina* i. e. nigræ ut Elephantes *Cymmeria*, *Agaſyrtes* i. e. ſordidæ, *Stellionia*, *lacertoſa*, *bardocutes*, i. e. variæ ut Tarantula, lacertus, pardus, *Bavia* i. e. maculis diſtinctæ, *belluata*, nimirum ut belluata periſtromata. A QVALITATIBUS, QVÆ AUDIUNTUR. *Cicadula*, *obſtrepera*, *coaxula*, *ſtulticrepida*, *trilingves*, *bombyles*, *brontea* i. e. qvæ ſtrepitum edunt, ut tonitru, *Cytherea*, qvæ erant larvæ loqvaces. Ab iis qvas ODORAMUR, *Apronia*, *Cimicea*, *olinea caprinea*, *putidula*, *anagyres* à herba valde fœtida. Ab iis qvæ GUSTANTUR, *inſulſa*, *fatua*, *nautea*. Ab iis qvæ TANGUNTUR: *Sqvatina* i. e. aſperæ inſtar pumicis *ſcolopendria*, *ſcabra*, *glabra*, *ſqvaminea*, *paſſa*, *ſiderata*, qvod de arboribus arefactis dicitur. A FACULTATIBUS NATURALIBUS: *Mucida*, *Murcida*, *marcida*, *tabida*, *caſcha*, *carioſa*, *pneumatica*, *aſthmatica*, *ſcrupta*, *ſcrapta*, *pulmoniſcrea*, *tuſſidentes*. Ab INTELLECTUALIBUS: *Apſycha* i. e. ſine anima *Acephala*, *Barda*, *Cucurbita*, *cerebroſa*, *obſtupida*, *oblivia*. A MORALIBUS & qvidem ab avaritia. *Occipeta* i. e. Harpyiæ, *petaces*, *rapones*, *lucriones*, *harpagones*, *novacula*, *ſcobina*, *crumenirada*, *argyrancupes*, *chryſoclytia* i. e. qvæ ad aurum ut Heliotropium ad ſolem convertuntur *Æruſcatrices*, *hamiota*, *Chelidones*, longis ſcil. ungvibus. Ab ira: *Manades*, *Eumenides*, *Pythoniſſa arreptitia*, *intemperia*. A crudelitate: *crocuta*, *buſtirapa*, *ſarcophaga* i. e. carnivoræ, *ſangviſorba*, *anthropophaga*, qvæ homines devorant. Ab aſtutia,

Digitized by Google

tia, *calophanta* i. e. extrinſecus pulchræ intus peſſimæ. *Decipula*, *illecebra*, *remora*, *ſaga*, *ſtriges*, *canidia*, qvæ ſcilicet erat ſaga famoſa. A crapula: *lupa attiles*, *bibacula*, *peredia*, *pamphaga*, *blatta*, i. e. tineæ, qvæ ſemper rodunt. A libidine: *Acolaſta* i. e. intemperantes, *ſchrophula*, *volupia* i. e. Deæ voluptatum, *Catulientes*, *viripeta*, *Cupedines*, *voragines*, *barathra*, *Charybdes*. A DENOMINATIONIBUS EXTERNIS pretii vel honoris: *Sputatilica*, *rejicula*, *ridicula*, *muſcerda*, *baldracha*, *triobola*.

A RELATIONE: *monſtrigena*, *bigenera*, videlicet à bruto & homine genitæ, *Megariſodales*, *Celeniſorores* i. e. ſociæ Megaræ & ſororesHarpyiæ Celænus.

Ab ACTIONIBUS: parvifila, omnimalifices, dolidola, fraudifabra.

Ab actionibus CEREMONIARUM: *Libitina*, *praſica*, *obſcænula*.

A PASSIONIBUS: vapulares, verberones, ſtimula, maſtigia, ſtigmatica, plagigera.

A SITU: Accubia, Concubia, Succubia, Sternaces, ſubjuges.

A LOCO: Cineraria, Cœnaculares, ganea, trivia, lecticola.

A MOTU: Actuaria, automata, circumvaga, ſtrativola, noctambula, polytropia, catadroma, trocula i. e. volubiles, *amburbiales, & ambubaja.*

A TEMPORE: Neſtorea, triſecula, antiqvaria, Capulares Acherontia vetulæ ſcilicet Acheronti deſtinatæ.

Ab HABITU: Calendria à capillo aſcititio, *angvicoma*, *centuncuata*, *ptochomuſa*, *balatronia*, *ſtrumoſa*, *papulata*, *carbunculata*, & alia infinita.

Et hæc eſt figura illa qvæ priſcas inſcriptiones præ cæteris illuluminat. Illarum enim præcipua vis & veluti ſubſtantia, qvod legentes obſervamus, in Epithetis eſt poſita, qvibus exprimitur aut mortui gloria aut viventis affectio. Et qvidem tenera, nobili, propria ac latiniſſima ratione veluti in FILIUM: *anima innoxia*, *anima dulciſſi-*

Digitized by Google

cùſima, delitio ſuo, filio exoptatiſſimo. In UXOREM: *Conjugi Sanctiſſima, Caſtiſſima, jucundiſſima, dulciſſima, deſideratiſſima, maritali concordia, incomparabili, rariſſimi exempli fœmina, Comiti optima, omnium virtutum fœcundiſſima, illuſtrium Matronarum decus, vita & verecundia, & ingenita modeſtia ornata.* In AMICUM: *Amico fideliſſimo, benemerentiſſimo, Viro optimo, ad exemplum pracipuo, civi magnificentiſſimo, judiciis omnium probato, à primo atatis flore probato, frugaliſſimo & egregio Viro.* In NOBILEM: *Equiti ſplendidiſſimo, nobilitate actúq; glorioſiſſimo, privatim & publice claro, per gradus clariſſima militia ad culmen gloria ſempiterna evecto.* In DOCTOS: *Cauſidico erudito, praglorioſiſſimo Poetarum, Conſuli innocentiſſimo, bene de patria merito.* In SACRI ORDINIS VIROS: *Incomparabilis religionis ſacerdos, morum diſciplina venerabilis, admiranda pietatis viro religioſiſſimo.* Sed inprimis in IMPERATORES triumphatores: *Æternus Imperator, Cæſar perpetuus, Maximus Optimusq; Princeps, Amplificatori urbis, Auctori publica libertatis, reſtitutori & conditori Aqvilejenſium, beatiſſimus Caſar, florentiſſimus, ſupra omnes retro principes piiſſimus, bono Reipubl. natus, Conſervatori libertatis devictori omnium gentium barbarum, divinis fratribus ac ſemper auguſtis, Domino orbis terrarum, exſtinctori tyrannidis feliciſſimo, fortiſſimo, clementiſſimo, indulgentiſſimo, Fundatori imperii qvietúq; publica, Imperatorum glorias ſupergreſſo, victorioſiſſimo triumphatori, optimo providentiſſimoq; principi, Patri Patria, publica ſecuritatis autori, ſacratiſſimo Imperatori, ſanctiſſimo ſempiterno, terra mariq; victori, triumphalis princeps,* &c. Ad qvarum adulationum exemplum, beneficio regulæ præmonſtratæ, infinita alia excogitare potes.

Ex iis qvæ dicta ſunt, in tranſcurſu veluti notare potes, qvi TITULI ſint magis honorifici. Sicut enim nobilitas Epithetorum (ut jam oſtendi) æſtimatur nobilitate rerum ſignificatarum: Sic tituli illi, qvi exprimunt QVALITATEM MORALEM & virtutem

homini propriam, ut *magnificus*, *magnanimus*, *generoſus*, *invictisſimus*, *fortisſimus*, *heroicus*, *religioſisſimus*, *ſanctisſimus*, honorificentiores ſunt qvam qvi à PHYSICA QVALITATE petuntur, ut *Illuſtrisſimus*, *altisſimus*, *ſerenisſimus*, *Excellentisſimus*, qvi propriè *facibus*, *montibus*, *aëri*, *vino Cretenſi* conveniunt. Et ex *qvalitatibus moralibus* illæ titulos honoratiores dabunt, qvæ virtutem magnis Viris convenientem ſignificant: ut MAGNIFICENTIA. Cuilibet enim privato licet eſſe *juſto*, *prudenti*, *temperanti*, *liberali*, *religioſo*, etiam mente in artibus qvibusdam *ſerena & excellenti*, ſed MAGNIFICUS eſſe nemo poteſt niſi qvi *magna dignitate*, *magno animo*, *magnis & inexhauſtis opibus* pollet, ut ſemper maxima & ſe digna opera ſuſcipere valeat. Sic etſi titulus POTENTISSIMI non niſi maximis regibus conveniat, hic tamen multum inferior eſt titulo *magnifici*. Potentia enim eſt qvalitas potius phyſica qvam moralis, externa magis qvam interna, fortunæ potius qvam animi; cum *magnificentia* ſit virtus animi magni, qvæ potentiam ipſam bono publico in uſum deducit, qvod eſt bonorum honoratorum maximum. Neqve enim alius eſt honor qvam (ut (205.) autor noſter docet) *opinio potentiæ bene factricis*. Intelligimus igitur qvam cœca ſit ambitio, qvamqve ſtolida hominum æſtimatio, qvæ in diſtribuendis TITULIS MAGNIFICENTIAM à regio ſolio ad tabernas dejecit: cum hodie MAGNIFICI ſalutentur plebeji homines, qvod niſi maximis & generoſiſſimis principibus, ut ſapientioribus temporibus conſveverat, tribui non poteſt. Qvod ſi *magnificus* nihil aliud ſignificat qvam *effectorem magnorum & heroicorum operum*, qvomodo cognomen *magnifici* vel caupo, vel ſartor vel ſutor mereri poterit? Qvod opus heroicum, qvæ magnificentia erit carnem aſſandam veru transfigere aut par calceorum vel tibiarum conſuere?

(305) Ar. 1. Rh. c. 5. Honor eſt potentiæ benefactivæ judicium.

Hæ ſunt *hypotypoſes* adjectivorum, ſed præcipua eſt in VERBIS VIVIDE ACTUOSIS veluti ea, qvæ ab Homero noſter Autor ſumſit: *haſta* VOLABAT, *tela in corpore* SATURABANTUR, *mucro per pectus* IRRUEBAT. In qvibus verbis obſervare licet duas dotes, qvæ vim maximam repræſentandi habent, videlicet ACTIONEM & VITAM. Unde (206.) autor noſter ad vim verbis conciliandam reconditam præceptionem affert, ut de qvacunqve re loqvamur, eam velut animal vita & ſenſu præditum, aut hominem mente & ratione

(206) Ar. 3. Rh. c 11. præ oculis ponunt quæ ſignificanter geri aliqvid oſtendunt veluti Ho*merus ſæpius facit dum inanima ut animata gerere dicit.*

tione pollentem, concipiamus. Sic e. c. tempeſtatem maris deſcripturus, non MARE illud eſſe cogites, ſed FERAM aut BARBARUM HOMINEM ira furentem, atqve ita ſepoſitis adjectivis & ſubſtantivis metaphoricis, ſolis *verbis* ex ſingulis Categoriis in eam ſententiam depromtis vim & vitam orationi conciliabis.

Ex QVANTITATE enim non dices: *mare augetur ſed mare grandeſcit, giganteſcit*, qvod homini convenit. Nec *attollitur, ſed in cœlum ſcandit*, tanqvam undæ eſſent ſcalæ gradus. Ratione FIGURÆ pro *undas criſpat*, dices: *undas arrigit* ſcil. ut aper ſetas, aut *corrugat, caperat*, qvod iratorum eſt, & pro *curvatur mare* dices, *ſe colligit* tanqvam animal, qvod impetu procurret. Nec dices, *mare ſpumas habet, ſed rabiem deſpumat, & contemtius cœlum conſpuit.*

Ratione COLORIS melius dices, *liveſcit* aut *palleſcit mare* qvam *cæruleum habet colorem*, & pro: *tenebris operitur*, rectius dices *cæcutit*, tanqvam ira illud cœcum reddat. Ratione SONI minus vividum erit, *mare ſtrepit*, qvam *mare rugit, frendet, raucum mugit, exululat, ſtragem minatur, bellicum clangit.* Et melius *anhelat, dirum ſpirat*, qvam *vapores efflat.* Ab HUMIDITATE non tam vivide loqveris: *aſpergine madent ſcopuli* qvam *ſudant* aut *lacrymantur*, & ſic à reliqvis qvalitatibus.

A RELATIS non dices *procellis conjungitur*, ſed *fœderatur, commilitat*, nec *ventis opponit undas* ſed *ventis rebellat, aqviloni recalcitrat, ventos laceſſit, cum Auſtris colluctatur.*

Ab ACTIONIBUS dicturus, *ſcopulos percutit undis* majori vi dices, *in ſcopulos arietat, cautes flagellat*, fulminat, caſtigat, in ſcopulos ſeſe impingit inſtar inſani. Et pro *naves agitat*, dici poteſt *navibus ludit* tanqvam eſſent pilæ, *nunc eas altè ſuſpendit ac librat, nunc peſſundat ac funerat, nunc fluctibus circumvallat as inſilit, expugnat, proculcat.* Et pro eo qvod *navibus fractus frangatur ipſum: marcente unda naves proſternit, perimit dum tabeſcit*, cum nihil ſit hoc elemento vel violentius vel debilius. Et pro *remiges perdit mergit, rejicit*, vehementius dices: *in remiges ſua verbera ulciſcitur, nautas ſorbet ac vomit, reſorbet, revomit, Oceanum nautæ, oceanus nautas ebibit.* Nec dices *vota irrita facit*, ſed *ridet vota*, nec *clamantes ſuffocat*, ſed *jugulat* ut carnifex. Et

pro *piſcibus cadavera objicit*, ſignificantius qvanqvam magis Comice dices: *Piſcibus cauponatur.* Et pro *cadavera abjicit* dicetur *indignatur, ſtomachatur, nauſeat*, tanqvam non minorem nauſeam homines crearent mari, qvam hominibus mare. Pariter *mortuos mortuis invicem collidit* argutius dicetur *novo ſpectaculo mortuorum paria committit*, tanqvam ſermo eſſet de gladiatoribus in amphitheatro commiſſis.

A PASSIONIBUS rectius dices: *mare ventis vapulat, exſtimulatur, exaſperatur, in furias agitur*, qvam *ventis impellitur.* Et pro eo qvod frigide diceretur *mare turbatur*, dices: *mare ægreſcit, inſanit, furit.* Et ſignificaturus, *mare ſecum pugnare & undam unda objici: membratim ſeſe lancinat, ſinum ſibi ſulcat, & ſua fruſta jaculatur.*

A LOCO minor eſſet energia ſi dicas: *Vortices aperit* qvam *dirumpitur*, tanqvam furore crepet, aut, *hiat* tanqvam famelicus, *navibus ſepulchra fodit, inferos ſcrutatur, Stygem eructat.*

Ad MOTUM exprimendum minus efficax erit: *littoribus egreditur per terras fertur*, qvam *emancipatur, effugit, terras ineqvitat, inambulat, perſultat, bacchatur.*

Deniqve ratione HABITUS pro: *naufragantium gaza operitur* dices: *ſpoliis induitur, diteſcit, ſtrage ornatur, cælo prædam oſtentat*, tanqvam trophæa.

Apparet in his formulis non aliam metaphoram exſplendeſcere niſi vim *verborum*, qvæ orationem minus puerilem magisqve vegetam reddunt, qvalis eſt oratio Senecæ Philoſophi cujus ſtilus, ſi attente conſideretur, prorſus eſt metaphoricus nec videtur eſſe talis, idqve ideo qvod in hujusmodi verbis præcipuum ſtudium ponat.

META-

METAPHORA QVINTA HYPERBOLES.

CAP. XIII.

AB *Hypotypoſi* progredior ad HYPERBOLEN, qvintum Metaphorarum genus, de qvo nihil neceſſe eſt multa præcipere, cum per te ipſe ex qvacunqve categoria, ut jam demonſtravi, tam qvæ ad augendum qvam qvæ ad minuendum argumentum tuum valent, depromere poſſis. Saltem diſtinctionis velim memineris, qvam fecimus inter *Metaphoras ſimplices & metaphoras propoſitionis*, qvas duplici indice te complecti poſſe docui, altero SUBSTANTIARUM altero CATEGORIARUM, idqve exemplo *nani* in qvo eſt hyperbola continuata, declaravi.

Sed ut neqve hic exemplum deſideres, aliud ſuppeditabo: veluti ſi amorem IGNEM voces, idqve exaggerare velis: primum SIMPLICI HYPERBOLE illum vocare potes *fornacem portatilem*, *Megera facē*, non amoris, *fulmen Cupidinis, impreſſionē ignitā, globum ardentē animatum, Veſuviū pectoris, rogū æternū, Zonam torridā, ſphærā ignis*, *Empyreum doloris*, *diluvium flammarum infernū viventē*, atqve ita percurrendo totum *indicem ſubſtantiarum* naturalium vel artefectarum, verarum aut fabuloſarum & inde Epitheta, verba, adverbia, ſuperlativa & alias *inflexiones grammaticas derivando* hyperbolarum copia abundare poteris.

Sed PROPOSITIONES HYPERBOLICAS conditurus, qvod tumidi poëtæ faciunt confugiendum eſt tibi ad *indicem Categoriarum* qvem ſupra ante oculos poſui.

Veluti à QVANTITATE: *Amor omnes faces ſuas in unum pectus collegit, qvin totum elementum ignis in eo conjunxit, Tartara in Compendium redegit, ut unam torqveret animam, unica illius ignis ſcintilla Ætnam faceret, Veſuvius eſt exigua illius flamma*

ſlamma favilla, ab uno iſto pectore amor flammas omnes mutuatur qvibus amantes incendit, omnem potentiam ſuam in eo conſumſit, ignis ille non poteſt creſcere, niſi infinitum qvoqve putes creſcere &c.

A QVALITATIBUS *ſub ſenſum cadentibus: Fulmen eſt ſine ſono, ignis prorſus infernalis qvi urit nec cernitur, imo nimis cernitur qvoniam oculi ſcintillant, facies vaporat, ſuſpiria fumant, genarum color monſtrat cineres, omnes fulgur ejus vident in ſcriptis & tonitru audiunt in qverelis.* Eodem modo QVALITATES INTELLECTUALES percurri poſſunt.

A RELATIONIBUS ſimilitudinis vel contrarietatis. *Omnis ignis huic comparatus nix eſt, infernus Enceladi delitiæ ſunt, infinito gelu nihil poteſt reſiſtere niſi ardor infinitus, qvanta ſit flamma neceſſe eſt, qvam tanta rigoris tui glacies non refrigerat, nec tot lacrymarum flumina exſtingvunt? Qvin ex frigoris tui antiperiſtaſi tantus ignis accenſus eſt non aliter atq; ex nubium frigore fulmen accenditur. &c.*

Ab ACTIONIBUS & PASSIONIBUS: *Cavete vobis ô Paſtores ab iſto: incendium in ſinu geſtat, qvacunq; incedet, armenta & ſilvas incendet, flumina & lacus exſiccabit, tantus ardor eſt, ut adamantes emollire & Salamandros posſit coqvere. Nihil qvod non eo comburatur præter fidem ipſius rigoremq; tuum. Si de cœlo caderet, fulmen foret turres proſternens, ſi ſub monte poneretur, terræ motum excitaret, ſi in curru ſolis locaretur, arderet Zodiacus, ſi ſol exſtingveretur hic totius mundi fax eſſe poſſet, unum illius pectus optima eſſet Cyclopum officina, ubi amor ardentisſima flamma, conſtantia durisſima incus, ſuſpiria vehementisſimi folles, lacrymæ aptisſima temperatura & ipſe is qvi ardet rigidisſima ferri maſſa foret. &c.*

A LOCO & MOTU: *qvocunqve ſe convertat, licet ſub congelato ſit polo, Zonam torridam ſecum fert. Incendiarius amor non exit ex illo pectore, in cujus centro ſitus eſt. Mirum eſt tantum*

tum

tum flamma non ad ſphæram ſuam evolare. Sed amor mundi ordinem turbavit & ſphæram ignis in terra poſuit, imo ſervavit ordinem cum natura ipſa ſolem in terra locaverit.

A TEMPORE. *Pectus illud ara eſt æternitatis, in qva perpetuus ignis amor eſt, inexorabilis crudelitas ſempiternum alimentum huic flammæ ſubminiſtrat.* Atqve ita ex reliqvis Categoriis Chimæricas locutiones elicies.

Ejusmodi *propoſitionibus* intumeſcere non raro obſervabis orationes oculati illius Cœci Adriæ qvem antea laudavimus, veluti in iſta parte ubi *hyperbola* conjungit erudita hypotypoſis acumina, ut luctum publicum majori ſvavitate exaggeraret: *Tantum flevimus ut duos jam Oceanos orbis habeat, alterum aqvarum, alterum lacrymarum noſtrarum, tantum ſuſpiravimus ut ſuſpiria noſtra novum Æoli antrum ventis turgens impleverit, cui alter Æolus erit præficiendus, ne orbis damno erumpant. Cernite illud multis accenſis facibus circumdatum, qvas neſcio qvomodo nulla lacrymarum vis exſtingvat niſi qvantum lacrymæ abluunt, tantum ſuſpiria ſuſcitent. &c.*

In hoc genere *propoſitionum hyperbolicarum* argutiſſima ſunt ſenſa Martialis, qvibus elevat & contemnit vaſculum qvoddam argenteum à Paulo qvodam ſibi donatum. Recitabo integrum Epigramma & in margine fontes cujusqve propoſitionis, *Categorias*, nimirum indicabo.

De prætoritia folium mihi, Paule, corona *Similitudo à Qvãtitate.*
Mittis: & hoc phialæ nomen habere jubes.
Hâc fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum *Simil. à tenuitate.*
Pallida qvam rubri diluit unda croci.
An magis aſtuti deraſa eſt ungve miniſtri? *Simil. à tenuitate.*
Bractea de fulcro qvod reor eſſe tuo.
Illa poteſt culicem longe ſentire volantem *Ab effectis paſſivis.*
Et minimi pennâ papilionis agi.

Hhh *Exigua*

A pondere & motu.

Exigua volitat ſuſpenſa vapore lucerna
Et leviter fuſa rumpitur icta mero.

Simil. à tenuitate.

Hoc linitur ſputo Jani Caryota Calendis
Qvam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

Simil. à tenuitate.

Lenta minus gracili creſcunt colocaſia filo
Plena magis nimio lilia ſole cadunt.

Simil. à tenuitate.

Nec vaga tam tenui diſcurſat aranea tela
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.

Simil. à tenuitate.

Craſior in facie vetulæ ſtat creta fabullæ
Craſſior offenſa bulla tumeſcit aqva.

Simil. à tenuitate.

Fortior & tortos ſervat veſica capillos
Et mutat Latias ſpuma Batava comas.

Simil. à tenuitate.

Hac cute Ledæo veſtitur pullus in ovo
Talia lunata ſplenia fronte ſedent.

Simil. à tenuitate.

Qvid tibi cum phiala ligulam cum mittere poſſis?
Mittere cum poſſis vel cochleare mihi?

Siml. à qvantitate.

Magna nimis loqvimur: cochlcam cum mittere poſſis,
Deniq; cum poſſis mittere, Paule, nihil.

Has argutas propoſitiones utut inter ſe diverſæ videantur, videmus tamen fere omnes à Categoria *relationis*, qvæ *in rerum tenuium ſimilitudine* verſatur ductas eſſe, qvæ in infinitum augeri ac multiplicari poſſent, cum à Categoria iſta nonniſi in duobus diſtichis diſceſſerit. Sed non parum ingenioſiores reperies ejusdem *hyperbolas imminuentes*, in prædiolum ab amico avare liberali ſibi donatum & exprobrando nimis care venditum. In qvo pariter ad marginem Categoricam rationem, unde ductæ ſint hyperbolæ, oſtendam. Etſi enim omnes ad MENSURAM QVANTITATIS, qvam qvantum poteſt

poteſt, extenuare nititur, revocentur: formulæ tamen extenuantes à diverſis Categoriis profectæ ſunt. THEMA.

Donaſti Lupe rus ſub urbe nobis *Menſura à relatione loci.*
Sed rus eſt mihi majus in feneſtra. *Menſura à parte.*
Rus hoc dicere, rus potes vocare? *Menſura à ſitu.*
In qvo ruta facit nemus Dianæ, *Menſura à paſſione.*
Argutæ tegit ala qvod cicadæ, *Menſura ab habitu.*
Qvod formica die comedit uno. *Menſura à qvantitate.*
Clauſæ cui folium roſæ corona eſt. *Menſura à ſitu.*
In qvo non magis invenitur herba *Menſura à loco.*
Qvam coſti folium piperve crudum. *Menſura ab actione.*
In qvo nec cucumis jacere rectus *Menſura ab efficiente.*
Nec ſerpens habitare tota poſſit, *Menſura à ſitu partium.*
Erucam male paſcit hortus unam, *Menſura à paſione. Et relat. contrar.*
Conſumto moritur culex ſalicto, *Menſur. à Part.*
Et talpa eſt mihi foſſor atqve arator, *Menſura à loco.*
Non Boletus hiare, non mariſcæ *Menſura à loco.*
Ridere, aut violæ patere poſſunt.
Fines mus populatur & calamo
Tanqvam ſus Calidonius timetur.
Et ſub lata volantis ungue prognes
In nido ſeges eſt hirundinino.
Vix implet cochleam peracta meſſis
Et muſtum nuce condimus picata.
Erraſti, lupe, litera ſed una.

Concluſio ab æqvivoco.

Nam qvo tempore PRÆDIUM dediſti
Mallem tu mihi PRANDIUM dediſſes.

Ex qvibus intelligis totum *indicem Categoricum propoſitiones metaphoricas & hyperbolicas* ſubminiſtrare, cum perſpicuum ſit illas omnes eſſe poëtarum mendacia qvas vocamus *hyperbolas.*

(207.) Ar. 3. Rhet c. 11. Sunt autē probata qvoqve ſuperlationes.

Ab hoc GENERE naſcitur ſuperbiſſimus *ingenii partus* qvi mirabiles populi plauſus provocat. Sunt hæ CONCLUSIONES HYPERBOLICÆ & INCREDIBILES, qvas (207.) autor vocat SUPERLATIONES, qvæ periodis, Epigrammatis, magnificis inſcriptionibus adjectæ, ſententiam repræſentatione maximi *objecti* reddunt admirabilem. Talia objecta ſunt *Deus, natura mundus, Æternitas, fatum, fama, fortuna, victoria, triumphus imperium*, res impoſſibiles & ejusmodi plura qvæ indicavimus, cum de verbis illuſtribus ageremus. Qvalia enim verba auris accipit, talis ſententia in mente concipitur. Et ſi vero hæc figura ſit propria qvædam poëtarum merx, qvi ab (208.) autore noſtro liberum ejus commercium impetrarunt, ut ſcripta illorum fierent admirabiliora: nihilominus Oratores qvoqve & inprimis Declamatores ac Panegyriſtæ, qvi apertius oſtentant ingenium, his qvoqve ſuo loco utuntur, tam ut ingenia ſomnolenta aculeo qvodam excitent, qvam ut ſententiam ſupra opinionem ac credibile evehant atqve adeo audacis & arguti mendacii qvod non creditur & probatur admiratione (209.) ſvavitatem conſeqvantur.

(208) Ar. Poët. c. 22. Mirandū maxime huic convenit.

(209.) Ar. ibid. Cæterum mirari ipſum per ſe eſſe gratum argumento ſit, qvod omnes hujusmodi aliqvod dum nunciant, veluti dictu ri in gratiam exaggerant.

Sic à rebus DIVINIS *Latinus Pacatus* Theodoſium ſuum extulit: *Cedat terra Cretenſis parvi Jovis gloriata cunabulis & geminis Delos raptata Numinibus & alumno Hercule nobiles Thebæ: fidem conſtare neſcias auditis:* DEUM DEDIT HISPANIA QVEM VIDEMUS. Et Senecio ille declamator qvi cum perticam æqvaret ſtatura, ſenſa ſua ejusmodi hyperbolis magis adhuc augere ſtudens, dicebatur *Senecio Grandio*, in ſvaſoria trecentorum Spartanorum Xerxi ſe opponentium pedibus in digitos erectis magna voce efflavit hanc periodum: *Ille qvi claſſibus ſuis maria ſurripuit, qvi terras circumſcripſit, dilatavit profundum, novam rerum naturæ faciem imperavit, ponat ſane contra cœlum aſtra.* COMMILITONES HABEO

Digitized by Google

HABEO DEOS. Sic Albutius poſtqvam crimen mulieris, qvæ piratam occiderat, exaggeraſſet, concludit: *Hoc factum ejus ne lateret,* DIIS IMMORTALIBUS CURÆ FUIT. Et hujus generis qvoqve eſt hyperbolica adulatio Martialis, qvi poſtqvam diſtinčte enumeraverat magnificas ſtructuras Diis à Domitiano ſuo dedicatas ſic infert:

Exſpectes & ſuſtineas Auguſte neceſſe eſt
Nam tibi qvod ſolvat NON HABET ARCA JOVIS.

Sed præ cæteris ſuperbiſſima & vere æqvalis rei clauſula eſt Sanazarii in laudem nunqvam ſatis laudatarum Venetiarum, poſtqvam illas Romæ comparaverat:

Illam homines dices, HANC POSUISSE DEOS.

Idem præſtant hyperbolæ repræſentantes NATURAM COMMUNEM qvæ vulgò pro maxima & ſenſibili divinitate habetur. Sic Claudianus poſtqvam magnifice deſcripſerat natale Phœnicis funus in rogo cunas invenientis, tandem ſubjicit. NATURA LABORAT ÆTERNAM NE PERDAT AVEM. Et Portius Latro in Controverſia de tyrannicida *magnis ſceleribus* JURA NATURÆ INTEREUNT. Et Fabianus Orator in ſvaſoria Alexandri deliberantis, utrum Oceano ſe credat: *Immanes propone tibi belluas, aſpice, qvibus procellis fluctibusq́ ſæviat, qvas ad littora undas agat:* NATURA PENITUS RECESSIT.

Nec minor granditas naſcitur ex MUNDI notione. Claudianus laudes Senatus Romani hyperbole concluſit:

Hoc ego Concilio COLLECTUM METIOR ORBEM.

Qvo non altius potuit evehi ſententia. Et Senianus expeditiones Xerxis exaggerans: *Terras armis obſidet, cœlum ſagittis, maria, vinculis, Lacones niſi ſuccurritis* MUNDUS CAPTUS EST. Et Pompejus Silo in laudata modo ſvaſoria ad Alexandrum: *Venit ille dies exoptatus Alexander qvo tibi operæ pretium eſt adeſſe:* IIDEM SUNT TERMINI, REGNI TUI ET MUNDI. Sed valde Tragica & arguta eſt illa hyperbole

Digitized by Google

pauperis in divitem, qvi arborem ipſius exuſſerat: *Arbor illa erat mihi meum rus, meum nemus, mea Roma, TOTUM MIHI MUNDUM INCENDISTI.*

Idem de ÆTERNITATE ſentiendum, qvæ ut infinita eſt, ſic infinite qvoqve ſententiam extollit. Aſprenas in ſvaſoria Ciceronis deliberantis utrum Philippicas ſuas comburat vitæ ab hoſte impetrandæ gratia: *Si ſcripta combuſſeris paucos tibi annos promittit Antonius, ſi non combuſſeris Populus Romanus promittit ÆTERNITATEM.* Et in eodem argumento Arellius Fuſcus: *Qvam diu humanum genus incolume manſerit, qvamdiu literis honor, eloqventia pretium erit, qvamdiu Reipubl. noſtra fortuna ſteterit, admirabile poſteris tuum vigebit ingenium & uno proſcriptus ſeculo* PROSCRIBES ANTONIUM OMNIBUS. A FATO. Panegyriſtes Conſtantini: *Ipſe denique qvi pater illius credebatur diſciſſam ab humeris purpuram detrahere conatus ſenſerat in illud dedecus SUA FATA TRANSIISSE.*

A FORTUNA. Albutius in ſvaſoria Alexandri: *Terra qvoqve finem ſuum habent, & ipſius mundi aliqvis occaſus eſt: modum magnitudini facere debes CUM FORTUNA NON FACIT.* Et Latinus Pacatus: *Bis conflixi cum hoſte, bis vici:* QVID TIBI DEBEMUS FORTUNA, QVAM FECIMUS?

A VICTORIA. Nazarius in Panegyrico Conſtantini: *Nondum ſatis tempeſtivo mari, adfuerunt tamen navigantibus felices auræ, & fluctus ſecundi*: BEATISSIMAM VICTORIAM IPSA ETIAM ELEMENTA JUVERUNT. Atqve ita perſeqvi cæteras qvas indicavi res magnas, grandibusq; hyperbolis i. e. argutis Homeri mendaciis (210.) ab(210.)autore noſtro celebratis, qvod vi argutiarum incredibile reddant credibile, periodum conſtringere poteris. Hac igitur licentia excuſabuntur formulæ iſtæ inſcriptionū hyperbolicæ qvæ alias viderentur abſurdæ: *Divinus fratribus ac ſemper auguſtis, æterno Imperatori Domino orbis terrarum, de omni hominum genere meritiſſimo, devotus Numini majeſtatiq; ejus, natura univerſa amori, beatiſſimo fortunatiſſimoq; principi.*

(210.) Ar. Poët. c. 22. Homerus verò præcipuè alios docuit, qvo pacto mendacium ipſum dici oporteret.

Hinc etiam naſcuntur hyperbolæ Thraſonum, ut diximus, qvibus etiam tyranni inſolentes non abſtinuerunt; ut Lyſimachus Paſi-

dì

di Byzantinorum Legato: *Nunc Byzantini ad me veniunt, poſtquam mea lancea cœlum attigit.* Qvod non concoqvens Paſides comitibus dixit: *Abeamus hinc ne iſte lancea ſua cœlum perrumpens nos obruat.* Et Appio Polyhiſtor gloriabatur *ſe immortalitatem illis conferre, qvos in libris ſuis nominaret.* Unde Tiberius illum appellavit *Cymbalum mundi.* Magnifica qvoqve eſt hyperbole Sapphus in laudem bellatoris cujusdam: *Attollite portas veſtras, magnus Mars hodie ſubibit illas.* Qvam forte imitatus eſt Craſſus irridens arrogantiam Memmii: *Ita ſibi ipſum magnum videri Memmium, ut in forum deſcendens caput ad fornicem Fabii demitteret.*

METAPHORA SEXTA
LACONISMI.
CAP. XIV.

Venio ad LACONISMUM ſextam metaphorarum ſcaturiginem, qvæ, ut (211.) autor noſter loqvitur, in eo poſita eſt, ut plus ſignificet qvam dicat, & poſt eum Romanus Orator: *ſignificatio ſæpe erit major, qvam oratio.* Sed de hoc GENERE, qvod natura ſua brevitatem amat, brevis etiam erit mea præceptio: cum qvod recordari poteris eorum, qvæ *fontes argutiarum* inqvirens de Laconiſmo dixi, tum qvod LACONISMO illæ ipſe inſerviant Categoriæ, qvæ metaphoræ ATTRIBUTIONIS, cum utriusqve ſcopus ſit *à circumſtantiis conjunctis ſignificationem mutuari ſententia.* Differunt tamen in hoc, qvod *metaphora attributionis* præcipuè reſpicit ſignificationem elegantem; *Laconiſmus* ſignificationem callidam & occultam, qvæ ſicuti majoris eſt ingenii, ſic majorem parit voluptatem. Unde *Laconiſmus* figura eſt præter cæteras minis ſatyrisqve accommodata, cum (ut jam dictum eſt) altius vulnus inferat dictum obtectum, qvam injuria aperta.

(211.) Ar. 3. Rhet. c. 11. dicta etiam commoda ex eo quod non dicitur urbana ſunt.

Utimur vero figura iſta Laconica duobus modis: vel *propoſitionem perfectam alia perfecta ſed occulta ſignificantes*, vel *perfectam pro-*

poſiti-

poſitionem brevitate qvadam innuentes qvæ eò erit acutior qvo erit brevior. Prioris exemplum eſt ſalſum illud dictum ſæpius laudatum: *Tace tu cujus Pater cubito ſe emungebat: pro, noli te adeo jactare cujus pater fuit ſalſamentarius.* Ubi vides urbanitatem hujus dicterii non proficiſci à *perſpicua turpitudine:* hæc enim non riſum ſed indignationem moveret: nec à *brevitate*, eſt enim *propoſitio ſignificans* æqvè perfecta ac *ſignificata*, ſed à ſignificatione tecta & peregrina qvæ à *circumſtantia accidentaria* jocum urbanum reddit & ingenioſum. Sic alterius cujusdam faſtus repreſſus fuit hoc dicto: *Eſt cur me diſpicias tu, cujus pater ſublimis obierit* pro *ſuſpendio periit.* Ubi propoſitio ſignificata tegitur *circumſtantia qvadam à Categoria SITUS* deducta. Unde turpitudo tua non eſt turpis ſed urbana & ingenioſa, & qvæ aperta horrorem injiceret, tecta riſum movet: cum riſus urbanus naſcatur ex animadverſione rei ſordidæ ſine ſorditie, mordacis ſine ſcurrilitate. Qvod ſi eandem propoſitionem exercitii cauſa per omnes CATEGORIAS velis ducere & unam qvamqve hujus Laconiſmi ſpeciem diſtincte cognoſcere:

A QVANTITATE poſſes dicere: *major mortuus eſt qvam vixit*, extenſum enim ipſi eſt collum. *In morte ejus magnus fuit hominum concurſus. A FIGURA: Torvo vultu mortem aſpectavit, longam ex ſe literam fecit*, nimirum JOTA qvæ uno nodo adſtricta eſt τῷ Π, *pedibus ad humeros adductis mortuus eſt ut cancer.*

A QVALITATE: Mors ejus ſuſpicienda fuit & exemplaris: colore violarum mortuus eſt.

A RELATIONIBUS: Mortuus eſt ut papaver, videlicet capite demiſſo. *Mortuus eſt ut fructus maturus* qvi de planta pendet. *Mortuus eſt ut hamus piſcatoris* qvi pendet à virgula.

A CAUSIS: *Gula malo deceſſit. Ob publicam cauſam eſt mortuus. Herba ſicca mortem ipſi attulit,* i, e. Canabis. *Exſpiravit qvod non poſſet reſpirare. Mortuus eſt ut Ariſtoteles, qvia non potuit nodum difficilem ſolvere.*

Ab ACTIONIBUS & PASSIONIBUS: *Scalas ſubeundo mortuus eſt. Cum ventis dimicans exſtinctus eſt. Calcibus ventum petiit. Malus iſte luctator fuit, qvi manus conferens inferior fuit. Magnus fuit auceps, qvi etiam mortuus aves eſca allicit.*

Digitized by Google

tit. Huic parca non diſſecuit filum, qvin potius globum convolvit. Adeo beneficus eſt ut corvos paſcat. Multa pertulit juſtitiæ cauſa. Cantum compoſuit duarum vocum, ipſe infimam alter ſupremam cecinit. Mors cepit *ipſum laqveis ut gruem.*

A SITU *Solus hic non moritur jacens. Erectus moritur ut alter Veſpaſianus. Reliqvis ſublimior deceſſit. Moriens populum omnem ſub pedibus vidit. Vita ejus de filo ſuſpenſa cernebatur. Caput foramini inſeruit, unde illud retrahere non poterat,* ut vulpes Æſopia. *Vitam reliqvit ſub trabe: triumphans deceſſit ſub arcu ligneo: inſolubiliter juſtitia alligatus erat.*

A LOCO: *Libero campo mortuus eſt, in decima ſexta Græcorum litera exſtinctus eſt* hæc enim habet figuram patibuli, *nec in cœlo nec in terra moriebatur, ecſtaticus è terra ſublatus deceſſit, in regno Æoli in loco ſublimi eſt mortuus.*

A MOTU: Ipſe morti obviam profectus eſt, ſine alis volavit, in aere ambulavit, decidit qvia nimis alte adſcenderat. Calces mundo oſtendit, funi in cœlum ſe ſuſtulit.

A TEMPORE: Ante qvam moreretur, campana ſonuerunt. Huic funus eſt ductum, prius qvam decederet. Cum ipſe moriebatur, claudebantur omnes tabernæ. Agiliſſimus erat ſaltator, qui etiam moriens ſaltavit.

Ab HABITU & INSTRUMENTIS. *Mortuus eſt eqves veſticula alba, Torqvatus fuit, gladio cannabino occiſus eſt. Pulchra erat gemma in annulo. Cymbalum factus eſt monochordum. Organon Muſicum qvod pedibus pulſatur.*

Atqve ita per otium & jocum argutiores etiam excogitare potes, obſervans interim multos ex hiſce *Laconiſmis* aliis figuris permixtos eſſe, præcipuè *homonymia & metaphora ſimilitudinis*, cujus generis ſunt qvædam facetiæ à Cæſare, ubi de jocis agit, exempli cauſa prolatæ, qvanqvam non ad propriam ſedem illas revocet. Veluti iſta Neronis: *Solus eſt cui domi nihil ſit nec obſignatum nec clauſum;* h. e. iſte eſt fur. It. illa Cæciliani ad ſervum qverentem, qvod uxor de ficu ſe ſuſpenderat: *Da mihi ex hac arbore qvos feram ſurculos,* innuens:

ens: *Vellem ut uxor mea ſe ſuſpenderet.* Ubi vides cum Laconiſmo conjunctam eſſe figuram *patheticam*, qvæ gratiam illi & leporem conciliat, veluti iſta alterius Cæciliani cui Prætor rudem advocatum dederat: ***Qvæſo adverſario meo da iſtum patronum***, deinde ***mihi neminem dederis i. e. hic adeo male adverſario meo conſulet, ut nullo ſim opus habiturus patrono.*** Theocritus timens ne ab Antigono occideretur, cum amici dicerent: *Ignoſcet ubi ante ipſius oculos veneris* reſpondit: ERGO NULLA SPES: Injurioſe exprobrans qvod Rex eſſet monoculus, atq; adeo id dicere videbatur: *Si tunc mihi demum ignoſcet cum ante oculos ejus venero, nunqvam mihi ignoſcet, neq; enim habet niſi unum oculum.* Laconiſmus ductus à Categoria *numeri*, qvi adeo pupugit Antigonum ut cum juraſſet ſe veniam ipſi daturum hac de cauſa eum occideret. Sed Theocritus maluit animam evomere qvam bonum dictum deglutire. Adoleſcens qvidam ex provincia Julio Cæſari mortuo mire ſimilis à Cæſare Auguſto rogatus: *Dic mihi adoleſcens fuit aliqvando mater tua Romæ?* reſpondit: *nunqvam mater, ſæpe pater.* Certe Auguſtus nihil lucrabatur, cum enim *Laconiſmo* à Categoria *relationis* ducto ipſum inſimulare vellet adulterini ortus, ipſe ejus rei inſimulatus eſt. Ex eadem Categoria Diogenes puerum illum repreſſit, qvi lapides in turbam jaciebat: *Cave ne patrem ferias* i. e. *deſine publico ſcorto prognate.* A Categoria *habere* argutus fuit morſus Martialis in eum qvi ex viliſſimo liberto factus erat eqves Romanus, in digitis geſtans maximum annulum aureum:

Annulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus.

i. e. *memineris te paulo ante eum fuiſſe cui compedes conveniebant.* Atqve ita apparet omnia dicta Laconica à Categoriarum aliqva gratiam ſuam acqvirere.

Sed acutior eſt atqve ideo ſuavior altera Laconiſmi ratio, qvæ in BREVITATE eſt poſita, propoſitionem ſignificantem ita abrumpens, ut ingenio tuo, qvæ non audis, ſuppleas. Et hæc eſt illa figura cujus finibus omnem artem FACETIARUM concluſit (212.) autor noſter, cum Alexandrum docens Rhetoricam nondum tantus eſſet Rhetor, qvantus poſtea æmulatione Iſocratis evaſit. *Facete di-*

(212.) *Ar. Rh. ad Alexand. c. 21.*

cendi

cendi locus eſt, ſi commentationes medias dixerimus, ut qvod reliqvum eſt auditores ipſi comprehendant.

Et hoc eſt illud genus argutiarum, qvod ex ARCHETYPO & VOCE mixtum eſſe ſupra diximus, Laconibus admodum familiare, unde nomen accepit. De qvo cum antea agerem exemplum attuli literas illorum Philippo Regi ſcriptas duarum modo vocum: DIONYSIUS CORINTHI, ſententia adeo abrupta, ut ſine longo verborum tractu & prolixa mentis ratiocinatione explicari neqveat. Hinc ſubjicit (213.) noſter autor Laconiſmum illum eſſe magis ingenioſum qvi unico breviſſimoqve verbo ſententiam omnem complectitur. Magis itaqve Laconica fuit altera epiſtola, quam iidem Lacedæmonii Romanis miſerant reſpondentes illorum prolixis literis minarum & poſtulationum plenis hac vocula: NIHIL. Qvantum hoc uno nihilo dixerunt iſti! *Horum omnium qvæ imperatis, faciemus NIHIL. Penna veſtra ſtrepitus nos exterret NIHIL. Roma omnis Sparta ſit NIHILI. Tantus iſte faſtus nullum aliud meretur reſponſum qvam breve hoc NIHIL.* Credibile eſt Romanæ ſuperbiæ ægrius accidiſſe illud NIHIL, qvam omnes gladios & haſtas Spartanorum. Nec minus argutæ erant ipſorum fœminæ: veluti iſta, qvæ res fortiter à filio geſtas narrari audiens reſpondit: MEUS ERAT. Item illa, qvæ filio ſcutum tradens: AUT CUM HOC AUT IN HOC. Ubi vides dictum hoc ita mutilum ingenioſius eſſe & argutius, qvam ſi integra eſſet propoſitio. Sed ſæpius Laconicæ huic brevitati non ſine gratia alia qvædam accedit figura, veluti morſus ille ARtagoræ in Bœotos, qvi verſibus ipſius in theatro recitatis non applaudebant: ESTIS BOEOTI. Id dicens: *Non mirum vos Poëſi mea non capi, qvi habetis aures BOUM. Bœotia* enim Græcis ſignificat *regionem boum.* Hic igitur *Laconiſmo* conjunctam vides *homonymiam.* Tale qvoqve eſt dicterium hoc Diogenis qvi rogatus à juvene Arcadico literato qvidem ſed glorioſulo, *qvalis ipſi videretur?* reſpondit: *ARCAS.* Tacite ſignificans *illum ſibi videri magnum aſinum.*

(213.) Ar. ib. Oportet totum negotium unico vocabulo complectatur. Et hoc maximè quod in ipſa re breviſſimum inſit.

Ex hoc vero genere, ut antea dixi, optima naſcuntur dicta *ſymbolorum* qvæ ſola indicant propoſitionem ſignificantem aut verſum poëtæ, ut: SIC VOS NON VOBIS. Item proverbia omnia, qvæ ſententiam non abſolvunt ut: CARPATHII LEPOREM. Item celebres illæ ſententiæ, qvæ ſtricturam tantum lucis

emittunt & omnes iſti Laconiſmi argutiores ſunt libentiusqve audiuntur qvi cum homonymia copulantur. Hoc modo cum qvidam feſtivi ingenii glorioſum qvendam, qvi utebatur maximo pari calcarium, à turba irrideri cerneret, pronuntiavit hoc hemiſtichium: *Immenſum gloria calcar habet.* Et alius puellam cernens ſubfuſca facie & capillo odorato pulvere adſperſo dixit: *Pulvis & umbra ſumus.* Cujusmodi applicationes non nunqvam fiunt negativè, ut in Comœdum qvendam qvi cuticulam plus æqvo curabat, dictum fuit: *Hic non indiget eo documento* CURA TE IPSUM.

Huc qvoqve ſpectant delicatæ illæ pungenteſqve dialogorum altercationes, qvæ duobus verbis profundam ſententiam involvunt aut rem geſtam reſpiciunt, ut ſupra demonſtravi exemplis Senecæ Tragici, cui in hoc genere nemo par eſt aut ſuperior. Veluti: Hos SCYROS ANIMOS? SCELERE QVÆ FRATRUM VACAT. Qvibus adjicere potes hoc ex Tragœdia Hippolyti, ubi nutrix ut inceſtam in noverca flammam exſtingveret: FERUS EST inqvit, i. e. *filius eſt fera Amazonis, nec alio qvam ferarum amore ducitur.* Iſta reſpondet: AMORE DIDICIMUS VINCI FEROS i. e. ipſe ejus pater Theſeus, qvi adeo mulieres oderat, ab amore ſuperatus tandem fuit. Et nutrice regerente: FUGIET i. e. *fugiet te ut pater ejus Ariadnam fugit.* Iſta: PER IPSA MARIA SI FUGIAT SEQVAR. i. e. *Si Ariadna non auſa eſt ſe mari committere ut Theſeum aſſeqveretur, ipſa hoc audebo.* Et cum nutrix ſubjiceret: *PATRIS MEMENTO i. e. memento Minoa patrem tuum rigidum eſſe inferorum judicem.* Reſpondit impia: *MEMINIMUS MATRIS SIMUL i. e. Magis exemplo mihi erit mater Paſiphaë, qvod ſi enim privignum amo, iſta taurum amavit.* Et cum vetula ex reditu Theſei ab inferis ipſi metum incuteret: ADERIT MARITUS: reſpondit: NEMPE PIRITHOI COMES i. e. *tantum reditum ipſius timeo qvantum Pirithoi, qvi cum eo deſcendit unde negant redire qvenqvam.* Et nutrice perſeqvente: ADERITQVE GENITOR, i. e. ſaltem pater Minos tibi timendus erit. Reſpondit Phædra: MITIS ARIADNÆ PATER i. e. *ſi ipſe ſororis mea Ariadna inceſtum ferre potuit, nec meo iraſcetur.* Ubi vides argutias iſtas id habere proprium, ut veſtigio qvodam (ut antea dixi) excitent multarum rerum qvibus alluditur memoriam. Atqve leviſſimo ſigno in animum revocent res vel jucundas vel moleſtas, vel turpes vel honorificas. Sic aſtutus Cicero in Clodium invectus ſæpe nominat

Digitized by Google

nominat *templa*, *pulvinaria*, *ceremonias ſacras*, ut ſacrilegii iſtius recordarentur Auditores. Sic Hermias, qvem Eunuchum eſſe pudebat, qvandocunqve ferri aut novaculæ fiebat mentio, corporis ſui vitium ſibi exprobari credebat. Et Tiberius vehementer ſuccenſuit Zenoni Oratori Græco, qvod cum qvæſiviſſet ex eo, qva dialecto uteretur, atqve is DORICA, reſpondiſſet, exilium qvod Rhodi egerat, ubi Dorice loqvebantur, ſibi objici crederet. Nam qvo qvisqve eſt ingenioſior, eo magis eſt ſuſpicax, faciliusqve ad ſe refert omnia.

Deniqve huc referuntur INTERPRETATIONES INGENIOSÆ verborum aut literarum notarumqve: veluti ſupra memoratæ literæ S. P. Q. R. qvas argutiores reddidit varia interpretatio, qvam propria ipſarum ſignificatio. Sibylla enim duxit inde præſagium Romam aliqvando caput Eccleſiæ futuram dum illas ſic interpretatur: *Serva Populum Qvem Redemiſti.* Beda inde præſagivit ſtragem Gothorum, imperium Romanum invadentium: *Stultus Populus Qværit Romam.* Proteſtantes Germaniæ ſymbolum inde in Pontificem exſculpſerunt: *Sublato Papa Qvietum Regnum*: & contra Catholici in illis invenerunt ſymbolum pro Pontifice: *Salus Papæ Qvies Romæ*: ſicuti revera nunqvam Roma tranqvilla fuit, niſi Pontificibus imperantibus. Sed progrediamur.

(214.) Ar. Eſt autem ſvavis hujusmodi dictio vel qvoniam contraria patent apertè multo magis cum ad ſe ipſa brevi referuntur vel qvoniam oratio ſylogismo ſimilis videtur.

METAPHORA SEPTIMA OPPOSITIONIS.

CAP. XV.

VEnio ad ſeptimum *genus* metaphoræ, qvam OPPOSITIONEM vocamus, argutiam præ omnibus aliis ingenioſam, qvæ & animos Auditorum vehementer excitat, & orationem omnem ſplendidiſſime illuſtrat. Hæc enim contrariis juxta ſe poſitis (ut (214.) autor noſter inqvit) per ſe ſola & continuæ orationi lumen & periodis concinnitatem, & Epigrammatis acumen & inſcriptionibus gratiam & facetiis ſalem & Enthymematis vim afferre poteſt, ita ut in gravi qvoqve & ſublimi di-

Digitized by Google

ctione, unde aliæ metaphoræ tanqvam leviores jubentur exulare, gravitatem cum ſvavitate mirabiliter copulet. Unde hæc ſola à Satyrico vocatur FIGURA DOCTA.

- - - qvi crimina raſis
Librat in antithetis, DOCTAS potuiſſe FIGURAS
Laudatur &c.

Qvin vaniſſimæ atqve ineptiſſimæ ſententiæ hac figura veſtitæ, miracula qvædam videntur. Talia ferè erant Græcorum illa acumina, qvæ ut Seneca loqvitur, pungebant non vulnerabant. Hinc Triarius magnus ille declamator, cum periodum joco clauſiſſet hoc dicto: *ET INTER SEPULCHRA, MONUMENTA SUNT,* audito auditorum plauſu riſit, & oſtendit nihil ſolidi ineſſe huic clauſulæ, qvæ præter ſynonyma nihil contineat. Sola itaqve vis *oppoſitionis* auditorum ingenia ita deceperat, ut ignis fatuus ipſis ſtella videretur. Imo hæc ipſa figura philoſophos qvoqve decipit. Nam, ut (125.) autor noſter obſervat, falſum & ſtultum Enthymema *antithetis* concluſum mirifice Auditorum mentes perturbat, ut Elenchus videatur. Eademqve fraude lepidum qvoddam ingenium induxit ſocium, ut in pernitioſum ſibi contractum deſcenderet: *Volo omnia tua mea ſint, & ſint mea omnia tua.* Sed qvoniam in hac figura concurrunt duæ aliæ, HARMONICA videlicet & INGENIOSA: iſta qvidem, qvatenus verborum ſtructura blanditur auribus, hæc qvatenus mentem ſententiarum oppoſitu illuſtrat, cum de priori qvantum ſatis ſupra actum, ejusqve intimæ rationes, *tabulis metricis* declaratæ ſint, ſupereſt ut de hac diſſeramus, & ſcaturiginem ſententiarum oppoſitarum per ſingulas *Categorias* aperiamus.

(215.) *Ar. 2.Rh.c.25. quod in Enthymematibus, convolutum atq; per enthymemata dictum eſt id videtur enthymema.*

A SUBSTANTIA ſunt iſta Virgilii oppoſita: *mulcentem TIGRES & agentem in carmina QVERCUS.* Et: *audetq; VIRIS concurrere* VIRGO. Et ab hac Categoria gratiam acqvirit illud ſupra laudatum epigramma: *Illam HOMINES dices hanc poſuiſſe DEOS.* Et à ſubſtantiis metaphyſicis Terentius: *Omnes* SIBI *melius eſſe malunt qvam* ALTERI. Cicero ad Milonem: Tu ME *in patriam revocare potuiſti*, EGO TE *in patria retinere non potero?*

A QVAN-

Digitized by Google

A QVANTITATE. Terentius: *pro peccato* MAGNO PARUM *ſupplicii ſatis eſt.* Seneca in ſvaſoriis: *Alexander orbi* MAGNUS *eſt*, *Alexandro orbis* ANGUSTUS. *A qvantitate numerica*: Ovidius: *Qvam meruit pœnam SOLUS*, *digeſſit in* OMNES. Ovidius de Argo occiſo: CENTUMqve *oculos nox occupat UNA. A pondere.* Seneca: *Interdum* LEVIORE *incommodo* GRAVIORA *ſanata ſunt vulnera. A figura:* ACUTO *in peſſimis ingenio*, OBTUSO *in optimis.*

A QVALITATIBUS *ſenſui expoſitis.* Virgilius: ALBA *liguſtra cadunt*, *vaccinia* NIGRA *leguntur.* Et Auſonius de Scriptura: *In* ALBA *pagina* NIGRÆ *Cadmi filiæ currunt.* Ovidius: *Suntq́, oculis* TENEBRÆ *per tantum* LUMEN *obortæ.* Alceſtis apud Sophoclem: CALIDUM *in re* FRIGIDA *cor habet.* Ovidius: *Sed fuit in* TENERA *tam* DURA *ſuperbia forma. A qvalitatibus intellectualibus*, Plinius in Panegyrico: *Neqve enim ſatis amarit* BONOS *principes*, *qui* MALOS *non oderit.* Cicero: *In fuga* FOEDA *mors eſt*, *in victoria* GLORIOSA. Seneca de Cæſare: *Fuit ferendarum injuriarum* IMPATIENS, *faciendarum* CUPIDISSIMUS.

A RELATIONIBUS: Terentius: MEUS *fac ſis*, *qvando ego ſum* TUUS. Seneca: *Crimine* ALIENO *exulas*, TUO *redibis.* Idem: HOSTIS *eſt*, *quiſqvis mihi non monſtrat* HOSTEM. Claudianus: *qvi* SERVI *non eſt ſuſceptus in uſum*, *ſuſcipitur* REGNIS *& qvem privata* MINISTRUM *dedignata Domus*, MODERANTEM *ſuſtinet aula. A cauſis:* Non UT vivat *edit ſed* UT edat, *vivit.*

Ab ACTIONIBUS & PASSIONIBUS. Virgilius: *qvod qviſqve* FECIT, PATITUR. Seneca: *Nec* PATI *poſſunt*, *nec* JUVARI *deſiderant.* Tragicus: FLECTI *non poteſt*, FRANGI *poteſt.* Cicero de Cæſare & Pompeio: *Utinam ſocietatem vel nunqvam* INIVISSENT, *vel nunqvam* DIREMISSENT. Ab *actibus humanis*, Cicero: SPEREMUS *qvæ volumus*, *qvod acciderit*, FERAMUS. Idem: *Nunqvam Hannibal huic urbi tantum mali OPTAVIT*, *qvantum illi* EFFECERUNT. *A Ceremoniis*: *Non de patientia noſtra* VICTORIAM, *ſed de ſuperbia principum* TRIUMPHUM EGISTI.

A SITU & LOCO. Plinius: *ut tantum* SUPRA *cæteros*, *qvantum INFRA te cernerentur.* Terentius: *multo melius qvæ HIC fiunt*, *qvam qvæ* ILLIC *ſcio.* Seneca: HUC *vota mittam*, *tela QVO mitti haud qveunt.*

A MOTU: Ovidius: *Et ne me* FUGIENS *ventos* SEQVERERE, *rogabam.*

rogabam. Ovidius IRE *vagas qvercus & flumina STARE coëgi.* Idem: *Tempora ſic FUGIUNT pariter, pariterqve* SEQVUNTUR. Idem: *Ille* FUGIT, *per qva fuerat loca ſæpe* SECUTUS. Idem dico de *motibus animi*: Ovidius: EFFUGERE *optat opes & qva modo* FOVERAT, ODIT. Seneca: *Hunc qvem vincere infelix CUPIS, cum viceris LUGEBIS.*

A TEMPORE. Tertullianus de pavone: SEMPER *ipſe*, NUNQVAM *ipſe*. Ovidius de Invidia: *Anxia* LUCE *anxia* NOCTE *gemit.* Claudianus: SEMPERQVE *tenemus, qvod Superi meruere* SEMEL. Terentius: *Plus HODIE boni feci imprudens, qvam ſciens* ANTEA.

Ab HABITU & INSTRUMENTIS. Claudianus de Eunucho: FLABELLA *peroſi adſpirant TRABEIS.* Virgilius: Et LITUO *pugnas inſignis obibat & HASTA.* Typhœus apud Nonnium poſt pugnam Giganteam ſe oblectaturus: *Pulchrum eſt mihi FISTULAM* poſt *FULMINA ſumere.*

Ex qvibus exemplis obſervamus illa eſſe venuſtiſſima, qvæ in unam propoſitionem concludunt ANTITHETA diverſarum Categoriarum, veluti hæc: *Non ſatis amarit bonos, qvi malos non oderit.* Ubi inter BONOS & MALOS oppoſitio eſt qvalitatum animi, & inter AMARIT & ODERIT oppoſitio Actuum animi. Qvod diligentius demonſtravi in *figuris harmonicis.* Sed & hoc in iſta ſylva perſpicitur, etſi qvædam antitheta non ſint vere *contraria*, ſed, ut Logici loqvuntur, *diſparata*: gratia tamen & acumine non carere, qvoniam auris mentem decipit. Ut in iſto: *Mulcentem TIGRES & agentem in carmina QVERCUS*: ubi *tigris & qvercus* non ſunt ſubſtantiæ oppoſitæ ut *nox & dies, album & nigrum*, multo minus *mulcere & agere* verba ſunt contraria, nihilominus virtute hujus figuræ videntur oppoſita, & ſatis belle ſonant. Hinc in Italis qvoqve verſibus multi ſola hac figura gratioſiſſimi ſunt, qvi conſiderata attente ſententia putidi ſunt & inepti, veluti iſte:

Ite ſuegliando
Gli Occhi co l' Corno, e con la Voce i Cori.
i.e. Excitate oculos cornu, voce corda.

Item

Item iſte:

Che hà l'innocenza in ſen; l' Aqvila in fronte.
Qvi innocentiam in ſinu, aqvilam in fronte gerit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Item hic:

Tono co l' Gvardo, e baleno co l' Riſo.
Aſpectu tonabat & riſu fulgurabat.

Ubi etſi voces magis diſparatæ, ne dicam alienæ vix cogitari poſſunt, qvam *tonare adſpectu:* cum alterum ad *auditum*, alterum ad *viſum* pertineat: Nihilominus, qvoniam membrum iſtud eſt oppoſitum huic alteri, *riſu fulgurabat*, auribus vulgi verſus hic gemma videtur. Neqve tamen dubium eſt, qvin dicta illa ſint argutiora, qvibus præter verborum oppoſitionem ineſt qvoqve ſententiarum contrarietas, ut: *mors eſt in fuga fœda, in victoria glorioſa.* Et hoc Virgilii: *Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.* Et qvod illi, qvi judicis munus ambibat, dicebatur: *ſi malus eris, bonis eris odio; ſi bonus, malis inviſus eris.* Et creſcet argutia, cum figura qvædam ingenioſa oppoſitis immiſcetur, veluti homonymia: *Cadentem Phaëthontem POPULUS luget, Cadentem Neronem POPULUS ridet*, ubi eadem vox priori loco arborem, altero multitudinem hominum ſignificat. Aut anagramma: *Melior es* ADULATOR *qvam* LAUDATOR. Aut paronomaſia: LYÆO *ſæpe*, LYCEO *rarius delectatur.* Aut Eccho: JUVENTUS *nihil aliud eſt niſi* VENTUS. Aut qvæcunqve alia figura ingenioſa qvæ lumen auget lumine.

Hoc loco etiam meminiſſe oportet, qvæ de variis *modis harmonicis* tractandi oppoſita tradidimus, veluti paulo ante laudata MEMBRORUM PARITATE: *facta juvenum, conſilia virorum, vota ſenum.* Aut *INVERSIONE: dum cogitas agenda, non agis cogitanda.* Aut *CONJUGATIS: divites odit, divitias amat.* Aut *GEMINATIONE: dignum eſt mori, antequam ſis dignus mori.* Aut *DILEMMATE: aut experta juras, aut non experta pejeras.* Aut *AGENTIS & PATIENTIS IDENTITATE: Qui terras ignibus urit, uritur igne novo.* Aut *NEGATIONE: Sparta ibi muros habet, ubi non habet.*

Aut GRADATIONE: *Ut mater cunctas, ſic matrem filia vicit.* Et Ovidius: *Infelix ſua viſcera traxit, tractaq́, calcavit, calcataq́, rupit.* Sed de omnibus hiſce modis aliisqve FORMIS METRICIS inter figuras HARMONIÆ ſatis perſpicuè actum eſt.

Cæterum hic tibi aperiam abſtruſiſſimum & maxime arcanum eundemqve admirabilem fœcundumqve humani ingenii partum, qvi in Rhetorum ſcholis nomen nondum invenit, ab (215.) autore vero noſtro in Poëticis, ubi propria ejus ſedes, ſatis eſt agnitus, qvi ab hac figura procreatus multos alios pulcherrimos, qvi & in proſa & in ligata oratione conſpicui ſunt, generat. Hic eſt iſte, qvem Græcè vocare poſſumus ΘΑΥΜΑ i. e. *mirabilem*, qvi poſitus eſt *in repræſentatione duarum notionum*, qvæ non videntur ſimul poſſe conſiſtere, atqve adeo vehementem admirationem pariunt, ut hoc de Xerxe adeo celebratum ab autore noſtro: *Per terras navigavit, per maria pedibus inceſſit, it. Æneum vidi virum viro conglutinatum.* Et alia ſexcenta, in qvibus conjungitur aut *ajens cum negante*, aut *ajens cum ajente*, aut *negans cum negante.*

Ex AJENTIS cum NEGANTE copula eſt hoc exemplum ex 3. Rhet. (216.) cum arcus vocatur LYRA SINE FIDIBUS. Et in Poëticis (217.) ubi poculum vocatur SCUTUM NON BELLICUM ſed Bacchi. Qvæ figura ab ipſo dicitur translatio ex duobus conſtans, qvoniam continet duas voces ſibi invicem repugnantes & ænigmaticas ideoqve admirabiles. Sed ſicuti mirandus ille vir veſtigia doctrinæ ſuæ, tanqvam canibus ſagacibus ferarum veſtigia, ſolet oſtendere ut ipſi tramitem illum perſeqvamur: ſic qvæ is de *metaphora ænigmatica admirabiliq́,* innuit, nobis incumbit in qvacunqve propoſitione, qvæ ex conjunctione duarum vocum ſibi repugnantium, alterius *ajentis*, alterius *negantis*, admirationem parit, demonſtrare. Sic de ECCHO loqvens, qvæ à ſylvis & rupibus voces noſtras repetit, poſſes dicere: *Eſt anima inanimis, muta ſimul & facunda, loqvitur ſine lingva, homo non homo, voces ſine flatu edit, imago ſine figura, qvæ voces pingit in aëre ſine coloribus, generaſti eam nec filia eſt tua, audis eam nec vides, reſpondet tibi nec te audit, eſt aliqvid nihil, qvod loqvitur, neſcit lo-*

(215.) Ar. poët. c. 22. *Mirandum maximè huic convenit.*

(216.) Ar. 3. Rh. c. 11. *Nam aut ex duobus conſtat ſicut translatio per proportionem veluti cum dicimus: arcum lyrā ſine fidibus.*

(217.) Ar. Poët. c. 10. *Cum nominaverimus alienum qvippiam aliqvid ejus proprium ab eo re* ... *qvi, moventes, ut ſi qvis phialam dixerit, ſcutum non Martis ſed Bacchi.*

qvi, aut loqvitur ignara, qvæ dicat, non grace nec latinè didicit grace tamen & Latine loqvitur &c. qvæ omnes propoſitiones ſunt admirabiles, veræ tamen.

A Conjunctione AJENTIS CUM AJENTE. *Eſt aëris nympha rupes loqvens, ſcopulus animatus, flatus filia, in ſylvis habitat, & omnes lingvas loqvitur, Sibylla ſylveſtris, qva ex antris reſponſa reddit, adulatrix ſimul & contemtrix, qva ridente te ridet, flente flet, canente cantat, tibi convitiatur, ſi illam convitieris, te laudat ſi illam laudes, tamdiu vivit qvamdiu loqveris, tuo ſpiritu reſpirat, tua lingva diſſerit, tua vita vivit, unus vivit & duo loqvuntur, unus loqvitur & ſibi ipſi reſpondet. Eſt alter tu, ſi diſcedis, illa diſcedit, ſi redis, illa redit, ſi moreris, illa moritur &c.*

A conjunctione NEGANTIS CUM NEGANTE. *Nec homo eſt nec fera, nec loqvi ſcit nec tacere, nec mentiri poteſt nec verum dicere, eſt ſine ſilentio & ſine lingva, non clauſa eſt nec hoſpitio ſuô exire poteſt, non audit te nec tu vides illam, tibi tamen reſpondet & tu audis illam &c.*

Ex qvibus exemplis intelligitur tot eſſe differentias horum ADMIRABILIUM, qvot Categorias. Omnia enim ducta ſunt aut à SUBSTANTIA PHYSICA: *Homo non homo* aut à SUBSTANTIA METAPHYSICA ut: *forma informis, eſt alter tu.* Aut à QVANTITATE: *unus vivit, duo loqvuntur.* Aut à QVALITATE: *adulatrix ſimul & contemtrix.* Aut à RELATIONIBUS: *imago vocis, filia flatus,* aut ab ACTIONIBUS: *te ridente ridet, flente flet,* aut à TEMPORE: *tamdiu vivit qvamdiu loqveris.* Aut à LOCO: *Sybilla ſylveſtris ex antris reſpondens.* Aut à MOTU: *ſi diſcedis diſcedit, redis redit.* Aut ab INSTRUMENTIS: *loqvitur ſine lingva.* In multis etiam plures concurrunt Categoriæ: ut, *habitat in ſylvis & lingvas omnes loqvitur,* qvod ex LOCO & ACTIONE mixtum eſt.

Hæ ſunt FORMÆ CATEGORICÆ hujus ADMIRABILIS: nunc vero qvatuor venas recludam, qvæ his *formis* copioſam MATERIAM ſubminiſtrent. Sunt enim qvædam *admirabilia natura* qvædam *arte*, qvædam *opinione*, qvædam *fictione*.

Digitized by Google

NATURA ADMIRABILIA voco primum res *divinas*, qvæ ſunt miracula & miraculorum omnium fons. Qvot enim *propoſitiones mirabiles* omnesqve veras ex ſingulis Categoriis de *ſummo Deo* formare potes? Ex Subſtantia: *filius eſt alius, non aliud à Patre.* Ex qvantitate: *ternus & unicus, immenſus & individuus, per omnia fuſus, in ſingulis totus.* A qvalitate: *viſibilis & inviſibilis, ſine luce clariſſimus.* A relationibus: *filius patri coævus & coæqvalis, non procreatus ſed genitus.* A cauſalitate: *expers principii carensq; fine, rerum omnium principium & finis.* Ab actionibus: *unico nutu omnia molitus ex nihilo.* A loco: *ubiq; degens, nullibi circumſcriptus.* A ſitu: *ſummus & imus.* A motu: *immotus omnia movens.* A tempore: *ſemper antiqvus, ſemperq; novus.* Ab habitu: *omnia poſſidet, nullius egens.* Sic de verbo incarnato cecinit Claudianus:

- - - latuitq; ſub imo
Pectore, qvi totum late complectitur orbem.

Et de virgine matre: *Autorem paritura ſuum.*

Admirabilia pariter ſunt MONSTRA, naturæ argutiæ, ut ſupra docui. Talis eſt Satyrus, de qvo ſine metaphora Gverrinus dixit: *Semihomo, Semicapra, & totus beſtia* & Ovidius de Minotauro: *Semibovemqve virum ſemivirumqve bovem.* Qvæ ſunt propoſitiones admirabiles ſubſtantiis, & de bove marino: *Bos eſt, qvem nullus agit bubulcus, ſed aqvas arans in Oceano pabulatur.* Qvod ex ſubſtantia & loco miſtum eſt. Et de foliis illis, qvæ in Britannia, cum in aqvam ceciderunt, anates fiunt: *nova certaqve metamorphoſi caduca frondes felici lapſu animantur, & ex frondibus volucres in arbore muta, in unda vocales, cum avibus volitant, cum piſcibus natant.* Et de Hermaphrodito pariter naturæ monſtro: *Nec mas nec fœmina ſed uterq;: mas inter fœminas, fœmina inter mares, idem ſibi frater & ſoror, Vir & uxor, nec lanis aptus nec armis, utrumqve ſexum dedecorat.* Qvo referre poſſumus miras illas affinitates inter homines nonnunqvam contractas, unde naſcuntur relationes ænigmaticæ ut de Oedipo, qvi matrem uxorem duxit: *Avi gener, patriſqve rivalis fuit,*

frater

frater ſuorum liberum & fratrum parens, uno avia partu liberos peperit viro ac ſibi nepotes, monſtra quis tanta explicet? Et Ovidius de Myrrha, qvæ nuptias patris expetebat:

Tune eris & matris pellex & adultera patris?
Tune ſoror nati, genitrixq; vocabere fratris?

Sed qvantam admirabilum propoſitionum materiam afferunt qvorundam animalium ſpecies? ut Phoenix, qvæ ſe ipſam interficiens, renaſci dicitur: *Renaſcitur cum moritur, ſemper alia & ſemper eadem. Et BOMBYX: Nidum ſibi in ſepulchro fabricat, quod vermis ingreditur ex quo avis reſurgit. Et TESTUDO: qva ad perpetuos carceres à natura condemnata, ſimul & prodit inde & manet intus, peregrina & captiva, carcerem circumfert.* Et inter lapides *MAGNES, qvi ferrum rapit ſine manibus, conſtringit ſine vinculis, amat nec ſentit, amplectitur nec videt.* Et ut *motus* Categoria argutiis non careat, en flumen Mæandrum *qvi it & redit, movetur & non movetur:* Et ut Ovidius canit:

Ludit, & ambiguo lapſu refluitq; fluitqve,
Occurrensq; ſibi venturas adſpicit undas.

Ratione qvalitatis habes Ætnam, *qvi flammam alit ſub nivibus, ardet & friget uno tempore*, & ut Claudianus jocatur: *Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.* His adjice *terræ motum, turbinem, fulmen, cometas* & omnia *meteora*, qvæ uti ſunt evidentia cauſarum occultarum effecta: ſic propoſitiones ænigmaticas & mirabiles ſuppeditant, qvæ cum veræ ſint, videntur metaphoricæ.

Venio ad ARTIS admiranda. Etenim & iſta mirorum eſt & argutiſſimorum operum ingenioſa machinatrix. Tale opus eſt Navis, *qva natat ut piſcis, nec eſt piſcis, volat ut avis, nec eſt avis, in terra natat in mari ambulat, homines ſecuros fert, utut non longius qvatuor digitis à morte diſtent.* Tale eſt Horologium rotis conſtructum, *qvod ſemper currit, nec movetur, non eſt Aſtrologus & tempora demonſtrat, qvanqvam ſæpius mentiatur.*

Tales ſunt COLUMBÆ Architæ *aves ſine ſenſu, qvæ non vivunt & volant, nihil edunt nec moriuntur.* Tales ſunt LIBRI, mirabile intellectus ſimulacrum, *qvi voces edunt ſine lingua, ratione carent & ratiocinantur, nihil legunt & omnia docent.* Qvin & FORTUNA nonnunquam ſubminiſtrat materiam talium *mirabilium*, cum forte, (ut ſupra diximus) accidant ejusmodi res, qvæ à faceto qvodam ingenio videntur excogitatæ veluti qvod *pauperi* accidit, qvi cum deſperabundus de arbore ſe vellet ſuſpendere, ſub arbore theſaurum invenit, eoqve capto reliqvit laqveum. Unde dominus theſauri pro iſto laqveum reperiens, iſto laqveo ſibi gulam fregit. Hæc res per ſe mirabilis eſt propter oppoſita, ut etiam ſimpliciter narrata ſententiam ingenioſam redderet, ut in græco tetraſticho:

Qvi laqveum collo nectebat, repperit aurum
Theſauriq; loco depoſuit laqveum.
At qvi condiderat, poſtqvam non repperit aurum
Aptavit collo, qvem reperit laqveum.

Cui poſſes ſubjicere mirabilem qvandam & argutam concluſionem ut:

Sic Plutus & Pluto proprios luſere Parentes,
Namq; cliens alter qvod rogat, alter habet.

Tertiam *mirabilium* ſcaturiginem dixi eſſe OPINIONEM, cum externa ſpecie decepta mentis perceptio propoſitiones admirabiles ſed falſas ſuggerit, qvas vocare poſſumus *metaphoras materiales.* Nonne vides remum in aqva videri curvum, qvi rectus eſt? unde licet dicere: *lignum iſtud contortum eſt & non eſt contortum*, qvod eſt admirabile è decepta imaginatione natum. Unde Lucretius: *Pars horum maxima fallit, propter opinatus noſtros. &c.* Sic dum à littore procedit navis: hæc conſiſtere, illud fugere videtur. Unde Virgilius fallacem opinionem ſecutus non dixit: *navis fugit* ſed, *littora diffugiunt*, qvod eſt mirabile à Categoria motus. Sic etiam qvoniam nocturnæ exhalationes in altum evectæ, alimentum ſulphureum veloci-

Digitized by Google

velociter perſeqventes, cadentes nobis ſtellæ videntur argutè dixit: *ſvadentq́, cadentia ſidera ſomnos.* Et qvoniam iſtis qvi ad mare habitant, ſol occidens mari ſe videtur immergere, idem poëta dicturus: cur bruma Sol celerius occidat: *qvid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles hiberni.* Ratione *qvalitatis viſibilis* ſcintillantes & tremulæ imagines ſtellarum aliud in aqvis cœlum oſtendere videntur: unde Poëta: *Æqvore cœlum.* Hinc Ovidius tot argutias mirabiles invenit in Narciſſum imagine ſua in limpido fonte ſpectata deceptum:

Spectat humi poſitus geminum (ſua lumina) ſidus
Cunctaq́, miratur, qvibus eſt mirabilis ipſe,
Se cupit imprudens, & qvi probat ipſe probatur,
Dumqve petit petitur, pariterqve accendit & ardet.

Et ita de ſpeculo mirabilibus ejusmodi & ænigmaticis propoſitionibus ſcripſit Poëta Italus in hunc ſenſum: ***Novi rem qvandam meam qva non vivit & vivere videtur: cum ex adverſo conſiſtis, ſi ſcribis videbitur ſcribere, ſi canis canere videbitur, & ſi faciem ipſi obvertas, dicet tibi, qvotqvot habes corporis vitia & ſi indignatus humeros ipſi obvertis, ipſa evaneſcit vultumqve avertit.*** Sed qvot alia lepidiora ac magis admiranda oppoſita in idem argumentum excogitaret alius ingenioſior? qvin ars faceta deceptione materiam talium propoſitionum ſubminiſtrat, ut machinæ theatrorum, qvæ exhibent feras currentes, aves volantes, ſcopulos & ſylvas ad ſvavem Orphei cantum animatas. Unde Martialis de tali ſcena à Domitiano repræſentata:

Repſerunt ſcopuli, mirandaq́, ſylva cucurrit,
Qvale fuiſſe nemus creditur Heſperidum.

Affuit

Affuit immiſtum pecudum genus atq; ferarum,
Et ſupra vatem multa pependit avis.

Hinc naſcuntur argutiſſima in picturas Epigrammata. Sunt enim picturæ nihil aliud niſi artificioſæ phantaſiæ noſtræ deceptiones, unde infinita æqvivoca mirabilia & propoſitiones ænigmaticæ naſcuntur, fundatæ (ut alibi dixi) in falſa hac enuntiatione: *Fictus iſte homo eſt homo Verus.* Ejusmodi ſunt infantium apud Claudianum cogitationes, qvi militem à capite ad pedes armatum ferreum hominem credebant: *Qvænam de gente rogabant, Ferrati venere viri.* Et Lucilius in Satyris:

Ut pueri infantes credunt ſigna omnia abena
Vivere & eſſe homines. &c.

Unde pueriles de his rebus cogitationes ſunt metaphoræ materiales, non ingenii vi excogitatæ ſed in decepta phantaſia natæ, qvæ formales fiunt & argutæ metaphoræ, cum intellecto errore noſtro de induſtria ita loqvimur, ac ſi decepti eſſemus. Unde reperta vel una metaphoræ materialis vena ab iſta intellectus derivare poteſt copioſiſſimos mirabilium & argutarum propoſitionum fluvios.

Poſtrema mirabilium oppoſitorum radix eſt Fictio, qvando nec ex natura rei nec ex phantaſiæ errore ſed intellectus vi ac fertilitate in re qvadam conſtituimus metaphoram mirabilem *proportionis, attributionis, homonymiæ* aut alterius *generis.* Ex qvibus voces ſibi re-
(218.) *Ar. 3. Rhet. c. 2. ænigmatica transſlationes cõgruunt.* pugnantes copulando (218.) ænigmaticas mirabiles & ingenioſas propoſitiones pariemus. Et qvo metaphora princeps plures notiones repugnantes continet, eò obſcuriores erunt propoſitiones ſed admirabiliores. Cujusmodi exemplum ex metaphora Proportionis ſuppeditant duo ænigmata Cleobuli & Nectabi, qvibus *annus* deſcribitur. Iſte vero metaphoram præcipuam conſtituit *patrem*, hic vero *templum.* Unde ænigma Cleobuli planius eſt & facilius, Nectabi vero obſcurius & ingenioſius. Audi Cleobulum:

Eſt

Eſt unius GENITOR cujus ſunt PIGNORA
bis ſex,
His quoq; triginta NATÆ ſub diſpare forma
Aſpectu hinc niveæ, nigræ ſunt vultibus illæ
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Pater itaqve annum, *duodecim filii* menſes, *triginta filiæ* dies, *albæ nigræ* horas diei & noctis ſignificant. Apparet vero reperta una metaphora, qvæ ex Categoria *relationis* proportionem & convenientiam accepit, in iſta tanqvam fundamento totum ænigma poni, qvod nihil aliud eſt niſi continuata qvædam & perpetua allegoria. Audi nunc iſtud Nectabi:

Sublime TEMPLUM ſurgit: hoc medium
regit
Ingens COLUMNA, vertice hac ſparſo decem
Suſtentat URBES, atqve terdenas TRABES
Urbs qvæqve fulcit, ſingulas circum trabes
Geminæ PUELLÆ luſitant. Qvid ſit doce.

Sunt hæ propoſitiones vere mirabiles, ſed obſcuræ, diſparatæ & magis Chimæricæ, qvam opera pictorum ex variis rebus compoſita. Metaphora enim à ſubſtantiis artefactis ducta (219.) remotior eſt, qvam qvæ in relatione ponitur, & progreſſu orationis mutata allegoriam interrumpit. Mirabilius itaqve & magis ſibi conſentaneum eſt Itali cujusdam ænigma ejusdem ſententiæ: *Pater ſum duodecim filiorum, qvos unum poſt alterum occido dum alter poſt alterum naſcitur, fati hac lex eſt, ut poſtremus me devoret. Sed vix vita privatus ſum, cum renaſcor & novam vitam inchoo.* Hæc omnia nituntur metaphora proportionis: alia fundantur in metaphora ATTRIBUTIONIS qvæ ſententiam indicat beneficio *rei conjunctæ.* Tale eſt ænigma jam allatum: *Vidi carnem humanam oſſibus ludentem in campo ligneo.* Ubi *humana caro* pro manu, *os* pro teſſera, *ligneus campus* pro tabula aleatoria per metaphoram attributionis dicuntur, mate-

(219.) *Ar. 3. Rh. c. 11. Tranſlatio aliena difficilis eſt intellectu.*

ria accepta pro materiato. Item hoc Theodectis in umbram: *Res qvædam eſt ortu & occaſu maxima, minima dum conſiſtit.* Qvæ eſt metaphora attributionis, qvæ *qvantitatem* pro re ponit. Item hoc Pacuvii de teſtudine: *Domiportam aſperam, capite brevi, cervice anguinea, eviſceratam. &c.* Ubi pro ſubſtantia ponuntur accidentia, item hoc à Sphinge propoſitum: *animal primum quadrupes poſt bipes demum tripes*, qvi eſt homo, metaphoræ ſunt omnes attributionis, qvæ *partem pro toto* ponunt. Pariter à metaphoris HOMONYMIÆ proficiſcuntur multa admirabilia, ut ſi *canem cæleſtem* deſcribens dicas: *Canis ſum, qvi non latrat, nemo me paſcit nec morior, ſemper curro nec fatigor, nemo me videt, niſi in tenebris.* Hoc modo nulla res eſt adeo præſtans ac nobilis, qvin ut ridicula videatur poſſit effici, neqve ulla eſt tam vilis, qvin admirabilis reddi poſſit, fingendo (ut alibi indicavi) *rem inanimem* eſſe animatam, *nomen maſculinum* aut *fœmininum* ſexum eſſe maſculinum aut fœmininum, *cauſas & effecta* eſſe genitores & filios, *figuram* eſſe lineamenta, *virtutes naturales* eſſe morales, *antipathias & ſympathias* eſſe odia amores, qvemvis *locum* eſſe domum, qvod circa rem eſt, ejus eſſe *habitum, motum naturalem* eſſe inceſſum corporis animati, qvibus adjicimus aut detrahimus aliqvid, qvod tali corpori natura ineſt, voceſqve adeo oppoſitas ſibiqve repugnantes conjungimus. Sic de LUCERNA re vili & opere artis ſellulariæ poſſes dicere eſſe illam *audacem Amazona, galea ferrea, & pectore oſſeo, foris fuſcam, intus pellucidam, qva in vultu tenebras & ignem in ſinu gerat, noctu errans totoq́; die qvieſcens.* Contra de LUNA re nobiliſſima poſſes dicere, eam eſſe *beſtiam miram, nec capram nec juvencam, & habere cornua, ſæpius illa deponere, nec eſſe cervum, ſæpius renaſci & nunqvam mori, nunqvam eſſe gravidam & omnes menſes parere, videri procedere & ſemper recedere*, motu videlicet proprio, qvi primo mobili adverſatur. Sic (220.) autor noſter docet, parvas res exaggerare & magnas metaphoris extenuare, ductis illis nunc à rebus nobilioribus, nunc ab ignobilioribus, in eadem rerum claſſe poſitis, ut alibi dixi.

(220) *Ar. 3. Rh. Ad hæc cum laudare ve'is à melioribus eum vituperare, à pejoribus qva in eodem genere ſunt ducenda translatio.*

Nobiliſſimus vero iſte *ingenii fœtus*, qvem MIRABILE diximus, rurſus producit multa ingenioſiſſima eloqventiæ ornamenta, qvorum

qvorum primum eſt DEFINITIO MIRABILIS & ÆNIGMATICA, duabus vocibus ſibi repugnantibus concluſa, qvarum altera ſit veluti genus, altera differentia, interdum utraqve vox eſt finita, interdum utraqve infinita, interdum altera finita eſt altera infinita. Sic *mulier* definitur TERRÆ NAUFRAGIUM, *tempus* PRODIGUS RAPTOR, *paupertas* FELIX MISERIA, *ſpes* DULCE TORMENTUM. His definitionibus conſtat Tetraſtichon hoc de AMORE:

Lex exlex: lux atra: via invia: ſerva poteſtas:
Irreqvieta qvies: & maleſida fides.
Turpis honos: pietasq́ ferox: odioſa voluptas.
Pax diſcors: ſtatus mobilis: ægra ſalus.

In qvibus voces oppoſitæ finitæ ſunt, in his vero altera affirmans eſt altera negans: *Homo non homo*, i. e. Eunuchus, *videns non videns*, i. e. luſcus, *percuſſit non percuſſit*, i. e. tetigit tantum, *avem non avem* i. e. veſpertilionem, *lapide non lapide* i. e. pumice, ſuper *arbore non arbore* i. e. arefacta arbore.

Definitiones excipiunt PROPOSITIONES MIRABILES & ÆNIGMATICÆ, qvæ in *dicteriis* adhiberi ſolent, ut hæc Ciceronis, in Fontei accuſatorem: *Matrem habuit, qva dum vixit, ludum aperuit, poſtqvam mortua eſt magiſtros habuit.* Dictum falſiſſimum & argutiſſimum: *ludus* enim domum lenonum ſignificabat, & *Magiſtri* dicebantur præcones, qvi mortuorum bona vendebant. Ubi cumulantur tres figuræ: *mirabile*, *homonymon & Laconiſmus.* Ænigmaticum etiam eſt Plauti dictum, cum minatur ſe ſervum eò amandaturum, *ubi vivos homines mortui incurſant boves, i. e. ubi bubula flagella ſervos verberant.* Alias voco propoſitiones mirabiles etiam CONCLUSIUNCULAS ænigmaticas & oppoſitas, qvæ periodis, ut ſupra diximus, ornamenti cauſa adjiciuntur. Sicut enim in omnibus argumentis humanæ orationis multæ circumſtantiæ concurrunt: ſic non ſtupidum prorſus ingenium facile obſervare poteſt, qvænam harum ſibi adverſari videantur, qvibus copulatis ingenioſa ejusmodi antitheta exiſtent, qvæ clariſſima ſunt orationis lumina. Sic Valerius Maximus, poſtqvam narraverat Gorgiam eſſe natum, dum mater efferretur, admirabili hac ænigmatica clauſula narrationem concludit: *Itaque eodem*

momento temporis altera jam fato functa peperit, alter ante elatus quam natus eſt. Et Plinius de electione Trajani: *Paruiſti enim Cæſar & ad principatum obſeqvio perveniſti, nihilq; magis à Te ſubjecti animo factum eſt; qvam qvod imperare cœpiſti.* Et Lucius Florus de Jugurtha; *Citra ſpem omnium fortuna ceſſit, ut Rex fraude præcipuus fraude caperetur.* Et de Tiberio, qvi ardebat cupiditate habendi imperii, & tamen, ut illud acciperet diu ſe rogari patiebatur, argute dictum eſt: *Cæteri quod pollicentur, tarde præſtant, hic qvod præſtare vult, tarde pollicetur.*

Hujus generis ſunt clauſulæ Epigrammatum, qvæ pariter ænigmatica animadverſione ſententiam explicant: ut Martialis de ea, qvæ ungventa olebat: *Non bene olet, qva bene ſemper olet:* ab iſto Plauti mutuatum: *mulier recte olet, ubi nihil olet.* Sic in malum Poëtam:

Cum facias verſus nulla non luce ducentos
Vare, nihil recitas. Non ſapis atq; ſapis.

Scilicet non ſapiebat verſus ſcribens, ſapiebat illos non recitans, ne exploderetur. Simile eſt hoc de Chione, qvæ nivem ſignificat:

Frigida es & nigra es: non es & es Chione.

Et alius in prodigum qvendam nepotem, qvales multi ſunt, ſcripſit:

Care nepos: mores ſi vis tractare nepotum,
Incipis eſſe nepos, deſinis eſſe nepos.

i. e. *ſi imitaberis helluones illos & dilapidatores patrimoniorum, qvos nepotes vocamus, non te agnoſcam nepotem meum.* Ubi cum oppoſito conjungitur homonymia. In qvo genere argutiſſimum eſt diſtichon à Romanis in Neronem jactum:

Qvis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Qvin in qvibusdam Epigrammatis perpetuus cernitur *mirabilium oppoſitorum* conflictus non ſine gratia, ut in Epigrammate Italico Petrachæ cujus initium: *Pace non trovo, e non ſo chi ſa guerra &c.* qvod latinè ſic reddidi:

Nec

Digitized by Google

Nec mihi pax ulla eſt, ullus neq; militat hoſtis
Et ſpero & trepido, gelidus me ſauciat ardor,
Aſtra peto defixus humi, nil deniqve ſtringens
Immenſum cupidis cingo complexibus orbem.
Nec cohibet nec laxat iter, qvi carcere ſeptum
Me tenet, haud vinclis adigit, nec vincla reſolvit
Nec perimit nec ſanat amor: mihi perfidus annos
Demetit, atqve annis finem non deſtinat ullum.
Eloqvor elinguis, lumen ſine lumine cerno
Mors placet ac vitam rogito, ferus urgeo cæcis
Meme odiis, adamoq; feram. Mihi ſola voluptas
Eſt dolor, & miſto fundens ſuſpiria riſu.
En! inqvam, pro te, qvalis mihi vita relicta eſt.

Argutæ pariter ſunt RESPONSIONES ex *oppoſitis* ut iſta Galbæ interrogati à Libone: *quando tandem exibis tu de triclinio tuo?* Cui reſpondit: *quando tu de cubiculo alieno.* Et Ariſtippus Philoſophus Dionyſii tyranni adulator, cum pauperi Diogeni, qvi legumina abluebat, dixiſſet: *Si tu Dionyſio adulareris, iſta non ederes.* Reſpondit Diogenes: *Si tu iſta ederes, Dionyſio non adulareris.* Idem Ariſtippus cum reprehenderetur ob conſvetudinem famoſæ Laidis, reſpondit: *Laidem habeo ſed non habeor.* Servus à Zenone ob furtum verberatus clamabât: *Fatum fuit, ut furarer*, & Zeno reſpondebat: *Fatum eſt, ut te plectam.* Cum enim Zeno omnia ad fatum referret, eodem argumento & ſervus culpam & herus pœnam tuebatur. Simonides interrogatus, cur ita avarus eſſet, cum tam parum vitæ ipſi ſupereſſet, reſpondit: *Malo mortuus inimicos ditare, quam vivus amicis egere.* Hinc naſcuntur qvoqve *arguti* illi *Paralogiſmi*, qvos Favorinus vocat *Antiſtropha:* veluti iſtud, qvo Bias juveni diſſvaſit, ne uxorem duceret: *Si deformem capis, tibi diſplicebit; ſin pulchram, aliis placebit.*

placebit. Qvod ita invertit juvenis: *imo ſi pulchram capio, mihi placebit, ſin deformem, aliis non placebit.* Sed pulcherrima fuit reſponſio Stilponis, cui cum amici exprobarent filiæ vitam liberiorem his verbis: *Filia te ſuis vitiis dedecorat*: reſpondit: *non plus qvam ego illam decorem meis virtutibus.*

SENTENTIÆ qvoqve vim & gratiam ab hac figura ſibi comparant. Ut duæ iſtæ, qvæ dignæ viſæ ſunt Autori noſtro qvas laudaret: *Dignum eſt mori, antequam dignus ſis mori. Iram immortalem, cum ſis mortalis, ne geras.* Item hæc Chilonis: *Ames ut oſurus, oderis ut amaturus.* Et hæc Publii Syri: *Aliena nobis, noſtra plus aliis placent. Et vita miſero longa, felici brevis.* Nec minus lepidæ ſunt ridiculæ ſententiæ ex antithetis veluti hæ: *Mulier longos habens capillos, exiguum cerebrum: Propheta dicunt vera de futuris, Poëta falſa de præteritis.* Et Aphoriſmus hic Aulicorum: *Qvi ingenium profert, non habet ingenium.*

Alius fructus ingenioſus eſt DICTUM BREVE ex *oppoſitis*, ut in nummo Auguſti: FESTINA LENTE. Et de aqva fontana: DESCENDO, UT ADSCENDAM. Item: EMINUS ET COMINUS. Sed ſvaviora erunt, qvibus conjunguntur *antitheta*, ut in *ſimiam*, qvæ partus ſuos præ amore amplectens arctius ſtrangulat: OFFICIT OFFICIIS, & in *ſpharam cæleſtem*: QVIES INQVIES. Et de negotio nimia feſtinatione corrupto: PERNICITAS EST PERNITIES. Item ejusmodi *dicta*, qvæ in aliorum injuriam publicantur, Paſqvilli vulgo dicta, ut qvod ſcriptum eſt in Pariſienſes Ancreo Marchione diſcerpto: A POPULO RAPITUR, QVI POPULUM RAPUIT. Tale eſt qvod Alexander Severus voce præconis publicavit, cum Vetronium amicum ſuum fumo ſuffocaret, qvod ſuffragia vendiderat: FUMO PERIT, QVI FUMUM VENDIDIT.

Porro ejusmodi *oppoſitis & mirabilibus* texuntur non nunqvam DESCRIPTIONES ÆNIGMATICÆ ingenio exercendo qvam perſvaſioni aptiores, ut iſta deſcriptio Phœnicis. *Cerne fæcundiſſimam virginem, avem ſui genitricem ac ſobolem, altricem & alumnam, ſibiq; tantum ſimilem, qva vitalis interitus latiſſimiqve lethi cupiditate capta, delitias in funere, ſepulchrum in delitiis, cunabula in ſepulchro experitur, ubi redivivi cadaveris ſui*

praſica

Digitized by Google

praſica & pronuba odoratum thalamum in tumulo jucundis myrrha lacrimis perfuſum parat, tum funereas à vivaci ſole mutuata faces, alarum flabro diventilans ſeſe parit, dum perit, ſimul fœta & adulta priſca & recens, eadem ſemper & diverſa, alia & non alia, ſupremum ſibi diem celebrat & natalem, eadem ſibi Clotho & Atropos ſempiternum vitæ ſtamen incidendo redorditur. Nec ſolum *dicta brevia* Sed INSCRIPTIONES ÆNIGMATICÆ & *mirabiles* ex hoc genere naſcuntur, ut iſta: ÆLIA LÆLIA CRISPIS *neqve Vir neqve fœmina neqve Androgyna, ſed omnia.* Item hæc de muliere Baſileenſi:

Palladia Veneris, vel Veneria Palladis
Thalamum Sepulchro ſimilem cernis.
Ubi Virgo ſimul & Matrona: Nupta & Innupta:
Nec ſterilis, nec fœcunda: Nec Uxor nec Pellex:
Conjux ſine Conjuge: Cœlebs ſine cœlibatu:
Annos qvindecim ſine qverela,
Cum Viro jacuit, ſemi viro.
Mirante natura, tamdiu potuiſſe fœminam
Sic jacere, vel tacere.

Vide qvot mirabiles propoſitiones è re nullius momenti ducuntur? Omnis iſta narratio nihil aliud vult, niſi mulierem iſtam Eunucho nuptam fuiſſe, neqve id unqvam aperuiſſe.

Poſtremus iſqve præcipuus & proprius maxime partus ϑαύματος eſt ÆNIGMA, qvod ab (221.) autore noſtro vocatur oratio ingenioſa *conſtans ex vocibus minime congruentibus*: qvorum duo ſunt genera, alterum ignobile, qvod dicere licet *Gryphum Grammaticum*, de qvo antea egimus, qvi conſtat ex vocibus qvidem vere diſſentaneis, ſed qvæ literali nominum compoſitione nituntur, ut in vocem NAVIS: *res eſt, qvæ demto capite volat.* Demta enim litera N reſtat AVIS. Alterum eſt nobilius & ingenioſius, qvod in ipſa ſententia poſitum eſt, qvalia ſunt paulo ante laudata. Iſta vero erunt

(221.) Ar. Poët. c. 21. Ænigmatis forma eſt; oratio quæ ex minimè congruentib9 inter ſe conſtat.

Digitized by Google

erunt jucundiora, in qvibus conſpiciuntur tres hæ proprietates: *In diverſitate unitas, in obſcuritate claritas, in expectatione deceptio.* Qvod enim ad primum attinet, etſi ænigma ex variis metaphoris (222.) miſceatur ut barbariſmus ex variis idiomatis conflatur: nihilominus omnia iſta diſſentanea in uno conſentire debent, uno videlicet argumento repræſentato, vel uti cum ex membris diverſarum rerum monſtroſum corpus componitur, ut in ſuperioribus exemplis obſervare potes. Altera proprietas eſt, ut, dum audis ænigma illud, adeo abſurdum videatur, tam obſcurum & intellectu difficile, ut nulla res illo ſignificari poſſe videatur (223.) ſed cum dictum eſt, *hac res eſt iſta* ſtatim tibi ipſi dicas (ut in perfectis picturis) certe ea eſt. Hoc modo cum ænigma obſcurare videatur orationem, eandem reddit dilucidam, qvod proprium eſt figurarum ingenioſarum. Omnes enim iſtæ metaphoræ diſparis generis eas tibi circumſtantias rei propoſitæ ſubjiciunt, qvæ proprio rei nomine audito nunqvam in mentem veniſſent. Poſtrema eſt proprietas, ut non ſolum rem ipſam obſcuret, ſed etiam longe aliam, qvam vere ſignificat, ſignificare videatur. Id qvod mirabilem ſvavitatem (224.) parit, cum auditor errorem ſuum agnoſcit & Oratoris ingenium ſuſpicit. Hoc maxime deprehendimus in ænigmatis ridiculis qvæ honeſtis auribus pudorem incutiunt, dum turpe aliqvid ſignificare videntur, ſed poſtqvam id qvod eſt, honeſtam rem cognovimus, errore judicii perturbamur, & ob pudorem noſtrum erubeſcimus, qvæ agnitio erroris non injucunda eſt. Sed hic præter mirabile alia figura concurrit, de qva nunc agendum.

(222) Ar. ibid. Ænigma facies ſi träslationes congeras, barbariſmum vero ſi linguas.

(223.) Ar. 3. Rh. c. 2. innominata per translationem ita nominare oportet, ut cum dicta ſunt pateat eſſe propria.

(224) *Ar. 3. Rh. c. 11. manifeſtum eſt qvod didicit, qvoniam contra opinabatur, videturq́ animus dicere ita vere eſt, ego autem errabam.*

META-

Digitized by Google

METAPHORA OCTAVA DECEPTIONIS.

CAP. XVI.

ULtimam igitur *figurarum ingenioſarum* diximus eſſe DECEPTIONEM ſeu INOPINATUM, de qva etſi perſpicue ſatis ſupra dictum, cum ejus & naturam & exempla ex (225.) autore noſtro peteremus, hic tamen, ut de aliis qvoqve fecimus, diſtinctius agemus, ejus & *ſpeciebus & uſu* indicato.

(225) Ar. 3 Rh. c.11. ſunt autē urbanitates etiam per translationem ex deceptione.

Et hæc certe arcana qvædam & inſita mentis humanæ oblectatio, cum agnoſcit ſe *lepide deceptam eſſe*. Ab errore enim ad agnitionem erroris pervenire (226.) *diſciplina* eſt ſpecies & qvidem via non exſpectata, atqve adeo jucundiſſima. Hanc voluptatem animadvertis ipſe in præſtigiatorum fraudibus, qvi agilitate manus opinionem tuam decipiunt. Unde errorem tuum rides, poſtqvam illum cognoviſti, præter opinionem edoctus, qvæ ignorabas. Sed poſtqvam ſæpius idem vidiſti, non amplius falleris, neqve adeo voluptatem capis aut iſta rides. Hujus generis ſunt omnes *facetiæ jocoſæ*, & ludi ſine noxa noxii qvos in vita familiari alter alteri imprudenti ſolet facere. Sic enim, ſiqvis joco ita furtim percutiatur, ut manum non agnoſcat, aut celeriter alicui ſcamnum ſubtrahatur, ut ſine aliqvo detrimento in terram procumbat: omnes rident & gaudent, ideo qvod ſimul cognoſcitur ingenium decipientis, & deceptus ſeipſum ridet, qvi cum ſedere ſe putabat, in terra jacet, diſcens cautius ac circumſpectius agere. Hi joci igitur, qvi urbanitatis fines non egrediuntur, nec in ſcurrilitatem vel noxiam vel tædioſam ſocietati degenerant, ſunt DECEPTIONES IN FACTO poſitæ, ſeu facetiæ urbanæ, ſpectantes ad jocoſam illam & jucundam moralem virtutem, qvam (227.) autor noſter vocat *Eutrapeliam* qvæ eſt ingenii velocitas qvod novit ſeſe accommodare ingeniis hominum, cum qvibus lætè verſatur, tempusqve terit. Ad eandem virtutem perti-

(226.) ib. Manifeſtum eſt quod dicit quia contra opinabatur.

(227) Ar. 4. Eth c.8

pertinet qvoqve figura *verborum argutorum ſalſorumq́; dictorum*, qvam dicimus DECEPTIONEM. Eſt enim lepida & ingenioſa illuſio, qvæ principio periodi ſententiæ exſpectationem concitat, qvæ improviſo in aliam mutatur teq́; decipit. Sunt itaqve hujus figuræ duo *genera*, alterum in *factis* poſitum, qvod proprie dicemus FACETIAS, alterum in *verbis*, qvod vocare poſſumus DICACITATEM; de qva nunc agimus, alteram opportuniori loco reſervantes.

Ad Categoriam igitur SUBSTANTIÆ revoco *deceptionem* illam Cleophontis, qvam (228.) autor frigus eſſe judicat, decorum orationis violans: *Et tu venerabilis & divina* FICUS. Epitheta enim iſta grandia exſpectationem qvoqve concitabant rei magnæ & divinæ, ſed cum vile & ignobile aliqvod ex mero vitio conſeqvatur, non poteſt qvin riſus cooriatur. Ea itaqve eſt *inopinati* gratia, ut etiam indecora orationis ſtultitia, cum ſtudio ad decipiendum auditoris intellectum adhibetur, non careat gratiis, & ex *frigore figura* fiat. Hinc etiam venuſtatem accipiunt ridiculæ illæ laudes, qvibus Mæcenatem ſuum Auguſtus impertiit: *Vale Margaritum Tiberinum, Cirneorum Smaragde, Jaſpis figulorum.* Hinc acumen eſt dicti illius, qvo Agis totum qvendam populum confixit. Cum enim ipſi monſtrarentur pulchra & ornata ſuperbæ Corinthi mænia, *qvinam ſunt*, inqvit, *hac mœnia inhabitantes* MULIERES? Et hoc Martialis in vineam Corami: *Centum Coramus amphoras* AQVÆ *fecit.* Et hac figura qvoqve filius prodigus notatus fuit: *Hic omnia ſua diſtribuit pauperibus* MERETRICULIS.

(228) *Ar. 3.Rh.c.7. accommodata erit oratio ſi non ſit humilis in rebus magnis nec in parvis ampla. Comica enim videtur ut apud Cleophontem.*

A QVANTITATE, eſt iſta cavillatio Caligulæ Victoris, cum literas laureatas ad Magiſtratus mitteret: *Parate qvam maximum triumphum qvam* MINIMO SUMTU. Qva figura non alius magis qvam iſte delectatus eſt, veluti cum paucos aſſes militibus donativi loco dediſſet: *Abite jam læti*, inqvit, *&* LOCUPLETES. Sic de eo qvi ingens patrimonium comederat, dictum fuit: *Hic in hæreditate ſua reliqvit magnum* NIHIL. Et Martialis cum ſordidiſſimum divitiarum oſtentatorem deſcripſiſſet, qvi in foro licitaverat nunc vaſa gemmea, nunc tabulas eboreas, nunc lectos cupreſſinos, tandem diſceſſit comparatis uno aſſe duobus poculis fictilibus.

A QVALITATE ſub ſenſum cadente. Siculus in mare delapſus facete gloriatur: *Vides, ut ornatus ſim veſtimentis* UVIDIS cum

cum exſpectaretur, SERICIS. Et encomium hoc ſponſæ: *Oculo quidem luſca eſt, & aliqvantulum bucculenta, ſed cæteris partibus* DEFORMISSIMA. Illud, *ſed enim*, opinionem concitabat ac *ſi cæteris partibus* eſſet PULCHERRIMA. à QVALITATE MORALI argute Spartani reſponderunt Athenienſibus, qvi ipſos vocabant omnium mortalium rudiſſimos: *Sane omnium indoctiſſimi ſimus, qvi à vobis Athenienſibus nihil didicimus* MALI. Et ſenex Comicus: *Spero tibi eventuram hoc anno maximam Meſſem* MALI. Iſocrates principatum appellavit: *Principium omnium* MALORUM, cum dicturus videretur DIGNITATUM. Et Martialis:

Cui legiſſe ſatis non eſt Epigrammata centum,
Nil illi ſatis eſt, Cæciliane, MALI.

Hujus generis qvoqve dictum eſt Annibalis ad Antiochum, qvi exercitum ipſi pulchris ac pretioſis armis ſplendide ornatum monſtrabat: *Satis mihi videntur ad compeſcendam Romanorum* AVARITIAM. Et hoc Martialis: *Non vitioſus homo es, Zoile, ſed* VITIUM. Et fortis ille Paraſitus apud Plautum: *Patres, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos meos non qvisqvam poterat vincere* EDACITATE. Et facetus ille Craſſus apud Ciceronem: *Verum ſi placet, qvoniam hæc ſatis ſpero vobis qvidem certe majoribus natu* MOLESTA & PUTIDA *videri: ad reliqva aliqvanto* ODIOSIORA *pergamus.*

A RELATIONIBUS. Cicero: *Niſi inimicitiæ mihi eſſent cum iſtius mulieris* VIRO; debebat dicere FRATRE. Et ſimilitudines qvæ opinionem auditoris fallunt, ut iſta Timonis maledici in contemtum Platonis: *Dux ille Plato, cujus ab ore melos manabat, qvale lepida modulatur voce* CICADA. Ubi cygni cantus exſpectabatur. Item ſimilitudines humiles de rebus gravibus, ut hæc Auguſto familiaris: *Citius confectum eſt prælium, qvam* COQVUNTUR ASPARAGI. Sed ſvaviores ſunt illæ ſimilitudines, qvæ cum huc tendere videantur, illuc transferuntur veluti: *Hic Alexandro magno ſimilis eſt* HUMERIS. *Hic alter eſt Hannibal* MONOCULUS. Et hujus generis eſt reſponſio Agamemnonis, qva Pyrrhum repulit apud Senecam: *Et ex Achille genite, ſed* NONDUM VIRO. Et Caligula proaviam ſuam Liviam vocabat *Ulyſſem* STOLATUM.

Ab ACTIONIBUS PHYSICIS. Demetrius Phalereus laudat

hoc Cyclopis Homerici dictum ad miſerum Ulyſſem: *Egregium tibi munus facio, ut te poſtremum* COMEDAM. Non exſpectabat (inqvit ille) tale munus Ulyſſes. Ridiculum pariter eſt dictum illud ſervi ad militem glorioſum Plauti, poſtqvam magnificis mendaciis illius res geſtas extulerat: *Iſtuc qvidem adepol nihil eſt, præter ut alia dicam, quæ tu* NUNQVAM FECERIS. Ab ACTIONIBUS MORALIBUS argutum eſt illud Demarati dictum in laudem egregii lyricinis: *Hic ſane non male mihi videtur* DELIRARE. Et Svetonius vocat *memorabile dictum* hoc Domitiani in Metium adoleſcentem vanum & oſtentatorem: *Vellem tam pulcher eſſe qvam Metius* SIBI VIDETUR.

A PASSIONIBUS: Inopinata eſt hæc ſalutatio apud Plautum nautarum: *Valete maritimi mures, ut PERITIS?* Nec minus facete naufragi calamitatem ſuam in riſum verterunt: *Salſi, lauti, tamen dormivimus INCOENATI.* Hujus generis eſt exaggeratio illa Duronii ad populum Romanum in legem ſumtuariam: *Qvid opus eſt libertate, ſi nobis jam non licet luxu PERIRE?* Et Ciceroni caſu excidit hæc figura in Auguſti juvenis pernitiem, cum laudare illum vellet: *Laudandum adoleſcentem, ornandum, TOLLENDUM.* Et ſi enim *honoribus extollendum* ſentiret, auditoribus tamen ſignificare videbatur: *In crucem tollendum.* Indignatus itaqve Auguſtus exclamavit: *Commiſſurus non ſum, ut TOLLI DEBEAM.* Sed facetius idem Orator hac figura Verrem ſuum pupugit: *Hic ſcilicet eſt metuendum ne ad exitum defenſionis ſuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio atque autoritas proferatur, ne excitetur Verres, ne denudetur à pectore, ne cicatrices populus Romanus aſpiciat EX MULIERUM MORSU.*

A LOCO & SITU ſalſiſſima eſt illa ſalutatio Argyrippi ad Philænam meretricem apud Plautum: *Vale apud* ORCUM & ironica hæc hypotypoſis Ciceronis: *Prægeſtit animus jam videre lautos juvenes mulieris beatæ ac nobilis familiares, deinde fortes Viros ab imperatrice hac locatos in inſidiis atqve in præſidio BALNEORUM,* eum dicturus videretur: *In præſidio urbis & Capitolii.* Argute etiam apud Terentium cum Mitio de tibicina comparata lætari videretur, reſpondet Demea: *Tu interea RESTIM DUCTANS ſaltabis* tacite innuens, ad reſtim tandem res ipſius redituras.

A MOTU, huic ipſi Demeæ, qvi ubi filius eſſet, qværebat, illu-

illudens reſpondit ſervus: *Noſtin porticum apud macellum hinc deorſum? Præterito hac recta platea ſurſum, ubi eo veneris, clivus deorſum verſum eſt: hac* TE PRÆCIPITATO. Et Martialis argute pupugit illius avaritiam, qvi ipſum ad cœnam non vocaverat:

Iraſcar licet uſqve voces, mittaſq́ rogesqve.
Qvid facies? inqvis: qvid faciam? VENIAM.

Is vero ex indignatione repulſam exſpectabat. Contra leno Plautinus ferociter minatus alteri, ſi accedat: Rogatus, *qvid ages, ſi acceſſerit?* reſpondit: *Ego* RECESSERO. Hinc etiam jocus eſt hic natus: *Hic hoſtem, ubi adverſum vidit, dirum fremuit, gladium nudavit, alteqve mortem minitatus ocyſſime* FUGIT.

A TEMPORE Italus noſter Comicus: *puella eſt inter* VIGINTI & SEPTUAGINTA ANNOS. Et Latinus Comicus. *Ingentes hoſtium copias tam celeriter diſſipavit qvam vidit* NUNQVAM. Huc revocatur *Anachroniſmus*, qvi joco tribuit alicui ſeculo tales res, qvales aut multo ante aut multo poſt in uſu fuerunt, ut in Virgilio transformato verſus iſti: *Circum pueri innuptæq́ puellæ ſacra canunt. &c.* ita ſunt converſi:

Le Fanciulle Trojane a bei drapelli,
Lietamente facean la SARABANDA,
E i fanciuletti gai come vitelli,
Danzavano d'intorno la PAVANA,
Il MATACIN *di Spagna, e la* BOCANA.

Ab hac figura ſalem accepit reſponſio Tiberii, qva Trojanorum legatis dolorem ob mortem Druſi & Germanici ſero nimis teſtantibus ineptias illas exprobravit: *Veſtras vices maxime doleo, qui egregium amiſiſtis & invictiſſimum civem* HECTOREM. Et huc qvoqve referri poteſt facetum illud decretum Areopagitarum, qvi mulieri Aſiaticæ, qvæ maritum occiderat, ut filii mortem vindicaret, diem dicebant *in annum* CENTESIMUM, ne ſcilicet eam vel abſolvere vel condemnare neceſſe haberent.

Deniqve ab HABITU argutiſſimum eſt exemplum ab autore noſtro laudatum: *Ibat in pedibus geſtans duo pulcherrima* ULCERA. Et in libertum ad magnos honores elatum: *A primis annis eqveſtri dignitate inſignitus torqvem gerebat in* CRURIBUS. Salſus qvoqve eſt jocus hic Cæſaris, qvem Cicero vocat diſcrepantiam: *Qvid huic abeſt, niſi res & VIRTUS?* Qvaſi abunde illi adeſſent, qvæ hominem honeſtum reddunt, præter duas qvasdam nullius momenti res. Idem dico de INSTRUMENTIS, ut Antipho fœminis ſuis minatus: *Cum ego revertar, vos commonefaciam monumentis* BUBULIS. h.e. loris. Et Cæcilianus Labraci à creditoribus territo: *Qvid ſtulte ploras? Tibi qvidem edepol copia eſt, qvi rem ſolvas omnibus* LINGUA.

Hæ ſunt *differentiæ* DECEPTIONIS *Categoricæ*; at ſi uſum ſpectes, & varios illam adhibendi modos, non aliam figuram ingenioſam æqvè fœcundam reperies, ſtupebiſqve tam parum illam ab autoribus cognitam atqve explicatam eſſe, cum tamen (ut antea dixi) parens ſit omnium facetiarum.

Prima itaqve ratio utendi hac figura eſt, cum in unam VOCEM *inopinatum* conſtringitur. Qvomodo *deceptioni* conjungitur ſpecies qvædam homonymiæ, ut in exemplis jam antea, ubi generatim de *deceptione* egimus, allatis, ut ΘΡΑΤΤΗΣΕ pro θράττει σὺ ΔΩΡΟΔΟΧΙΣΤΙ pro δωριστί VIRGIDEMIA pro *vindemia*, qvibus adjicere poſſumus hoc Terentii, ubi Getæ dicenti: *O ſiqvis daret mihi talentum magnum*, reſpondet Chremes: *Imo* MALUM. Dicturus enim videbatur *imo maximum.* Item hoc Catuli, qvem miſerabilis Orator interrogans: num peroratione ſua miſericordiam excitaſſet, hoc ab eo reſponſum tulit: *Et qvidem magnam: neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua viſa ſit* MISERANDA. Cum is exſpectaret: MISERATIONEM MOVISSE. His etiam annumero DECEPTIONES GRAMMATICAS, qvæ de induſtria pervertunt dictionem aut ſtructuram orationis, ut auditoribus deceptis riſum moveant. Et ſi enim Oratori nihil adeo pudendum eſt qvam vitium grammaticum, nihilominus (ut (229.) autor noſter admonet) cum voluntarius eſt lapſus, vitia illa fiunt virtutes, & errores artificia, qvomodo nec pictor in artem peccat, qvi ſtudio in artem peccat, ſymmetria partium pro lubitu perverſa. Hæc enim non ignorantia eſt, ſed imitatio ignorantiæ, atqve adeo non ſecus

(229) *At. 3. Rh. c. 5. hæc omnia fugienda ſunt, niſi qvis ſtudio id faciat.*

Digitized by Google

ſecus ac omnes aliæ imitationes jucunda. Eſt itaqve lepida hæc ratio *barbariſmis* Auditores capere, varias linguas (ut jam audiſti) inter ſe (230.) permiſcendo, ut in famoſo hoc Bottini, qvod Venetiis exſtat, Epitaphio: *Hic jacet de Bottino qvondam Mathai Benedicti filii* DELUCA. *Etiam jacent* GIANNINO & STEPHANO FIGLIUOLI DI DETTO BOTTINO. Qvæ inſcriptio etſi abſurda, joco tamen figurata fit. Is enim, qvi legit illam, in diverſum idioma imprudens delatus ſtupeſcit & ſimul errorem ſuum ridet, & autoris ignorantiam. Non minus faceti ſunt illi *barbariſmi*, qvos faciunt voces arte corruptæ, ut Boccatius, facete imitatus Craſſum illum Bentivegnam à malleo, qvi rogatus, qvo iret cum certa ſupellectile, reſpondit: Gnaffe *in buona verita, io vado infino* à Citta *per alcuna mia* vicenda, *e porto di qveſte coſe à Meſſer Bonacorri da Gineſtreto: che mi ajuti di non ſo che* me *ha fatto richiedere per una comparigione de* parentorio *per lo* Pericolator *ſuo, il Giudice del* Dificio. Ubi inter probas voces Hetruſcas per intervalla auris animadvertit dialectum ruſticam & perverſa vocabula, ut GNAFFE pro *Afe*, VICENDA pro *Facenda*, PARENTORIO pro *perentorio*, PERICOLATORE pro *Procuratore*, *DIFICIO* pro *Officio*, qvod riſum parit, præcipuè ubi perverſio iſta cum veriſimili qvadam homonymia conjuncta eſt, ut PERICOLATORE pro *Procuratore*. Multi enim clientibus ſuis creant pericula.

(230) *Ar. Poët. c. 21. barbariſmus eſt ſi linguas congeras.*

Barbariſmis etiam annumero, cum voces animalium humanis vocibus de induſtria admiſcentur, veluti facetus Ariſtophanes in choro illo ranarum:

Aqvarum paludoſa ſtirps
Laudum modos conſonos
Dicamus hic concentibus canoris.
Brech, chechex, coax coax,
Brech chechex, coax, coax.
Ante Nyſeium Jovis
Dionyſium apud Lymnas memoravimus.

Ebria

Digitized by Google

Ebria cum populorum turba
Brech, chechex, coax coax,
At occidatis cum hoc coax.
Nihil eſt enim prater coax.

Qvod genus ſcriptionis non ſine laude imitatus eſt Bettinus, qvi vocibus humanis luſciniæ voces interpoſuit.

Idem de *Solœciſmis* ſentio & corruptis *proſodiæ* legibus: ut diſtichon tabulæ votivæ Vercellis ſuſpenſæ:

Iſte qvi tu vides juſtus gratias petebant
Gratias qvi petebant tu mihi virgo feciſti.

(231.) Ar. 3. Rh. c. 11. decipitur enim auditor & in metris, cum non conſeqvitur oratio ut auditor putabat.

Qva ſimplicitate ſæpius (ut (231.) autor noſter annotat) artificioſè uſi ſunt priſci Comici, & noſtris etiam hodie uſitatum eſt ut diximus.

Magis faceti & ingenioſi ſunt iſti VERSUS, ubi *deceptio* non eſt poſita in verbo improprio ſed in ſignificationis immutatione: veluti cum verſus gravium ac celebrium autorum parva immutatione ad ridiculam ſententiam traducuntur:

Felix qvem faciunt aliorum CORNUA cautum.

Cantabunt vacui coram latrone CLIENTES.

Et ad deſcribendam gentem facinoroſam:

Qvin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqva ex QVERCU, pro antiqva ex Cedro.

Nec ridiculo ſemper ſervit hæc *deceptio* ſed interdum eſt ſeria: ut encomium illud Fabii ab Auguſto Cæſare in laudem Tiberii translatum:

Unus homo nobis VIGILANDO reſtituit rem.

Qvin etiam SENTENTIÆ hac figura fiunt ridiculæ, cum de re *vulgari* aut *vili* pronuntiantur, ubi doctrinam ac præceptum grave

Digitized by Google

grave exſpectabamus. Vulgaris eſt hæc ſententia ab autore (232.) noſtro, qvi nihil inobſervatum prætermiſit, exempli loco allata: *Mea qvidem ſententia bene valere optimum eſt.* Ubi exſpectabatur arcana qvædam civitatis regendæ prudentia. Vilis eſt hæc Paraſiti Plautini:

(232.) *Ar. 2.Rh.c.22.*

Alia ſententia quoniam præſciuntur ratione non egent.

Qvi fugitivis ſervis induunt compedes:
Nimis ſtultè faciunt, mea qvidem ſententia.
Qvem tu aſſervare recte, ne aufugiat, voles,
Eſca atqve potione vinciri decet.

Et hanc ſpeciem urbanitatis Cæſar qvoqve, ubi de facetiis apud Ciceronem præcipit, agnovit: *Cum ſententioſe ridicula dicuntur*, ut ſi dicas: *In ſumma, bella res eſt dormire.* Et hæc militis glorioſi apud Plautum, qvi perſvaſus ſe ab omnibus amari mulieribus, hoc Epiphonema adjecit: *Nimia miſeria eſt pulchrum eſſe nimis.* Sed magis ſerium & Tragicum *deceptionis* genus eſt, qvod ſententiam communibus ſententiis contrariam profert inopinata & mira qvadam ratione ſubjecta: ut hæc noſtri (233.) autoris: *Falſum eſt, qvod oporteat SE IPSUM cognoſcere. Nam hic ſiſe ipſum cognoviſſet, nunqvam Magiſtratum petiiſſet.*

(233.) *Ar. ibid. Ex perturbatione qvidem ſi qvis iratus dicat, falſum eſt.*

Aliud genus *propoſitionum inopinatarum eſt* in Dictis Artificiose Incongruis, qvale fuit hoc Archidami, cui cum dictum eſſet: *hic bonus eſt Muſicus*, reſpondens ſervum ſuum demonſtravit: *Et hic inqvit, bonus eſt coqvus*, qvod ſane ad riſum movendum accommodatum eſt. Unde vulgare eſt proverbium: *Qvo tendis? ſum cum fratribus.* Interdum continuantur ejusmodi incongrua, ut ſingula decipiant & placeant Sic in prologo priſci Comici Græci legitur: *Nil mollius eſt cera, ſed cera Icarus pennas liniit, illa vero pennæ fuerunt aqvilinæ, aqvila cœleſtis minime cantat & qvi cantat vocem edit, ſed humana vox non eſt hircina. &c.* Ab hoc genere gratiam acqvirit cantiuncula Petrarchæ: *Sancto Petro cuſtodiendum tradidi. Sed non amplius. Intelligat me qvi poteſt. Ipſe me intelligo. Grave onus eſt improbus filius ad retinendum in officio. Qvantum poſſum me ſpectabo & ſolus manebo. Phaëthonta*

thonta audii in Padum cecidiſſe & mortuum eſſe, & jam flumen tranſiit Merlus. Venite qvaſo ad videndum eum. Sed ego nolo. Non ludus eſt ſcopulus in mediis undis. &c. Qvod genus cantionum Tuſci vocant *Frottola*, qvod qvibusdam myſterium videtur continere & ad finem aliqvem propoſitum occulte referri. Bembus tamen & plures alii exiſtimant, hiſce nihil aliud ſubeſſe qvam faſciculum incongruarum propoſitionum, qvæ cum inter ſe non cohæreant, metro adſtrictæ placeant. In univerſum igitur omnes illi ludi, qvi in vita civili & familiari conſuetudine frequentantur, non cohærentibus inter ſe verbis, ob hanc figuram gaudium pariunt, ſicuti etiam FUROR & DEMENTIA in *Tragœdiis* repræſentata.

INTERPRETATIONES qvoqve miræ & inopinatæ ortum ſuum huic figuræ debent. Fit vero cjusmodi interpretatio vel *ridicula & inexſpectata explicatione* notarum, vel characterum, vel *lingvarum inter ſe permixtione & perverſione*, ut ſtulta & ridicula ſententia prodeat, qvod ſervus Plautinus fecit linguam Punicam interpretatus. De qvibus generibus qvoniam ex Laconismo & homonymia multum trahunt, ſuo loco egimus. Hinc etiam deſcendunt *inopinatæ animadverſiones* in aliena vel dicta vel facta, veluti hæc Martialis de facto alterius:

Munera qvi tibi dat locupleti, Gaure, ſeniq;,
Si ſapis & ſentis: hic tibi ait, MORERE.

Ad verba pertinet hæc animadverſio juvenis Terentiani cui cum ſeverus Pater dixiſſet: *Abi cito*, notam is deſperabundus ſubjecit: *Viſus eſt mihi dicere, abi cito &* SUSPENDE TE. Qvin etiam humanum ingenium facta animadverſione ſenſum tribuit voci ſine ſenſu prolatæ: ut eqves qvidam, qvi pſittacum ita edoctum dicere audiviſſet: CORNUTUS, & dominam ædium de feneſtra ridere vidiſſet, facete ſe ultus eſt hoc dicto: *Maritum veſtrum, Domina, me eſſe putavit hic Pſittacus.* Præterea lepidiſſimæ *Paraphraſes* fieri ſolent ſcripti plani & perſpicui diverſis & inopinatis ſententiis explicati. In qvo genere faceтiſſima fuit oratio cujusdam apud nos cauſarum Patroni doctiſſimi & amœniſſimo ingenio. Cum enim qvidam ejus cliens ad

ſolutio-

ſolutionem æris alieni obſtrictus eſſet hac clauſula chirographi: *Promittit ſe ſoluturum eſſe, ſimulac interpellabitur, & nudis vel verbis admonebitur pacifice ſine lite, ſtrepitu aut forma judicii*, is defenſionem qvæ in re tam perſpicua eſſe poſſe videbatur nulla, precibus clientis adductus ita ſuſcepit & peregit: *Clientem meum nullo modo ſolvere oportere ex ſcripto ipſo liqvet. Promiſit ſe ſoluturum IN PACE, nunc verſamur in bello oppugnatis Vercellis, SINE LITE, ſed litem movit creditor, SINE STREPITU & per totam civitatē hac res percrebuit, SINE FORMA JUDICII & ad judices delata eſt cauſa. Unde infero cum creditor non ſteterit adjectis conditionibus, nec clientem meum ad ſolvendum poſſe adigi.* Qvantum riſerint omnes inopinatas haſce explicationes, facile exiſtimari poteſt.

Hoc ſale pariter condiuntur RESPONSIONES FACETÆ, qvæ cum videantur qvæſito congruere, præter opinionem ad aliud genus tranſeunt & decipiunt. Talis erit argutia Stratonici, qvi interrogatus, qvibus navibus magis fidendum, rotundis an longis? *Iis*, inqvit, *qvæ in portu ſunt*, qvi erat tranſitus à Categoria *figuræ* ad Categoriam *loci*, ſignificaturus (qvanqvam de eo non agebatur) melius eſſe in continenti agere qvam in mari, cum & rotundæ & longæ naves periculo ſubjectæ ſint. Sic à cauſa efficiente *phyſica* ad effectum *moralem* facete medicus qvidam dilapſus eſt, cum ab ægroto rogatus, utrum *ranæ cibus ſint melancholicus? minime*, inqvit, *ſemper enim cantant*. Qvibus modis interrogatio riſu diſſolvitur, cum *deceptio* ludat in re *indifferenti*. Sed magis ridiculæ erunt reſponſiones, qvò magis *ſordida* erit materia. Qvalis fuit hæc Pontidii apud Ciceronem, qvi rogatus, *qvem exiſtimas qvi in adulterio deprehenditur? Tardum*, reſpondit. Sin materia fuerit nobilis & gravis, non ridicula ſed gravis erit *deceptio*. Sic virgo Spartana cum ex ea qværeretur, *qvam dotem habes?* reſpondit, *pudicitiam*. Ubi argute ſed honeſte interrogantem decepit, Categoriâ *habitûs* in *habitus morales* mutatâ. Et alia, qvæ cum ingenua eſſet pro ſerva vendebatur, interrogata, *qvam artem exerces?* ſapienter reſpondit, *fidelitatem*. Ac ſi *deceptio* incidat in argumentum injurium, reſponſa audies ex dulci & amaro mixta, acerbitate ſcilicet ab *argumento*, dulcedine ex *figura* proficiſcente.

ciſcente. Sic Julius Cæſar, qvi artem hanc prius qvam rem militarem docuit, Metello morbum oculorum excuſans, cum nomen ejus habito delectu citaretur & improviſo ab iſto interrogatus: *Ergo tu nihil vides?* contumelioſè reſpondit: *A porta Eſqvilina video villam tuam.* Qvam non bono titulo comparaverat. Dictum valde mordax ſed facetum ob inopinatum tranſitum à qvalitate *ſubjecti* ad qvalitatem *objecti*, qvaſi dixiſſet: *Tanta mihi vis cernendi ſupereſt, ut furem dignoſcere poſſim, qvalis tu es.* Eodem modo Catulus neſcio qva de cauſa Philippum rempubl. qvæſtui habentem objurgans, atqve ideo alta voce ab illo rogatus: *Qvid latras?* Reſpondit: *Furem video*, qvi erat ſaltus à genere *metaphorico* ad *proprium* & à vitio *ſubjecti* ad vitium *objecti*. Hujus pretii fuit etiam reſponſio Centurionis Hiſpani, qvi rogatus à Johanne Auſtriaco, qvem idoneum judicaret procurandæ paci: *Nullum*, inqvit, *meliorem novi Alphonſo, qvi à bello prorſus abhorret.* Notans fugam ejus in proximo prælio. Aliæ reſponſiones non minus argutæ & ingenioſæ poſitæ ſunt in qvadam adjectione ad qvæſitum contra mentem qværentis.. Sic mater Spartana filio ignavo, ne in militiam iret, ſe excuſanti: *Parvum habeo gladium*, reſpondit: *adde & greſſum*, ubi à *ficta* cauſa ad *veram* progreditur, non brevitati ferri ſed infirmitati tribuens recuſationem. Talis eſt hæc qvoqve Clitemneſtræ reſponſio, qvæ ab Ægiſto adultero nobili *cognatione* ſe jactante interrogata: *Et cur Atride videor inferior tibi natus Thyeſte?* reſpondit: *Si places adde & nepos:* exprobrans ipſi turpitudinem & labem ſangvinis, utpote natus ex Thyeſtis cum filia inceſtu. Item hæc jam ſupra recitata Electræ reſponſio ad matrem adulteram: *Qvis eſſe putet virginem? Gnatam tuam?* Omnes deceptiones qvæ animum ad vivum pungunt, ſed argutæ & ſvaves ſunt ei, qvem non lædunt. Comitantur interdum reſponſa PROBLEMATA ob nullam rem niſi *deceptionem* FACETA. Veluti: *Vim arcanam te doceam, ut currum per ſe facias procedere? Ponito illum in montis præcipitio.* Item hoc: *Vin ſcire, qvomodo fœminam te ſpernentem adigas, ut ipſa te reqvirat? Surripe ipſi gemmas ejus.* In qvibus exemplis tranſitus fit in altero qvidem à *motu artificiali* ad *naturalem*, in altero à *motu morali ad phyſicum.*

Propoſitiones inexſpectatas excipiunt ARGUMENTA INEXSPECTATA, ex qvibus maximam partem Enthymemata conſtant

faceta,

Digitized by Google

faceta, qvæ (ut ſuo loco dictum eſt) non ſunt (234.) argumenta & argumentis ſimilia ſunt, ut homini ſimilis eſt ſimia nec eſt homo, atqve adeo riſum movet, qvia omne genus imitationis eſt jucundum. Hinc etiam in ſcholis Logicorum vulgo circumfertur hoc exemplum argumentationis non cohærentis: *Deus eſt in mundo E. baculus eſt in angulo.* Ubi ſola imitatio formæ illativæ auditorem decipit, qvi poſtea errorem animadvertens neſcit, utrum ſeipſum magis an deceptorem rideat. Hanc igitur vocare liceat *Deceptionem Dialecticam*, qvoniam ad capiendos diſputantes in rebus Theoreticis accommodata eſt. Eadem vero forma non cohærentis argumentationis (235.) in rebus moralibus & civilibus erit *deceptio Rhetorica*, veluti *Virtus eſt pulchra. E. dives non eſt pauper.* Sed harum deceptionum Rhetoricarum duo ſunt genera: alterum *figurate ingenioſum*, alterum *de induſtria abſurdum*. Ingenioſum eſt, ubi id qvod conſeqvitur, non qvidem exſpectatur attamen cum antecedente ſuo vinculo qvodam ingenioſo & figurato cohæret, veluti hoc argumentum Leonidæ in procinctu prælii cum Perſis committendi, cum perterriti qvidam Lacones dicerent exaggerando: *Tantus eſt hoſtium numerus ut ſolem jaculis obſcuret.* Reſpondit, *Commodius ergo in umbra pugnabimus.* Ubi à viro iſto forti non exſpectasſes *illationem* adeo acutam, ſed generoſam potius & heroicam talem forte: *Ergo tantò major erit gloria Spartanorum.* Ergo argumentum ejus non erat *ſeriò* heroicum, ſed heroicè *jocoſum*, idqve ob hanc deceptionem. Tale qvoqve erat argumentum Socratis, cum uxor domeſticum ejus dæmonium facto maximo convitiorum ſtrepitu caput alia qvam roſarum aqva, abluiſſet. *Sciebam*, inqvit, *poſtqvam tonuit pluiturum eſſe.* Ubi vides & ſi *clamare & aqvam effundere* actiones ſint minime cohærentes, ipſe tamen ingenio ſuo vinculum qvoddam illationis reperit inexſpectatum, conſeqvens è *metaphora proportionis* deducens, ſicuti Leonidæ illud ab *hyperbole* ductum eſt. Huc refero facetiam Ennii poëtæ, cui cum Naſica per ancillam denuntiaſſet, ſe non eſſe domi, ipſe poſtea Naſicæ ſe qværenti reſpondit: *Ennius non eſt domi.* Et cum Naſica diceret: *Qvid? ego non cognoſco vocem tuam?* Reſpondit Ennius: *Homo es impudens, ego cum te qværerem, ancilla tua credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi?* Cui ſimile eſt hoc ruſtici, cum aſinus qvem vicino qværenti

(234) Ar. 2. Rh. c. 25. neceſſe & ut aliud enthymema ſit aliud non ſit & videatur.

(235) Ar. 1. Rh. c. 2. Dialectica ex iis qva iis vi dentur qui conſu lunt.

Digitized by Google

ti adeſſe negaverat, ruderet, atqve iſte diceret: *Audio tamen hunc intus eſſe* reſpondit: *Num aſino mavis credere qvam mihi ipſi?* In qvibus certe non aliam argutiam animadvertas, qvam qvæ eſt in illatione inexſpectata & ingenioſa. Sed magis ridicula qvanqvam minus ingenioſa eſt *deceptio ſtulta*, qvæ aliqvid vulgare planum proprium infert, cum auditor exſpectaret figuratum qvid & ingenioſum. Et hæc, ut Cicero obſervavit, valde erat familiaris Nævii argutia, ut: *ſapiens ſi algebit tremet &* Martialis: *Oculo Philanis ſemper altero plorat, qvo fiat id qværitis modo? Luſca eſt.* Item hoc ejusdem: *Pauper haberi Cinna vult & eſt pauper.* Ubi exſpectabatur & *eſt dives.* In qvo genere memini, cum in Cardinalis Aldobrandini ingreſſu Mediolani facto tormentum majus, qvo ſalutabatur, diſſiliret, ſubtilia ingenia inter ſe certaſſe argutiis in hoc argumento poëticarum argutiarum maxime fertili (ad pacem enim inter Reges Hiſpanum & Gallum conciliandam venerat Cardinalis, ut Mars videretur ejus adventu arma ſua ipſe confringere) ſed lepidiſſimum qvoddam ingenium veritate decepiſſe & ſuperaſſe reliqvos. Cum enim dubitanter attigiſſet multas animadverſiones & illationes ex hoc facto ingenioſas, iis omnibus rejectis tandem ita concluſit:

Ominis arcanum qværis? Faber inſcius atri
Impoſuit nimium pulveris & crepuit.

Ubi vides omnem argutiam poſitam eſſe in contemnendis argutiis, & nihil novi dicere novitatem eſſe.

(236) Ar. 1. Rh. c. 2. Omnino neceſſe eſt qvidlibet oſtendere vel ſyllogiſmo vel inductione.

Cum vero omnis ratiocinatio poſita ſit in (236.) ſyllogiſmo & inductione, enthymematis inexſpectatis ſubjicio INDUCTIONEM INOPINATAM & *facetam*. Qvalis eſt hæc Philoſtrati ad Cauſidicum, qvi ſæpius exhilarabat Judices dicto qvodam ridiculo: *Qvi aſſidue luctatur, luctator fit, qvi aſſidue fabricat faber E. ſi tu aſſidue ridicula dices ridiculus fies.* Ubi obſervamus in poſtremo inductionis membro deceptionem, qvæ ſcilicet ab *activo* in *paſſivum* tranſit. Contra mercator, qvi decoxerat, qvod aliis nimium crediderat, hanc inductionem fecit: *fabricando diſcimus fabricare, legendo legere, medendo mederi ſed credendo diſcimus nihil credere.* Ubi ultimum mem-

membrum eo decipit, qvod *negat, cum affirmatio* exſpectetur. Sed laudatiſſima eſt inductio Craſſi Oratoris facetiſſimi in Silonem, qvi teſtimonium, ut vocant DE AUDITU dixerat: *Poteſt fieri, ut is iratus dixerit, poteſt fieri, ut tu non recte intellexeris, poteſt fieri, ut qvod te audiviſſe dicis, nunqvam audieris*, i. e. mentiris forte. De qvo Cicero: *Hoc ita præter exſpectationem accidit, ut teſtem omnino riſus obrueret.*

Expoſitæ ſunt hactenus duæ *diviſiones* lepidiſſimæ hujus figuræ, qvarum altera à *Categoriis*, altera ab *operationibus mentis* ducta eſt. nunc tertiam diviſionem breviter declarabo qvæ octavæ huic figuræ maxime eſt propria & à CAUSARUM GENERIBUS MORIBUS & AFFECTIBUS petitur, ut adeo *deceptiones* (237.) autoris noſtri verbis vocare poſſimus vel LOGICAS vel MORATAS vel PATHETICAS. Ex qvibus plenam atqve integram cognitionem nobiliſſimi hujus ingeniorum partus comparare potes. Demonstrativi generis ſunt, qvæ cum laudare (238.) videantur in vituperatione præter exſpectationem deſinunt, ut hoc Ciceronis: *Laudandum adoleſcentem ornandum TOLLENDUM.* Et Spartanus qvidam, cum exprobrandi cauſa monſtrarentur ipſi res Athenienſium geſtæ in tabula depictæ, dixit: *Fortisſimi ſane Athenienſes ac ſtrenuisſimi ſunt IN TABULA. i. e. in tabula fortes, in acie ignavi ſunt.* Et alius de Tyrtæo dixit: *Optimus eſt hic & incomparabilis animorum DEPRAVATOR.* Et de inſcita qvadam muliere, *forma non eſt adeo inſigni ſed honeſtate CARET.* Ubi adverſativum *Sed* perſvadet illum dicere voluiſſe, *eſt qvidem non adeo pulchra, ſed tanto honeſtior.*

(237.) *Ar. 3. Rh. c. 2. Perſvaſionum genera ſunt in moribus alia in effectibus alia in ratione.*

(238.) *Ar. 3. Rh. c. 1. cum parum laudat ut magis vituperet.*

Generis Deliberativi ſunt, qvæ ſpecie utilis conſilii joco noxium aliqvid ſvadent, ut ſervus ille Plautinus cum lenoni Dordalo dixiſſet: *Qvin tu hoc qvod tibi ſvadeo facis?* Et Dordalus qværeret *qvid eſt?* Reſpondit: *Reſtim tibi cape craſſam, & ſuſpende te.* Hoc certe conſilium ab amico is non exſpectabat. Salſum qvoqve conſilium erat hoc Granii, qvod imperito Oratori, cum raucedinem contraxiſſet, dedit: *Svadeo tibi, ut mulſum frigidum bibas.* Oratore autem reſpondente: *Imo vocem perdam*, ſubjecit Granius: *Melius eſt vocem perdas qvam reum.*

Generis Judicialis ſunt *deceptiones*, qvæ cum excuſare videntur, accuſant. Sic Martialis: *mentitur qvi te vitioſum Zoile dicit, Non vitioſus homo es, Zoile, ſed VITIUM.* Et hoc: *Non eſt hic Cynicus, Coſme, qvid ergo? CANIS.* Sed pulcherrima eſt hæc Ciceronis ad Anto-

Antonium: *Ego vero (vide qvam tecum agam non inimice) qvod bene cogitaſti aliqvando, laudo, qvod non indicaſti gratias ago, qvod non feciſti, ignoſco*, VIRUM RESISTA QVÆREBAT. Contra pulcherrima ſunt illa opprobria, qvæ accuſando laudant. Ut hoc Diogenis, qvi demonſtrans Antiſthenem præceptorem ſuum, qvi docuerat ipſum contemnere divitias, ſubridens dicebat: *En latronem iſtum, qvi ex divite me pauperem reddidit*, ubi Macrobius in Saturnalibus animadvertit ſimulatam hanc accuſationem multo gratiorem eſſe, qvam ſi dixiſſet: *Gratus huic ſum, qvia me philoſophum fecit ex divite.* Talia qvoqve ſunt convitia, qvibus amantes nonnunqvam honeſtatem amicæ ſuæ declarant, cum *Feram, immiſericordem, crudelem* vocant.

In hoc genere *deceptionum Logicarum* facetiſſimus eſt Dialogus duorum ſervorum Leonidæ & Libani in Aſinaria Plautina, qvi formulis demonſtrativis, in laudem triumphantium Romæ adhibitis, ſublimi & magnifico ſtylo inter ſe vitia ſua celebrabant: *Laudes gratiasqve merito habemus Diis magnas, cum noſtris* ſycophantiis dolis, aſtutiisqve *confidentia* ſcapularum, *freti virtute* ulmorum *advorſus* ſtimulos, laminas, cruceſqve compedesqve, *indoctoreſqve acerrimos, gnaroſqve noſtri* tergi: *qvi ſæpe ante cicatrices indiderunt in noſtras* ſcapulas: *eas nunc legiones copiasqve exercitusq;* furum: *vi pugnando, euge potiti* perjuriis *noſtris: id virtute hujus collega, meaqve comitate factum eſt. &c.* Et Libano ambitioſe reſpondente: *Qvi me vir fortior eſt ad ſufferendas* plagas, elogium hoc ipſi tribuit Leonidas: *Ædepol virtutes tuas qvis poſſit collaudare, ſicut ego poſſum, qva domi duelliq;* malefeciſti, *na illa adepol pro merito tuo nunc memorari multa poſſunt, ubi fidentem* fraudaveris, *ubi hero* infidelis fueris, *ubi verbis conceptis ſciens volensq;* perjuraris.

Huc vero refero *laudationes jocoſas* (239.) animalium & rerum vilium, ubi inexſpectata applicatione *Epithetorum* & laudum humanarum ad res non dignas decipitur auditorum exſpectatio, ut qvod ex Cleophonte afferebamus: *& tu venerabilis & divina* FICUS. Et Homerus in bello ranarum:

Nobile

(239.) *Ar. 1. Rh. c. 9. Verum qvoniam accidit joco vel ſerio laudare ſæpe non ſolum homines aut Deos ſed etiam inanimata aut animalia: De iis qvoqve propoſitiones eodem modo accipiendæ.*

Digitized by Google

Nobile Martis opus grandiq; vibrata tumultu
Arma cano, cum belligero ſtimulante furore
Fortia magnanimi moverunt prælia MURES.

Item inſcriptiones & tumuli beſtiis poſiti, ut Juſtus Lipſius catello ſuo: *Saphirus domo Batavus, delitium Lipſi, decus* CANUM &c. Vides igitur qvam copioſum flumen delitiarum & Oratoriarum & Poëticarum ex hac figura erumpat.

Deceptiones MORATÆ ſunt, qvæ non laudis aut vituperii ſpecie, ſed *imitatione aut narratione* produnt mores hominis ridiculos aut graves, ita qvidem ut exſpectatio Auditoris decipiatur & admiratione percellatur. Hæc eſt urbanitas, qvam Cicero ita deſcribit: *Exſpectationibus enim decipiendis & naturis aliorum irridendis & ridicule indicandis riſus moventur.* Talis eſt hæc Cornificii deſcriptio hominis maligni: *Iſte qvotidie per forum medium tanqvam jubatus draco ſerpit; aſpectu rabido circumſpiciens huc & illuc, ſi qvem reperiat, cui aliqvid mali faucibus afflare, qvem ore attingere, dentibus inſecare, lingua aſpergere poſſit.* Sed hæc tragica eſt: magis Comica & faceta iſta, qvam vocat *notationem*, exemplo *oſtentatoris* divitiarum: *Iſte qvi ſe dici divitem putat eſſe præclarum, primum nunc videte, qvo vultu nos intueatur, nonne vobis videtur dicere:* Darem ſi mihi moleſti non eſſetis. *Cum vero ſiniſtra mentum ſublevat, exiſtimat ſe gemma nitore & auri ſplendore aſpectus omnium præſtringere. Cum ſervum reſpicit, alio nomine appellat, deinde alio atqve alio:* Heus tu, inqvit Sannione, qvid iſti barbari perturbent &c. Et in hunc modum (240.) autor docet narrationi inſerenda eſſe ſemina qvædam morum ſive noſtrorum ſive alienorum, qvæqve auditoribus jucunda videbuntur.

Nec continua ſolum oratione ſed dictis qvoqve brevibus veluti obiter jactis, dum alter ſerio loqvitur, lepide mores alicujus hominis pinguntur. Veluti cum Lamia adoleſcens audaculus adverſus Craſſum Oratorem veterem pararet dicere, Craſſus, *audiamus*, inqvit, *pulchellum puerum.* Omnes ſubridebant. Lamia ſic petitus ſententioſe

(240) *Ar. 3.Rh.c.16. Annectenda ſunt narrationi quæcunq; vel adverſarii vitia ſuboſtendunt, vel auditoribus jucunda ſunt.*

Digitized by Google

tentioſe repoſuit: *Non potui mihi formam ipſe fingere, ingenium potui.* Et Craſſus ſevero vultu, *Audiamus diſertum.* Tunc omnes effusè ridebant.

In eodem *morato* genere facetiſſima eſt ſervi Terentiani imitatio, qva ſententiam heri gravem ad vilem materiam transfert. Cum enim bonus ille Demea præcepta illi memoraſſet, qvibus filium inſtruere ſoleret: *Hoc facito, hoc fugito, hoc laudi eſt, hoc vitio datur, deniq; inſpicere tanqvam in ſpeculum in vitas omnium jubeo, atq; ab aliis ſumere exemplum ſibi.* Reſpondit Syrus: *Conſervis ad eundem iſthunc præcipio modum: Hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum eſt parum. Poſtremo tanqvam in ſpeculum in patinas inſpicere jubeo & moneo qvid facto opus ſit.* Ubi cum audias ſententias adeo diſpares eadem forma & ratione pronuntiari, fieri non poteſt qvin rideas. Atqve hæc erat ars illa Gorgiæ ab (241.) Autore noſtro obſervata, ut qvæ ſerio dixerant adverſarii, ridicule proferret.

(241) *Ar. 3. Rh. c. 18. Gorgias recte dicebat, oportere adverſariorum ſeria pervertere.*

Sed deceptiones PATHETICÆ eo vividiores ſunt qvam *moratæ*, qvò fortior eſt affectuum ſignificatio qvam morum. Hi enim poſiti ſunt in animi tranqvilli moderatione, iſti vero in motu animi perturbati. Talis itaqve eſt Martialis ridicula deploratio incendii domus cujusdam Theodori:

O ſcelus, ô magnum facinus, crimenq; Deorum!
Non arſit pariter, qvod domus & DOMINUS.

Ubi affectus *miſerationis* in *malevolentiam* deſinit.

Item hæc ſervi Trecalionis, qvi ſenem irridet *obſecratione*: *Teq; oro & qveſo: Si ſperas tibi hoc anno futurum multum SIRPÆ & LASERPITIUM, atqve ab LIPPITUDINE ſiccitas ut ſit tibi.* Cui ſenex non ſtultus Sardonio riſu bene ominari viſus, male minatur: *At ego te per crura & talos tergumq; obteſtor tuum, ut tibi ulmeam uberem eſſe ſperes* VIRGIDEMIAM. Facetæ qvoqve ſunt blanditiæ Milphionis, qvæ in opprobria degenerant: *Mea voluptas, mea delitia, mea vita, mea amœnitas, meum mel, meum cor, mea COLUSTRIA, meus* MOLLICULUS CASEUS.

Sed

Sed ſalſior eſt *imitatio Pathetica*, qvæ geſtu aut voce alienos affectus ridicule proponit, riſum movens eo qvod (242.) non veriſimile ſit, qvod dicitur. Cujus exemplum nobis facetiſſimum reliqvit apud Ciceronem Craſſus, irridens affectuoſam adverſarii perorationem: PER TUAM NOBILITATEM, PER VESTRAM FAMILIAM, *qvid aliud fuit* (inqvit Tullius) *in qvo concio rideret, niſi illa vultus & vocis imitatio? PER TUAS STATUAS vero cum dixit & extento bracchio paululum etiam de geſtu addidit, vehementius riſimus.*

(242) *Ar. 3. Rh. c. 7. Si aſpere dicuntur lenia & aſpera leniter nullam habent veriſimilitudinem.*

Ejusdem generis ſunt reſponſiones qvædam frigidæ aut ridiculæ, cum propoſitum ſit calidum aut aſperum, qvæ itidem veriſimilitudine non ſervata auditorem decipiunt: Ut iſta ſenis apud Nævium qvi à filio rogatus: *Qvid ploras Pater?* reſpondit: MIRUM NI CANTEM, *condemnatus ſum.* Qvis ejusmodi argutiam ſerio jocoſam ab eo exſpectaſſet, cujus gulæ laqveus erat circumdatus. Sed magis ridicula fuit hæc Tettamenis, qvi cum ſententiam judicum, qvæ capitis ipſum condemnabat, audiſſet, ridens diſceſſit, & cum qvid rideret, rogaretur, reſpondit: *Qvia mulctam datis mihi, qvam à nemine petii.* Et hujus generis erat reſponſio Bardellæ, cum die Sabbati patibulo proximus ſolatium hoc ex ore ſacerdotis acciperet: *Bono ſis animo, hodie cœnabis in paradiſo*, reſpondit: *Velim ut locum meum occupes. Sabbato enim jejunare ſoleo.* Cui ſimilis eſt hæc ignavi cujusdam reſponſio, qvi cum Leonidas ante prælium milites corpora curare juſiſſet dicens: *Hic prandete, cœnabitis apud inferos*, reſpondit: *ad prandium accepto: ad cœnam renuntio.* Conſtantioris animi erat reſponſio militis Hiſpani, ex illis qvi Romam diripuerant: qvem cum Andreas Auria condemnaſſet, ut velo inſutus adjecto fruſtulo panis bis cocti mari ſubmergeretur, panem aſpiciens dixit: *Hoc mehercule parum eſt panis ad tantum potus.* Deniqve ſub hoc genere comprehenduntur omnes expreſſiones *affectuum*, qvæ nec *tempori nec loco nec perſonis* nec aliis *circumſtantiis* conveniunt atqve ideo auditorem decipiunt.

Hæc vero figura, qvæ ut vidiſti, ſapidiſſimum eſt conſvetudinis in vita civili condimentum, vividiſſima etiam inſcriptionibus ſubminiſtrat lumina, non ſolum illis qvæ facetæ ſunt & ridiculæ, ſed etiam gravibus & heroicis, qvæ mordacitate adſperguntur, qvando ſingulæ clauſulæ argutis *deceptionibus* acuuntur. Exemplum

aliqvod rudi penicillo adumbratum dabo, ut in illo perficiendo te exerceas:

FLAVIUS DOMITIANUS
Imperator, Caſar, Auguſtus, Pontifex Maximus,
Patriæ Peſtis
Clariſſimo Genitori ſimilis, ut Soli Lutum.
Patrium imperium illuſtrius fecit ex adverſo.
Qvam excito fuerit ingenio rogas? Statuā conſule.
In Herculeam ſpeciem ſculpi voluit: Herculea dign9
Clava
Imperium auſpicatus à Virtute ſcilicet:
Ab gravi morbo fratrem expediit, funere feſtinato:
Cæteris virtutibus non tam claruit, qvam caruit.
Vigilantiſſimus in Triclinio: *ſtrenuisſimus in* Gynecæo:
Amantisſimus Reipublicæ & privatæ:
Omnium retro Principum liberalisſimus Latro:
Per ſummam charitatem annonæ,
Imperii ſpolia diviſit in ſcorta,
Conjugio ſaltem felix. Nam reciproca fide
Uxor Viros: Vir uxores exteras æqve odere
Ut caſtiſſimi Infantes bellaria;
Erga Reos, & Innocentes pari beneficentia,
Ad cœnam rogatos, nitido excepit gladio.
Nova ſecundæ Menſæ, poſt carnes Carnifex.

Omni-

Digitized by Google

Omnium ſuſpicacisſimus ſuſpectis omnibus ignovit poſt necem.
Unicum amantem unice amavit ſeipſum.
Cæteris verax, neminem fefellit incredulum.
Svadendi artem exercuit non Proſa, ſed Verſutia.
Nam quicquid libuit, cuiq́ʒ ſtatim ſvaſit ſtylo ferreo.
Philoſophiæ adeò ſtudioſus, ut Philoſophos omnes donarit Exilio.
Sola Juris prudentia delectatus qva caruit,
Centum viralis Fori prolixitate ſummota
Lites omnes illico diremit, parte inaudita,
Nec Marti minus qvam Minervæ ſacerrimus,
Sua manu infeſtas Legiones *delevit* Muſcarum,
Bis navali prælio fortiter interfuit in arena.
Catos, Sarmatos, Dacos,
Barbaros omnes imperii hoſtes ſuperavit barbarie,
Bis triumphavit, viciſſe neſcius.
Heu fati crimen! tanta promeritus Cæſar
Confoſſus eſt vulneribus octo tantum.
Cum morte tamen acriter luctatus;
Vixerat niſi periiſſet.
Itaqʒ in Deorum album ſtatim relatus,
Deorumq́ʒ omnium conſenſu Cælo rejectus
Maximum ſui deſiderium Romanis *reliqvit* canibus.

Digitized by Google

DE METAPHORIS CONTINUATIS.

Et primum

De Propoſitionibus Metaphoricis, qvibus continentur pulcherrima dicta arguta & Allegorica.

Cap. XVII.

PRioribus capitibus declarare præcipue laboravimus octo ſpecies METAPHORÆ SIMPLICIS, qvæ ſcilicet *prima mentis operatione* formantur, & ſæpe in una *voce* ſæpe in paucis verbis unam *notionem* exprimentibus conſiſtunt: ut ſi *amorem* dicas IGNEM, *& roſam* REGINAM FLORUM *& bellum NAUFRAGIUM REIPUBLICÆ.* Has vero non perfectas argutias dicimus, ſed ſemina aut RADICES perfectarum. Ex illis enim ſingulis provenient felices iſti humani ingenii fructus, qvos ſuis locis abunde indicavimus, ut principia illorum cognoſceres. Sed hic conſtitui has ab iſtis ſeparare & per gradus te deducere ad perfectam cognitionem PERFECTISSIMI ARGUTIARUM GENERIS, in qvo ultima vis humani ingenii cernitur.

Perfectiores itaqve illas eſſe dico, qvæ beneficio *ſecundæ mentis operationis* formantur, qvalis eſt ALLEGORIA h. e. continuatio metaphoræ ſimplicis. Qvare tot eſſe ſpecies Allegoriæ, qvot metaphoræ apparet, cum detur allegoria *proportionis*, alia *attributionis*, alia *homonymiæ* & ſic cæterarum figurarum ſupra expoſitarum. ALLEGORIA PROPORTIONIS eſt, qvæ à metaphora proportionis veluti radice propullulat & propagatur. Sic cum amor tranſlate dicatur ARDOR, Phormio Terentianus ab hac radice allegoriam duxit argutæ hujus propoſitionis: *Hiſce ego illam dictis ita tibi INCENSAM dabo, ut ne reſtingvas, lacrymis ſi exſtillaveris.* Sic Nonnius

Digitized by Google

Nonnius in Dionyſiacis: *Parvus amor telo COMBUSSIT jaculatorem fulminis, neqve congeries aqvarum reſtingvere illam potuit flammam.* Argutiſſimus etiam jocus eſt Tullii in Piſonem, qvo nullus acutior legitur in tota illa oratione. Cum enim is genere ſuo ſuperbiens gentem ſuam appellaret SEMINARIUM TRIUMPHORUM, Tullius continuata allegoria: *ex illo, inqvit, Seminario triumphorum nil niſi arida folia laurea retuliſti.* Pariter pro Sextio, cum *diſcordias civiles* metaphorice vocaſſet NAUFRAGIUM, ab hac radice allegoriam continuat in hunc modum: *Cum vero in hanc Reipubl. NAVIM, ereptis Senatui gubernaculis, fluctuantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, tot claſſes, niſi ego unus deditus eſſem, incurſura viderentur. &c.* Ubi ſimul reſpicit Iphigeniam, ut tempeſtas ſedaretur, mactatam. Et in Piſonem. *Neq; tam fui timidus, ut qvi in maximis turbinibus ac fluctibus Reipubl. NAVIM gubernaſſem, ſalvamqve in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam* (facie enim erat fuſca) *vel Collegæ tui contaminatum ſpiritum* (erat enim ore fœtido) *pertimeſcerem.* Qvæ poſtremæ alluſiones argutiorem reddunt Allegoriam, qvoniam his accedit homonymia. Sed in his allegoriis verba metaphorica declarantur verbis propriis, ſed iſta Horatii magis eſt ænigmatica, qvæ lectori relinqvit accommodationem ad materiam propriam:

O navis! referent in mare te novi
Fluctus. O qvid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut nudum remigio latus
Et malus celeri ſaucius Africo
Antennæq; gemant? Ut ſine funibus
Vix durare carinæ poſſint imperioſius
Æqvor? vix tibi ſunt integra lintea. &c.

Cujus mea opinione hæc eſt ſententia: *O Sexte Pompei! novi motus animi tui juvenilis tibi rurſus bellum tempeſtuoſum excitabunt. Ah, ſtulte, qvid cogitas? occupa fortiter Siciliam, eamqve firmiter retine, qvæ ſola tibi patet. Nonne vides te à Du-*

cibus

cibus tuis turpiter eſſe deſertum, exercitumqve tuum à Cæſare oppreſſum? An neſcis ſine pecunia nec exercitus nec imperatores eorum conſiſtere poſſe? Vix integræ legiones tibi reſtant. Ad cujus allegoriæ Horatianæ imitationem integrum elogium ſub imagine naufragii in *Patriarchis* meis conſcriptum reperies, qvod de induſtria confeci, ut intelligeretur etiam in inſcriptionibus ſuum eſſe perpetuis allegoriis locum.

Etiam in Responsis vehementer delectant *allegoriæ continuatæ*, qvalis erat hæc Athenienſium Marciqve Antonii. Cum enim hic Athenas magnis copiis ingrederetur ſe BACCHUM ferens domitorem Orientis, Athenienſes ſe urbemqve ſuam, qvæ à Minerva denominatur, ipſi tradituri, qvod antea nunqvam acciderat: *Minervam* inqviunt, *noſtram* ô BACCHE *pater virginem ad hanc uſqve diem tibi ſpondemus in Conjugem.* Qvibus reſpondit Antonius: *Accipio, ſed mille talenta dotis nomine impero.* Sed Athenienſes: *O Domine, atqvi Jupiter matrem tuam indotatam accepit.* Plures ultro citroqve reſponſiones in eadem allegoria continuabantur. Sed dos ſine ulla metaphora ſolvenda fuit.

Ab eadem figura proficiſcitur APOLOGUS, qvi nihil aliud eſt qvam *metaphora proportionis continuata*, qvæ animantium hominis ſpecie indutorum exemplo inſtruit homines. Qvod cognoſcere licet ex duobus Apologorum exemplis ab (243.) autore noſtro propoſitis alterius Steſichori, alterius vero Æſopi. Steſichorus enim Himcrenſibus diſſvaſurus, ne corporis cuſtodes Phalaridi darent, narrat eqvum cervi ulciſcendi ſtudio homini libertatem ſuam tradidiſſe, freno in os accepto. Et Æſopus cum cauſam tueretur Demogori capitis damnati ob crimen peculatus, ſapiens memorat conſilium vulpis, qvæ noluerit ab erinaceo ſibi excuti ricinos, qvi corpori diu adhæſerant. Satius enim credidiſſe perferre illos qvi jam pleni & ſaturi parum ſangvinis ducebant, qvam recentes & ſitibundos in locum eorum ſucceſſuros.

(243) *Ar. 2. Rh. c. 20. Apologus talis eſt Steſichori contra Phalarim: Æſopi pro Demogoro.*

Hac *Allegoria proportionis* texuntur qvoqve nonnullæ Descriptiones Argutæ, qvæ rem deſcribunt continuatione qvadam *attributorum metaphoricorum*, ex ſingulis *Categoriis* ſecundum naturam rei ſimilis ductorum; ut ſi *roſam* voces REGINAM FLORUM, componere inter ſe potes attributa *roſæ & reginæ* ab una hac *metaphora*

phora proportionis tanqvam à fœcunda radice ingenio irrigata producens mille ſurculos peregrinorum ex qvacunqve Categoria translatorum in hunc modum:

ROSA.	*REGINA.*	
Planta eminens.	*Dignitas ſublimis.*	*Subſtan-*
Rubor foliorum.	*Purpura Epomidis.*	*tia.*
Odores.	*Thura.*	*Quanti-*
Inter flores.	*Inter puellas.*	*tas.*
Zephyri adſpirantes.	*Aulici blandientes.*	*Qualitas.*
Paſcit apes.	*Præmio afficit bonos.*	*Relatio.*
Deflorеſcit.	*Moritur.*	*Actio.*
Inſiſtit petiolo.	*Inſidet throno.*	*Paſſio.*
In horto.	*In regia.*	*Situs.*
Aurora.	*Juventus.*	*Ubi.*
Ros.	*Margarita.*	*Quando.*
Croceus circulus.	*Aureum diadema.*	*Habitus.*

Atqve ita reliqvæ *dotes qualitates, virtutes, operationes ſeu vera ſeu ficta ſint*, ut in indice Categorico dicebamus, inveſtigari & ad ſuas Categorias revocari poſſunt, cum nulla ſit circumſtantia, qvin alteri reſpondeat, etſi, qvod (244.) autor noſter monet, relatio illa propriis verbis interdum non poſſit exprimi. Ex hac igitur collectione primum petes *metaphoras ſimplices*, *rubea folia* e. g. dicens PURPUREAM EPOMIDEM *roſæ*, deinde *propoſitiones metaphoricas*, ut ſi dicas: *Momentum temporis regina florum purpuream Epomidem coronamqve eripuit.* Deniqve deſcriptionem allegoricam, notionibus ſententiæ tuæ congruis ingenioſe diſpoſitis, ut allegoria ab ortu roſæ ad mortem florida jucundaqve dictione continuetur. Qvod qvidem tibi ipſi tentandum relinqvo. Sed etiam, qvod (245.) autor noſter dudum admonuit, eadem facilitate mutatis vicibus qva *roſam* allegoria *reginæ*, reginam qvoqve allegoria *roſæ* depingere licet, qvæ eſt metaphoricæ proportionis inverſio·

(244.) Ar. Poët. c. 20. licet ante quibusdã nomen proportione reſpondens inditum nõ ſit nihilo tamen ſecius ſimilis ratione dicetur.

Ppp Qvæ

(245.) Ariſt. 3. Rhet. c. 4. Oportet translationem qvæ ex proportione ducitur ad utramqve partem reddere.

Qvæ de metaphora *proportionis* dicta ſunt, eadem transfer ad metaphoram ATTRIBUTIONIS. Unde non minus ingenioſæ lepidæqve allegoriæ ducuntur, veluti hæc Ciceronis: LAUREA *magnis periculis parta amittit longo tempore viriditatem.* Ubi *laurea* vocatur victoria, qvæ eſt metaphora attributionis, tota autem allegoria ſignificat *domus triumphales degenerare tandem & ignavos homines producere.* Et Panegyriſtes pro eo, qvod *imperium Romanum temeritate Craſſi ſpolia & decus ſuum inter parthos amiſerit* Aqvilam pro imperio accipiens h. e. inſigne pro re ipſa (qvæ eſt *metaphora attributionis*) eandem ſic continuat: *Infelices AQVILÆ, invito Numine avariſſimum ſecutæ Imperatorem, inter barbarorum tela implumes irriſaqve ceciderunt.* Eadem attributionis allegoria duo ſervi Plautini *Sagariſtio & Toxylus* argute inter ſe jocantur, qvorum prior cum furatus eſſet pecuniam pari boum comparando deſtinatam, nummos illos vocat BOVES *rem pro pretio.* Cum igitur Toxylus prehendere vellet crumenam, in qva erant nummi Sagariſtio dicit: *Caveſis à cornu.* T. *Qvidtum?* S. *qvia* BOVES BINI *hac ſunt in crumena.* *T. Emitte foras, ne eneces fame ſine ire paſtum.* i. e. cur retines hoc argentum cur non illud conſumimus? S. *Enim metuo ut poſſim in bubilem ejicere, ne vagentur* i. e. ſi promo illos, vereor ne mihi eripiantur. T. *Ego ejiciam* i. e. da mihi ipſos, probe ipſos impendam. Et qvoniam *abſtractum pro concreto* etiam eſt metaphora *attributionis*, ut ſupra docui, unde AMOR tanqvam Numen pro affectu amoris ponitur, argutam allegoriam in eo poſuit Anacreon: *Puellum AMOREM ad januam cum arcu algentem trementemqve vidi, induxi in ædes & fovi, tum ille jam calefactus telum mihi ſtatim infixit & ridens abiit.* Et Julianus Ægyptius ab eadem radice hanc duxit: *Cum necterem corollas, AMOREM reperi inter roſas: hunc ala correptum in vino demerſi & bibi, nunc mihi ſævit in medullis.* Anacreontis autem ſententia eſt: *niſi qvis affectum, dum parvus eſt ejiciat, fore ut illi poſtea ſuccumbat.* Et Juliani: *Vinum eſſe fomentum intemperantiæ.* Et ne his diutius immorer, reliqvas ſex metaphoras tuo ingenio percurre, ex qvibus effloreſcere videbis allegorias continuatas, qvarum exempla in ſingulis metaphoris à nobis expoſitis reperies.

DE

Digitized by Google

DE

ARGUMENTIS METAPHORICIS ET VERIS ENTHYMEMATIS.

CAP. XIIX.

ISta erant argutiæ SECUNDÆ MENTIS OPERATIONIS multo nobiliores atqve ingenioſiores iis, qvas prima mentis operatio profert. Neceſſe igitur eſt ut perfectiſſimæ omniumqve ingenioſiſſimæ ſint argutiæ TERTIÆ MENTIS OPERATIONIS. Qvin his ſolis convenit *argutiarum* nomen, qvod ab *argumento* ductum eſt, in qvo tertia mentis facultas proprie poſita eſt. Hic deducam te ad reconditam eamqve ſvavem ac curioſam doctrinam, in Rhetorum ſcholis nondum ſatis declaratam, niſi qvod qvidam ejus radius ex paucis (246.) autoris noſtri verbis elucet, dum ENTHYMEMA URBANUM aut URBANITATEM ENTHYMEMATICAM nominat ad eum modum, qvo de urbanitate ſimplicium verborum docuerat. Dico igitur *Enthymema urbanum* ſeu *perfectam argutiam* eſſe illam, qvæ vim habet argumenti ingenioſi, ut ſunt clauſulæ *Epigrammatum*, DICTA INGENIOSA ACUTI SALES & qvicqvid in proſa verſu aut inſcriptionibus ARGUTUS SENSUS vocari ſolet. Horum primum exempla præbebo, qvæ lucem afferant huic doctrinæ, & ſylvam unde præcepta fabricentur, conſtituant.

(246) Ar. 3. Rh. c. 10. Neceſſe igitur eſt tam dictionem qvam enthymemata ea urbana eſſe qvæ velocem nobis cognitionem faciunt.

Senſum argutum voco primum illum, qvem interpretes Martialis tantopere laudarunt in Apem electro caſu exſtinctam:

Et latet & lucet Phaethontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clauſa ſuo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum
Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.

Felicem apiculam! qvæ pretioſiorem tumulum in his verſibus qvam in electro illo invenit. In hoc enim moriebatur, in iſtis vivit, totqve gemmis qvot verbis ornatur. Sunt enim verba ape certe digniſſima, qvæ *ſtilo* mel, aculeum *ſententia* continent.

Argutum qvoqve & à Cicerone (idoneo argutiarum ut inventore ſic judice) celebratum eſt hoc Timæi in conflagrationem templi Dianæ: *Deam illam non potuiſſe reſtingvere flammas templi ſui, qva Olympia Alexandrum parturienti adfuerit.* Ingenioſe enim notaverat eadem nocte & natum eſſe Alexandrum & conflagraſſe templum illius Deæ, qvæ parientibus præerat.

Acutiores ſunt duæ argutiæ ejusdem Ciceronis in Verrem, etſi Siculis illas tribuat: *Alii negabant jus tam neqvam eſſe Verrinum, alii ſacerdotem execrabantur, qvi Verrem tam neqvam reliqviſſet.* Alludens ad Cajum ſacerdotem, cui Verres in prætura ſucceſſerat.

Non minus ingenioſum acutumqve Julio Cæſare judice eſt dictum illud Sergii Galbæ ante laudatum, qvi cum in Libonem multos teſtes ſed omnes familiares & domeſticos citaſſet, à Libone ſic reprehenſus eſt: *Qvando tandem Galba è triclinio tuo exibis?* Cui ſtatim reſpondit: *Qvando tu de cubiculo alieno.*

Idem dicteriorum collector pro argutiſſimo celebrat hoc Veſpæ Terentii in Titium qvendam, qvi interdiu pila ludere noctu ſtatuas argenteas confringere ſolebat. Cum enim ſodalis qvidam ejus illum, cum ad ludendum non veniſſet reqvireret, reſpondit is: *Nolite mirari: nam brachium fregit.* Videtur loqvi de bracchio Titii, & ſtatuæ brachium intelligit, eodem dicto illum & excuſans & accuſans. Laudatiſſimum etiam eſt hoc, qvod Macrobius pro exemplo *ſalſi dicti* affert in Oratorem, qvi oblitus ſe filium eſſe ſalſamentarii, pro imperio loqvebatur: *Tace tu, cujus Pater cubito ſe emungere ſolebat.*

Sed Plutarchus argutiſſimum & dignum memoratu credidit hoc Ageſilai dictum: *Nolite mirari, qvod infectis rebus redierim, nam triginta me ſagittariorum millia ex Aſia depulere*, ſignificans ſe exercitum deduxiſſe, qvia Rex pacem emerat triginta millibus nummorum ſagittarii imagine ſignatorum.

Argutiſſimum qvoqve inter Plauti acumina eſt hoc lenonis, qvi cum puellas ſuas verbis non poſſet ab ara Veneris, qvo confugerant,

Digitized by Google

rant, detrahere, ignem petiit dicens: *Vulcanum adducam, is Veneri eſt adverſarius:* alludens ad priſcam fabulam, qvæ Vulcanum adulteræ uxori iratum fingit, ut indicaret infelicibus iſtis aut deferendam eſſe aram, aut fore, ut Vulcano ſacrificentur.

Sed ne antiqvitatibus iſtis immoremur, in commentariis Antonii Panormitani celebratur jocus regis Alphonſi, qvi cum tabulam Johannis Evangeliſtæ licitaretur, eamqve pictor Jacobus Alemanius ortu Judæus ſed Chriſtianus profeſſione qvingentis ſcutatis aureis indicaret, ridens ipſi reſpondit: *Tu qvidem certe carius diſcipulum vendis, qvam majores tui Magiſtrum.*

His veluti gemmam ſubjicio digniſſimam vaſta magni noſtri Emanuelis mente argutiam, cujus tot Apophthegmata ad principes ſunt prolata, qvot verba ab hiſtoricis non ſunt annotata. Hic igitur cum Ludovicus Rex Galliæ victor prius qvam ſpectator hoſtilis exercitus Suſas regia pompa ingrederetur, & pons non admodum firmus, qvo in arcem adſcenditur, tremeret, rege ipſi dicente: *Longius diſcede mi frater verſus latera, in medio enim pons contremiſcit:* is magno animo per medium incedens pontem: *Sub te ſolo*, inqvit, *Domine, omnia contremiſcunt.* Alludens ad Panicum Hiſpanorum terrorem, qvi ad ſolam ipſius advenientis famam è campo ſe ſubduxerant. Hoc ſolum encomium, ſi vel omnes hiſtorici tacuiſſent, Regi immortalitatem conferre poterat, cum nulla major ſit laus, qvam qvæ à laudatis Viris proficiſcitur.

Hæc igitur arguta dicta obſervantes & de toto hoc genere ex principiis ſuis ratiocinantes dicimus *perfectas argutias* ſeu ingenioſa enthymemata non eſſe alia, qvam ARGUMENTA URBANE FALLENTIA. Et primum qvidem hoc mihi dabis, opinor, non omne argumentum, utut ingenioſum, eſſe argutum. Qvod ſi enim afferas argumentum hoc Euclidis: *Triangulum habere tria angula æqualia, qvoniam omnes lineæ à centro ad circumferentiam ductæ inter ſe ſunt æqvales*, hæc qvidem ingenioſa eſt Mathematici demonſtratio, ſed arguta non eſt. Pariter ſi qværenti mihi, *qva de cauſa grando æſtate non hieme cadat?* Reſpondeas: *qvia ſecunda regio aëris hieme calida, æſtate ex antiperiſtaſi frigida eſt, unde vapores eò delati æſtate non hieme congelaſcunt*, eſt certe pulchra & docta reſponſio ex Meteorologicis petita, ſed argutam non dixeris, nec *clauſulam Epigrammatis* inde confeceris,

 feceris,

Digitized by Google

feceris, licet illam metro alliges. Hæc enim ratio ſine ulla fictione intellectus vera eſt & rebus conſentiens. Neceſſe itaqve eſt, ut *argumentum argutum* vim habeat ab ingenio h. e. ab aliqva *fictione cavillatoria*, ut vere dici poſſit *conceptus noſter*. Hinc igitur *dicta arguta* à Macrobio græce dicuntur ΣΚΟΜΜΑΤΑ h. e. *cavillationes*, & (247.) autor noſter in divina ſua Ethica agens de urbano, ingenii ad dicta jacienda promti, vocat illum εὐσχήμονα i. e. bonum cavillatorem. A Seneca vero argutiæ definiuntur CONCLUSIUNCULÆ CALLIDÆ h. e. *paralogiſmi*, prorſus reſpondentes Epigrammatum clauſulis. Atqve ut hoc ita eſſe cognoſcas, expendas qvæſo decem illa argutiarum exempla ſuperius propoſita, qvarum qvælibet verſibus explicata argutum Epigramma redderet, omnesqve cernes poſitas eſſe in aliqvo *loco Sophiſtico* ſeu ut (248.) autor noſter vocat *apparentium Enthymematum loco*. Prima enim ſpecie videntur aliqvid inferre, ſed excuſſi in *vanam fallaciam* abeunt, ut poma maris mortui aſpectu pulchra ſunt, comeſta cinere & fumo os implent.

Primum enim Enthymema illud Martialis in Apem in electro: *Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori*, fundatum eſt in *paralogiſmo* qvem (249.) autor noſter vocat ex SIGNO, ut ſi dicas: Credibile eſt Dionyſium eſſe latronem, qvia malus eſt. Subeſt hic præterea FALSA ANALOGIA, qvæ animanti rationem tribuit, ut homini.

Timæi vero iſtud in templi Dianæ incendium poſitum eſt in *paralogiſmo*, qvi (250.) vocatur à NON CAUSA PRO CAUSA. Qvi infert hoc eſſe illius cauſam, qvoniam eodem tempore aut pauló poſt accidit. Et hic qvoqve concurrit HOMONYMIA illius Numinis.

Iſtud Ciceronis de *jure Verrino* & de *Cajo Sacerdote*, item Veſpæ illud Terentii de *brachio fracto*, & Ageſilai illud *de triginta millibus ſagittariorum*, & Regis Alphonſi *de diſcipulo cariori qvam Magiſtro* omnes ſunt cavillationes *ex Paralogiſmo* (251.) *ÆQUIVOCATIONIS* ortæ.

Reſponſio Galbæ Libonis propoſitioni rythmo qvodam reſpondens: *Qvando de triclinio tuo exibis*: *Qvando tu de cubiculo alieno* fundata eſt in paralogiſmo Elenchtico, qvem (252.) autor vocat PE-

NES

(247) *Ar. 7. Eth. c. 10*

(248) *Ar. 2 Rh. c. 25. Loci antẽ Enthymematum qvæ non ſunt ſed apparent hi ſunt.*

(249) *Ar. 2. Rh c. 25. Alius ex ſigno nam id nihil colligit.*

(250) *Ar. ib. Alius à non cauſa pro cauſa ut quod una cum facto vel poſt accidit.*

(251.) *Ar. ibid. alius penes æqvivocationem ut ſi quis canem laudans de cœleſti etiam diceret.*

(252.) *Ar. ibid. alius penes dictionis figuram unam quod per oppoſitum dictum eſt videtur enthymema.*

NES DICTIONIS FIGURAM. Ut enim ſupradiximus, etiam falſum Enthymema, antitheti figuram præferens, verum videtur & neceſſarium Enthymema. Et hujus generis pleraqve ſunt dicta & argumenta ingenioſa.

Minæ Lenonis ad mulieres, qvæ ad aram confugerant: *Vulcanum adducam, is Veneri eſt adverſarius*, ut igne eas ſe dejecturum ab ara inferret, præter æqvivocum à vero ad fabuloſum, paralogiſmum habent, qvem (253.) autor vocat PENES CONSEQVENS. Etſi enim qvi alteri adverſatur, ejus ſit adverſarius, non tamen ſeqvitur, omnem adverſarium etiam alteri adverſari.

Eodem vitio laborat Laconiſmus in filium ſalſamentarii: *tacere debes, qvia pater tuus cubito ſe emungebat* præter qvam, qvod ibi qvoqve ſit vocum immutatio, dum ſalſamentarius vocatur *cubito ſe emungens*. Huic ſimilis eſt (254.) paralogiſmus Steſichori: *non oportet contumeliatores eſſe, ne cicadæ humi canant.*

(253) *Ar. ib. Alius penes conſeqvens uti exornat ſe delicatè adulter ergo eſt.*

Deniqve memorabilis reſponſio Caroli Ludovico Regi facta eo ingenioſior eſt, qvo plures comprehendit paralogiſmos videl. *à ſigno, ab æqvivoco, a non cauſa pro cauſa & à falſa analogia.* Ex qvibus infero præcipuam laudem argutiarum ſitam eſſe in artificioſo mendacio. Cujus gloria ab (255.) autore noſtro bono Homero tribuitur qvi & hoc docet mendacia Poëtarum meros eſſe paralogiſmos. Eandem gloriam ſibi Muſæ vendicant apud Heſiodum: *Scimus mendacia dicere multum veriſimilia.* Sed ut idem evidentius perſpicias, ab undecim iſtis argutiis pro exemplo propoſitis auter id, qvod ipſis falſi ineſt & qvantum ipſis adjeceris ſolidi & veri, tantum ipſis detraxeris jucundi, & lepidi, radice nimirum argutiarum prorſus evulſa. Fac apiculam Martialis fuiſſe ratione præditam atqve adeo ſponte ſibi tumulum elegiſſe in electro illo: Dictum illud non magis argutum erit ac ſi qvis molem Hadriani demonſtrans diceret: *Credibile eſt Adrianum Imperatorem in mole illa ſepeliri voluiſſe.* Fac Dianam vere ut aliam obſtetricem ab Epheſo Pellam diſceſſiſſe, cum templum ipſius igne deleretur: fac edictum Verris revera fuiſſe juſculum porcinum, fac Galbam non potuiſſe exire de triclinio, niſi Libo de alieno exiret cubiculo, fac Titium noctu vere ſuum fregiſſe brachium, fac ſalſamentarium proprie appellari cum; *qvi cubito ſe emungat*: triginta mille homines ſagittis Ageſilaum Aſia depuliſſe,

(254.) *Ariſt. 2. Rh. c. 22.*

(255.) *Ariſt. Poët. c. 22. Homerus vero præcipue alios Poëtas docuit qvo pacto mendacium ipſum dicendum ſit, qvod profecto paralogiſmus eſt.*

ſe, ſic deniqve pictorem non imaginem ſed diſcipulum ipſum vendidiſſe, vere item & naturaliter ſub pedibus Regis Ludovici omnia tremuiſſe: dicta illa non erunt amplius argutiæ ſed rationes veræ & communes, ſine novitate, ſine acumine, ſine ingenio & gratia.

Sed audire mihi videor te objicientem; Suntne ergo omnes Dialecticorum fallaciæ & inviſæ Zenonis ac Protagoræ cavillationes arguta dicta & ingenioſa Epigrammatum argumenta? Capitale certe arduumqve dubium, qvod tamen oraculum noſtrum duobus verbis expedit: ENTHYMEMA URBANUM. Fateor qvidem his recte declarandis explicanda eſſe maxime recondita artis Rhetoricæ myſteria, multis perplexis qvæſtionibus hodienum implicita, præcipue *qvod diſcrimen ſit DIALECTICÆ & RHETORICÆ*, cum ſorores ſint (ut (256.) autor noſter ludit) uno partu editæ ſibiqve adeo ſimiles, ut multi Doctores alteram pro altera acceperint. Sed ut veluti in tranſcurſu oraculi hujus brevem ſtricturam aperiam, dico: *Cavillationem urbanam* omnino differre à *cavillatione Dialectica*, *materia, fine, forma tam accidentali qvam eſſentiali.*

Primum MATERIA differre dico: (257.) materia enim Rhetorica (qvod alibi plenius traditur) complectitur *res civiles qvatenus moraliter perſvaderi poſſunt*, h. e. qvæ cadunt in tria genera cauſarum *laudem aut vituperium, ſvaſionem aut diſſvaſionem, accuſationem aut defenſionem*, ſive in privatis negotiis, ſive in civili converſatione, ſive in publicis orationibus. Contra Dialectica materia continet *res de qvibus in ſcholis* inter eos, qvi verum inveſtigant, *diſputari poteſt*. Unde ſi dicas: *Verres eſt individuum ex corpore & mente conſtans*, materia eſt dialectica. At ſi dicis: *Verres eſt publicus Siciliæ fur*, materia erit Rhetorica. Sic igitur cavillatio Rhetorica ex (258.) materia civili qvæ populo perſvaderi poteſt, petitur, cavillatio vero Dialectica ex materia in ſcholis diſceptari ſolita. Unde ſi dicas: *Ens ſyllaba eſt, ſed ens eſt genus. E. ſyllaba eſt genus.* Hic eſſet *paralogiſmus Dialecticus* in re ſcholaſtica, qvæ neminem offendit. At ſi dicas: *Verres eſt animal brutum. Sed Verres Siciliam regit. Igitur animal brutum Siciliam regit.* Hic qvidem Paralogiſmus Dialectico illi ſimilis eſſet ratione *loci Topici h. e. homonymiæ & formæ qvoqve ſyllogiſticæ*, ſed Rhetoricus eſt materia, qvoniam Prætorem Siciliæ vituperat.

Hiſce conſeqvens eſt, ut FINE qvoqve differant. Sicuti enim Rheto-

(256.) Ar. 1 Rh. c. 1. Rhetorica Dialectica æqvipollet.

(257.) Ar. 1. Rhet. c. 2. Dialectica ex iis eſt qvæ illis videntur qvibꝰ cum ſit diſputatio, Rhetorica vero ex iis qvæ illis videntur qvi hac in conſilio qværunt.

(258.) Ar. 2. Rh. c. 22. Enthymemata ſyllogiſmi de rebus civilibus ſunt.

Digitized by Google

Rhetorica popularem perſvaſionem reſpicit, & Dialectica inſtitutionem Scholaſticam, ſic cavillatio urbana ſibi proponit animorum oblectationem ſine veri obſcuratione, cum Dialectica cavillatio animos diſputantium falſitate non aliter ac præſtigiis decipere qværat. Unde admonet (259.) autor noſter Rhetorem perſvadentem & noſſe Sophiſmatum locos & illos adhibere poſſe. Dum enim honeſta perſvadeat, omni argumento uti poteſt. E contrario Dialecticus condere qvidem ſophiſmata ſed illis uti non poteſt, cum merito turpe ſit ei qvi veri ſtudium profitetur, docere falſum. Talis erat paralogimus Zenonis, qvem is Achillem ſuum vocabat dialectica qvadam jactantia, qva poſtulabat auditoribus ſuis demonſtrare, nullam rem nec cœlo nec terra moveri poſſe etſi oculi cognoſcant motum & affirment: *Omne continuum componitur ex individuis, ſed ſuper individuo nihil movetur. Igitur ſuper continuo nihil movetur.* Tales qvoqve erant cavillationes Protagoræ impudentis Sophiſtæ, qvi mendacio veritatem opprimere non dubitabat, reprehenſus ideo ab (260.) autore noſtro. Item illæ Æſchinis, qvas Demoſthenes comparabat Syrenibus, ideo qvod paralogiſmis ſuis non ad utilia auditores allicere ſed in fraudem inducere cogitabat.

(259) Ar. Rh. 1. c. 1. Orator tam ſcientia qvam electione cavillator eſt. Dialecticus autem ſcientia non electione.

(260) Ar. 2. Rh. c. 25. hinc jure homines Protagoræ profeſſionẽ non ferebant. falſum enim profitebatur non verum.

Hinc etiam MATERIALI FORMA urbanum enthymema à ſophiſmate dialectico differt. Sicuti enim finis Oratoris eſt perſvadere qvocunqve modo auditoribus grato, fabulis etiam & fictionibus: ſic propoſitiones Enthymematis ſui nunc verborum ornatu veſtit, nunc ſine ordine Dialectico profert, nunc (261.) demit illas, qvas Auditor jam cognitas ſine faſtidio non audiret, & abſcondit illas, qvæ apertæ & expoſitæ fallaciam detegerent. Contra inter diſputantes, qvi in cognoſcendo vero ad ſubtilitatem omnia exigunt, ſyllogiſmi propoſitiones plene & perſpicue proferri debent, ut intellectus *antecedenti* aſſenſus *conſeqventi* qvoqve aſſentiri cogatur. Hinc in Ciceronis illo in Verrem dicto integrum enthymema concluſum eſt paucisqve verbis vibratum: *Mirandum non eſt jus Verrinum tam eſſe neqvam*, qvod ſi forma ſyllogiſmi explicaſſet in hunc modum:

(261.) Ar. 1 Rh. c. 2. Enthymema ex paucis cõſtat ac ſæpe paucioribus qvam ſyllogismus, nam ſi qvid peſpicuum eſt id dicendum non eſt, ipſe namq; Auditor ex ſeipſo affert.

Omne jus Verrinum eſt neqvam
Sed edictum Verris eſt jus Verrinum
Igitur edictum Verris eſt neqvam.

Nimis perſpicue eluceret homonymia medii termini, JUS VERRINUM, qvi involutus & veluti in tranſitu projectus imprudentes Auditores fallit, qvi hac ingenii velocitate gaudent, eaqve non aliter ac præſtigiis rident.

Ultima & præcipua differentia ſita eſt in FORMA ESSENTIALI urbanitatis. Etſi enim omnis cavillatio ſit *fallacia*, non tamen omnis fallacia eſt *cavillatio urbana*, ſed ea demum qvæ ſine dolo malo ludens veritatem tegit non opprimit, atqve ita falſitatem imitatur, ut verum nihilominus qvaſi ſub velo qvodam pelluceat, qvo id qvod tacetur ex eo, qvod dicitur, celeriter poſſit colligi: In qva veloci (262.) cognitione natura metaphoræ (ut demonſtravimus) poſita eſt. Hinc ſicuti in metaphora ſimplici, veluti cum dico, *prata rident* non ea mens eſt, ut perſvadeam: prata os diducere ut homines, ſed illa eſſe amœna: ſic enthymema metaphoricum aliud infert, & aliud vult intelligi. Non credas, poſtulat, edictum Verris eſſe juſculum porcinum, ſed hac homonymiæ metaphora iniqvitatem hujus edicti intelligi vult. Et hæc eſt CAVILLATIO URBANA, qvam qværebas. At Dialectica cavillatio fidem facere qværit, his propoſitionibus, qvas affert, & ſicuti iſta falſi ſpecie verum docet, ſic hæc veri ſpecie impudenter docet falſum. Verbo: Tale diſcrimen inter utramqve intercedit, qvale inter viperam veram, qvæ ſubito te mordet & veneno imbuit, & inter viperam pictam, qvæ videtur mordere velle & delectat. Hinc igitur *dicta urbana* genuini ſunt fœtus poëſeos, cujus eſſentia ſita eſt in *imitatione*. Collectis igitur qvatuor differentiis, de qvibus diſſerui, infero ENTHYMEMA URBANUM *eſſe cavillationem ingenioſam in materia civili, jocoſe perſvadibili, ſine perfecta ſyllogiſmi forma, in metaphora fundatam*, atqve hæc eſt *perfectiſſima argutia*, de qva nunc agemus.

(262) Ar. 3. Rh. c. 10. neceſſe eſt tam verba qvam Enthymemata ea urbana eſſe qvæ velocem nobis cognitionem faciunt.

Cæterum hic moneo qvatuor illas differentias nonnunqvam pro arbitrio feſtivi ingenii ſeparari, atqve ita inter ſe permutari poſſe ut limites facultatum tranſeas. Sic v. g. ut cum *materia* ſit Rhetorica,

Digitized by Google

rica, *forma* utaris Dialectica, aut in *Dialectica* materia finis ſit *Rhetoricus*, aut ſyllogiſmus accipiat figuram enthymematis aut hoc figuram illius, aut qvibus aliis modis fœcundi ingenii impetus diverſas inter ſe ſpecies inſerere novumqve fructum producere poſſit. Hinc ſi ita diſſeras: *Terra inter ſolem & lunam erit interpoſita E. defectum luminis patietur luna*, *ſyllogiſmus* hic eſt *Aſtronomicus* & eruditus, Rhetorici Enthymematis ſpecie indutus. At ſi ita diceres: *Terra invida oculis Dianæ ſe objicit, ne vultum Apollinis ſui contueri poſſit, unde præ mœrore colorem amittit.* Vides *materiam* eſſe Aſtronomicam ſed *formam eſſentialem* eſſe poëticam, cum *fine* partim Aſtronomico partim poëtico, qvoniam vult docere delectando & delectare docendo. Qvales ſunt allegoriæ Heſiodi, Orphei, & aliorum Aſtronomorum atqve Philoſophorum fabulis utentium. Sic nonnunqvam Dialecticus ſcholaſticam ſeveritatem deponens fiet urbanus & facetus, in fallaciis nectendis, ut veritate potius ludat qvam mendacio illam opprimat. De his Plato loqvitur iis comparans, qvi joco alteri ſcamnum ſubducunt, ut ſine noxa ſua ſupinus concidat qvo habeant, qvod rideant: *hæc omnia ludi qvidam ſunt & ludere iſtos tecum ajo eorum more, qvi ſedere volentibus à tergo ſummovent ſedile ſuſiusq́, rident cum viderint eum, qvi cecidit, jacere ſupinum.* Tale eſt hoc apud Senecam Sophiſma, qvo tirones Dialecticæ cogebantur in fronte cornua agnoſcere, qvæ non habebant: *Qvod non amiſiſti habes. Sed cornua non amiſiſti. Cornua igitur habes.* Item hoc qvod diu torſit ingenium Lucilii Philoſophi qvidem boni, ſed mali Dialectici: *Mus ſyllaba eſt, Mus autem caſeum rodit, E. ſyllaba caſeum rodit.* Qvæ exempla vides eſſe lepida, etſi *forma* tam eſſentialis qvam accidentalis ſit vere dialectica: materia tamen prope accedit ad Rhetoricam, cum prius revocetur ad genus *demonſtrativum*, cum opprobrio ſit habere cornua, poſterius ad *deliberativum*: rem familiarem enim reſpicit. Qvoniam vero materia eſt vilis, utrumqve ridiculum eſt & facetum. Unde hæc *cavillatio dialectica* eundem habet finem, qvem *cavillatio Rhetorica & urbana*, non doctrinam ſed delectationem ſpectans. Qvod ut verum eſſe appareat, mutes *materiam* poſterioris, eandem retinens formam & figuram dialecticam hoc modo: *Ens ſyllaba eſt, Ens autem eſt genus, E. ſyllaba eſt genus.* Nonne intelligis cum & *materia* & *forma* Dialectica maneat & Scholaſtica, cavillationem non

 ridicu-

ridiculam amplius eſſe nec facetam ſed humiliter ſeriam qværentem decipere diſputantes, non exhilarare ſodales? Ab iſta vero cavillatione Dialecticè faceta aliæ cavillationes non minus facetæ provevenient mutata *ſyllogiſtica forma in Enthymematicam.* Finge igitur dialecticum coram te hoc ſophisma propoſuiſſe: *Mus ſyllaba eſt, ſed mus caſeum rodit, E. ſyllaba caſeum rodit:* Reſpondere liceat: *Cavebo igitur domi, ne tuæ ſyllabæ mihi caſeum rodant.* Aut: *At ego libros omnes abjiciam, ne meum devorent penu.* Aut: *Ego vero muſcipulas comparabo, ut ſyllabas captem.* Aut è contrario: *Imo vero de meo penu ſecurus eſſe poſſum. Nam mus ſyllaba eſt, nulla vero ſyllaba caſeum rodit.* Sic ab uno *ſyllogiſmo cavillatorio naſcentur enthymemata urbana & diſputatio ſcholaſtica in familiarem ſermonem* abibit. Sic *ſyllogiſmum Sophiſticum in urbanum Enthymema* convertit pauper qvidam Arithmeticus Genuenſis, qvi cum omne, qvod miſere comparſerat, impendiſſet filio, Ticini operam ſtudiis navanti, ex eo domum reverſo inter cœnandum, ubi ovorum par cum ſale & potu aqvæ puræ totam cœnam faciebat, qvæſivit, qvid in literis profeciſſet, cui filius: *ſubtiliſſimas*, inqvit, *& pulchrrrimas res ô Pater, in ſchola Dialecticorum didici, qvibus evincere poſſum duo iſta ova eſſe qvatuor, duo enim iſta ova binarium numerum faciunt, binarius autem duas continet unitates, qvæ binario conjuncta faciunt bis duo atqve adeo qvatuor, unde patet duo iſta ova neceſſario eſſe qvatuor.*

Sed bonus iſte ſenex indignatus tam parum doctrinæ tanta ſibi pecunia filium comparaſſe, amarè facetus: *Duo*, inqvit, *ova iſta mihi capiam, reliqva duo tibi relinqvo iisq; latus fruere.* Sic Arithmeticus ex *Sophiſmate Arithmetico urbanum* duxit *Enthymema*, relicta alteri Logicorum argutia.

Sed audire mihi videor qverelam eorum, qvi à Dialecticorum ſpinis abhorrentes facilem & amœnam argutiarum doctrinam exſpectabant, qviqve adeo ægrè ferunt ſe ablegari ad Sophiſmatum Labyrinthos, qvibus vix Dædalus ſe extricare poſſit. Eqvidem fateor à Dialectico majorem reqviri & clariorem cavillationum intelligentiam, ut argutiarum cognitionem certam & ex principiis ſuis deductam teneat. *Rhetorica* enim *Analytica*, (ut magni diſcipuli magnus (263.) Magiſter nominat) non alia eſt niſi *Philoſophia* qvædam, ſed *Rhetorica practica*, cujus maximi ſæpe (264.) Philoſophi expertes ſunt, per alta iſta faſtigia non ingreditur, pluſqve efficere poteſt mediocri

(263) *Ar. Præf. Rh. ad Alex. Etiam atqve te hortor ut dicendi philoſophiam omni ſtudio complectare.*

(264) *Ar. 1. Rh. c. 1. Ne ſi certiſſimam qvidem habeamus ſcientiam eſt nonnullis per eã perſvadere.*

diocri ingenio qvam magna ſcientia. Cum igitur *ſenſus argutus* ſit *ENTHYMEMA* URBANUM h. e. metaphoricum, illud Rhetor derivabit ab octo metaphoris tanqvam locis ſibi propriis, ſicut Dialecticus cavillationes ſcholaſticas à *locis ſophiſticis* deducit. Qvodſi igitur ſine magna Logicæ cognitione *verborum metaphoricorum* rationem eaqve per allegoriam in *metaphoricis propoſitionibus* continuare didiciſti, nil obſtabit qvo minus adjecta *ratiocinatione Enthymemata metaphorica*, qvæ deſideras, conficere per teipſe poſſis.

Iſta vero RATIOCINATIO, qvæ *anima* eſt omnis Enthymematis, propriè poſita eſt in duabus mentis circa *thema* aut *rem propoſitam* operationibus. Prior eſt, ut ADDUCATUR ratio de *re propoſita*, altera ut ex re propoſita aliqvid conſeqvens DEDUCATUR. Sed in argutiis tertia qvædam operatio concurrit, qvæ licet Enthymema non faciat, ejus tamen ſpeciem habet, atqve hæc eſt ANIMADVERSIO in duabus rei propoſitæ circumſtantiis, qvæ inter ſe convenire aut diſſentire videntur, qvod ad argutias *oppoſitorum & admirabilium* maxime conducit. Sic igitur Enthymematum argutorum alia poſſumus vocare ADDUCENTIA, alia DEDUCENTIA, alia deniqve ANIMADVERTENTIA. Singulorum exempla ingenioſa Martialis ſuppeditat ejusdem argumenti, *animantis* nimirum *in electro exſtincti*. De ape enim in electro mortua Enthymema habet ADDUCENS. Cum enim rem ipſam enarraſſet rationem ejus adducit metaphoricam:

Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.

DEDUCENS eſt hoc alterum de vipera in electro exſtincta, cum enim rem propoſuiſſet, deducit inde conſeqvens aliqvod metaphoricum:

Ne tibi regali placeas Cleopatra ſepulchro,
Vipera ſi tumulo nobiliore perit.

Eſt enim metaphora electrum pro viperæ ſepulchro accipere. ANIMADVERTENS eſt hoc ejusdem de formica in electro mortua. Expoſito enim argumento hanc animadverſionem ſubjicit:

Sic modo qvæ fuerat vita contemta manente,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

Digitized by Google

Apparet certe nullam eum hic adducere rationem, neqve inde conſeqvens aliqvod deducere, ſed animadvertere aliqvid de præterito & præſenti *formicæ* ſtatu, in qvo invenit oppoſitum aliqvid & mirabile atqve adeo metaphoricum. Certum tamen eſt, ubi tertia hæc operatio cum prioribus conjungitur, argutias ſupra modum ingenioſas provenire ut mox audies.

Percurre nunc iterum decem illas exempli loco propoſitas argutias, & agnoſces, qvicqvid in iis argutum eſt, ab aliqva harum trium operationum metaphoræ cuidam innixarum proficiſci.

Illius qvod Timæus dixit *thema* hoc erat: *Diana templi ſui flammas minime reſtinxit.* Ratio adducitur: *qvia in Alexandri natalibus erat occupata.* Ratio fabuloſa in metaphora *hypotypoſis* poſita, ut pote divinitatem ejusqve actionem qvandam fingens. Si enim vera divinitas Dianæ adfuiſſet, utriqve facile mederi potuiſſet: Sed hic ſimul concurrit acumen animadverſionis, dum mens erudita ac vivida & inſtantem actionem conſiderat & abſentem comparat, incendium ſcilicet templi Epheſini, cum Alexandri nativitate, qvare argutia valde ingenioſa Ciceroni eſt viſa: Sed Plutarcho adeo frigida, *ut flammas illas* (qvæ verba ejus ſunt) *exſtingvere potuiſſet.* Cicero enim ingenio ipſe feſtivo poëticum qvoddam acumen in eo mirabatur, ſed Plutarchus Cenſor rigidus hiſtoriæ leges ſpectat.

Iſtud de Verre hoc habet *thema: Verris edictum neqvam eſt*, ratio *adducitur, qvia JUS VERRINUM eſt*, in qvo duplex eſt metaphora ex duobus homonymis JUS & VERRINUM, in qvo magna velocitas ingenii perſpicitur, qvod utrumqve objectum uno momento notare unoqve vinculo colligare potuit.

Altera argutia eſt *deductiva*, cum enim *thema* ſit: *Cujus SACERDOS VERREM reliqvit Prætorem*: hinc deducit metaphoricum illud conſeqvens: *igitur Sacerdos ille execrabilis eſt, qvi Verrem tam pernicioſum reliqvit* h. e. *Orco non ſacrificavit.* Qvæ acutior eſt priori ſententia utraqve enim æqvivoca magis aperta ſunt & cognitu faciliora, ſed prius illud magis eſt reconditum, ſiqvidem vox JUS non ſatis apertam habet cognitionem.

Reſponſio Galbæ in *Animadverſione* verſatur: *qvando tandem Galba exibis de triclinio tuo? qvando tu de cubiculo alieno.* Ubi obſervas velocem ingenii ad duas res inter ſe relatas converſionem, ſed qvia

Digitized by Google

qvia *relatio* iſta imaginaria eſt non vera, ideo naſcitur metaphora *oppoſitionis*. Sed & hic rationis *adductio* cum animadverſione concurrit. Cum enim *thema* ſit: *Galba non exit de cubiculo ſuo*, adducitur ficta ejus ratio: *qvia Libo non exit de cubiculo alieno.*

Adducens pariter eſt hoc de Titio. *Thema eſt*: *Titius pila minime ludit*, ratio, *qvia brachium fregit*. Ratio metaphorica in *homonymia BRACHII* fundata. Sed & hic obſervatur animadverſio qvædam, ſicut in omnibus argutiis homonymia nixis. Iſta enim reqvirit ingenii celeritatem in animadvertendis duabus rebus una voce notatis.

Alterius dicti *thema* eſt: *Orator hic tacere debet*, ratio *adducitur*, *qvia viliſsimi ſalſamentarii filius eſt*, ſed in hoc ſenſu nihil eſſet arguti, niſi metaphorâ Laconiſmi enuntiata eſſet ratio: *qvia ejus eſt filius, qvi cubito ſe emungebat*, qvanqvam ſic argutia magis in propoſitionem qvam in argumentationem cadit, cum metaphora ad conſeqventiæ rationem nihil faciat, faceret autem hoc modo prolata: *Mirum non eſt, ſi tam magnifice loqvitur, nam ejus genitores JUS SANGVINIS habuerunt*. Videlicet facturi apexabones.

Adducens pariter eſt hoc Ageſilai. Cum enim *thema* eſſet, *Ageſilaus ex Aſia receſsit*, affert hanc rationem metaphoricam ex *homonymia*, *qvia triginta illum millia SAGITTARIORUM ex Aſia depulerunt*, ludens in vocabulo nummorum *ſagittario* ſignatorum.

Adducens pariter & *animadvertens* eſt argutia Lenonis Plautini, cujus *thema* eſt: *Vulcanus mulierculas depellet ex æde Veneris* ratio *qvia Vulcanus Veneris eſt adverſarius*. Ubi apparet fundamentum Enthymematis eſſe *metaphoram attributionis*, ubi autor accipitur pro opere, *Vulcanus* pro igne, & erudita ſimul animadverſione alluditur ad fabulam Vulcani Veneri ſuccenſentis ob amorem Martis.

Deducens eſt regis Alphonſi. Cum enim *thema eſſet Judæus vendit imaginem diſcipuli Chriſti qvingentis aureis*, ſagax ingenium regis *imaginem* accepit pro *ipſo diſcipulo*, qvæ erat metaphora *attributionis* & homonymiæ. Hinc deducit neceſſarium hoc conſeqvens: *Ergo hic charius vendit diſcipulum qvam Judas Magiſtrum*. Ubi mirari licet ingenii velocitatem *animadvertentis* comparationem rei præſentis & remotæ.

Adducens deniqve *&* *animadvertens* pariter eſt Enthymema Caroli

roli Emanuelis. *Thema* erat hoc: *Pons ſub rege TREMIT.* Ratio: qvia ſub Rege ſolo omnia TREMUNT. Nonne animadvertis, qvam velox ingenium fuerit, qvod duplici metaphora *proportionis & homonymiæ à TREMORE* phyſico ad moralem tranſiens, utrumqve eodem tempore acute obſervat & velociter conjungit. Et hoc modo Epigrammata Martialis, aliaqve qvæ legendo occurrent, argutè dicta expendas cenſeo, inqvirens illorum thema & obſervans, utrum ea qvæ concluduntur, vim habeant *vel rationis qvæ adducitur*, vel *Conſeqventiæ, qvæ deducitur*, vel *Animadverſionis, qvæ in obſervatione & Epicriſi duarum circumſtantiarum eſt poſita.*

TRACTATIO
DE
SACRARUM CONCIONUM ENTHYMEMATIS ARGUTIS
Unà cum exemplis.

TEmpus eſt, ut exſolvam promiſſa de reducendis *argumentis concioni aptis* ad ſpecies Metaphorarum, dummodo recorderis definitionis in hanc formam conſtitutæ. ARGUMENTUM SEU ENTHYMEMA CONCIONI APTUM eſt *argutia leviter ab ingenio divino ſignificata, ab ingenio humano eleganter eruta, & autoritate ſacri alicujus ſcriptoris confirmata.*

Argutiam eſſe dico *enthymematicam*, hoc eſt, argumentum, qvod ingenioſè probat thema aliqvod ſacrum & populo perſvaſibile, ita qvidem, ut *medius terminus* in metaphora fundetur. Ne verò originem admirabilis hujus ingeniorum partas ignores: certiſſimnm eſt, qvod ſanctus Gregorius in Moralibus ſuis obſervat, verbum divinum qvibusdam eſſe inſtar cibi, qvibusdam inſtar potus. Cibus eſt, qvando argumentis gravibus & docentibus, qvæ auditorem attentum & iis digerendis capacem reqvirunt, traditur & perſvadetur. Potus eſt, qvando argumentis adeò facilibus & planis ut ea qvivis ex vulgo

Digitized by Google

vulgo facilè hauriat,declaraturi. Hoc modo ſi proletariis ingeniis argumenta & rationes profundas apponis,ſublimibus autẽ rationes planas & vulgares propinas:eveniet id, qvod Propheta dixit:*Nobiles interierunt fame & multitudo ſiti exaruit.*Omnis igitur ars Evangelicorũ Oratorum in eo poſita eſt, ut facilè difficili eum in modum temperent, qvo inturba eſt doctis & idiotis conflata nec docti nauſeam capiant ex nimia facilitate, nec idiotæ moleſtiam ex nimia difficultate: Atqve hic modus & hoc temperamentum vera eſt *perſvaſio popularis.*

Hinc ſuperiori ſeculo, in qvo primum concionatores alicujus nominis enituerunt, Cornelius Muſſus, novum ſtylum eloqventiæ ſacræ procudit, qvi rapaciſſimi torrentis inſtar eloqventiam copioſam magis, qvam elaboratam fundebat, miſtam ex argumentis infinitis tam profundis qvam vulgaribus, ex doctrinis freqventius qvam ſubtilius allatis, ex citationibus Scripturæ potius qvam interpretum, ex interpretatione literali & plana potiùs qvam arguta & recondita, & ſi qvando uteretur ſymbolis & figuris, qvibus referta eſt Vetus & Nova Lex, applicatio erat ſapiens & ſolida potius, qvam acuta & inexſpectata. Ejusmodi res tantâ affluentiâ, tantoqve memoriæ labore afferebat, ut una concio decem aliis ſuffeciſſet, cum niſi exhauſtâ totâ materiâ nunqvam deſideret. Hanc methodum tunc pro miraculo habitam ſecutus eſt Panigarola ætate ipſius diſcipulus, ſed doctrina & dotibus multò ſuperior. Cum enim exqviſitam magni Doctoris ſcientiam, qvæ in ejus Theologia Davidica manuſcripta perſpicitur, cum accurata Rhetoricæ intelligentia, qvæ in ejus Demetrio apparet, conjunxiſſet, & præterea gratiâ & elegantiâ, qvæ hominem civilem ornat, eſſet præditus, venuſtate ſcilicet, facilitate, naturali facundia & ſvavitate pronunciationis excellens: Conciones non minus qvidem laborioſas, qvam magiſter ejus, ſed magis cultas, diſpoſitas & ſvaves habebat. Tranſiit hæc ratio ſeria & copioſa ad eorum admiratores & adhuc in hujus ſeculi principio ſpecimen ejus vidimus in Caſtelficardo & Montolmo.

Sed qvoniam ſtylus hic diffuſus magis, qvam perſpicuus continua garvitate, qvam Autor noſter inter res moleſtas numerat, & *1. Rh. c. 11.*
prolixitate, qvæ cum nimia eſt, pulchrum corrumpit, auditores fatigat & concionatores ipſos, qvi Aſiatica hac contentione plus ſudabant concionando, qvam ſi per totum diem iter feciſſent: Hinc

alii qvidam decori parùm memores, ut turbæ placerent, & faſtidium effugerent, cœperunt in pulpitis ſacris ſcurras agere & hiſtriones: eandem corruptelam renovantes, qvam Dantes inter ſeculi ſui admodum corrupti vitia deploravit. Majori igitur prudentia Hiſpani qvidam naturaliter arguti & in ſcholaſtica Philoſophia verſatiſſimi invexerunt nuper novam hanc concionandi rationem, qva docendo delectant & delectando docent beneficio argumentorum ingenioſorum, qvæ Itali vulgò vocant *concetti predicabili*: qvibus admirabiles & metaphoricas cogitationes in ſacram ſcripturam & ſanctos Patres ita complectuntur, ut difficiles doctrinæ ad captum idiotarum deductæ, & humiles ac planæ ad ſphæram Doctorum ſublatæ, omnes æqvè auditores, parvos magnos, nobiles, plebeios, mannæ inſtar & delectent & nutriant. Qvâ qvidem in re, ut alibi dicemus, Rhetorica perſvaſio potiſſimum differt à Philoſophica, qvoniam hæc contemplativa eſt, verum de veris & domeſticis rationibus infert: ſed illa, qvæ practica eſt & moralis, dummodo animos ad virtutem accendat, etiam figuratis & ingenioſis & externis rationibus, interdum cavillatoriis tantum & ſpecioſis, qvæ metaphoris, apologis, & curioſâ qvadam doctrina nituntur, uti, & in floribus fructum, qværere non dubitabit.

Nec huic perſvaſionis generi, dummodo ſale ſit conditum, obſtabit Prophetica cenſura Pauli: *Coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus & à veritate qvidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Multum enim intereſt utrum doceas fabulas, an veritatem fabulis illuſtres, utrum ridiculis chimæris, an ingenioſis figuris utaris, utrum ſcurrilitatem prophanorum theatrorum, an decorum ſacrarum pergularum imiteris. Hoc qvidem genus argutiarum ad virtutem illam moralem referendum eſt, qvam Autor noſter vocat εὐτραπελίαν, hoc eſt, ingenii in conſvetudine humana verſatilitatem. Sic etiam Salomo templum Dei figuratis emblematis exornabat, ut populum admiratione ad venerationem adduceret. Sic Moſes myſteriis ceremoniarum documenta tradidit moralia. Sic Deus ipſe ſymbolis argutis arcana ſua in ſcripturis revelavit. Sic Verbum Divinum figuris parabolicis verbum Evangelicum annunciavit. Hiſpanis itaqve debetur novæ hujus mercis gloria, qvam Hiſpanorum terra mariqve commercia Neapoli primum intuerunt, unde Italia mercem hanc adhuc ignotam vocavit conceptus Neapolitanos.

Digitized by Google

litanos. Mox plures emptores reperit, qvi tabernas concionum ſuarum ea largiter inſtruxerunt. At enim, qvod nimium eſt, ingratum eſt, cum etiam prophanis autoribus Autor noſter præcipiat, ut metaphoris utantur tanqvam bellariis, non tanqvam cibis. Qvapropter à prudentibus nec laudem magnam nec gratiam tulerunt, qvi relicta vera eloqventia & internis ſolidisqve rationibus, qvi nervi ſunt orationum, ſpretis totam concionem ex ejusmodi argumentis in cumulum congeſtis contexunt, cum nullo negotio ſylvas integras talium conceptuum in hodiernis Scripturæ Dommentatoribus reperire, & ſe ipſos adeò labore contentioſæ facundiæ liberare poſſint. Unde idem Montolmus, qvi primum, ut dixi, veſtigia ſeqvebatur Mulſi, poſtea novum hunc ſtylum amplexus, dixit aliqvando mihi, *ſe multum debere concionatoribus illis Neapolitanis, qvi ipſum docuerint concionari majore populi voluptate, minore ſuo labore.* Sed ut ad ſpecies deſcendamus, incipiam ab

Argumentis ingenioſis, qvæ dat prima ſpecies Metaphoræ PROPORTIONIS.

Thema ſit hoc: *Deus voluit naſci Servatorem, qvando hominum improbitas ad ſummum pervenerat.* Hoc thema copioſi illi & ſerii oratores internis ſine dubio & ſolidis, & eruditis rationibus probarent, qvas interpretes Scripturæ in dictum hoc Pauli: *ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum* & Theologi in tertiam partem circa hanc qvæſtionem: *utrum convenienti tempore facta ſit incarnatio*; ſatis multas adducunt. Scilicet cum cum Meſſias ut medicus animarum peccato lethaliter infectarum venire deberet: minimè conveniebat, ut initio, qvo mundus adhuc ſanus erat, ſed qvando omne genus infirmitatum erumpebat, in carne appareret: ut ita extremum malitiæ humanæ cum extremo miſericordiæ divinæ concurreret. His rationibus adjicerent experientiam, cum conſtet Salvatorem tunc planè natum eſſe, cum non ſolum Lex naturæ inter gentiles, ſed etiam Lex ſcripta inter Hæbræos paulo minus qvam extinctæ erant

Digitized by Google

& deletæ. Qvantum enim ad gentiles, Roma caput orbis terrarum & populorum rectrix ſe ipſa vitiis ſuperaverat, ut S. Auguſtinus demonſtrat. Qvin Chriſtus naſcitur illo menſe, qvi omnium erat corruptiſſimus. *December eſt menſis*, inqvit Seneca, *qvo maximè civitas deſudat & jus luxuria publica datum eſt.* Qvantum autem ad Hæbræos, qvis neſcit, Chriſto nato Legem omnem triplici ſecta Phariſæorum, Saducæorum & Eſſæorum fuiſſe profanatam, & præterea templum ipſum à Pompeio erat profanatum: Regum familia in Antigono à Marco Antonio cruci ſuffixo erat extincta: Pontificum ſtirps, Herodis tyrannide, qvi ſacerdotium peregrinis vendidit, oppreſſa fuit. Cujusmodi rationibus thema propoſitum, *Salvatorem natum eſſe, cum ad ſummum gradum pervenerat humana malitia*, ſolum modo probatur.

At ſi idem velis *ingenioſo qvodam argumento* probare, cujus fundamentum & medius terminus ſit *metaphora proportionis*: mentem referens ad omnes circumſtantias categoricas, qvæ, ut docui, ante omnia in qvolibet argumento cognoſcendæ ſunt: facilè occurret circumſtantia *temporis*, qvo Chriſtus eſt natus videlicet nocte media, ſolſtitii brumalis, qvando umbra nocturna erat longiſſima, & Sol à tropico noſtro remotisſimus redire, diemqve producens noctem contrahere cœperat. Hæc acie ingenii tui intentius aſpiciens in umbra noctis videbis metaphoram *peccati*, in ſole *Mesſiam*, in luce diurna *gratiam*. Unde habebis argutum & ingenioſum thema, *Solem gratiæ naſci debuiſſe, cum malitia humana ad ſummum pervenerat*, qvod erat thema paulo ante propoſitum.

Qvantum autem admodum dilatandi populoqve proponendi hoc argumentum, qvem ſupra obiter tantum indicabam: poteris primo loco dubitationem qvandam injicere, cur Summus Deus, qvi operibus ſuis pro arbitrio tempora motusqve eligit, Filium unicum & dilectum medio hyemis, rigidiſſimâ bruma potius, qvam alia lætiori & divinis natalibus digniori tempeſtate in mundum miſerit. Atqve hæc dubitatio paulò curioſior, figuris etiam lætioribus tractari poterit, veluti ſermocinatione, qva anni tempora ſibi invicem hoc bonum invidentia inter ſe diſputent. *Mihi* (dicet ver) *debetur hæc gloria, ut prædictus ille flos radicis jeſſæ protuberet, qvando ſvaves Zephyri gelu fugarunt, & nivibus dilapſis flores emergunt,*

gunt, ut vere poſſim dicere: jam hyems tranſiit, flores apparuerunt in terra noſtra. Imo mea eſt hæc laus (dicet Æſtas) *ut bonorum omnium Donator appareat, cum non amplius flores & herbas, ſed divites aurea meſſis theſauros terra profert. Ut fides ſit huic dicto: Adhuc modicum & veniet tempus meſſis. Qvin ad me ſpectat* (dicet Autumnus) *ut ſi Meſſias naſcitur novo mundo, noviſq; creaturis producendis, ipſo tempore frugifero naſcatur, qvo primus & homo & mundus creatus eſt, ut recte dici poſſit: Ecce ego creo cælos novos & terram novam.*

Cant. II. *Jerem. LI.* *Eſai. LXII.*

Deinde hujus nodi ſolvendi cauſa ex aſtronomia eruditam diſſertationem inſtitues: rerum conditorem, cum per univerſum orbem totumqve annum diei noctem potuerit exæqvare, ſi lineam eclipticam, ſolis viam, æqvinoctiali circulo, qvi ſphæram in duas partes æqvales dividit, parem feciſſet, qvomodo auſtrales populi & boreales ſemper duodecim horas noctis totidemqve lucis haberent: non ſine aliqvo myſterio umbram & lucem variè diſpenſare maluiſſe, ita ut linea lineam ad angulos obliqvos interſecaret, & ecliptica viginti tres gradus verſus polum arcticum eadidemqve infra verſus antarcticum extenſa duo puncta ſolſtitialia, qvos Tropicos vocant Aſtronomi, faceret. Dum enim Sol diurno motu ſupra æqvinoctialem convertitur, fit æqvinoctium, qvod tenebras luci exæqvat. Cum vero ad polum noſtrum procedens in Tropico decurrit, noctes nobis ſunt breviſſimæ, dies longisſimi, & contra ad Polum antarcticum à nobis remotum diſcedens, dum Tropicum Auſtralem attingit, longisſimæ nobis ſunt noctes, dies breviſſimi. Atqve hæc diſſertatio tam perſpicuè poterit repræſentari & tanta elegantia exornari, ut & vulgus eam intelligat, & docti laudent.

Tertio hæc applicaturus ad propoſitum diſſerere poteris, ſicuti providentia Dei in creatione Redemtionem ſpectavit, ſic nullum eſſe opus naturæ, qvin figura ſit alicujus myſterii Evangelici. Hinc etſi ex naturali ratione incrementa & decremẽta lucis & tenebrarum ad viciſſitudines temporum reqvirebantur, cum ſine eclipticæ obliqvitate orbis terrarum ſemper in medio arſurus, & in extremis duobus ſempiterno frigore laboraturus ſit: nihilominus multo profundius fuiſſe Dei conſilium, cum Salvatorem ſolſtitio brumali naſci voluit, ut

 ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet hac figura indicaret: *Sicuti illo tempore, qvo nox ad maximam longitudinem excreverat, ſol, qui à nobis ad Tropicum longisſime receſſerat, ad nos reverti & tenebris contractis diem producere cœpit: ſic eodem tempore, cum malitia hominum ad extremum perveniſſet: benignisſimum Salvatorem, verum Solem ſupra cœleſtem, ſolſtitio Bethlemi facto ad nos converti voluiſſe, ut radiis gratiæ tenebras peccati imminueret.*

Orat. de Nativ. Poſtremò ut ſingulari huic cogitationi pondus adjicias, poteris eam confirmare autoritate S. Gregorii Nyſſeni, ingenium ejus brevi encomio prius laudans: *Vides noctem*, inqvit ille, *ad ſummam longitudinem perveniſſe & cum progredi ulterius neqveat, conſiſtere ac regredi? cogita exitioſam peccati noctem* (ò qvam funeſta nox!) *qvæ malis omnibus aucta ad ſummũ malitiæ cumulum creverat: hodiè* (ô qvam felix ſolſtitium) *reciſam eſſe, ne longius ſerperet, atq; illuc ſenſim redactam, ut plane deficiat ac dilabatur.* Atqve hic novam admirationem excitans, particulatim poteris expendere & auditoribus emphaſi, qva poteſt, maximâ in culcare hæc verba, qvæ plus apud populum idiotam & literatum ponderis habebunt, qvam Theologica aliqva demonſtratio. Nec ſine ratione maximi plauſus dantur ejusmodi argutiis, primum propter *metaphoram* qvæ naturaliter jucunda eſt. Deinde propter peregrinam & *in exſpectatam applicationem.* Porro ob *eruditionem* orationis. Deniqve ob *adjunctam autoritatem S. Patris* qvæ eò plus delectat, qvo in ſymbolis conjunctio figuræ cum dicto alicujus Poëtæ eſt gratior, ut in qvo celeritas & peritia intellectus perſpiciatur. Qvanqvam hoc qvidem exemplum ex doctrina paulo abſtractiori & reconditiori petitum minorem gratiam habeat, qvam ea, qvæ jucunda hiſtoriola, aut populari eruditione, qvæ nimirum ad vitam & mores ſpectat, nituntur.

Neqve tamen ejusmodi argutæ cogitationes ex pulpitis ſacris ex cludere & fugare debent proprias ſolidasqve rationes: ſerviunt illæ potius, ſicut acus pictori auro & ſerico orationis ſtamini intexendis. Qva propter idem argumentum poterit ſolidâ doctrina & eloqventia confirmari, & clariſima autoritate Scripturæ & S. Patrum cumulari, ut populus ad tenebras peccati relinqvendas commoveatur miſeramqve conditionem, qva ſepultus tenetur, deploret. Sed hæ rationes ab allegoria illa tenebrarum, lucis, & Solſtitii non debent recedere. Atqve hæc ſufficiant ſpeciminis loco, ex

qvo

Digitized by Google

qvo intelligas qvæ nam ſint *argumenta ingenioſa ex prima ſpecie Metaphoræ* depromta.

Secunda ſpecies argumentorum ingenioſorum ex Metaphora ATTRIBUTIONIS.

Thema ſit hoc: *Nullas eſſe acriores offenſas, qvam ex verborum contumelia.* Poſſet hoc thema multis internis ſolidiſqve rationibus probari. Sicut enim honor ex bonis humanis præcipuum eſt, ſic gravius offendit contumelia, qvæ animum ferit & honorem evertit, qvam gladii & haſtæ, qvæ corpus trajiciunt, ſangvinemqve fundunt. Laudari poterit autoritas Philoſophi ubi de Majoribus & minoribus injuriis agit: *ea* inqvit, *majora, in qvibus turpitudo major.* Unde Achilles apud Homerum de Rege, qvi, qvod chariſſimum habebat, ſibi eripuerat, conqverens, non tam damno qvam neglectu ſui commovetur, *& me nihil*, inqvit, *æſtimavit.* Cujusmodi loca in ſacris literis plurima occurrunt. *lib. 1. Rh. cap. 14.*

At thema hoc populariter probaturus, ingenioſo argumento ex metaphora *Attributionis* ad *circumſtantias Prædicamentales*, qvæ cum verbis contumelioſis conjunctæ ſunt, reſpiciens, LINGVAM pro verbis, *inſtrumentum* pro opere capere licebit, ut theſis fiat hæc: *Nulla arma gravius aut periculoſius inferre vulnus qvam lingvam.* In probanda hac theſi primum dubitationem injicere poteris, cur Salvator cui auxilium ferre tam facilè erat, qvam grave non ferre, in *lingva* muti ſolvenda tantam difficultatem reperit, ut non ſolum omnipotentes manus ſuas huic rei admoverit, ſed humorem ſuum his vinculis laxandis adhibuerit, cœliqve opem imploraverit & ex profundo cordis ſuſpiria gemitusqve eduxerit. *Exſpuens tetigit lingvam ejus, & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Epheta,* id eſt *adaperire, & ſic deniqve ſolutum eſt vinculum lingvæ ejus.* Hoc dubium vivida qvadam & populari forma proponi poteſt, veluti Apoſtrophe ad Salvatorem ipſum facta: Tu is es, qvi qvatuor oculis lucem nunqvam viſam uno tempore ſolo hoc, *fiat*, reddidiſti: *ſecundum fidem* *Marc. VII.*

veſtram

veſtram FIAT vobis. Tu ſolis digitis disjeciſti duas aurum portas calloſa cartilagine à natura obſtructas: *miſit digitos in auriculas ejus & ſtatim aperta ſunt aures ejus.* Manu manum tangens febrim fugaſti: *tetigit manum ejus & dimiſit eam febris.* Tetigiſti alterius manum jam frigidam & mortem in cadavere extinxiſti: *tetigit manum ejus & ſurrexit puella.* Liberaſti ſola voce membra paralytica, & qvi in lecto allatus erat, lectum aſportavit: *Tolle grabatum & ambula.* Qvid? ex fimbria veſtis tuæ emanavit gratia: *Fimbriam veſtimenti ejus, qvotqvot tangebant, ſalvi fiebant.* Qvi factum igitur, ut lingvam unam liberaturus non vidiſſe eam, non manibus tuis tetigiſſe, non ſaliva qvæ cœcis viſum reſtituit inunxiſſe, non voce potenti qvæ cadavera jam corrupta ex ſepulchris evocat inclamaſſe ſatis habeas: ſed præter morem ad cœlum confugere, & ſingultus gemitusqve ex divino corde emittere debueris? *ſuſpiciens in cœlum: ingemuit.* Atqve hic aliæ poſſunt argutiæ, hunc gemitum exaggerantes adjici, tandemqve concludes, te præ admiratione magis obmuteſcere, qvam mutum ipſum.

Deinde ſolvendo huic dubio præmittes, Chriſtum adhuc in terris verſantem, ſicuti alienos dolores videns ſimul doluerit, qvi dolor non alius ſit, qvam cogitare id mali, qvod alium perferre videmus, nobis qvoqve poſſe accidere, ut Philoſophus docet: ſic cernentem & ſanantem illas ægritudines illosqve dolores ad ſe ipſum eos tranſtuliſſe, inqve iis paſſionem ſuam prævidiſſe. In alienis itaqve cruciatibus ſuos ſibi cruciatus repræſentaſſe, omnium corporum dolores ad ſuum corpus retuliſſe, alienas plagas ſanaſſe, qvas ipſe ſentiebat impias illas manus liberaſſe, qvæ ipſum flagellaturæ & confixuræ erant. Hæc tamen omnia tranqvillè ſecum conſiderabat, nullum doloris aut horroris ſignum oſtendens, præcipiebat animo ſuam paſſionem, nec pati qvicqvam videbatur. Verum cum ad lingvam illam muti diſſolvendam accederet, cum digito tangeret & conſideraret, qvam dolorificum inſtrumentum eſſet illud, qvod natura clauſtris dentium cuſtodiendum tradiderat: in mentem revocans verba contumelioſa, mordaces irriſiones, turpiſſimas blaſphemias, qvas in atrio, in foro, in monte Calvario petulantes lingvæ in ipſum evomere debebant: hoc unum tormentum ipſi inteſtinum Deoqve intolerabile videbatur: hic ſolus fuit ille dolor, qvi ad ſtellas

Ar. lib. 2. Rh. cap. 9.

Digitized by Google

las ipſum convertit, gemitusqve evocavit: *ſuſpiciens in cœlum ingemuit.*

Et qvis neſcit, Chriſtum ſcopum illum Hebrææ crudelitatis, dum virgis, ſpinis, clavis laceratus ſangvinem undiqve fundebat, dolorem ſemper diſſimulaſſe, non gemitu, non ſuſpirio illum prodidiſſe inſtar agni, cui candidarum exuviarum ſine ſenſu ſuperficies dementi forfice abſcinditur: *ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce ſic non aperuit os ſuum*: qvin excuſaſſe & deprecatum eſſe pro improbis iſtis, tanqvam pungentes ſpinæ, claviqve trabales ipſi roſæ molliſſimæ viderentur. *Act. I.*

At qvando ſentiebat maledicis prætereuntium latronum & Pontificum lingvis ſeſe peti: *vah! qvi deſtruis templum & in triduo reædificas, ſalva temet ipſum, ſi filius Dei es: Similiter & Principes &c.* Hi erant gladii, qvi carnem vivam trajicerent, & in viſcera penetrarent: tunc demum conſtantia illa divina in gemitus prorupit, & ad cœlum converſa dolorem exhalavit, tanqvam à Deo eſſet deſerta: *Deus meus, ut qvid me dereliqviſti?* (atqve hoc poteſt exaggerari) Nam flagella carnem, ſpinæ caput, clavi palmas, fel buccam, lancea pectus ſolummodo lædebant, unumqvodqve inſtrumentum in uno corporis membro graſſabatur: at lingva contumelioſa animam ipſam ſubſtantiam & divinitatem lacerat, nec corpus exſangve intactum relinqvit.

Poſtremò, qvæ dicta ſunt, confirmari poſſunt autoritate alicujus Patris, utpote S. Cypriani, qvi hæc verba Chriſti: *Deus meus, ut qvid dereliqviſti me?* ſic commentatur: *Clavis ſacros pedes terebrantibus foſſisq́ manibus de vulnerum anxietate non loqueris, de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris: ſed ſatagis, ut innoteſcat, qvare derelictus à Deo videaris, expoſitus contumeliis & ludibriis judaorum.* Atqve hic unumqvodqve membrum exaggerans & commentans deniqve in lingvam ipſam poteris declamare, *exiguum quidem, ſed omnium membrorum peſſimum: feram domeſticam, ſed qvavis ſylveſtri crudeliorem, ſerpentem carneum omni ſerpente magis venenatum, portatile inſtrumentum utenti aqve ac aliis noxium: monſtrum bilingve, cultellum ancipitem, amphisbenam duorum morti ferorum capitum, tu es fax furialis bellorum civilium &c.* Sic demum

 mum

Digitized by Google

mum revertere ad thema idqve admonitionibus patheticis & ſententioſis inculca.

Tertia ſpecies argumentorum ingenioſorum ex Metaphora ÆQVIVOCI.

Thema ſit: *Voluptates mundi eſſe afflictiones.* Qviſqvis hoc thema internis propriisqve rationibus probandum ſuſciperet, ei deeſſe non poſſet materia juſtæ orationis, argumentis & autoritatibus tam ſacris qvam profanis abundè ſuppetentibus. Qvod ſi enim voluptates ſenſuum intelligimus, eæ ex perturbatione animi, qvæ nunqvam eſt ſine malo, proficiſcuntur, ſin de voluptate animi, ea refertur ad ſummum Bonum, qvi eſt Deus, ut etiam Philoſophus colligit: *in eo genere voluptatum Deum tantum ac Summum Bonum eſſe:* Ad primum autem genus voluptatum pertinet propriè ſententia illa Evangelica, ubi Salvator allegoriam de ſemente à ſpinis ſuffocata ſic declarat: *Qvod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qvi audierunt & à ſollicitudinibus & divitiis & voluptatibus vitæ ſuffocantur.* In qvem locum Ambroſius pulchrè ſcribit: *qvis unqvam mihi crederet, ſi delicias & voluptates ſpinas vocarem, niſi Chriſtus idem dixiſſet, qvi mentiri neqvit?*

Ar. lib. 2. Eth. c. 12. *Luc. VIII 14.*

At ſi idem thema ingenioſo & arguto enthymemate probare malles, eidemq; novitatis gratiam nova metaphora HOMONYMIA conciliare: mentem ad circumſtantias categoricas, ut dictum eſt, circumferens, obſervabis qvo *nomine* apud Græcos aut Hebræos voluptates aut afflictiones nominentur, & reperies Hebræis afflictiones dici TANNIM, eodemqve nomine voluptates & delicias hujus mundi appellari.

Præmittes itaqve primò ejusmodi diſſertationem: Si in omnibus Dei operibus ſingulare ingenium perſpicitur, ſine dubio illud maximè in hebrææ linguæ idiomate reperietur, qvod ſicut primis parentibus infuſum & filii Dei ſermoni conſecratum: ſic dignus ingenii divini partus fuit, tot argutias, qvot verba, tot myſterii plena documenta qvot argutias continens. Qvod ſi verum eſt, ut eſt veriſſi-

Digitized by Google

riſſimum: qvomodo factum eſt igitur, ut divino calamo hæc propoſitio exciderit Pſalmi XLIII. qvæ adeò ſimplex, atqve omni ſana ſignificatione deſtituta videtur: *humiliaſti nos in loco afflictionis* idqve eò magis, qvod *humiliare* hoc loco non ſignificat modeſtiam, ſed caſtigationem & tribulationem, unde S. Hieronimus legit *dejeciſti nos.* Symmachus *confregiſti nos*, & alii aliis modis, qvi omnes idem valent, qvod affligere, & hanc ſententiam efficiunt: *afflixiſti nos in loco afflictionis* ubi eadem vox inutiliter repetitur. Etſi verò prædicato accedere videatur circumſtantia *loci*: nihilominus cum locus non ſit certus & determinatus, ſed innominatus & tranſcendentalis dicere: *afflixiſti nos in loco afflictionis*, idem eſt, ac ſi dicas: *afflixiſti nos, ubi afflixiſti nos*, qvæ à Dialecticis vocatur *enunciatio nugatoria*, inepta & inutilis ad concludendum, & ad ſermones.

Deinde explicabis hanc difficultatem, oſtendens etiam hanc propoſitionem eſſe mirabiliter ingenioſam & argutam, ſi vis hebræi verbi reſpiciatur: *afflixiſti* aut *humiliaſti nos in loco TANNIM*, qvod vocabulum ambiguum eſt, & ſimul diverſa imò contraria ſignificat. Unde ubi ſeptuaginta interpretes legunt *in loco* AFFLICTIONIS, Aqvila vertit, *in loco* SYRENUM, qvod divinæ ſententiæ argutiam indicat. *Pulchrè Aqvila interpretatio* (inqvit S. Ambroſius) *quemadmodum intelligere debeamus locum afflictationis expreſſit*, dicens, *humiliaſti nos in loco SYRENUM.* Atqve hic non alienum eſt eruditam fabulam de Syrenibus breviter enarrare: *Syrenes à Poëtis gentilibus excogitatas eſſe in Symbolum voluptatis, corruptrices voluntatis & ſenſuum humanorum: ſufficit legere, qvæ primum cæcus Homerus inter Græcos & poſtea inter Latinos Virgilius, Ovidius, Claudianus, aliaq́ felicia ingenia de iis cecinerunt: Videlicet in tepida maris Thyrrheni plaga tres pulcherrimas Nymphas ſeſe delectaſſe, qvæ præter navigantes blandè invitaverint, ut vela ad littus ipſarum converterent, ſpondentes nidum gratiarum & amorum, patriam gaudii, portum qvietis, paradyſum deliciarum & voluptatum: triplici vinculo & blandis vultibus & fidibus canoris; & ſvavi cantu cantando incantaſſe, & in cantando ita cepiſſe infelices illos, ut obliti negotiorum, obliti patriæ, qvo tendebant, non aliam ſtellam ſecuti niſi pulchros ocellos, nec alium*

Digitized by Google

ventum, niſi ſuaviſſimi concentus aurem, remis veliſq; læto celeuſmate, naves copioſis mercibus novaq; ſpe onuſtas ad littus illud appulerint. Sed ecce vix in littus eſcenderant, cùm non aliud oculis ipſorum offerebatur niſi horridum deſertum, nudi ſcopuli, nuda oſſa, & inſepulta cadavera, ibi cranium pendebat, alibi ſceleton arroſum erat, alibi truncus adhuc ſemivivus: ſic terrore mortis prius, qvam morte dejecti canentibus illis feris, naves, merces, vitam deniqve ipſam prædæ relinqvebant. Hæc deſcriptiuncula pro ingenio ſacri oratoris multis adhuc luminibus & argutiis exornari poterit.

Tertiò hæc ſabula profana applicanda erit ſacris verbis Davidici Pſalmi, *Qvis unqvam crediḋiſſet, Deum ipſum chymeras poëtarum nondum natas ad exprimendam divinam ſententiam adhibiturũ fuiſſe, & ex cæno profanæ eruditionis pretioſiſſimas gemmas cæleſtium myſteriorum collecturum? Afflixiſti nos in loco TANNIM: notate myſterium profundum hujus vocis TANNIM: nomen æqvivocum, at non ex eo genere, qvæ dialectici vocant caſu æqvivoca, ſed qvæ vocantur æqvivoca conſilio: qvoniam divina providentia in hebræo idiomate duo contraria, ut diximus, ſignificat, afflictiones & Syrenes: Humiliaſti nos in loco AFFLICTIONIS, humiliaſti nos in loco SYRENUM, in qvibus nova & cæleſtis Dialectica profanis ſcholis ignorata conjungit, imò eaſdem reddit duas contrarias notiones, ut æqvivocas, unamq; de altera affirmat ut univocas: unde exiſtit admirabilis at vera enunciatio: Syrenes ſunt afflictiones, hoc eſt, cantus mundi eſt gemitus; lætitia, mæſtitia: voluptates, ærumnæ: afflixiſti nos in loco voluptatis.*

Hæc ſufficerent probando themati propoſito, ſed ut magis eluceat ingenii divini ſubtilitas, demonſtrari poterit excuſsâ propius hac æqvivocâ voce TANNIM, apparere expreſſas omnes horrendas affectiones & triſtia effecta crudelis hujus adulatricis, qvam *voluptatem* dicimus. Deus enim illam (ut S. Ambroſius notavit) non ſemel, ſed pluries græco SYRENES nomine appellavit: *Afflixiſti*

xiſti nos in loco Sirenum in hoc Pſalmo. *Reſpondebunt ibi Sirenes in delubris voluptatis* Eſai XIII. *habitabunt Sirenes cum fatuis* Jerem. L. *faciam planctum velut Sirenum* Mich. I. Ubi oſtendes nomen *Sirenis* derivari à græco verbo Σίω Decipio. Qvoviam prima voluptatis mundanæ proprietas eſt fraude illicere & operibus decipere animas incautas. Atqve hic poteris in Poëtarum figmentis myſteria qværere, qvi Sirenes ſpecie virginum laſcivarum repræſentarunt, qvarum propria eſt fraus; ita ut omnis cogitatio ſit fraudulenta inventio, omnis vox eſca, omnis obtutus inſidiæ, omnis capillus laqveus, & cor tibi oſtendat, ſicut auceps accipitri peregrino, ſaltim ut te in caſſes deducat, & ejusmodi alia. Sic idem Ambroſius interpretatur cum de metaphora Sirenum, qvâ Deus utitur, explicat: *qvid ſibi vult puellarum figura, niſi evirata cupiditatis illecebra?* Porrò non unam puellam, ſed tres individuas ſorores finxerunt Poëtæ *Parthenopen*, qvod oculis fallat: *Ligiam* qvod voce; *Leucoſiam* qvod pulchritudine & candoro totius corporis in fraudem alliciat. Et totidem planè ſunt Sirenes deceptrices, qvas S. Johannes filiis ſuis, ut caveant, oſtendit: *Omne qvod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt*, ecce Leucoſiam, *& concupiſcentia oculorum*, ecce Parthenopen, *& ſuperbia vitæ*, ecce Ligiam. Benè itaqve Pſalmographus dixit: *afflixiſti nos in loco Sirenum*, *qvandoqvidem*, ut idem Ambroſius commentatur, *ita ſeculi voluptas nos qvadam carnali adulationi delectat*, *ut* DECIPIAT. Qvàm deceptrix igitur es Siren! Atqve hæc ſola proprietas ſufficeret voluptati rejiciendæ, cum ſincerum gaudium eſſe non poſſit, ubi timentur inſidiæ. Eſt itaqve hæc fera tantò magis fugienda, qvantò minus fera videtur. Qvod ſi feram ſe primo aſpectu oſtenderet, ſi vultu occurreret terribili, apertè repudiaretur: At cum ſe humanam ſimulet, allicit & perdit eum, qvi fidem ipſi adhibet. Audite, qvæ Scriptor ethnicus de voluptate ad Sirenes alludens ſcripſerit: nec mirabimini Deum hanc ſententiam ab ethnicis petiiſſe: *fera mancipans ſibi homines eſt voluptas, ſed non fera: nam ſi apertè pugnaret, citò caperetur: nunc autem etiam ideò inviſa magis eſſe debet, qvod celat inimicitiam induta habitum benevolentiæ, itaqve dupliciter averſanda & qvod nocet, & qvod FALLIT*, hoc idem eſt, ac ſi diceret: *Afflixiſti nos in loco voluptatis.*

I. Joh. II.

Plutarchus lib. contra voluptates.

At longè altius penetrat acumen divinum qvam poëtarum.

gentilium. Eadem enim æqvivoca vox TANNIM in hebræa lingua non ſolùm *Sirena* ſed etiam *Draconem* ſignificat, qvod ſententiam hanc adhuc clarius exprimit, cum *fraudi fæminea* in alliciendo conjungatur *crudelitas Draconum* in devorando. Unde eadem verba: *Humiliaſti nos in loco Sirenum*, S. Hieronimus ſic legit: *dejeciſti nos in loco Draconum*, & illa Jeremiæ: *habitabunt Sirenes cum fatuis: habitabunt Dracones cum fatuis.* Et hæc Eſa: *Et Sirenes in delubris voluptatis, & dracones in delubris voluptatis.* Et qvomodo expreſſius ſignaretur voluptatem *Sirena* eſſe *deceptricem* & ſimul *crudeliſſimum Draconem* dupliciter feram? Poterit feritas hujus Sirenis aliis Sirenibus pejoris exaggerari. Homerus Sirenes repræſentavit partim *puellas*, partim *aves*, & in iis fraudem cum levitate conjunxit, easdem Horatius ut *puellas & piſces* exhibuit, idqve melius, conjungens ſcilicet fraudem momentaneam & fugacem lubricitatem. At Deus nobis eas exhibet ut *puellas ſerpentes*, ſummam *fraudulentiam* cum ſumma *crudelitate* ſignificans. *Cedat huic monſtro Sphinx Sipyli, Hippocentaurus Theſſalia, Minotaurus Creta, nullum horum monſtrorum bicorporeorum crudelitatem aqvat puella ſerpentis. Ejusmodi monſtra Evangeliſtes vidit ex abyſſo prodire capitibus fœmineis, caudis ſerpentinis ad genus humanum inficiendum, ita, ut nec terra, nec mare, nec aër ab iis manerent incorrupta.* Hæc omnia poſſunt ad monſtroſas has voluptatum Sirenes transferri, qvæ ipſis deliciis & paribus ſollicitudinibus abſumunt & devorant robur corporis voluptarii, nobiles ſpiritus effœminant, animum dolore afficiunt, vires enervant, carnes inficiunt, bona fortunæ & naturæ ad nihilum redigunt, ita ut hæc voluptas & ſenſibus noceat, & ſibi ipſi ſit ſupplicio. Qvæ omnia confirmari poſſunt dicto S. Paulini: *nunqvam in carnalibus affectionibus ita qvieſcit animus, ut careat cruciatu*, qvod idem eſt, ac *afflixiſti nos in loco voluptatis.*

Adhuc longius progreditur divini ingenii acumen, qvoniam idem vocabulum TANNIM non ſolum ſignificat *Sirenas deceptrices & Dracones crudeles*, ſed etiam *ſcopulum inhoſpitalem* naufragorum. Qvocirca eundem verſiculum: *Afflixiſti nos in loco Sirenum* Symmachus exponit *Confregiſti nos in loco inhabitato & deſerto* S. item Ambroſius & Lyranus celeberrimus commentator *ſcopuloſo in loco*. Qvo ipſo Deus indicare voluit voluptatem eum eſſe ſcopulum, ad qvem allidantur naves pretioſis mercibus onuſtæ, qvæ vento ſecundo ad portum

portum cœleſtem iter faciant. Neqve enim vires naturæ modo conſumit, ut dictum eſt, ſed etiam gratiæ divinæ gloriæqve cæleſtis donis animam ſpoliat, ut etiam poſt mortem naufragium faciat irreparabile & ſempiternum. Id qvod ſumma vi ac venuſtiſſime exaggerari potuit.

Hiſce diſputatis ruſus poteris integrum verſiculum expendere, & divinam ſententiam pleniſſime exponere, veram eandemq; miram afferens paraphraſin. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua: afflixiſti nos in loco Sirenum.* Qvo ipſo id ſignificatur homines voluptati deditos, qvando divino permiſſu, qvemadmodum miſeri illi navigantes, à dulci inſidioſarum Sirenum cantu ſeſe abripi patiuntur, ut à recta ad patriam cœleſtem via deflectant: *declinaſti ſemitas noſtras à via tua*, horribile naufragium navi ad duros ſcopulos illiſa facere, à peſte illa ſvaviter canente invadi & non ſolum corporis, ſed animæ qvoqve ac æternis bonis ſpoliari: *afflixiſti nos in loco voluptatis.* Atqve hoc confirmari poterit ejusdem Sancti Ambroſii in hunc Pſalmum explicatione: *Sirenas, qvarum mentionem fecit Scriptura divina, vocis propria ſvavitate canendi illecebris, audiendiqve ſtudio illectos navigantes ad littus navigia admovere provocabant: eosqve, cum gratiam vocis ſeqverentur, ſcopuloſo in loco naufragium facere ſolitos vetuſtas poſteris tradidit.* Atqve hic poteris in voluptatem & delicias hujus mundi acriter invehi, oſtendens omnem delectationem, omne gaudium extra Deum nihil aliud eſſe, niſi afflictionem. *Et qvæ tandem ſunt iſta, qvas vocas in hoc mundo oblectationes, niſi vera contriſtationes? qvanam illarum eſt, obſecro, qvæ vere animum tranqvillet & infinitam humani deſiderii capacitatem ſatis expleat? Num divitiæ? non ſui cauſa expetuntur. An ſanitas? qvo qvis rectius valet, eo infirmitati propior. Num doctrina? qvo qvis plura ſcit, eo plura ſe ignorare novit. An honores? ab alieno pendent arbitrio. An regna? qvo major corona, eo gravius eſt onus. Afflixiſti nos in loco voluptatis. Qvid igitur? Voluptates forte ſenſuum? ſi permiſſæ ut matrimoniũ, qvantum onus! ſi vetita, qvantus dolor! ſi faciles, qvæ ſatietas! ſi difficiles, qvod ſupplicium! ſi violentæ, qvæ iracundia! ſi furtivæ, qvæ pericula! ſi interrupta, qvis furor! ſi*

Deum

gentilium. Eadem enim æqvivoca vox TANNIM in hebræa lingua non ſolùm *Sirena* ſed etiam *Draconem* ſignificat, qvod ſententiam hanc adhuc clarius exprimit, cum *fraudi fœminea* in alliciendo conjungatur *crudelitas Draconum* in devorando. Unde eadem verba: *Humiliaſti nos in loco Sirenum*, S. Hieronimus ſic legit: *dejeciſti nos in loco Draconum*, & illa Jeremiæ: *habitabunt Sirenes cum fatuis: habitabunt Dracones cum fatuis.* Et hæc Eſa: *Et Sirenes in delubris voluptatis, & dracones in delubris voluptatis.* Et qvomodo expreſſius ſignaretur voluptatem *Sirena* eſſe *deceptricem* & ſimul *crudeliſſimum Draconem* dupliciter feram? Poterit feritas hujus Sirenis aliis Sirenibus pejoris exaggerari. Homerus Sirenes repræſentavit partim *puellas*, partim *aves*, & in iis fraudem cum levitate conjunxit, easdem Horatius ut *puellas & piſces* exhibuit, idqve melius, conjungens ſcilicet fraudem momentaneam & fugacem lubricitatem. At Deus nobis eas exhibet ut *puellas ſerpentes*, ſummam *fraudulentiam* cum ſumma *crudelitate* ſignificans. *Cedat huic monſtro Sphinx Sipyli, Hippocentaurus Theſſaliæ, Minotaurus Cretæ, nullum horum monſtrorum bicorporeorum crudelitatem æqvat puella ſerpentis. Ejusmodi monſtra Evangeliſtes vidit ex abyſſo prodire capitibus fœmineis, caudis ſerpentinis ad genus humanum inficiendum, ita, ut nec terra, nec mare, nec aër ab iis manerent incorrupta.* Hæc omnia poſſunt ad monſtroſas has voluptatum Sirenes transferri, qvæ ipſis deliciis & paribus ſollicitudinibus abſumunt & devorant robur corporis voluptarii, nobiles ſpiritus effœminant, animum dolore afficiunt, vires enervant, carnes inficiunt, bona fortunæ & naturæ ad nihilum redigunt, ita ut hæc voluptas & ſenſibus noceat, & ſibi ipſi ſit ſupplicio. Qvæ omnia confirmari poſſunt dicto S. Paulini: *nunqvam in carnalibus affectionibus ita qvieſcit animus, ut careat cruciatu*, qvod idem eſt, ac *afflixiſti nos in loco voluptatis.*

Adhuc longius progreditur divini ingenii acumen, qvoniam idem vocabulum TANNIM non ſolum ſignificat *Sirenas deceptrices & Dracones crudeles*, ſed etiam *ſcopulum inhoſpitalem* naufragorum. Qvocirca eundem verſiculum: *Afflixiſti nos in loco Sirenum* Symmachus exponit *Confregiſti nos in loco inhabitato & deſerto* S. item Ambroſius & Lyranus celeberrimus commentator *ſcopuloſo in loco.* Qvo ipſo Deus indicare voluit voluptatem eum eſſe ſcopulum, ad qvem allidantur naves pretioſis mercibus onuſtæ, qvæ vento ſecundo ad

portum

Digitized by Google

portum cœleſtem iter faciant. Neqve enim vires naturæ modo conſumit, ut dictum eſt, ſed etiam gratiæ divinæ gloriæqve cœleſtis donis animam ſpoliat, ut etiam poſt mortem naufragium faciat irreparabile & ſempiternum. Id qvod ſumma vi ac venuſtiſſime exaggerari potuit.

Hiſce diſputatis rurſus poteris integrum verſiculum expendere, & divinam ſententiam plenisſime exponere, veram eandemq; miram afferens paraphraſin. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua: afflixiſti nos in loco Sirenum.* Qvo ipſo id ſignificatur homines voluptati deditos, qvando divino permiſſu, qvemadmodum miſeri illi navigantes, à dulci inſidioſarum Sirenum cantu ſeſe abripi patiuntur, ut à recta ad patriam cœleſtem via deflectant: *declinaſti ſemitas noſtras à via tua;* horribile naufragium navi ad duros ſcopulos illiſa facere, à peſte illa ſvaviter canente invadi & non ſolum corporis, ſed animæ qvoqve ac æternis bonis ſpoliari: *afflixiſti nos in loco voluptatis.* Atqve hoc confirmari poterit ejusdem Sancti Ambroſii in hunc Pſalmum explicatione: *Sirenas, qvarum mentionem fecit Scriptura divina, vocis propriæ ſvavitate canendi illecebris, audiendiqve ſtudio illectos navigantes ad littus navigia admovere provocabant: eosqve, cum gratiam vocis ſeqverentur, ſcopuloſo in loco naufragium facere ſolitos vetuſtas poſteris tradidit.* Atqve hic poteris in voluptatem & delicias hujus mundi acriter invehi, oſtendens omnem delectationem, omne gaudium extra Deum nihil aliud eſſe, niſi afflictionem. *Et qvæ tandem ſunt iſta, qvas vocas in hoc mundo oblectationes, niſi veræ contriſtationes? qvænam illarum eſt, obſecro, qvæ vere animum tranqvillet & infinitam humani deſiderii capacitatem ſatis expleat? Num divitiæ? non ſui cauſa expetuntur. An ſanitas? qvo qvis rectius valet, eo infirmitati propior. Num doctrina? qvo qvis plura ſcit, eo plura ſe ignorare novit. An honores? ab alieno pendent arbitrio. An regna? qvo major corona, eo gravius eſt onus. Afflixiſti nos in loco voluptatis. Qvid igitur? Voluptates forte ſenſuum? ſi permiſſæ ut matrimoniũ, qvantum onus! ſi vetitæ, qvantus dolor! ſi faciles, qvæ ſatietas! ſi difficiles, qvod ſupplicium! ſi violentæ, qvæ iracundia! ſi furtivæ, qvæ pericula! ſi interruptæ, qvis furor! ſi*

Deum

Deum times, qvis metus! ſi non times, qua damnatio! Afflixiſti nos in loco voluptatis. Qvod ſi Ovidius Sirenas voravit Proſerpinæ ſocias. Martialis: lata naufragia, mortes jucundas, gaudium crudele: Claudianus: dulcia mala, bona volantia, monſtra lapida pericula blandientia, terrores gratos: meliori jure voluptates hujus mundi appellare licet venena grati ſaporis, gaudia mixta, riſus lugubres, felicitatem infelicem, fallaces ſirenas, puellas dracones. Deniqve finis eſſe poterit ejusmodi: ſicuti prudentisſimus Ulyſſes mare trajiciens, ut in patriam deſideratam citò perveniret, arbori navis ſeſe adſtringi & aures nautarum cera obſtrui curavit, ne ſvavi crudelium Sirenum voce ab itinere ſuo diverteretur: ſic anima ſapiens arbori ſanctæ crucis ſtrictè adhærere debet, & aures adverſus voluptatum blanditias obfirmatas voci divinæ recludere, à qva ad portum cœleſtem vocatur, qvo directæ debent eſſe cogitationes noſtræ, ubi ſincera reperiuntur gaudia. Hæc omnia apte concludentur dicto S. Ambroſii, qvo in eandem ſententiam alludit: *non cludenda igitur aures cera, ſed reſeranda ſunt, ut Chriſti vox poſſit audiri. Non corporalibus, ut Ulyſſes, ad arborem vinculis alliganda manus, ſed animus ad crucis lignum ſpiritualibus nexibus vinciendus, ne laſciviarum moveatur illecebris, curſumqve natura detorqueat in periculum voluptatis.*

Qvarta ſpecies ingenioſarum argumentationum ex Metaphora HYPOTYPOSEOS.

Hypotypoſis figura eſt vivida, qvæ vim ſuam, ut ſupra diximus, oſtendit cum rem loco, aut tempore remotam, aut qvæ natura ſua ſub viſum non cadit, ita ante oculos adducit, ut præſens eſſe ac cerni videatur. Sit igitur thema: *Recordationem mortis efficacisſimum eſſe ad agnoſcenda & deploranda peccata noſtra incitamentum.* Nullum argumentum facilius rationibus & autoritatibus planis & firmis perſvaderi poterit, qvam hoc, cum vel ſolus aphorismus Salomonis ſufficiat:

ficiat: *memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Inſtante enim morte peccator animam agens & candelis accenſis ſeverum illud judicium & æternitatem malorum proſpiciens gemit, plangit, ſudat, pectus ferit, admiſſa deteſtatur, vota nuncupat & promiſſis ſe obſtringit. At nonne eodem modo affectus erit, cujus animo mors perſpicuè obverſatur, etiamſi non moriatur? *Utinam ſaperent & intelligerent* peccatores, *& noviſſima providerent!* Hoc ad pœnitentiam & Magdalenas & Macarios & Stilitas poſſet adducere.

At ſi idem hoc thema ingenioſâ argumentatione probare velis: obſervare poteris Chriſtum, cum ei, qvi natus erat cœcus, in qvo peccatoris obſtinati & impœnitentis ſymbolum eſt & imago, viſum vellet reddere, lutum oculis illeviſſe & ad fontem eum amandaſſe: *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, vade lava in natatoria Siloa.* Joh. IX. Et qvæ hæc erat figura, niſi vera *hypotypoſis*, qvæ mortem & cineres ipſius lutulentas oculis objiciebat? primum itaqve magna admiratione dubium hoc excitari poterit, cur Deus cœco viſum redditurus lutum oculis illeverit, qvod oculum aqvilino acutiorem occœcaſſet? qvod ſi Deus etiam in rebus naturæ vires excedentibus naturam imitari ſolet: ſi in Sacramentis ad labem concretam abluendam *aqua* utitur, cujus hæc vis eſt, ut naturaliter abſtergat: Si ad ſanandos infirmos utitur *oleo ſacro*, qvod natura ſua medicaminis vim habet: Si ad paſcendas animas conſecravit *panem*, qvi ad nutriendum eſt factus, atqve has res & ſubſtantias naturales ſimilitudinem & convenientiam qvandam ſecutus, ad uſus & effecta naturalibus majora tranſtulit: qvomodo igitur oculo cœco ſanando, collyrii loco adhibet mixtum aliqvid natura ſua huic rei ineptum & diſſentaneum, imo contrarium viſui? *Fecit lutum ex ſputo.* Nonne porrò ſola ſaliva ſuffeciſſet, qvæ in Chriſto non erat excrementum ſuperfluum, ſed balſamum cœcitati, ſurditati, lingvis mutis, omnibusqve malis ſalutare, utpote qvæ ex illis labris emanabat, in qvibus omne verbum erat vita æterna? Atqve hæc pars multis argutis ac eruditis ſenſibus veſtiri poterit.

Deinde dici poteſt huic dubio ſolvendo primum aliud dubium explicandum eſſe, qvomodo Deus, veritas ipſa, Adamum allocu-

Digitized by Google

tus ejusmodi propoſitione; qvæ accepta conjunctim paradoxon continere videatur. *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Qvod ſi enim mutatio eſt tranſitus ab eo qvod eſt, ad id qvod non eſt, qvomodo in pulverem converti poteſt, qvi eſt pulvis? aut qvomodo homo vivus *pulvis* appellari poteſt? Si in rebus definiendis differentiam capimus à parte nobiliori, ut arborem dicimus *mixtum vivens*, animal *vivens ſenſibile*, hominem *ſenſibile intelligens*: cur hominem ſecundum hanc animæ intelligentis prærogativam non definimus? Qvomodo Triſmegiſtus definivit, *Tu es magnum miraculum*, & Ægyptii: *Tu es animal adorabile*: & Pythagoras: *Tu es rerum omnium menſura*: & Ariſtoteles. *Horizon corporeus & incorporeus*: & Zoroaſter: *decorum naturæ*: & Plotinus: *compendium mundi*: & Theophraſtus *idea mundi*: & Plato *genus divinum*: inſumma *Tu es alter Deus*, ut ipſe Deus definivit; *ego dixi Dii eſtis.* Si omiſſa qvoqve animæ immortalis conſideratione de ſolo corpore loqvamur, conſtat corpus non ſolum hominis, ſed cujuscunqve animalis compoſitum eſſe ex partibus diſſimilaribus & organis, atqve has rurſus ex partibus ſimilaribus puta carne, oſſibus, nervis, qvæ ex mixta elementorum temperie primisqve qvalitatibus conflantur, neqve adeò *terra* magis, qvam *aër*, aut *aqva*, aut *ignis* dici poſſunt. Qvin ſecundum veriorem Philoſophiam nullum elementum in mixto corpore perſiſtit, qvale eſt, ſed omnia ſimul fracta & immutata compoſitum aliqvod conſtituunt à ſimplicibus elementis diverſum: ut verè dici non poſſit, hominem aut leonem aut canem, dum vivunt, eſſe *ignem*, *aërem*, *aqvam*, vel *terram*. Et ſi qvis objiciat Adami corpus ſolum non autem animalium è terra formatum eſſe unde ipſi nomen ſpeciei tribuitur *hominis ab humo*, & proprium nomen hinc tulit *Adamus* h. e. *terra rubra*, ut adeò de eo ſaltem dici poſſit *pulvis es*: neqve tamen affirmari poteſt Adamum ex qvo corporis formam accepit, manſiſſe terram, neqve adeo dici debebat: *pulvis es*, ſed *pulvis eras.* Qvin ne hoc qvidem locum habebat; cum, qvoad pulvis erat, non eſſet Adamus, & qvando Adam erat, nec pulvis, nec terra eſſet amplius. Neqve enim privatio & forma ſimul in uno ſubjecto commorari poſſunt.

Gen. V.

Utriqve dubio ſolvendo conducet hæc conſideratio, qvo tempore Deus hæc verba dixit, Adamum in peccatum incidiſſe, neqve

ejus

Digitized by Google

ejus pœnitentia tactum fuiſſe, cum ita adhuc occœcatus eſſet, ut nec agnoſceret nec deploraret delictum ſuum. Qvod ſatis perſpicitur ex Scripturæ verbis. Qvandò enim Deus ipſum reprehendit, non confitebatur culpam, non plorabat, non commovebatur, adeò cœcus erat, ut nullum in ſe peccatum agnoſceret, ſed in uxore, imò in Deo, qvi ipſi dederat uxorem: *Mulier, qvam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Hæc verba paraphraſi explicari poſſunt, ut eorum abſurditas & impietas appareat. Hoc enim dicere videntur: *niſi hanc mihi ſociam adjunxiſſes, nec pomum illa mihi porrexiſſet, nec illud ipſe comediſſem. Tu igitur cauſam delicto præbuiſti, & qvi cauſam dat delicto, illud admiſiſſe videtur. Ipſe igitur qvantum ad me attinet, qvid peccaverim non video, qvin potius inhumanitatem peccaſſem, ſi donum, manu ſocia, qvam tu mihi conjunxiſti, oblatum repudiaſſem. Cum autem repudiare illud non liceret, qvid ſupererat, niſi ut iſtud comederem? Mulier qvam dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno & comedi.* O qvanta obſtinatio! qvæ tenebræ! qvæ cœcitas! nunqvam reſipuiſſet Adamus, nunqvam pœnitentiam egiſſet, niſi Deus ſalutare adhibuiſſet remedium oculis aperiendis, videlicet timorem mortis: *in pulverem reverteris.* At hoc ſatis non erat, qvoniam animum non movet mali timor, niſi illud propè abeſſe videatur, *quod ipſe putabit ſe pati poſſe* (inqvit Philoſophus) *idq; ſic, ut propinqvum videatur.* Hinc adeò Deus arguta illa figura, qvam Rhetores hypotypoſin vocant Adamo mortem futuram qvaſi præſentem exhibet, his verbis: *pulvis es*, qvaſi diceret, ne blandiaris tibi ſpe longioris vitæ, cum cœpiſti vivere, jam mori incipis, qvocunqve gradum profers, gradum ſepulchri moliris, non is es hodie, qvi heri fuiſti, punctum eſt, qvod vitam à morte dividit, hoc igitur eſt illud punctum, *conſideres te licet, ut exſangve cadaver: contempleris te, ut eum qvi in cœnum abiit, & in pulverem reſolutus eſt, qvod tandem accidere neceſſe eſt humano corpori. Pulvis es, pulvis es.* Hæc ſola vox in pulverem eum redigere poterat. *Ne malam mortem animæ ſuæ peccator neſciret* (ſcribit Rupertus in h. l.) *& ſecurus uſqve ad ultimum judicii diluculum in ſuis voluptatibus* *dormi-*

Ariſt. Rh. 2, c. 8.

dormiret, morte illum carnis percellit Deus, ut ſaltim ejus inſtantis metu evigilet.

Porrò, qvod qvartum eſt, hic locus Geneſeos conferendus erit cum loco ex Evangelio antea allato, & mirifica S. Scripti conſonantia prædicanda eſt, in qva vetera ad recentia referuntur, & novum fœdus antiqvum explicat & declarat. Qvis eſt itaqve Adamus impœnitens in Geneſi niſi cœcus? Qvis cœcus eſt in Evangelio, niſi Adamus impœnitens? unus eſt figura, alter figuratum, uterqve lucis indigus. Illum pater æternus, hunc verbum æternum ſanat, uterqve eâdem arte ſpagyrica. Qvid facit itaqve Chriſtus, lutum oculis cœci illinens? idem factis ipſi dicit, qvod pater Adamo verbis: *pulvis es.* Qvid facit æternus pater, qvando verbis Adamo pulverem cadaveris ſui exhibet? lutum oculis immittit, ut eum ſanet. *Linivit lutum ſuper oculos ipſius.* In utroqve argutiſſima eſt hypotypoſis, qvæ & Adamo & cœco mortem remotam ut propinqvam repræſentat, *in pulverem reverteris.* At *pulvis es.*

Qvinto obſervabis ſicuti lutum qvod Chriſtus cœci oculis impoſuit, ſanavit qvidem illum, neqve tamen prius, qvàm limpidam Siloæ aqvam, ſymbolum fletus, in oculis haberet: *vade lava in natatoria Siloa*; Sic illud *pulvis es*, qvod Deus Adamo dixit, non ſtatim tenebras oculorum diſcuſſit, ſed tùm demum, cum clarius & flebilius aliqvid oculis objiceretur, nimirum, qvando ipſi mortuus obverſabatur cariſſimus filius Abel (cujus nomen *luctum funebrem* ſignificat) ſicuti cœco aqva Siloæ. Adamus igitur, qvi ſe terram fuiſſe meminiſſe non poterat, nec, qvid eſſet mori, uſu cognoverat, his verbis *pulvis es*, magnopere non movebatur; præſertim cum tempus futurum ſubjiceretur: *in pulverem reverteris*, qvod timorem minuebat. *Omnes* enim (ut notat Philoſophus) *ſciunt ſe eſſe morituros: ſed qvia non ſtatim, ideo non timent.* Unde & Adamus in cœcitate & pervicacia perſeverabat: non plangebat, non pœnitentiam agebat delicti ſui, in diem vivebat, donec fatum & luctus mortis ante oculos poneretur. Hæc erat clara & evidens hypotypoſis, cum videret corpus illud adamatū ſine ſenſu & motu & ex carne illa, qvæ modo chara fuerat, ſcaturire vermes: viſcera illa fieri cœnum, & in pulverem fœtidum ſpurcumqve diſſolvi. Tunc intellexit verba illa, *pulvis es*, in mortis veluti ſpeculo qvalis & fuiſſet ille, & futurus eſſet, perſpiciens,

Digitized by Google

ſpiciens. Tunc in mortuo ſuam mortem agnovit, & in cineribus illis delictum ſuum, qvod & filio & ſibi & toti generi humano tanti mali cauſa erat. Tunc aqva Siloæ, h. e. lacrymæ amaræ, ex oculis erumpebat. Hic locus eſt deſcriptiunculæ, qva & cadaver illud & patris illud intuentis animus pathetice deploratur, atqve inferri poteſt, tum demum cœcum aperuiſſe oculos, qvando & indoluit peccato, idemqve magno horrore deteſtatus eſt, & longam atqve aſperam pœnitentiam egit.

Poſtremò accedet confirmatio ab autoritate Leonhardi Utini, Magiſtri ſententiarum, Lyrani, S. Methodii, Joſephi Hæbræi, & aliorum, qvi in Geneſin commentati ſunt, qvi affirmant omnes Adamum ad id usqve tempus ſine pœnitentia vitam egiſſe, ſed à miſerando illo ſpectaculo oculos ejus factos eſſe fontem Siloæ, & totis centum annis ipſum cum uxore in perpetuo luctu & acerbiſſimâ pœnitentiâ egiſſe votumqve perpetuæ caſtitatis nuncupaſſe, qvod Deus, ut alium Abelem orbi ex qvo Salvator naſceretur, daret, irritum fecerit. *Adam tam gravi & inconſolabili dolore propter interitum Abelis fuit affectus, ut juramento ſeu voto ſe obſtrinxerit, ne amplius commercio uteretur conjugali, multosq; per annos in luctu & continentia cum ſua conjuge pariter dolente permanſit &c.* *Fernand. in Gen. c. 4. ſect. 2.*

Qvinta ſpecies argumentorum ingenioſorum ex Metaphora HYPERBOLES.

Hæc eſt illa figura, qvæ augendo admirationem addit cogitationibus, ſicuti hypotypoſis oculis ſubjiciendo easdem reddit vividas. Sit itaqve tibi propoſitum *admirabilem populo opinionem inſpirare de agone Chriſti, qvando ſangvinem in horto ſudabat.* Et certè qvis neget agonem hunc fuiſſe longè maximum, qvem comitabatur horribile adeò & inauditum ſymptoma, ſudor ſangvineus. *Factus eſt ſudor*

ejus ſicut guttæ ſangvinis. Ut adeò thema hoc internis ſolidisqve rationibus aſtructurus ex Theologica diſciplina docere poſſes in Chriſto non ſolùm exſtitiſſe verum doloris ſenſum & triſtitiam animæ ſentientis, ſed etiam mœſtitiam voluntatis inferioris, qvatenus malum imminens ab imaginatione ſibi oſtenſum averſatur, ut S. Thomas tradit. Qvin ſuperior qvoqve voluntas mœrorem contraxit, cum ab intellectu malum, qvod imminebat, acciperet. Potuerunt enim in eadem voluntate conſiſtere & unà morari ſummum gaudium & ſumma mœſtitia, ut ſubtiliter diſputat Scotus, aliiq; Theologi. Potuit itaqve Chriſtus verè dicere: *triſtis eſt anima mea uſqve ad mortem. h. e. in ejusmodi anguſtiis verſor, qvibus morituri conflictantur.* Erat itaqve ſangvineus iſte ſudor veluti diaphoreticus ſudor morientis: extrema ſpirituum reſolutio, & lethalis exanimatio: acerbiſſima lucta inter vitam & mortem, qvæ ſenſus omnes inferiorem & ſuperiorem appetitum occupabat, qvam Evangelium vocat *agona*, qvi tantus erat, ut morti ſuccubuiſſet, niſi Deus vitam ipſi eo usqve conſervaſſet, dum in cruce meritum & ſacrificium conſummaret.

Scot. in 3. diſt. 25. Bon. diſt. 26. ar. 2. Palud. in 3. diſt. 25. qvæſt. 3.

At ingenioſo argumento in Metaphora *hyperboles* fundato idem thema probaturus, attentius conſiderabis verba modo laudata: *factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſangvinis*, variosqve interpretes de eorum ſenſu conſules. Primum autem dubitationem injicit particula SICUT. Hæc enim cum ſimilitudinem atqve adeò Metaphoricam, & impropriam ſignificationem indicet, ut *Achilles eſt ſicut Leo*: etiam cum voce, *ſangvis*, conjuncta efficiet, ut Chriſtus non verum ſangvinem ſudaſſe videatur, contra ac ſentiunt Theologi & tota Eccleſia. Sin autem hæc particula ad vicinum ſubſtantivum referatur nimirum, *ſicut guttæ*: non erant veræ guttæ, atqve adeo incertum eſt, qvæ res fuerit. Aut hæc ſimilitudinis particula pro inutili & redundanti eſt habenda, qvod vitium eſt ſermonis, qvod divinæ ſcripturæ ſublimitati non convenit. Nam ſicuti ſudor alius non eſt, niſi humor vi caloris interni à centro ad ſuperficiem corporis humani expulſus, ut in Chimicis deſtillationibus herbarum & florum videre eſt: ita cum fluidus iſte humor anguſtos cutis poros penetrare debeat, naturaliter fit, ut in parvas guttulas figuræ ſphæricæ in qvocunqve poro colligatur, qvomodo guttulas roris in herbis glome-

rari

rari, aut etiam lacrymas ex oculis humanis ſtillare videmus, ut qvælibet aqvæ guttula rotundam elementi ſui figuram imitetur. Ut adeo dicere: *factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſangvinis*: impropriè dictum eſſe videatur ob ſuperfluam particulam ſimilitudinis non aliter ac ſi diceres: *factus eſt fletus meus ſicut gutta lacrymarum*, cum ſufficiat, *flevi*. Eodem modo ſatius fuiſſe videtur verbis propriis non ambiguis & redundantibus dixiſſe: *ſangvinem ſudavit*: aut *factus eſt ſudor ejus ſangvineus*.

Deinde ad ſolutionem accedens oſtendes particulam SICUT non eſſe ſuperfluam, qvin potius ſenſum facere ingenioſiſſimum, dum voce, qvæ prima ſpecie videtur hyperbolica, & tamen eſt propria, qvantitatem ſangvinis & agonis magnitudinem auget. Intellexit hanc argutiam Magnus Irenæus, qvi hæc verba interpretatus non legit: *factus eſt ſudor ejus ſicut GUTTÆ ſangvinis*: ſed *ſicut GLOBI ſangvinis*, tanqvam qvælibet ſangvinis vivi gutta globus imo mundus fuiſſet. *lib.3.c.32.* Qvid mirum igitur, ſi Chriſtus tantum agona pertulit, cui tot mundorum onus incumbebat? Atlantem, Cœli & Terræ filium, fingunt humeris giganteis totum mundi globum ſuſtinuiſſe, ad extremum autem ſub hoc onere adeo defatigatum fuiſſe, ut qvo ſpiritum reciperet, coactus fuerit ſe illi ſubtrahere:

Latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qvi vertice torqvet.

Qva Allegoria ſicuti illa Sirenum, uſus eſt Spiritus S: *ecce gigantes gemunt ſub aqvis i. e. ſub globis cæleſtibus*, qvos Geneſis vocat *aqvas ſuperiores*. *Hiob. XXVI.* Qvomodo igitur gemere, qvomodo certare neceſſe habuit divinus iſte Atlas, verus cœli & terræ, h. e. Dei & Mulieris filius, tot globis tot mundis onuſtus? *Factus eſt ſudor ejus ſicut globi ſangvinis*. Tametſi Chriſtus *gigas* videbatur impatienter deſiderans, ut ad metam paſſionis in monte Calvario præſtitutam magnis paſſibus perveniret: *Exultavit, ut gigas, ad currendam viam*: nihilominus ſub pondere, non globorum aqvеorum, ſed ſui ſangvinis adeò depreſſus eſt, ut vere dici poſſit: *Gigas gemit*, non qvidem ſub *globis aqvarum*, at ſub *globis ſangvineis*.

Hæc ſententia Irenæi confirmari poterit tertio autoritate doctiſſimi Commentatoris in hunc locum: *Qvod guttæ ſangvinis manabant*, *Baza lib. 4.c.1.§.10.*

nabant; tot globorum premebatur ſub pondere Dominus. Ecce divinisſimus Atlas, non cœleſtibus, ſed ſangvineis onuſtus globis totus gemens totus madens ſudore.

Qvarto declarandum eſt ſenſum illum, qvi hyperbolicus videtur proprie & vere accipi poſſe, ſi globos illos ſangvinis, non *molis qvantitate*, ſed *virtutis*, ut Philoſophi loqvuntur, metiaris. Sapienter Critolaus Peripateticus dicere ſolitus eſt, ſi in una lance poneretur univerſus mundus in altera exigua virtus: *tantum propendere illam boni lancem, ut terram & maria deprimat.* Qvid non dixiſſet Philoſophus iſte, ſi pondus & virtutem unius guttæ ſangvinis divini cognoviſſet? Atqve hic demonſtrari poterit unam guttam illius ſangvinis, qvem in horto Chriſtus ſudavit, virtute conjunctionis cum verbo æterno, orbi liberando ſuffeciſſe, cum illius virtus omnium hominum iniqvitatem infinitis modis exſuperet, ut declaravit Clemens ſextus, & ex Conciliis Epheſino & Chalcedonenſi colligitur. Qvod ſi ſangvis Henochi & Heliæ in venis eorum à morte & corruptione immunis eſt conſervatus, ut eo Anti-Chriſtus opprimatur: qvod Tertullianus ſcribit *Henoch & Elias morituri reſervantur, ut ſangvine ſuo Anti-Chriſtum exſtingvant*: Qvanto potentior erit guttula divini ſangvinis ad Luciferum omnemqve infernum opprimendum? omnes autem iſti globi, iſti mundi, iſti cœli ſangvinei, ex qvibus meritum & gratia humano generi parabatur, ſummè premebant afflictisſimum iſtum, & defatigatum Atlantem: *Factus in agone prolixius orabat.* Atqve hic locus eſt doctrinæ illi, qvam ſupra indicavimus de Triſtitia Animæ Chriſti.

Cic. Tuſc. Quæſt. l. c. 5.

Extrav. unigenitꝰ de pœnit. & remiſſ.

Sexta ſpecies argumentorum ingenioſorum ex Metaphora LACONISMI.

Sit thema: *in peccatis nihil pro exiguo contemnendum eſſe*, qvoniam ab exiguis ad magnos & irreparabiles errores pervenitur. Hoc thema confirmant multorum autoritates, in qvibus eſt hæc Salomonis:

Eccl. XIX. Ariſt. 7. Ethic.

nis: *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Ratio item naturalis, qvam Philoſophus demonſtrat. Eſt enim in homine appetitus ſenſitivus & ratio. Appetitus eſt veluti infans, qvi magis fertur in jucunda, qvam honeſta: Ratio eſt magiſtra, qvæ pravas cupiditates conſiliis rectis compeſcat. Sic naſcitur diſſenſio inter diſcipulum & magiſtram. Qvodſi itaqve ratio in principio obviam it cupiditatibus appetitus, utut levioribus, reprimens eas turpitudinis & caſtigationis tam temporariæ qvam æternæ metu: Appetitus diſciplinæ fit obſeqvens, bene moratus & *temperans.* Sin ratio indulgentem ſe magiſtram præbeat, & in qvibusdam malis utut minutis conniveat: appetitus eadem ſæpius iterans in vitia majora paulatim adoleſcit, redditurqve *malitioſus.* Et ſi ratio partim conſentiat, partim repugnet, qvædam permittens, qvædam corrigens, ſed non ſatis firmiter: appetitus conſvetudine abreptus fit *incontinens.* Etſi enim rationem admonentem ſentiat, nihilominus peccat. Qvod ſi deniqve induratus in habitum nec rationis conſilia audit amplius & ratio demum diſcipulo ſuo ſuccumbit: tunc is evadit *dominus & ſerinus*, nec ullum genus eſt ſceleris qvod non in ſe admittat. Atqve hoc non ſolum fit in bonis jucundis utpote libidine & vindicta, ſed etiam utilibus, ut avaritia & rapina, & honoratis, ut faſtu & tyrannide.

Hæc eſt illa ſcala, qvam paucis verbis deſcripſit Vellejus: *à rectis ad vitia, à vitiis ad prava, à pravis ad præcipitia devenitur.* *Vellejus Paterc. lib. 1.*

At idem thema argumento ingenioſo *Laconicæ* cujusdam *argutiæ* probaturus, in promptu eſt hæc Salamonis: *Sapientis oculi in capite ejus.* Verbum breve & verè Laconicum, plus ſignificans qvam dicit. At prima ſpecie ſententia videtur inepta, ſi verba ipſa ſpectes. Unde naſcitur primò hoc dubium, qvis ſit qvi qvidem oculos ipſe habeat, neqve ſapientem oculis præditum eſſe cernat? Poſtea, qvale miraculum oculos in capite habere, ubi eosdem & ſtulti & bruta habent, & ſapiente acutiores lynx & aqvila? Qvin de qvibusdam hominibus proditum eſt, eorum acumen in terram ſolidam penetrare, ut theſauros abſconditos perſpiciant, qvod fortè ſapienti negatum eſt. Porrò cur non idem de auribus dicitur, qvæ non minus ſunt organa ſapientiæ, aut de ore, unde exeunt verba ſapientia, aut de naſo, qvi ſedes habetur prudentiæ? unde proverbium; naſo ſuſpendit adunco. Deniqve qvalis hæc loqvendi ratio, *habere oculos*

in capite potius, qvam *in fronte aut facie:* qvæ tamen pars eſt anterior & nobilior illius palatii, ubi oculi habitant.

Secundò explicaturus hunc nodum, dices, huic dicto: *Oculi ſapientis in capite ejus*, ſubeſſe Laconiſmum argutum; qvi plus cogitandum præbet qvam voce ſignificat, ut ſolent dicta Spartanorum, & hieroglyphica Ægyptiorum, & Synthemata Pythagoræ, & proverbia à Manutio collecta, qvæ ſunt ſententiæ breviter prolixæ. Erat igitur, ut eruditiſſimus Mart. Delrio obſervavit, ſententioſum inter doctos Hebræos proverbium, *habere oculos in capite*, cui opponitur alterum: *habere oculos in calcaneo*, qvo divina facundia aſtricta ſimul & copioſa hanc doctrinam indicavit: naturam brutis animantibus caput ad terram deflexiſſe, cum ſufficiat ipſis res ſibi convenientes aut noxias propè intueri: homini verò ſublime caput dediſſe, & in eo ſupra reliqvos ſenſus oculos collocaſſe, ut hi tanqvam excubiæ è longinqvo explorent, qvæ nocitura videantur. *Oculos ut exploratores in turribus aut montis excelſi ſupercilio eſſe collocatos, ut deſuper ſpectent plana regionum* ſcribit S. Ambroſius in hoc Salomonis dictum. Qvin oculi humani incredibili celeritate pollent ſeſe puncto temporis à terra ad cœlum, ab uno polo ad alterum convertendi, ut eò longius proſpiciant, & velut in navi gubernaculum, parvo motu animum, qvo neceſſe eſt, convertant. En igitur ſolutum nodum & expoſitum Spiritus S. myſterium, qvi docere voluit, ſtultos homines in actionibus ſuis principia modo, & qvæ ante pedes ſunt, ſpectare atqve adeò leves culpas negligere & ſic animantibus eſſe ſimiles, qvæ capite in terram propendent. At homines prudentes de ſuperiori loco proſpicientes potiſſimum intueri finem, qvo evadere poſſint ea, qvæ tanqvam parva in principio negliguntur. Sic itaqve hi, *oculos habent in capite*, & illi *oculos habent in calcaneo*.

Tertiò hæc ſententia S. Johannis Chryſoſtomi autoritate confirmari poterit, qvi practicè hunc locum exponit, adhibita ſimilitudine eorum, qvi cum parvo igne domum ſuam corripi videant, ſtatim exclamant & opem aliorum magnâ voce implorant, non tam principium flammæ debilis conſiderantes, qvam exitum, qvò poſſit ſeſe extendere: *non enim*, inqvit, *attendimus initium, ſed ex initio finem conſideramus; Atqvi hunc ignem vehementius excedit peccatum.* Hoc igitur eſt oculos in capite non in calcaneo habere.

Chryſoſt. in Pſ. 6.

Qvartò

Qvartò hoc dictum transferri poterit, ut evidentius fiat, ad ſpeciem aliqvam peccati, veluti libidinem, qvæ per oculos ita irrepit, ut vix ſentiatur. *Conjicit aliqvis oculos in eam, qva nihil ad ſe ſpectat, voluptatem ex ea recapit, & cæcus amor fortè in oculis igniculum qvendam jam accendit, is tamen ſibi ipſi blanditur, nullum eſſe aſpectu peccatum, naturam ſi videre crimen eſſet, cæcos producere debuiſſe. Hoc eſt oculos habere in calcaneo. At qvi oculos ſuo loco ſitos habet, procul conſiderat, qvo hic aſpectus procedere poſſit: aſpectum ſeqvetur ſalutatio: ſalutationem colloqvium: colloqvium familiaritas: familiaritatem furtum noctis, & hanc demum æterna nox, ut jure qveri poſſit: ut vidi, ut perii! Sic enim aliud alii cohæret. Audire Nazianzenum: cave ne oculus oculum trahat, ne riſus riſum, ne familiaritas noctem, ne nox interitum & exitium.* Hac ſcala David, exemplar virtutis, imprudens in adulterium, & ex hoc in homicidium fidelis & chariſſimi ſervi prolapſus eſt.

Septima ſpecies argumentorum ingenioſorum à Metaphora OPPOSITIONIS.

Sit thema: *Pejorem eſſe eum, qvi vitam ſpiritualem ingreſſus corrumpi incipit, qvam qvi totus eſt corruptus & perditus.* Multæ rationes ſolidæ veræqve in hanc ſententiam leguntur in patribus, qvi de hominis vitâ ſpirituali ſcripſerunt. At idèm aliqvo argumento ingenioſo, cujus argutia oppoſitione nitatur probaturus, opportunum erit, qvod Deus in Apocalypſi Epiſcopo Laodiceno dixit: *utinam calidus aut frigidus eſſes.* Ubi calidum intelligit, qvi totus eſt ſpiritualis, *Apoc. III.* & frigidum, qvi totus perverſus eſt. Negari certè non poteſt formam hujus propoſitionis, qvæ ex oppoſitis conſtat, habere vim elenchticam, qvæ percellit & perturbat mentem ejus, adverſus qvem dirigitur: ſed & hoc conſtat, aliqvid paradoxi in ea contineri.

Primùm igitur de ſenſu hujus propoſitionis dubitabitur, qvæ & ſanæ Theologiæ, & bonis moribus prima ſpecie repugnare videtur. Qvis enim ſanâ mente propugnare auſit hanc theſin: Malum eſſe pejorem peſſimo? Qvomodo fieri poterit, ut Deus tàm diligens culparum examinator execretur fragilem potius qvam in vitiis obfirmatum, remiſſum potius qvam diſſolutum, imperfectum potius qvam ſceleratum, non ſatis religioſum potius qvam profanum, in virtute frigidum potius, qvam vitiis conſtrictum. *Utinam calidus aut fridus eſſes: quæ hæc ſunt verba mi Deus*, inqviet Epiſcopus Laodicenus. *Fateor caritatem meam non in flammas erumpere, at nec ſub cineribus ſepulta eſt illa: amo nonnihil meipſum: neqve te tamen odi: non ſum mons qvidem ignivomus: nec tamen Alpes nivibus obtectas refero, non ſum ex ordine Seraphinorum, nec tamen Luciferum me qvis dixerit. Si conſilia tua non qvantum merentur facio: nec tamen legis tuæ tabulas ſperno: ſi manus meæ pauperibus clauſæ ſunt: non tamen alienis gemmis ſuperbiunt: Si non purum prorſus eſt cor meum, non tamen eſt teætris libidinibus inqvinatum: Si Numen tuum ſanctiſſimum ſanctus non veneror, neqve tamen profanos Deos profanus adoro. Qvod ſi igitur tepidum magis qvam perverſum abominaris: ſatius foret paſtorem gregis tuæ, cui ſancto eſſe non licet, fieri lupum.*

Deinde ſoluturus hanc difficultatem, dices hoc paradoxon declarari ſatis non poſſe, niſi alii loco Levitici, qvi huic reſpondet, conferatur, unde utriqve lux accedat, cum uterqve in ſe obſcurus ſit. Deus ibi præcipit Moſi, ut is, in qvo lepra ſeſe exerit, dum morbus ſerpere incipit, includatur & ab aliis ſeparetur, at ubi totus à capite ad calcem ſordido hoc morbo corruptus fuerit, tunc ut liberè, qvo velit, abire permittatur. *Sin autem effloruerit decurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite uſqve ad pedes, conſiderabit eum Sacerdos & teneri lepra mundiſſima judicabit, & idcirco homo mundus erit.* Duplici igitur hominum generi Deus permittit cum aliis verſari, & ei qvod *totum* eſt *ſanum*, & ei, qvod *prorſus* eſt *leproſum*. At qvod *mediocriter infectum* eſt, includi & è populo ſegregari jubet.

Levit. XIII.

jubet. Philo aliiqve Mythologi Hebræi, in hoc loco de *leproſo* hærent attoniti, non minus ac interpretes Scripturæ in illo, qvi eſt de *tepido*. At utriusqve myſterium pateſcit, & clara erit ſententia, ſi ex phyſicis doctrinam, cui uterqve locus innititur, repetierimus. Ibi igitur docetur infectionem, à qva contagii periculum eſt, naſci à putrefactione, qvæ eſt *in fieri*, ut cum Philoſophis loqvamur, non *in facto eſſe*. Unde Theophraſtus obſervat rem omnem, dum corrumpitur, graviſſimè olere, corruptam non item. Nonne vides, inqvit ille, roſas & nardum Celticum, & baſilicam ſicuti plantæ ſuæ adhærentes aërem fragrantiſſimis odoribus implent, ſic in anguſto vitri carcere ad tepidum ignem putrefacta graves & ingratos odores ſpirant, at poſtqvam marcida & putrefacta refrigerantur, denuò ſvavem odorem emittere eoqve veſtes à corruptione conſervare & ſvaviſſimo odore inficere? non alia ratione corpus humanum dum leproſo morbo contaminatur; ſpiritus corruptos, fœtidos vapores, & ſemina peſtilentiæ exhalat, qvæ auram inficiunt & cum aura eum, qvi ſpiritum ex ea ducit. Ubi vero idem prorſus exhalavit, qvicqvid intus latebat noxii: deformitate qvidem moleſtiam neqve tamen contagio vicinis periculum creat. Hinc Phyſicorum Græciæ Princeps docet in morbis epidemicis, qvalis eſt lepra, *oportet* (ut interpretatur Valeſius) *has omnes excretiones in cutem eſſe copioſas, non ſemifientes*, qvæ ipſa eſt verborum Levitici ſententia, ut nimirum putrefactio in viſceribus ſit perfecta & in carne abſoluta & finita.

Tertiò hæc doctrina phyſica applicabitur myſterio divinorum verborum tam in Levitico, qvam in Apocalypſi. Tres corporum ſtatus Leviticus exprimit *totum ſanum, totum leproſum*, & inter ſanum & leproſum *medium*. Tres animæ ſtatus itidem depingit Apocalypſis: *totam calidam* & ſanctam *totam frigidam* & corruptam, tertiam *tepidam & mediam*. Corpus *ſanum* vitæ conſvetudini accommodatum eſt, & anima *ſancta* exemplo prodeſt. Corpus *leproſum* non amplius inficit: anima *perverſa* non amplius eſt ſcandalo. Corpus *ſemileproſum* vicinos inficit, & anima *ſemimala* bonos corrumpit. Ratio perſpicua eſt ex iis, qvæ dicta ſunt: ſicuti enim homo aperte lepra totus corruptus per ſe vitatur & odio eſt aliis: ſic etiam homo manifeſtè improbus tam inviſus eſt bonis, ut peſſimis ejus

Digitized by Google

exemplis non ad imitationem, ſed ad horrorem & indignationem concitentur, atqve adeo ſcandalum ab eo accipiat nemo. Porro ſicuti is, qvi incipit putreſieri cum malum ejus adhuc lateat, venenum iis aſpergit, qvi incauti ipſi appropinqvant: ſic qvi ſpecie hominis religioſi & opinione qvadam virtutis animum à vero ſpiritu alienum tegit, familiare venenum in verbis & actionibus parum laudabilibus ad alios transmittit, qvod facile ſimpliciores arripiunt, id qvod verum eſt ſcandalum. Hæc explicatio confirmatur autoritate Gilberti Abbatis in hæc verba Cantici Cant: *qvaſi balſamum non*
Serm. 32. *miſtum odor meus*, ubi demonſtrat vitium virtute mixtum eſſe longè periculoſius, qvam ſi ſolum ſit. *Periculoſa & peſſima miſtura eſt, qvando vitium virtutis imitatur ſpeciem & qvaſi balſamum venenum facit, ungventarius eſt diabolus.*

Poſtremo redeundum eſt ad thema idqve verbis Levitici & Apocalypſeos inculcandum in hunc modum: iſtos, qvi deficiunt in probitatis itinere, qvod ingreſſi erant, *ſemileproſos* eſſe, qvi à commercio ſanorum removeri debeant, eſſe *tepidos*, qvos Deus evomuit. Sicuti enim potus aut totus calidus aut totus frigidns facile à ſtomacho retinetur: at lepidus, qvi fibras mollitie ſua relaxat, vomitum ciet: ſic Deus facilius tolerat plane perverſos qvam tepidos iſtos, qvi plus detrimenti Eccleſiæ afferunt. *Ultinam calidus aut frigidus eſſes, ſed qvoniam neq́ calidus neqve frigidus es, incipiam te evomere.* Oſtendi qvoqve poteſt hanc ob cauſam Chriſtianis à Paulo conceſſum eſſe, ut cum Ethnicis verſentur & cibum capiant: *Si qvis infidelium vocat vos, & vultis ire, omne qvod vobis appoſitum fuerit, edite.* Diverſa parte iisdem prohibitum eſt cum fratribus verſari & cibum capere, iis nimirum, qvi maledicentiâ vel curioſitate vel ebrietate, vel rapinâ corrupti ſunt: *cum ejusmodi nec cibum ſumite.* Qvod enim Theodoretus annotavit in locum illum Levitici, pagani ſimiles ſunt *prorſus leproſo* & tepidi Chriſtiani *ſemileproſo. Hoc continet figuram rerum ſpiritualium, ſiqvidem lex divina nec edere qvidem permittit cum fratribus peccantibus, infidelibus autem ad convivium invitantibus manducare non prohibet.* Atqve illud demonſtrari poteſt, ſicuti Eccleſiæ plus nocuerunt improbi Chriſtiani, qvam tyranni pagani: ſic etiam eidem majorem perniciem afferre *tepidos religioſos* qvam *peſſimos ſeculares.* Utriusqve multa extant teſtimonia & exempla, ut dictum eſt.

Dici

Digitized by Google

Dici non poteſt, qvam accepta ſint populo non ſolum argumenta hæc ingenioſa, ſed ea vel imprimis qvæ hac figura oppoſitionis nituntur. Cauſas reddidimus ſupra, cum de oppoſitis ageremus. Qvare diſerti Concionatores, qvo thema concionis reddant curioſius & popularius hac utuntur calliditate, ut duo themata, qvæ inter ſe contraria videntur conjungant & comparent, eaqve perpetuis contrapoſitis illuſtrant, & demum ingenioſa qvadam & peregrina animadverſione concilient. Sic divinus ille Panigerola in concione primo qvadrageſimæ die habitâ, cum aut de cineribus ſecundum Eccleſiæ verba, aut de theſauris in cœlo comparandis ſecundum Evangelii verba poſſet dicere, qvæ ſunt duo argumenta comunia & ſeparata: adhibuit ſolertiam illam, utrumqve argumentum conjungendi & contrariam utriusqve rationem oſtendendi tanqvam diverſo animi motu in contrarias partes raperetur. Recitabo ipſa ejus verba: *Si lectio ſacra Evangelii hodierni alio non ſpectat, niſi ut cogitationes meas è terra ſubductas in cælum attollam: ſcire vellem ô Roma, cur hujus diei ingreſſu non aliud ſpectet Eccleſia, niſi ut cogitationes meas è cælo revocatas in terram deducat: & ſi eccleſia ab alto me detrahit & in humili conſtituit: unde fit ut ſanctum Evangelium ex humili me ſublatum in altum projiciat. Ad cælum te converte, inqvit evangelium: ad terram inclina inqvit eccleſia: ſuſpice, dicit illud; deſpice, dicit hoc: ſurſum te erige ab hac parte exclamatur: deorſum te dimitte, ab iſta. Ne terram cogita, cantat Diaconus: terram terram cogita, clamat chorus. Cum ubi theſaurus, ibi cor ſit, nolite, inqvit, illud, theſaurizare vobis theſauros in terra: & cum ubi nos agnoſcimus, ibi ſit cogitatio, pulvis es, ſubjicit iſta. Et demum ut finiam certum eſt, me ad terram hodie vocari ab eccleſia, in cœlum ab evangelio. Dum enim pro cælo affertur: theſaurizate vobis theſauros in cælo: pro terra eodem tempore dicitur: memento homo, qvia pulvis es & in pulverem reverteris.* In hunc modum continuat ille contra poſita augetqve difficultatem, ut eo magis appareat contradictio. At poſt longum & forte nimis longum conflictum (nam

 longius

longius protracta oppoſitio auditori eſt tædio & artem detegit) tandem ſolvit nodum inexſpectata hac & ingenioſâ conſideratione Spiritum S. qvi velit ut homo ſe ipſum noſcat ex corpore & anima compoſitum, effeciſſe ut uno tempore evangelium doceat, qvid homo ſit qvantum ad animam: *theſaurizate vobis theſauros veſtros in cœlo*; Eccleſia, qvis idem ſit qvantum ad corpus: *pulvis es & in pulverem reverteris.* Verba ejus ſunt hæc, poſtqvam multum dubitaverat, cur hæc ſit inter evangelium & eccleſiam repugnantia: *cur? quia ubi prima fronte verba Dei ſibi repugnare videntur: ibi prorſus & tegunt & detegunt myſteria longe altiſſima & profundisſima. Scopum intuemini & finem horum verborum, qvi eſt, ut conditionem nobis noſtram ante oculos ponant, unicuiqve noſtrum videntur dicere* NOSCE TE IPSUM: *præcipiunt homini ſui ipſius oblito, ut oculos tandem in ſe convertat & ſe ipſum intelligere diſcat. jam qvis eſt, qvi neſciat, hominem non eſſe puram ſimplicemqve ſubſtantiam, ſed ex duabus partibus, anima ſcilicet, & corpore compoſitum: ex corpore terreſtri & anima cœleſti: ex corpore corruptibili & anima incorruptibili: ex corpore mortali & anima immortali: ex corpore, qvod generatione producitur, ex anima qva per creationem infunditur; ex corpore à patre accepto, ex anima à Deo nobis immediatè data. Qvod ſi igitur nobis cognoſcendis ſufficeret aut corpus ſolum, aut animam ſolam cognoviſſe: ſufficeret qvoqve cogitationes aut ad cœlum modo, aut ad terram tantum dirigere. At ut perfectè cognoſcas, homo, & divinam & fragilem iſtam partem: neceſſe eſt, ut propter partem divinam noſcas illud: theſaurizate vobis theſauros veſtros in cœlo & propter partem humanam, memento homo, qvia cinis es.* Atqve ſic per totam orationem de utroqve argumento diſſeruit, plauſumqve retulit.

Ultima

Digitized by Google

Ultima ſpecies argumentorum ingenioſorum ex Metaphora DECEPTIONIS.

Sit thema: *Diſcordia maximarum rerum conſilia impediri & corrumpi.* Præter multa exempla ſacra & profana & politicorum qvoqve decreta huic rei probandæ ſufficeret vel ſola decantata ſententia Micipſæ filios ad concordiam exhortantis: *Concordia parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.* At idem thema ingenioſo argumento in hac deceptionis Metaphora poſito probaturus, poteris uti inexſpectato illo decreto, qvod Deus interpoſuit in cauſa Gigantum qvando poſt longam conſultationem, qvomodo interrumpenda eſſet temeraria turris Babiloniæ exſtructio: Tandem ita ſtatuit: *confundamus ibi lingvam eorum,* qvod decretum ingenioſum & argutè facetum eſt, qvo ſtulta conſilia inſanorum ædificatorum irridentur. *Saluſtius de Bello Jugurt.* *Gen. 11.*

Primo igitur ſtultitiam illorum repræſentare poteris, dum inter ſe de aggrediendo hoc opere conſultant: *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras.* Poteris hic faceta qvadam paraphraſi horum verborum ludere aliis ſed ſtultis verbis gigantes loqvi faciens, qvomodo in comœdiis Thraſones aut Titanes in cœlum irrupturi loqverentur. *Si homines ſumus aliis majores, qvidni mundum hoc majorem qværimus? Num igitur ſemi Dei illi lucidis iſtis palatiis fruentur, & nos huic cœno tanqvam ranæ affixi hærebimus? Agamus igitur: turrim erigamus primo qvoq, die, qvæ cœlum feriat, ſin altius fuerit cœlum, qvam ut turris eo pertineat, alteri alterorum humeris ut turris turri ineqvitemus, & poſtremus lunam inſiliet & reliqvos omnes machinis attrahet. O qvæ deliciæ erunt gigantum! qvibus pro itinere erit Zodiacus via ſolis, pro pilis qvibus ludant ſtellæ, pro curru*

Xxx volu-

volubili, primum mobile, qvi ſvavem qvietem capient inter concentus, qvos ſphæræ ſe invicem terentes ſuis orbibus efficiunt. Qvod ſi adamantes & gemmæ ſunt fragmenta ut creditur, qvæ de cælo deciderunt, ipſam illic venam occupabimus, & gemmarum commercium per ſcalam noſtram ſurſum deorſumqve inſtituemus, & divitiis ad ſatietatem abundabimus, qvod ſi Dii ex invidia nos velint impedire, nos deturbabimus ipſos ex ipſorum regione. Dii enim, qvos pictos cernimus, tribus palmis & dimidio breviores ſunt qvam nos.

Deinde oſtendetur Deum perſpecto hoc gigantum utut ſtultorum ingenti propoſito, viribusqve eorum conſideratis ſucceſſum hujus operæ timere viſum eſſe, atqve adeò conſilium Trinitatis, ut Rupertus intelligit, aut cœtus etiam angelorum, ut alii exponunt, convocaſſe, & in hunc modum verba feciſſe: *ecce, unus eſt populus, & unum eſt labium omnibus: cœperuntq; hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleverint: Venite igitur, deſcendamus.* Ex qvibus verbis hoc colligendum eſſe videtur, Deum de hoc facinore in conſilio differentem affirmare, ut Cajetanus qvidem explicat, illos revera non intermiſſuros opus, donec perfecerint, atqve adeò conſultaſſe, qvomodo illud impediri poſſit. Hic poterit ad Deum converti oratio, & qværi, qvid divinam ſapientiam impulerit, ut ſtultis illis tam inſanum conſilium ſuccedere poſſe crederet. Primum enim Deus ipſe vocat eos filios Adam: *deſcendit Deus, ut videret turrim, qvam ædificabant filii Adam.* Cum è terra creatos eſſe ſatis ſit, ut intelligatur eos in terram prius reverſuros, qvam opus adeò ſuperbum perfecerint, ſecundum comminationem illam: *qvid ſuperbis terra & cinis?* Deinde geographica demonſtratio evincit lunæ orbem, qvi tamen propius à terra diſtat tribus & triginta ſemidiametris globi terreſtris h. e. centum & viginti millibus ac ſexcentis & triginta leucis Italicis à terra abeſſe. Qva qvidem ratione, etiamſi qvotannis uno milliari opus aſcendiſſet, adhuc hodiè ne vigeſima qvidem qvarta pars ejus operis exſtaret, jamqve millies & ducenties orbis eſſet immutatus, ſi ſingulis hominum ætatibus vel ſeculum tribuas. Sed fac vitam propoſitis ſuis æqvalem ipſis contigiſſe, ubi materiam moli huic æqvalem inveniſſent, ſi non montes, ſed orbes trigin-

Digitized by Google

triginta alterum alteri impoſuiſſent, ut baſin & fundamentum tam alto ædificio reſpondens jacere potuiſſent? Et ſi nec terra terræ filios defeciſſet, qvomodo vivere potuiſſent ad aërem ſubtiliſſimum progreſſi, qvi nec reſpirationi aptus, & ne aves qvidem ſuſtinet? & qvomodo nubium grandiumqve regiones tranſire potuiſſent, ut nec frigore conſtricti, nec fulgure aduſti manerent? Qvid? qvomodo ad tertiam regionem illæſi pervenire potuiſſent, ne ardente illa ſphæra perirent, in qva faces meteoricæ ſtellæ cadentes, & terribiles cometæ conflagrant? qvot Icaros pennis è ſole vicino ambuſtis, qvot ridiculos Phaëthontas in Gangem & Euphratem præcipitari vidiſſes? Atqve ita aliis, qvæ in mentem venient rationibus in eandem ſententiam diſputare poteris, atqve inferre nullam fuiſſe cauſam, cur aut extimeſceret Deus, aut effectu non cariturum judicaret vanum hoc inceptum. Cur igitur dixit? *cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleverint.*

Huic igitur dubio explicando admonebis verba iſta non eſſe *affirmantia*, ut Cajetanus credidit: qvomodo enim creator vires illorum ignoraret? nec *interrogantia*, ut Auguſtinus voluit: Neqve enim hebræus codex hunc ſenſum admittit: ſed *ironica*, ut differunt Martinus Delrio, Lippomanus, & pleriqve commentatores bibliorum. Delectatur enim Deus ridendo caſtigare eos, qvi ſtultè ipſum contemnunt, ut idem dixit: *ego qvoqve in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* *Prov. I.* Atqve hoc ita eſſe ex eo intelligitur, qvod Deus facetè admodum & lepidè ſingulis ipſorum & factis & verbis veluti echo qvadam reſpondet, & cum illis corpore gigantibus mente pygmæis veluti contrapoſitis ludit. Inſpicite locum ipſum & obſervate, qvomodo easdem voces argutè retorqvens τῷ *dixerunt* opponit, *dixit:* τῷ *venite, veniamus:* τῷ *aſcendat, deſcendit:* τῷ *faciamus, non deſiſtent:* & in qvo concluſio eſt inexſpectata, τῷ *celebremus, confundamus.* Magnum conſilium gigantes colligunt: *dixit alter ad proximum ſuum:* & magnum conſilium cogit Deus: *dixit Deus, ecce unus eſt populus:* proponunt iſti ſibi in cœlum evadere: *faciamus turrim, qva pertingat ad cœlum:* & Deus in terram deſcendit, viſurus ridiculum hoc propoſitum: *deſcendit Dominus, ut videret turrim:* conjurant iſti, ſe non deſtituros ab incepto: *faciamus anteqvam dividamur:* & Deus ſimulat ſe timere ſucceſſum; *non deſiſtent donec opere compleverint.* Iſti deniqve

niqve ſocios omnes excitant, ut ſe operi accingant: *Venite igitur faciamus lateres*, & Deus copias omnes colligit, ut illud impediat: *venite igitur, deſcendamus.* O qvam horribile decretum! qvæ minæ! qvid facies Deus Potentiſſime, ubi deſcenderis ?. qvam extremam divinitatis tuæ vim & auxiliarium ex angelis tuis cohortium robur huic expeditioni impendes? num calcem illius machinæ ſangvine gigantum macerabis? minime. Num vero ſtructura illa operarios, ut Olympo & Oſſa Jupiter Titanes, obrues? *non, majus aliqvid faciam.* Qvid igitur? num pedem terræ impinges, ut diſſiliat, & vivos opus & operarios in erebo ſepeliat, ne in cœlo aut terra eorum ſuperſit memoria? *non, faciam aliqvid mirabilius.* Qvod horribile itaqve hoc erit inventum? *eh! confundamus ibi linguam eorum.* Proh, qvam jocoſum inventum! poſt tot conſultationes, tot minas, poſt cœleſtem exercitum in aciem eductum, *venite, deſcendamus*, qvis unqvam exſpectaſſet tam lepidum, tam ridiculum decretum; *confundamus linguam eorum.* En! qvomodo Deus eos oppugnet, qvi ſtulta ſuperbia in eum delinqvunt. Relinqvit turrim, qvalis eſt: non occidit inſanos feroculos; non fulmina fruſtra perdit: non ignem cœlo demittit, non eos ut Luciferum dat præcipites. Hæc arma crudelia, horrendas illas caſtigationes reſervat malitioſè ſuperbis: at de ſuperbis dementibus & ridiculis vindictam ſumit jocoſam: timorem præ ſe fert & ridet: ſimulat ſe deſcendere, nec loco movetur: ira ejus ironia, bellare eſt ludere, prælia ſunt facetiæ. *Venite igitur, deſcendamus.* Ad arma, ad arma, qvid fiet? *confundamus ibi linguam eorum*, en! tragœdiam qvæ in comœdiam deſinit. Hic lepidè confuſio illa ex ridiculo hoc ſucceſſu nata deſcribi poteſt, cum hebræa lingua, qvam loqvebantur omnes, in tot idiomata mutata fuit: Græcus cantabat, latinus clamabat, Arabs fremebat, Germanus ſtrepebat, ita ut omnes eſſent loqventes, omnes muti: indigenæ omnes & omnes exteri, linguam moverent, nec loqverentur, aut loqverentur ſine verbis, audirentur nec intelligerentur, & ſic cum alter alteri eſſet barbarus, unus petebat ſaxa, alter porrigebat ligonem. Unde factum, ut cum alter alterum rideret, etiam alter alteri ſuccenſeret, & cum ſe deludi crederent, ſibi terga obverterent, ut ſolâ diſcordiâ opus hoc imperfectum relinqveretur, unde etiam hodiè in ridiculum exemplum ruinis iſtis nomen Babelis h. e. confuſionis manſit.

Poſtremò

Digitized by Google

Poſtremo argutus hic Dei jocus confirmari poterit autoritate commentatoris doctiſſimi. *Itaqve incredibilis facta eſt inter ædificantes confuſio, exortâ pluralitate linguarum: cum ſeſe invicem loqventes nondum intelligerent: & petenti calcem alius ligonem porrigeret, unde invicem irridentes & mutuo iraſcentes ab opere deſtiterunt.* Atqve hic de ſapientia divina inſtitui poteſt obſervatio, qvæ cum totum hujus conſilii fundamentum voluntatum & ſermonis concordia niti intelligere: *ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus* evertendo iſti operi unicum præſidium reperit diſcordiam: *confundamus ibi linguam eorum.* Qvo demum thema propoſitum & laudata ſententia confirmatur: *Concordia parvæ res creſcunt,* en turrim! *diſcordia maximæ dilabuntur,* en ruinam! *Ferrand. in Gen XI*

Eqvidem facundos & ingenioſos concionatores nec leges ab his exemplis capere, nec qvi concionator non eſt, eas reqvirere intelligo. At illis, qvi ex carceribus evolant, ut ſacrum hoc & laborioſum ſtadium decurrant, fortè non inutiles erunt, ut naturam horum argumentorum eaqve tractandi rationem, qvæ præcipua pars eſt, intelligere diſcant. Nam excogitare ejusmodi argutè inventa hodiè adeò neceſſarium non eſt, cum tot in medio ſint libri Hiſpanorum; qvi ſi vel indices conſulas, cuicunqve themati concionatorio infinita argumenta ſuppeditant, ſed ita nuda & macra, ut ingenio Italico veſtienda ſint & expolienda. Præterqvam qvod eum, qvi huic ſtudio animum adjicere ex profeſſo decrevit, minimè convenit ſemper deſcriptorem eſſe, ſed & ipſe per ſe talia invenire, & in librum commentarium ſeu ad locos topicos ſeu ad Evangelia referre debebit. Qvod faciet aut fontes SS. Patrum legens, aut dictum aliqvod metaphoricum eorum expendens (præcipuè ubi locum aliqvem Scripturæ explicant) ut idem ad thema concionatorium transferat; aut fontes S. Scripturæ legens, atqve ibi reperto aliqvo facto aut dicto metaphorico & arguto commentatores conſulens, & S. Patres in illum locum, catenam item auream & ſylvam allegoriarum, qvæ ſatis materiæ præbent fabricandis ejusmodi enthymematis. Nec parum excitabit intellectum, imitatione accurata audiens celebres concionatores, qvi hodiè in hoc genere metam gloriæ attigerunt, qvin illud eò extulerunt, ut neſciam, an humano ingenio ulterius progredi conceſſum ſit, qvales in hac urbe audivimus,

mus, Zachiam, Caraſſam, Leporem, floridos argutiarum & ingenioſorum argumentorum hortos.

Qvantum ad *thema*, danda eſt opera, ut novum illud ſit, atqve obſervationem habeat concioni aptam, h. e. vel ſacram, vel moralem, qvæ comparata ſit ad virtutes ſvadendas, aut vitia diſſvadenda, aut ad explicandum myſterium aliqvod divinum, aut laudandum aliqvod factum Chriſti, vel Sanctorum. Revocatur enim omne thema ad aliqvod trium generum rhetoricæ perſvaſionis h. e. *Deliberativum*, *judiciale*, *&* *demonſtrativum*, ſeu epidicticum, qvod continet etiam res, qvæ ſcientiæ cauſa docentur, ut mox dicemus. Tametſi autem vulgare ſit thema commendari illud poteſt enthymemate arguto, qvo probatur.

Secunda igitur pars ejusmodi concionis argutæ eſt *argumentum ingenioſum* ſeu *medius terminus*, qvo probatur thema, depromptus ex aliqvo Scripturæ loco, qvi prima ſpecie videtur difficilis aut abſurdus, aut ineptus, aut alii loco repugnans.

Tertia pars eſt *difficultas* & dubitatio, qvæ aut de litera, aut de ſententia loci injicitur. Atqve hæc difficultas oſtenditur beneficio alicujus diſſertationis theologicæ, aut ex Scriptura natæ, aut philoſophicæ, aut dialecticæ, aut hiſtoricæ, qvæ acerrimam exſpectationem in auditore excitet, & ſimul novi aliqvid & curioſi doceat.

Qvarta pars eſt *ſolutio*, qvæ oſtendit in loco, qvi difficilis aut abſurdus videbatur, ſi rectè intelligatur, latere *argutias divinas*, qvæ ut evolvantur, obſervatio qvædam erudita præmitti ſolet, qvæ vel peregrinam eruditionem, vel ſimilitudinem curioſam & jucundam ex rebus naturalibus, artificialibus aut domeſticis petitam continet, ut ingenioſæ deſcriptionis materia ſuppetat, qva dubii ſolutio magis illuſtretur. Et hic locus eſt, qvi maximam argumenti & ingenii oratorii gratiam demonſtrat.

Qvinta pars eſt *applicatio*, qvæ videlicet eruditam illam diſſertationem loco Scripturæ & Scripturæ locum themati applicet. In qvo neceſſaria eſt ingenii vis & celeritas, qvæ duas res, qvæ videntur remotæ & diſſentaneæ, conciliat & porrò reqviritur ſingularis in vocibus & comparationibus perſpicuitas, ut auditor ſine labore veritatem & rerum convenientiam agnoſcat.

Sexta pars eſt *autoritas*, qvæ explicationem illam curioſam confir-

confirmat, ne ab uno oratoris ingenio profecta videatur, qvod invidiæ obnoxium foret. Et certè vix dici poteſt, qvantum autoritas S. Patrum & Scripturæ interpretum ingenioſas argumentationes conſtringat, obſignet, & venerabiles reddat, cum & animus auditoris in ea acqvieſcat, tanqvam in demonſtratione qvadam, & voluptatem inde capiat, qvod Sancti alicujus verba ſuis cogitatis juncta animadvertit, qvemadmodum in ſymbolis corpori verbum adſcribitur, ut diximus.

Poſt autoritatem ſi tranſire vis ad aliud argumentum ingenioſum, qvod ii faciunt, qvi conciones ſuas continuo talium enthymematum filo contexunt, ut cumulo argumentorum idem thema approbent: tunc relinqvitur auditor in autoritate illa, tanqvam concluſione, nec aliud qvid ſubjicitur, ſed ſtatim ad alium Scripturæ locum & novam difficultatem prooemiolo, qvod tranſitionem faciat, præmiſſo acceditur. At ſi idem argumentum ingenioſum aut totam concionem faciat, aut poſtremum ſit, tunc poſt ſententiam thema repetitur & paraphraſi aliqva, nec non rationibus internis ſolidisqve inculcatur, ut utilitas, qvam ſpectamus, ſeu intellectus ſit convincendus ſeu affectus commovendus, inde redeat.

Habes igitur ſtupores, habes peregrini iſtius partus nobilitatem, qvem à mente foecunda enixum vocavimus CONCEPTUM ARGUTUM, qvi etſi non nunqvam ſine ulla cultura & ſtudio etiam vulgò naſci & provenire videatur: nihilominus tot animæ nobiliſſimas operationes tam vividas & promptas complectitur, ut nulla metaphyſica ſubtilior, nullus volatus velocior, nulla ars laborioſior videatur. Qvin à Julio Cæſare, & M. Tullio, & ab ingeniis etiam argutioribus creditum fuit, rem omnem artis vi diſci doceriqve poſſe, hac unica excepta. Aliter verò ſenſit autor noſter (265.) qvi clariori conſpicillo res intuitus eſt. Nam de ſalſis facetisqve dictis verba faciens ſic ſtatuit, *etſi ingenia qvædam felicia naturæ beneficio conſeqvantur, ut ſint arguta & alia diuturna exercitatione, qvæ in naturam abit, eodem perveniant: Philoſophum tamen, qvi nec naturâ, nec uſu valdè argutus eſt, argutiarum docere poſſe artem.* Sic itaqve ſicut aliarum rerum efficiendarum, utut manuum operâ efficiantur, ſic etiam hujus qvædam ars, qvæ theoremata & regulas conſtituit, qvibus intellectus practicus ad finem propoſitum via & ratione perducatur.

(265) Artes 3. Rh. c. 10. poſſe facetè dicere, aut ingenioſi eſt, aut exercitati. Docere autem doctrina hujus.

tur. Eſt enim intellectus hominum naturaliter ita velox & ſagax, ut oſtenſo uno veſtigio argumentum procul agnoſcat, & ad illud perſeqvendum ultro decurrat. At qvoniam theoremata & regulæ practicæ formam artis conſtituunt, formam autem materiæ diſpoſitio & finis cognitio, qvo referenda eſt operatio, præcedat neceſſe eſt: primo loco diſſeremus de

CAUSA FINALI ET MATERIALI ARGUTIARUM.

Cap. XIX.

PErfecta omnis argutia cum oratio ſit ad perſvadendum comparata: neceſſariò ad aliqvod trium cauſarum generum pertinebit, DEMONSTRATIVUM, DELIBERATIVUM & JUDICIALE, ut dicemus. Qvicunqve igitur argute dicturus eſt, ſibi proponit vel (266.) laudare res honeſtas & vituperare contrarias: vel ſvadere utilia & ab inutilibus revocare: Vel injuſtum accuſare aut eundem excuſare. Interdum tamen tria hæc genera permiſcentur, ita, ut, cum finis ſit Demonſtrativus, judiciali utamur in confirmatione, accuſantes ſcilicet ut erubeſcere faciamus, & ſic etiam in aliis. Sic argutiæ qvoqve duos fines non nunqvam reſpicient & qvaſi duabus animabus regentur: velut ſi iis æqve accuſare alterum, qvam vituperare velis. Et ſunt qvædam (ut de Metaphora Deceptionis diximus) qvæ finem qvendam initio præferunt, & callidè poſtea in alium priori contrarium deſinunt, ut fallatur auditoris exſpectatio. Qvas generum mixturas (267.) autor noſter vocat ASSUMTIONES, ut ſi ad bellum diſvadendum aſſumas laudem pacis, aut bellum vituperes ad ſanctam pacem exhortaturus. At modus ille fines iſtos aſſeqvendi in argutiis erit figuratus & ingenioſus, qvalia eſſe convenit *enthymemata urbana.*

(266) *Ar. 1. Rh. c. 3 eumque tria genera ſint, fines etiam tres ſunt.*

(267) *Ar. ib. cætera verò ad hæc aſſumuntur.*

In genere DEMONSTRATIVO argutiſſimum eſt hoc Martia-

Martialis epigrammma in *laudem* boni imperatoris Nervæ, in qvo præter bonos mores nihil aliud boni reperiſſes:

Ipſe qvoq; infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur: Cæſarianus erit.

In qvibus obſervas vividam *hypotypoſin* ex umbris umbra Catonis revocata & acutiſſimum *Laconiſmum* in his duobus verbis: *Cæſarianus erit.* Qvorum hæc vis eſt *tam integris moribus hic Cæſar eſt ut Cato ipſe, morum cenſor, qvi ne Julio Cæſari parendum ſibi eſſet ſe interfecit, nunc Cæſarianus fieret, libenter Nervæ imperio parens.* *In vituperationem* ingenioſiſſimum eſt hoc, in qvendam terræ filium, qvi jus trium liberorum petebat qvod ingenuis & rarò concedi ſolebat:

Jus tibi natorum vel ſeptem, Zoile, detur
Dum matrem nemo det tibi, nemo Patrem.

In qvibus duas acutiſſimas figuras deprehendis, oppoſitionem ex relatis: *habere filios, non habere patrem*, & Laconiſmum, qvo tectè ipſi exprobrat, *tu es infamis ſpurius vulgo qvæſitus.*

In genere DELIBERATIVO argutum eſt id *conſilium*, qvod idem Cauſidico cuidam ſatagenti & ſollicito ſuggerit:

Si res & cauſa deſunt, agis Attale mulas
Attale ne qvid agas deſit, agas animam.

In qvo apparent duæ lepidæ figuræ, *æqvivocum* in voce AGERE, & *deceptio* cum tale conſilium non exſpectaretur, ut ne nihil ageret, animam ageret. In *diſſvadendo* argutum eſt illud ex ſola oppoſitione:

Parce precor laſſo, vanosq; remitte labores
Qvi tibi non proſunt, & mihi, Galle, nocent.

In genere JUDICIALI argutè moram ſuam *excuſavit* Laconiſmo:

Non eſt iſta qvidem non eſt mea ſed tua culpa,
Miſiſti mulas qvi mihi, Pate, TUAS.

Digitized by Google

Id eſt *ſufficit dixiſſe tuas fuiſſe mulas*, hoc eſt adeò macilentas, ut progredi neqvirent. *Accuſando* luſit in poëtam illum, qvi alienis pennis ſe exornabat:

Judice non opus eſt noſtris nec vindice libris
Stat contra, dicitq́ tibi tua pagina, fur es.

Nonne perſpicis vividam illam hypotypoſin, qva maledicum Poëtam à ſuo libro furti accuſare facit? id dicens *Reprehendis mea carmina, & tamen ea furtim in libros tuos transfers. His itaq́ ſi ſuperbis, ea bona eſſe confiteris, ut me patrono non egeant.*

Hinc igitur conſtat communem omnium argutiarum finem, ſicut & aliorum enthymematum eſſe PERSVASIONEM, cujus tria ſunt genera: *Laudes, Conſilia, & Excuſationes*, atqve his contraria. Huc itaqve revocantur omnia, qvæ publicè privatimqve perſvaderi debent, ut diximus.

(268.) Ar. 2. Rh. c. 1. perſvaſionum genera ſunt tria. Nam alia ſunt in moribꝰ ejus qvi dicit, alia in auditore modo qvodam afficiendo, alia in ratione ipſa cum demonſtramus aut demonſtrare videmur.

At tribus modis ab oratore ſuſcipitur perſvaſio, nimirum (ut verbis (268.) Autoris noſtri utamur) RATIONIBUS, MORIBUS, AFFECTIBUS. Sic argutiarum qvoqve aliæ erunt *pathetica*, aliæ *morata*, aliæ *Logica*.

PATHETICÆ ſunt illæ, qvæ aut argumento aut figuris patheticis, de qvibus ſupra diximus, comparatæ ſunt, ut animos ad *miſericordiam, indignationem, amorem, iram, invidiam*, & qvemcunqve *affectum* commovere poſſint. Sic affectus ipſe parvula qvadam figura ingenioſa ſine alio acumine expreſſus argutum videri faciet argumentum: veluti Martialis in epitaphio Glauciæ, qvi puer parentibus immatura morte ereptus fuerat:

Bis ſenis modo meſſibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qvi fles talia, nil fleas viator.

Hic affectus miſericordiæ unico contrapoſito figuratur: *qvi fles, nil fleas*, ac ſi diceret, *ſi caſum hunc defles, ſis precor ita felix, ut non habeas ex tuo qvod fleas.*

MORALES ſunt, qvæ loco arguti ſenſus *raram* aliqvam *virtutem* aut *ſapientem ſententiam*, aut *ſententioſam doctrinam* pariter à figura

gura ingenioſa, ſed non nimis acuta excitatam continent. Veluti hoc in eundem Glauciam:

Immodicis brevis eſt ætas & rara ſenectus.
Qvicqvid amas, cupias non placuiſſe nimis.

Ubi ſententia animatur *contrapoſito* qvaſi ænigmatico: *non nimis ames qvicqvid amas.* Qvod ſi morale & patheticum conjungas figura qvadam excitatum, eò majori plauſu excipietur arguta inventio: veluti hæc matronæ Romanæ, qvæ marito ſine culpa ſua capitis condemnato prior ſe eodem gladio occidit:

Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Pæto
Qvem de viſceribus traxerat illa ſuis.
Si qva fides: vulnus, qvod feci non dolet, inqvit
Sed qvod tu facies hoc mihi, Pæte, dolet.

Ubi conſtantia in morte ſubeunda ſententiam habet *moralem* & doloris ob mortem illius ſignificatio, ſententia eſt *pathetica*, ut auditor ſimul & fidem diſcat & dolorem ſentiat. Utraqve ſententia excitatur duabus figuris ingenioſis, *contrapoſito: qvod feci, non dolet, qvod facies, dolet. Et æqvivoco*, qvod dolorem *phyſicum* ad *moralem* transfert.

Deniqve LOGICÆ argutiæ ſunt omnes reliqvæ argutiæ, qvibus aut redditur aut qværitur ratio, aut de argumento ad aliqvod trium generum pertinente conſideratio ſuſcipitur, ut oratio qvidem ingenioſis figuris veſtita, ſed affectibus & moribus nudata ſit. Ubi obſervandū licet enthymema de rebus civilibus ad vitam & mores plerumqve ſpectet, neqve tamen illud erit *moratum* qvale ante deſcripſi. Nam ſi dicas, *qvare Melior Glaucia morte adeò doluit, niſi qvod nimis eum amabat?* Oratio qvidem mores continet, at morata non eſt. Qvod ſi vero dices, *non amandum nimis eſt, ne nimis doleas*, hæc erit oratio morata, qvoniam indicat moratum illius, qvi loqvitur, habitum, nimirum ſapientem providentiam & cautionem. *Orationem* igitur *moratam* (ut (269.) autor noſter admonet) eam vocamus, qvæ dicentis (270.) prudentiam, benevolentiam aut virtutem declarat,

(269) *Ar. 1. Rh. c. 2. propter mores igitur creduntur, cum ſic dicitur oratio, ut fide digna qvi dicit videatur.*

(270) *Ar. 2. Rh. c. 1. ut dicente fide digni videantur, tria faciunt, Prudentia, Virtus, benevolentia.*

clarat, ut auditor facilius ipſi credat, qvod benè moratum oratorem eſſe judicat. At enthymema merè *Logicum* vim ſuam, ut dixi, in ratione ſeu vera ſeu veriſimili poſitum habet, qvæ in enthymemate arguto & urbano à figura proficiſcitur, qvarum exempla propoſui. Et propterea dicit autor: *cum demonſtremus aut demonſtrare videamur*, qvoniam in argutis & popularibus enthymematis veriſimile ſufficit: Sed & hæc interdum figura aliqva intellectuali vibrantur, qvas communi nomine patheticas vocavi, videlicet *interrogatione*, ut Martialis in domum, qvæ ab incendio pulchrior ædificata fuerat:

- - - Non potes ipſe videri
Incendiſſe tuam, Tongiliane, domum?

Aut *admiratione*, veluti hoc:

Cum ſint ficoſi pariter juveneſq; ſeneſq;
Res mira eſt ficos non habet unus ager.

Aut admirationem tollendo: ut Cicero, *mirandum non eſt, jus tàm neqvam eſſe Verinum*. Aut aliis ejuſdem generis. Qvod ſi in unum argumentum tres illos modos conducas: *rationes, mores, & affectus*: gratiam gratia, argutias argutiis cumulabis. Et hæc ſatis dicta ſint de fine.

Qvantum ad MATERIAM argutiarum, poſſemus contenti eſſe iis, qvæ diximus, cum non alia ſit harum materia, qvam totius rhetorices, qvæ tribus generibus continetur, qvam uno verbo (271.) autor noſter vocat MATERIAM CIVILEM: videlicet *honeſtum, utile, jucundum* & his oppoſita. At qvoniam idem hoc oraculum aliàs minimè fallax ſibi ipſi (272.) repugnare videtur, cum rhetoricæ unamqvamqve rem ſubjicit: qvod dubium multos torſit, de qvo cum primo libro de PERSVASIONE copioſè diſputaverim, nunc illud tantum dico, qvod res omnis tribus modis ad rhetorices tribunal vocari poſſit. Primum qvidem, qvatenus eſt perſvaſibilis, ut ipſe dicit, h. e. qvatenus tribus cauſarum generibus ſubjicitur, veluti ſi dicas: *Philoſophiam eſſe utilem vel noxiam reipublicæ, mare eſſe terra præſtan-*

(271.) Ar. 1. Rhet. 2. Rhetorica ſub civili figura cōditur.

(272.) ib. Sit ergo rhetorica vis qva qvod in unaqvaq; re perſvaſibile eſt perſpicitur. ibid. Rhetorica eſt, qva de re data (ut ita dicā) credibilia perſpicere poſſe videtur. Qvocirca etiam dicimus non in genere qvodam determinato hanc artem verſari.

ſtantius, & ſimilia problemata. Deinde qvatenus materia ſcholaſtica enthymematis & oratoriis argumentis explicari poteſt. Poſtremo qvatenus etiam de rebus naturalibus & inanimatis ſimilitudine & analogia tanqvam de rebus humanis loqvimur. In hunc modum Virgilius eadem tuba *heroem* ſuum celebravit & *culicem*. Claudianus *Erinaceum*, Catullus *paſſerem*, Statius *Pſittacum*, Marcialis *apem & formicam*, omnes qvidem materiæ non civiles, ſed tractatæ ut civiles: Qvin ſubtiliſſimæ eædemqve ſteriles ſcientiarum materiæ *didaſcalica* ab oratore ita oratoriè tractari poſſunt, ut roſæ etiam in ſenticeto efflorescant. Qvæ ſcientia magis à rebus terreſtribus remota eſt, qvam *aſtronomia*? qvæ ſterilior qvam *phyſica*? alteram tamen Manilius, alteram Lucretius non toga qvidem oratoria, ſed pallio poëtico veſtiverunt. Specimen cape ex ſolis titulis, & finge tibi nuda hæc *problemata* philoſophica diſputaturis proponenda eſſe: 1. *num à Deo creatus ſit mundus.* 2. *num cœli ab intelligentiis moveantur.* 3. *cur ſoli planetæ fixa ſidera non ſint.* 4. *cur cadere videantur ſtellæ.* 5. *qvid ſint maculæ in ſole apparentes.* 6. *unde lunæ eclipſis.* 7. *cur caliginoſus qvandoqve appareat ſol.* 8. *unde Lunæ incrementa, vel decrementa.* 9. *cur irim ſeqvatur ſudum poſt pluvias.* 10. *unde Oceani reciproci fluxus.* 11. *qvo pacto ab olido cœno odorati pullulent flores.* 12. *unde terræ motus.* 13. *unde montium qvorundam flamma &c.*

Eadem vero hæc *lemmata philoſophica* more ſcholæ propoſita in oratorium aut poëticum habitum concinnare potes hoc modo concepta: 1. *num Deus aliqvis naturæ faber univerſum orbis domicilium molitus ſit: an natura ſuimet opifex & excogitatrix extiterit.* 2. *num arcana mens cœleſtium rotas orbium immotis axibus convertat, an lubrica ipſa ſidera liqvidum qvendam atheræ ſulcare ſine magiſtro didicerint.* 3 *cur aſtra ſeptem rapaci obluctata cœlo ſuos in ortus retro nitantur: cætera in occaſum tantum prona, ſtationes ſuas non deſerant.* 4. *qvo crimine damnata qvædam ſtella ex edito illo capitolio in præceps acta flammeo ſyrmate illuſtre ſignent præcipitium.* 5. *turpesne maculæ ac ſerviles notæ illæ ſint, qvæ pulcherrimam Phœbi faciem dehoneſtant.*

6. qva invidia rivalis hac tellus ſororem ipſam Phœbi toto pectoris oppoſitu, ne à fratre conſpiciatur excludat. 7. cur elegantiſſimus aſtrorum Princeps nunc perenni lumine terras irriget, nunc funebri pullatus indumento terribile juſtitium terris omnibus indicat. 8. cur nobis arbitra luna ex arcu clypeus, arcus ex clypeo per vices redeat. 9. qvo gurgite verſicolor arcus pluvias ebibat. 10. qvo impetu reciproca flumina vagientem pelagum intra littorum arentes cunas agitent. 11. qvo miraculo ſordida parens terræ odorata proli ſvaviſſimos afflatus verſicolorem etiam varietatem, qvas non habet ipſa dotes, impertiat. 12. num juga montium intercluſo anhela ſpiritu formidine aliqva tremiſcant, an ex hilaritate ſubſultent. 13. unde montibus aliis tanta flammarum pabula, ut ea ſemper cum viſceribus evomant, niveſq́; flammis fœderatas perpetuò paſcant.

Qvod in *titulis* idem in *problematis* integris præſtare licet, eaqve poëticè & oratoriè exornare, qvale genus orationis verè poſſumus dicere DEMONSTRATIVUM ſeu EPIDICTICUM: qvod eas etiam orationes amplectitur, qvæ utut Deliberativæ aut judiciales ſint, oſtentationis causâ habitæ opes omnes eloqventiæ effundunt: ita, ut auditor (ut ſapienter obſervat (273.) autor noſter) non judex ſedeat in foro, nec conſiliarius in conſilio, ſed eloqventiæ ſpectator in theatro. Et qvoniam in ejusmodi orationibus oſtentationis causâ dictis excellentes viros Græcis laudare moris erat: hinc genus Demonſtrativum à laudationibus præcipuè nomen traxit.

(273.) Ar. 1. Rhet. 3. qvi de futuris judicat ſenator eſt, qvi de præteritis judex, qvi verò de facultate ſpectator. Qvare neceſſariò tria ſunt dicendi genera.

Qvod de argutiis dixi per te ipſe transferre potes ad *ſymbola*, *emblemata*, *hieroglyphica*, *numismata trophæa* & omnem artem *ſymbolicam*. Nam & hujusmodi argumenta ad aliqvod trium generum referri poſſunt, ut poſtea videbis. Omnia ſunt aut DEMONSTRATIVA, aut DELIBERATIVA, aut JUDICIALIA. Omnia ad *laudandum*, aut *vituperandum*, *ſvadendum* aut *diſſvadendum accuſandum* aut *defendendum* pertinent. Sed qvoniam dixi demonſtrativo genere contineri rem omnem, etiam theoreticam, qvatenus Rhetoricis figuris exornatur: etiam de rebus *theoreticis & didaſcalicis* ſymbola ingenioſa conformantur, qvomodo virtutes aſtrorum, vis elemento-

mentorum, aut aliarum rerum naturalium, & à ſenſu remotarum monſtris aut fabuloſis imaginibus ſolet exprimi. Sic Homerus ſub figura *Jovis*, *Junonis*, *Neptuni*, *& Plutonis* pugnam elementorum ſignificavit, & Heſiodus atqve Apollodorus moralem doctrinam ſub involucro fabularum docuerunt, neqve in mythologiis ulla eſt fabula, qvæ non ad res *naturales & humanas* pariter alludat.

Symbolorum qvoqve, ſicut *argutiarum*, alia ſunt *Logica*, alia *morata*, alia *pathetica*. *Pathetica* ſunt illa, qvæ affectum aliqvem exprimunt, veluti *Pellecanus* cum dicto: SIC IIS, QVOS DILIGO. Et Urſa, qvæ lambendo partum effingit, cum verbis: UTINAM PERPOLIATUR. Et turtur, cum dicto: ILLE MEOS, qvo viduæ vitæ affectio exprimitur. *Morata* propriè ſunt, qvæ præceptum aliqvod ad vitam pertinens ſignificant, ut Delphinus anchoræ circumplexus, adſcripto: FESTINA LENTE, & ſerpens ſagittæ circumvolutus Alciati, cum verbo MATURANDUM. Et illud DURATE in navi Granvellani. *Logica* ſunt reliqva omnia, qvæ ſenſum aliqvem affectu & moribus vacuum ſignificant, utut virtutem aliqvam ſingularem, qvæ materia civilis eſt, reſpiciant. Unde in ſymbolis ſæpius id uſu venit, qvod de Orationibus autor admonuit, demonſtrativum non raro in (274.) deliberativum converti, & contra. Nam idem ſenſus, qvi unius virtutem exprimens *laus* erit, ad commune præceptum translatus erit conſilium. Unde verbum DURATE in Granvellani navi ſymbolum eſt *deliberativum* ad conſtantiam excitans. Idem verbum DURATE in Cibi Cardinalis incude ſymbolum facit *demonſtrativum*, conſtantiam ipſius oſtendens. Sed ut revertamur ad argutias legibus circumſcribendas, ſpecimen tibi dabo qvorundam THEOREMATUM, qvæ ad excogitanda qvævis enthymemata & argutias intellectum acuere poterunt, qvibus elocutionis omnis ars continetur, cum nec Mechanicæ artes, & fabriles, qvicqvam ſint, qvam ſeries *theorematum practicorum*. Qvod ſi igitur in gymnaſio aut ſchola Rhetorum aliqvando hæc theoremata exercerentur, & ad multa variaqve argumenta transferrentur: nulla res foret, qvæ intellectum eorum, qvibus parva ejus ſcintilla contigit, magis accenderet & illuſtraret, atqve alterum altero ingenio excitaretur, non aliter ac ligna conjuncta majorem flammam alunt, qvam diſperſa.

(274) Ar. 1. Rhet. 9. Habent autẽ communem ſpeciem laudes cum deliberatione. Nam qua admonẽdo diceremus, ea dictione orationis commutata laudẽ conſtituunt.

THEO-

THEOREMATA PRACTICA AD EXCOGITANDOS SENSUS ARGUTOS.

Cap. XX.

ORdior à THEOREMATIS omni generi argutiarum communibus, & primum erit:

ARGUTIARUM THEMA CONSTITUERE.

Oratio omnis duabus (275.) ex partibus conſtat: *propoſitione & confirmatione*. Pariter omne enthymema urbanum & argutum conſtat ex THEMATE & ARGUMENTO. *Thema*, qvod Martialis & Plinius vocant, LEMMA aliud non eſt, qvam res, qvam alii nobis aut nos nobis ipſis proponimus, in qvam argutis ſenſibus ludamus. Unde ex uno themate multa argumenta poſſunt efflorescere. Fac in congreſſu qvodam familiarium nunciari: *Apem in electro extinctam eſſe.* Alius fortè dicet cum Martiale, *eam mortem pretioſam expetiſſe*, alius *nec Cleopatram qvidem tam nobili ſepulchro conditam*, alius *eam majoris pretii extinctam eſſe, qvam ſuperſtitem.* Et ſic alia atqve alia inventa in medium proferri poſſunt, ut idem maneat thema. Neqve igitur parvi momenti cenſendum eſt noſſe, qvomodo benè & perſpicuè thema proponi poſſit. Nam ſi diceres tantum: de *ape*, hoc qvidem eſſet ſubjectum, ſed nimis commune, apibus tam mortuis, qvam vivis conveniens. Paulò magis proprium eſſet de *ape mortuâ*, in qvam elegantia ingenia valdè peregrinas & raras argutias poſſent dicere, qvæ tamen in omnes apes mortuas perinde convenirent. Sic igitur perfectè conceptum erit thema: *de ape in electro extincta.* Hic enim aperiuntur omnes circumſtantiæ, qvæ thema reddunt magis curioſum, & magis integrum: hinc patet, duo eſſe thematum genera, qvædam qvæ per ſe ingenioſas argutias pariunt & producunt: qvædam ſterilia & communia, ea ſcil. qvæ nullas circumſtantias curioſas & peregrinas,

(275) *Ar. 3. Rhet. 13. Sunt igitur duæ orationis partes. Neceſſe enim eſt primum rem exponere, deinde demonſtrare.*

regrinas, ſed ſimplices & communes tantum exhibent. Et hæc Martialis vocat, *Themata mortua*, ex qvibus non magis vividos argutosqve ſenſus exſculpas, qvam ex thymo Corſico mel ſincerum:

Vivida cum poſcas epigrammata, MORTUA ponis
LEMMATA: qvi fieri, Cæciliane, poteſt?
Mella jubes Hyblæa tibi vel hymettia naſci
Et thyma Cecropiæ Corſica ponis api.

ARGUTIARUM THEMA EX INFOECUNDO FOECUNDUM REDDERE. Sit hoc ſecundum theorema.

Fœcundum erit (ut dicebam) qvod ex pluribus objectis COMPLICATUM eſt, qvæ inter ſe *repugnantiam* habent aut *novitatem* intellectui ſua natura acceptam. Sic ab (276.) autore noſtro tragœdiarum argumenta, non tam *ſimplicia* commendantur qvam *complicata* qvadam peripetiâ i. e. qvæ ſubitam mutationem in contrarium exhibent. Nam ex hac objectorum varietate raræ & inexpectatæ obſervationes naſcuntur, & maximè tales, qvæ aliqvid *ænigmatici & admirabilis* ſapiunt, de qvibus dictum eſt. De APE igitur objectum eſt unum: de APE in ELECTRO duo ſunt objecta, qvorum conjunctio admirationem habet. Et qvoniam voce APIS multæ notiones continentur, & aliæ multæ voce ELECTRUM: ſagax intellectus in utrasqve aciem ſuam conjiciens multa *æqvivoca*, *contrapoſita*, & *peregrinos reſpectus* deprehendit, ex qvibus obſervationes & ſenſus arguti naſcuntur. Atqve hæc eſt *fœcunditas* ipſius thematis. Sic fœcundius erit: *Labrax* INSULSUS HISTRIO *in* MARI *mergitur, qvam Labrax in MARI mergitur.* Nam in iſto themate ingenia utrumqve objectum reſpicientia dicere poterunt: *bene actum, nam qvi INSULSUS erat, SALSUS eſt factus.* Aut *malè actum, nimis enim POTAVIT homo JEJUNUS*, Aut *mergi non poterit excerebrati vacuiqve capitis vir.* Aut *imò mergetur ſcelerum ſaburra prægravatus.* Aut *in Neptuneo theatro dignas hiſtrio larvas inveniet.* Et alia infinita.

(276) *Ar. Poët. c. 9. Fabularum aliæ ſimplices, aliæ implexa, quemadmodum & actiones, quas fabula imitatur.*

Sin verò thema eſt *ſimplex*, neceſſe erit, ut aliud objectum aſ-

ſumens *compoſitum* illud reddas, qvod qvo (277.) magis proprium & propinqvum erit, eò & thema erit magis *proprium* & minus *commune*. Sic ſi qvis te carmen poſceret *in doEturam filii ſui*: thema hoc eſſet ſimplex adeò & commune, ut epigramma fieret calceus cuicunqve pedi conveniens. Qvod ſi aliqvam circumſtantiam adjicies *perſona*, *ætatis*, *temporum* bellicorum, aut *facti* cujusdam illo tempore *memorandi*, ſi fortè *armis* præſtiterit, ſi prima hæc fuerit familiæ *laurea*, ſi fortè *Laurentius* vocaretur, & pro inſignibus uteretur *lauro*: hoc thema ex ſterili & communi evaderet *proprium & fæcundum* atqve ex ſimplici *complicatum*. Sin aliæ circumſtantiæ te deficiunt, artem ſeqvere Iſocratis ab (278.) Autore noſtro obſervatam, aliiqve legibus aut armis claro tuum Doctorem oppone & compara. Sic ingenioſus Martialis, cum in FALSOS DENTES alicujus mulieris argutari vellet: reſpexit NIGROS DENTES alterius puellæ, & utrumqve objectum comparans, ſic ſcripſit:

Thais habet NIGROS, NIVEOS Leucanea dentes:
Qvæ cauſa eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.

Fac verò iſtum de iſta ſola dixiſſe: *Leucanea NIGROS DENTES habet, qvia ſuos habet*: jacebit argutia. Et contra comparatio *ex Oppoſito* per ſe *figurata* eſt, & duas uno ictu ferit, alteram punctim, alteram cæſim.

Qvod de oppoſitis dictum eſt, idem de aliis figuris ſenties. Perſpicuum enim eſt thema illud fore fœcundius, in qvo latere perſpicies radicem aliqvam metaphoræ ſeu *proportionis* ſeu *attributionis*, ſeu *æqvivoci*, ſeu *hypotypoſeos*, ſeu *hyperboles*, ſeu *Laconiſmi*, ſeu *oppoſiti*, ſeu *deceptionis*, ut ſuo loco intelliges. At qvoniam fœcunditas thematis poſita eſt in pluribus notionibus, qvas objecta comprehendunt: ſit tertium theorema.

DATO THEMATE NOTIONES ABDITAS INDAGARE.

Notiones latent in *themate*, ut metalla in venis ſuis. Atqve in his eſt (279.) materia proxima, ſine qvâ non magis enthymema condi, qvam bombarda ſine metallo fundi poteſt. Et hæc ſunt verè illa ſemina, ex qvibus ſyllogiſmi concipiuntur, qvæ dialectici vocant

(277) Ar. 2 Rhet. 23. Qvantò propinqviora, tantò propria magis ac minus communia. Communia autē dicimus, qvæ aliis multis inſunt. Qvare non Achillem magis, quā Diomeden laudas.

(278) Ar. 1. Rhet. 9. Qvod ſi ex ipſo nō facilè invenire potes qvod laudes alii compara. Qvod Iſocrates faciebat.

(279) Ar. 2. Rh. 23. Neceſſa-

cant *præcognita*, qvorum qvi plura tenet, facilius ratiocinatur. Nec alia res eſt fœcunditas ingenii, qvam memoriam habere his ſeminibus repletam, & intellectum iis reperiendis promtum & perſpicacem. Nam notiones inter ſe comparando nunc compoſitas, nunc diviſas, naſcuntur obſervationes, & propoſitiones ac medii termini ſyllogiſmum ingredientes formantur. Et hoc eſt opus illud internum, qvod Philoſophi vocant, *negotiationem mentis* circa præcognita, qvæ qvid ſit, pauci intelligunt. Qvo itaqve qvisqve erit promtior (280.) ad notiones & circumſtantias thematis ſui detegendas, eo etiam ad excogitanda arguta enthymemata erit aptior & paratior. Qvod qvidem non nullis natura aut caſu ſuccedet ſine ulla arte. At hujus rei artem inventurus & via ac ratione in hiſce te exerciturus neceſſe eſt, ut *indice categorico* utaris, qvem ſæpius oſtendi & commendavi. Revertamur ad thema noſtrum implexum:

APIS MORTUA IN ELECTRO.

Hic aliqvis obtuſiori ingenio nullam notionem deprehendet præter res ipſas themate expreſſas, atqve adeò dicet: *Apem video in electro, res mira eſt & bella.* Neqve altius penetrans ſtupens hærebit, neqve ullam obſervationem nedum argumentum ingenioſum indo exſculpere poterit. At alius acutior in his objectis alias qvidem notiones deprehendet, ſed obvias & ſuperficiarias veluti electrum eſſe *lucidum & pretioſum*, apem eſſe *vile & mortuum animalculum*, ſic proferet ingenioſiorem aliqvam obſervationem, veluti *electrum hoc antea inanime, nunc animatum eſt.* Hæc *apis qvæ vivens erat nullius pretii, moriens facta eſt pretioſa. Nullus rex illuſtrius poſſet ſepeliri.* At ſi te penitius immergas conſiderationi notionum *phyſicarum, moralium; verarum, fictarum; abſolutarum, relatarum*; qvæ *ape, electro, morte* & imprimis particula IN qvæ objecta principalia, atqve adeò notiones connectit, continentur: occurret tibi infinita ſylva obſervationum, & ingenioſorum enthymematum. Primum duo primaria objecta, *Apem & electrum* tibi exhibebo è regione diſpoſita, nec *mortuam* nec *clauſam* nunc conſiderans:

rium eſt eorum, qvæ in re ſunt, vel cuncta, vel ſaltē aliqva tenere. Nā ſi eorum nihil habeat, non habebis unde concludas.

(280) *Ar. ibid. & quantò plures eorum tenes, tantò facilius demonſtrabis.*

Digitized by Google

APIS.	*ELECTRUM.*
Subſtantia.	
Animans, fera, avicula, corpuſculum vivax, inſectum.	*Gemma inanimis, Heliadum ſororum lacryma, arborum ſudor, humor concretus, viſcus, gelu.*
Qvantitas & Figura.	
Puſilla, brevis, levis, monſtroſa.	*Gutta, ſtilla, aurium pondus, rara merx, informe corpus, forma ſe in omnes vertens.*
Qvalitas.	
Flava, auricolor: Nam primum ferreo colore fuiſſe fertur, qvem in aureum mutavit Jupiter, qvod apes eum aluiſſent *Sonora, ingenioſa, prudens, ſedula, caſta, vilis, metuenda, ſonitu minax.*	*Flavum, melliconcolor, illuſtre, perſpicuum, clarum, pretioſum, nobile, ex fluxo aridum, tenax, gelidum, fragile, ſterile.*
Relatio.	
Fimo genita, mellis genitrix, nobiliſſima inter inſecta, Jovis nutricula, fera ſocialis, reipublicæ amans, fucorum hoſtis, Regi fida, colonis chara, Harpyæ ſimilis, Amazoni, Pegaſo, Ariſtai inventum.	*Ex populo genitum, matronis charum, ſpeculo ſimile, auro, vitro.*
Actio, Paſſio.	
Hortos populatur, dulces è flore ſuccos delibat, furunculos inſectatur, nocuis nocet, telum jaculatur, venena fundit, nectarios molitur favos, facibus cera miniſtrat, aliis mellificat, domos architectatur, rempublicam regit, legibus paret, pro rege militat, fumo necatur.	*Magnetica virtute paleas rapit, animalcula illaqveat, labra mordet, oculos allicit Phaëtontem extinctum deflet, artificum torno expolitur, elaboratur.*

Locus

Locus & Situs.

Hyblaa, cecropia, odoris innata floribus, hortorum cultrix, cerata urbis inqvilina, domi nidificat, dulces nidos fovet.

In Eridani ripa ad Phaëtontis ſepulchrum ſtillat, montibus & armillis inſeritur, Theſauris atqve ſcriniolis aſſervatur.

Motus.

Per florea rura volitat, vagatur, ſemper fugax, quaſi aliger eqvus, & eqves, dum volitat, pugnat.

Trunco hæret & profluit lentum, ſegne. Unde adagium: Reſinâ pigrior.

Qvando.

Brevis ævi in caſtris hyemat, vere novo ſe prodit, in aurora roſcidum nectar legit.

Æternum, immortale, vere liqvatur, denſatur brumâ.

Habere.

Pennigera, alata, loricata, armata, tubam & haſtam geſtat, ipſa telum & pharetra.

Aurium appendix, virginum geſtamen, monilium decus & luxus, inter opes numeratur.

Nunc ſubjicio notiones tertii objecti, videlicet MORTIS. Qvantum ad ſubſtantiam metaphyſicam, poteris eam in abſtracto repræſentare, tanqvam intelligentiam tyrannide in hominum vitas utentem, fabuloſas item ſpecies, *Parcas, Fatum, Libitinam, ſomni ſororem* phyſicas item ſubſtantias: *Cadaver, umbram, cineres*, porrò mortis qvalitates, qvod ſit *crudelis, invida, inſidioſa, frigida, pallida*, actiones item & paſſiones, *occidere, exſpirare, animam ponere* & conſiderandæ ſunt circa eam ceremoniæ: *funus, exeqviæ, nenia, præfica*, & locus *feretrum, rogus, buſtum, urna, ſepulchrum Mauſoleum, Ægypti Pyramides, Styx, elyſium.* Et inſtrumenta *mortis: falx, telum, forfex, funebres faces, myrrhina cadaverum conditura.*

Reſtant notiones qvarti objecti INTUS, qvod cum ſit adverbium reqvirit ſecundum indicem, non ſecundum categorias diſpoſitum, ſed ſubſtantias, qvæ in loco ſunt, ex qvibus tranſlata plurima naſcuntur, veluti, *avis in nidulo, in cavea, in pedica, in viſco. Fera in latebra, in reti, apis in cella, navigium in portu, gemma in ſcrinio, ſuppellex in arca, telum in pharetra, hoſpes in æde, dormiens in thalamo, naufragus*

fragus in vortice, reus in carcere, in aſylo, miles in arce, mortuus in ſepulchro, in Mauſoleo.

Jam antea te admonui, ſicuti non omnia grana in malo punico ſana ſunt: ſic nec omnes notiones propoſito tuo convenient. Primum tamen apparatus materiæ congerendus eſt, & poſtea ſeligendus.

Hujus vero operæ qvæ acumen ingenii reqvirit, unde proceſſus fit ad ea, qvæ agilitatem & celeritatem ingenii poſtulant, ſit hoc theorema:

REPERTIS NOTIONIBUS SIMPLICIA TRANSLATA MEDITARI.

Hoc fit notionibus, qvas diximus inter ſe collatis, qvas cum diſtinctè ſub ſuo qvasq; genere collocatas oſtenderim, hic eidem exemplo inhærens uſum praxi qvadam demonſtrabo.

APIS igitur ſeorſum conſiderata permixtis & conjunctis ſuis notionibus appellari poteſt: *ingenioſum inſectum, hyblaa hoſpes, ales cecropia, nobiliſſima fimi filia, aurea jovis altrix, Ariſtai alumna, florum prado, vel hirugo, Flora ſatelles, cerearum ædium architecta, nectaris propinatrix, mellis opifex, puſilla hortorum harpya, volans venefica, loricata avicula, alata Amazon, volatilis tuba, viva telorum pharetra, furunculorum terriculum*, & talia multa.

Similiter ELECTRUM vocari poſſet: *pretioſum gelu, ſuccinagutta, luctuoſa Eridani gemma, jucunda Heliadum lacryma, Phaëtontis funus, lapideum mel, avidus liqvor, concretus fluor, aurum fragile, gemmeus arborum ſudor, gelidus ignis, viſcoſa lux, inſidioſus fulgor, avicularum illex, & pedica, flava palearum magnes, gemma trahax, rapax, mordax, fulva Eridani ſuppellex, lubrica opes, tenaces divitia, ſudatus lapillus, flebilis gemma* (qvod tamen Italicè ambiguum eſſet & *gaudium maſtum* ſignificaret) *populea ſpolia, lapis non lapis, Heliadum fletus & monile, armillarum pupilla, lacrymoſum matronarum delicium, nobile aurium pondus, funebres Eridani planta, gemmant dum gemunt, lucent dum lugent &c.*

Ex

Digitized by Google

Ex *ſimplicibus metaphoris* naſcuntur (ut diximus) ANIMADSIONES argutæ, de qvibus ſit hoc theorema:

DATA SIMPLICI METAPHORA ANIMADVERSIONES ARGUTAS COMMINISCI.

Sicuti propoſitio logica in *affirmatione* conſiſtit aut *negatione*, ſic arguta qvoqve fit compoſitione aut diviſione objectorum in eum modum, ut *affirmatio* aut *negatio* ſit *metaphorica*. Atqve hæc qvoqve operatio octo generibus metaphorarum, qvæ explicata ſunt nititur. Nos vero exempli cauſa in *themate* propoſito manentes ſecundum ordinem prædicamentorum animadverſiones componemus, & majoris facilitatis cauſa duorum tantum *objectorum* APIS & ELECTRI rationem habebimus, ſepoſitâ MORTE.

Ex ſubſtantia: *nova metamorphoſis: olim flebilis Niobe in ſaxum, nunc apis flebilem in gemmam migrat. Mira delitia! Apis inter gemmas numeratur, lapis animatur, animans lapideſcit, meduſam vidit apicula, imo eadem Meduſa eſt & lapis. Novas ingenioſa natura docet inſitiones, in arbore gemmas, in gemmis apes. Prodigioſa fœcunditas, lapis aviculam parit. &c.*

Ex qvantitate: *Myrmecidis anaglyptis adnumerandum opuſculum: Apis in gutta. Unica hac apis rempublicam peroſa ſibi vivit, ſola ſuum implet apiarium, & puſilla ſe in aula jactat. &c.*

Ex qvalitate: *fulva apis, fulva lucet in gemma: electrum dixeris in electro. Cerne ut gemmeo radiet fulgore ignobile inſectum: Dices etiam apicula eſt ſidus. Alget apis in flamma, ardet in glacie, qvid enim electrum niſi flammeum gelu, viliſſima rerum apis electro pretium aſtruit, at neſcias utrum utri plus conferat, electrum api, an apis electro. Hac ſanè pretioſior eſt captiva, qvam libera, eo charior qvo clarior. Hem voluptarius puellarum terror, apis in gemma: De alieno ſuperbit apis luce fulgens non ſua.*

Ex relatione: *electro decedat Unio: illa à piſce gignitur, hoc autem gignit. Jovis altrix præmium alterum tulit: olim*

aurea,

aurea, nunc gemmea. Imaginem cernis, qvam nemo expreſ-ſit ſine cælo cælatam. Nimis ipſa ſui amatrix apicula perpetuo ſe miratur in ſpeculo.

Ex actione: *Arbor apem, Apis oculos rapit: à populo tracta populum trahit* (ubi obſerves æqvivocum in populo) *ex iſta gemma pateram confice, nectar apicula propinabit. Cerne ut arcto complexu hybleam volucrem gemma foveat,, dices electrum eſſe adamantem* (in qvo aliud eſt æqvivocum) *ad Phaëtontis ſepulchrum dolens apicula lacrymis obruitur: Aucupio delectantur Heliades: viſcus eſt lacryma. Incauta apis in lacrymis invenit inſidias. In furto deprehenſa gemmeis compedibus tenetur apis. Non impune arbores pupugit, ut flores. Florum prædo fit arborum præda: avara volucri viſcus eſt gemma. Electrum vidit apis, mel opinata, in illecebris laqveum reperit. Doloſas Heliadum experta gemmas viſcata munera. &c.*

A loco & ſitu: *Gemmea in theca latet venenum. In gemma latitat fera & opes timentur. Apum regina regiam reperit, qvalem nec Semiramis.* Ubi poteris ad nomen alludere, qvoniam *Semiramis* idiomate Syriaco ſignificat *aviculam* qvalis & apis eſt. *Auream domum ſibi condidit Nero, apis gemmeam. Sumptuoſa hæc apis in gemma nidificat. In ſpeculo ut in ſpecula excubias agit, Gemmam cuſtodit apis, qva cuſtoditur, neutrum tange. Apim coluere Ægyptii, apem avari. Infida latebra latentem prodit. Ubi aſylum ſperabat carcerem invenit. &c.*

A tempore: *Strenua bellatrix apis hyemat in gemma: æſtivat in glacie. Brevis ævi avicula lacrymis æternatur. Nuper avis, nunc lapis. &c.*

A motu: *Vernis feſſa laboribus apis vacationem obtinuit in gemma. Caſtrorum deſertrix in oſtro cubat. A lento velox tenetur. In liqvido hæret, in ſicco natat. Nimis altè volitans Icareo lapſu naufragium fecit. Effugere ſi poſſet nollet, illuſtrem ſortita carcerem. Rara avis, volucris gemma. &c.*

Ab

Digitized by Google

Ab habitu: *Novum indumenti genus veſtita eſt apis, & unda pellucet. Jam matronales inter luxus feram numeres, inter opes eſt apes. &c.*

Huc usqve duo thematis objecta combinata ſunt: Nunc tertium adjiciam, videlicet MORTEM, & novum campum ingrediar ANIMADVERSIONUM INGENIOSARUM.

A ſubſtantia: *Venefica hic jacet, cui gemma venenum fuit. Titulo non eget hic tumulus: latentem cernis. Lethalis hic ſuccus, qvam necuit, ſervat. Dubites, apisne mortua ſit, an electrum vivat. exanimatum corpus uti Hectoreum pretio redimitur. &c.*

A qvantitate: *Puſillum hoc ſepulchrum Mauſoleo inſultat. Ingens miraculum apicula mortua. Unica jam non eſt Phœnix, alteram oſtendit Eridanus.*

A qvalitate: *Obſcura olim avicula, dum extingvitur, lucet. Hoc cadavere nihil pulchrius, nihil hac umbra clarius: Elyſium habet in gemma. Luxus eſt ſic perire. Pretioſum hoc funus invidiam morti detraxit.*

A relatione: *Gemmeum apicula typum cernis in prototypo: ſeſe ipſa finxit & fixit: Narcisſi fatum experta eſt apis, in ſpeculo merſa. Hanc puellæ vivam odere, mortuam colunt.*

Ab actione & paſſione: *Exigua hac artifex majore ingenio cadaveri cavit qvam corpori, ceream ſibi domum molita, ſepulchrum gemmeum. Nec lacrymis eget nec face: in lacrymis conditur, in tumulo lucet. Crudelis Nympharum pietas innocuam apem dum lugent, necant. Hanc ne amore, an odio peremerint neſcias, complexu præfocarunt. Mortua Heliades hoſtem occiderunt, mors auceps in gemma latuit. &c.*

A loco & ſitu: *Huic cadaveri ſepulchrum non debes, ſed ſcrinium. Nobili letho lata volucris, ſimo gemita in gemma moritur. Sarcophagi pulchritudine capta mortem ſollicitavit. Hunc tumulum violabit nemo, pretium vetat. Rapax volucris rapaci conditur gemma. Florum Harpyia ſic condi debuit.*

Aaaa Amo-

A motu: *Fugacem licet aviculam lenta mors tenuit, caſſes abdiderat inter gemmas: Diu pennis velificata charybdim reperit in gemma. Novum malum in lapide mergi. &c.*

A tempore: *Qvod immortalis eſt apis, nil ſuperis debet, ſed morti. Æternitatem Phario Regi aſtruit myrrha: api electrum: utriqve lacryma. Lethali hoc ſuccino, mors apem perdidit, apis mortem. &c.*

Ab Habitu: *Gemmeum cadaver cerne, tales Proſerpina gemmas geſtitat, inops victitavit apis, dives moritur &c.*

Sicuti ex translatis ſimplicibus facile componuntur *affirmatione* aut *negatione ingenioſa ANIMADVERSIONES &* propoſitiones argutæ: ſic ex animadverſionibus inſtituta *ingenioſa ratiocinatione* conduntur ENTHYMEMATA ARGUTA. Qvorum cum tria genera nominaverim, *Logica*, *Morata*, *& Pathetica*: ſingula ſingulis theorematis explicantur. A primo orſus

DATO THEMATE ENTHYMEMA URBANUM RATIONE CONFINGERE. Hoc fit beneficio earundem *animadverſionum*, qvas diximus, cùm vel rationem iis præmittimus, vel aliqvid ex iis colligimus. Et ſæpe ſimplici *themate* propoſito animadverſio ipſa rationis aut conſecutionis vicem ſuſtinebit, qvæqve eſt ſola propoſitio arguta cum themate conjuncta fit *ratiocinatio arguta.* Ut ſi diceres: *Qvaris cur apis in electro perierit? Sepulchri pulchritudine capta mortem ſollicitavit*, aut *fimo genita in gemma mori voluit, ut obſcuritatem mortalium illuſtri morte aboleret*, aut *aurea apum regina comparem ſibi regiam comparavit, ceream dedignata:* aut *ſe perdidit, qvia ſe nimium amavit: Narciſſi fato in ſpeculo naufragium fecit.* Nonne intelligis easdem animadverſiones, qvas ex categoriis eduximus, nunc cum themate conjunctas fieri enthymemata. Similiter dicere poſſes: *Miraris apem in electro? Apis fœmina eſt: gemmis ineſcatur.* Omnes enim apes fœmellæ habentur. Aut: *in gemma moritur: avarum videlicet genus Midæ votum conceperat.* Aut *horrori atq; odio viderat ſe apis: rationem excogitavit, qva coleretur.* Atqve ita animadverſiones prædictas percurrens ingenioqve paululum anniſus rationes enthymematicas & argutas inferes. Omnes autem iſtæ nituntur ſola Metaphora, qvæ APEM intelligentiæ & voluntatis participem

cipem

cipem exhibet. Aliæ ab aliis attributis & circumſtantiis naſcentur, veluti à *Numine*, *natura*, *morte*, *populo*, qvæ generat ſuccinum, ſepultura *Phaëtontis*, *Nymphis*, qvæ in populos mutatæ fuerunt. A NUMINE: *Miraris apiculam in electrum verſam? Jupiter altricem inauraverat; auri uſum vulgò viluiſſe conſpiciens ex aurea gemmeam fecit. Merito lapideſcit audax fera: Nam ſol eadem mulcta filiarum injurias ultus eſt in apem, qva ſuas in Nioben.* Qvomodo ad duplicem fabulam alluditur. *A NATURA: Myrmecidis ars apiculæ imitatione naturam luſerat: Hæc, apiculam in gemmam verſam; hanc (inqvit) imitare ſi potes.* Aut: *Viſcatas natura gemmas commenta eſt, ut avaros falleret.* A MORTE: *Electro haſiſſe apem miraris? Mors fugacem temerè ſectata telo; fœmina, inqvit, eſt apis: ſua illam eſca tenebo, Gemma.* Aut *divitibus exoſa mors hoc ſe artificio amabilem fecit.* A POPULIS: *Periit Apis qvia populum laceſſivit.* Aut, *impunita floſculorum vulnera ſublimes arbores vindicarunt.* A SEPULCHRO Phaëtontis in eodem loco: *In Phaëtontis funere plus peregrina doluit avicula, qvam ſorores: Nam illa in arbores, hæc in lapidem abit, illæ lacrymantur, hæc in lacrymis mergitur. A NYMPHIS* in populos mutatis: *hoc meruit audax ſupplicium, qvod telo in mortua ſævierit, & infelicium Nympharum manes provocarit. Merito in lacrimis periit, qva lacrymantibus inſultavit.* Qvod ſi paulò ſcurrilius jocari libeat, dicere poſſes: *Scin, cur Nymphæ iſtæ hanc apem rapuerint? ut puella noſtra muſca, ſic illi ape faciem exornare voluerunt.* Atqve ſic à reliqvis adjunctis ſecundum ordinem categoriarum æqve facile rationes venari poteris, qvam animadverſiones.

Idem intelligendum eſt de CONSEQVENTIBUS, qvæ hinc deducuntur. Nam poſito hoc themate: *Apis in electro moritur.* Aut, *apis in lapidem verſa.* Aut, *apis in lacrymis moritur.* Aut, *apis pretioſa hyemat in glacie*; Aut *mors apem viſcoſa gemma aucupatur*, Aut qvacunqve alia animadverſione Metaphorica, ex iis, qvæ modo allatæ ſunt; ſine ullo labore hinc argutas & ingenioſas conſeqventias educes. Veluti:

igitur ejuſmodi enthymemata ferè paralogiſmi, qvi ex re ſingulari in univerſum aliqvid concludunt. Qvod eò facilius erit, qvod animadverſio non ſolum *thematis*, ſed etiam ducis vicem ſuſtinet. Sit animadverſio metaphorica: *Apis in Heliadum lacrymis irretitur.* Illatio morata erit: *Cavete igitur, in puellarum lacrymis inſidiæ ſunt: dolor eſt dolus. Mellis ſpecie apem fallunt Heliades: hoc puellares ſolent illecebræ. Pabulum opinata, venenum in arbore invenit apis; ſic eſt; periculoſa ſunt magnorum dona. Fluente gemma tenetur volucris: nimirum lubricæ opes, dum fluunt, detinent. Pratioſa ſunt compedes. Robuſtam dum ferit populum, vitam cum telo ponit avicula: cave à populo. Gemma tenetur apis, non paſcitur: Eo more poſſidentur avari, non poſſident. Improba ales tota dum latet, lucet: nunqvam celatur improbitas: ſua ſceleſtum prodit latebra. Gemmea in luce libertatem amittit avicula: ex aulici voto illuſtri in ſervitute geſtientis. Vides ut gemmeo nitore virulenta tegitur fera: ſic nitido ſæpè in corpore monſtrum deliteſcit. Volucrem gemmam miraris? ſic reliqva ſunt opes. Pennigeram volucrem pigrum illigat ſuccinum: Veteri documento: à lento celer tenetur. Ingrata populus immortalem facit, qvam opprimit. Sic ſæpè invidia dum nocet, prodeſt.* Atramentum te antea deficeret, qvam materia ejuſmodi illationum moralium & argutarum. Qvare per te ipſe in alias animadverſiones antea allatas morata conde enthymemata, qvibus ipſe nunc pathetica ſubjiciam.

DATO THEMATE URBANUM ENTHYMEMA PATHETICA FORMULA ANIMARE.

Hoc ita propoſui, qvoniam enthymema patheticum à morato non differt ſubſtantia, ſed modò exprimendi affectus, qvem aut noſtrum ſignificare, aut in aliis excitare volumus, ſeu lætitia ſit ille, ſeu dolor, ſeu miſericordia, ſeu indignatio, ſeu amor, ſeu odium, ſeu qvicunqve animi motus. Qvin idem enthymema, qvantum ad ſubſtantiam & *logicum & moratum & patheticum* eſſe poterit, ut ſi dicas: *Apis merito periit, qvia in mortuas ſæviit.* Hoc erit enthymema logicum, ſed idem argutum & urbanum, qvoniam ratio eſt metaphorica & impropria. At idem fiet moratum [illegible]icitâ ſententiâ generali,

 velu-

veluti: *Apis in mortuos ſæviens merito periit, non igitur in mortuos ſæviendum.* Qvod ſi huic ratiocinationi adjicias formulas dicendi, qvæ affectum aliqvem erga apes ſignificent, jam *patheticum* fiet, qvod moratum erat enthymema. Veluti, indignationem: *O! indignum facinus! merito periiſti crudele monſtrum, in mortuas Heliadas ſævire auſum.* Miſericordiam: *heu avicula infelix! noxæ tibi fuit mortuis nocuiſſe.* Odium: *Apage pennata Furia merito interitura, qvod mortuas in virgines ſæviiſti.* Lætitiam: *Lætor tuo de interitu, qvod in cadavera ſæviens promeruiſti.* Et ſic in aliis affectibus. Qvare ſuperfluum erit plura in hanc rem exempla ſuppeditare, qvæ ſine ullo negotio ex *animadverſionibus* iſtis, qvas diximus, efficere poteris adhibitis formis illis patheticis, de qvibus ſupra ſub Alexandri exemplo copiosè egimus. Id tantum addo, ſi vel una vice moleſtiam hanc ſubire & ſecundum hæc theoremata propoſitionem aliqvam pertractare libeat, ea qvidem accuratione, qvam in argumento de apibus obſervaſti: id lumen menti tuæ accendetur, ut ludus jocusqve futurus ſit arguta enthymemata in qvocunqve themate excogitandi, qvæ vel epigrammatis, vel epitaphiis, vel inſcriptionibus, vel emblematis & cuicunqve poëtices & rhetorices operi conveniant.

At hæc theoremata hactenus recitata omni generi enthymematum argutorum ſunt communia. Venio igitu ad theoremata octo metaphoris propria, unius cujusqve exemplum ſubitò elaboratum ſuppeditans, ut & ipſe propoſito aliqvo themate nullum non gen' argumenti ingenioſi excogitare poſſis, in qvo abſolutio artis erit poſita.

DATO THEMATE ARGUTUM ENTHYMEMA EX METAPHORA PROPORTIONIS DERIVARE.

Propoſito themate ex pluribus objectis conflato, primum unius vel alterius objecti ſimplex metaphora proportionis reperienda eſt, qvæ ex ſimili re, qvæ nimirum eodem genere phyſico continetur, duci poteſt. Res facillima, utpote qvæ ſub ſenſum maximè cadit, præcipue ſi categoriarum indicem digesſiſti. Hæc metaphora mentem admonebit cujusdam animadverſionis argutæ & animadverſio ſubjiciet tibi enthymema. Sit thema: APIS IN ELECTRO MORITUR. Hic APIS ſtatim metaphoram ſimilitudinis ſuppeditat, qvando AVIS vocatur. Nam in *ſubſtantiæ* categoria conveniunt & utraqve eſt animal alatum. Aut etiam in ELE-

Digitized by Google

ELECTRO occurret ſimilitudo, qvando illud dicitur GEMMEUM SEPULCRUM. Sicut enim apis in gemma, ſic mortuus in ſepulchro jacet, qvæ ſimilitudo ex categoria ſitus depromta eſt. Prima Metaphora: AVIS *in electro moritur* menti exhibet avem viſco captam. Unde ſuccurrit hæc animadverſio: *Mors apem ut AVEM viſco implicuit.* Huic animadverſioni ſuperſtrui poteſt *enthymema, cui ratio præmittitur. Mors, qvod fugacem apiculam telo aſſeqvi non poſſet, viſco eſt aucupata,* Aut *enthymema*, ex qvo aliqvid colligitur, *nemo jam mortem effugiet, cum altè avolantes aviculas viſco aucupetur.* Ex altera metaphora naſcitur hæc animadverſio: *APis* GEMMEO *in* SEPULCHRO *mori voluit*, & hanc ſeqvitur enthymema cum ratione præcedente: *avara avicula gemmei ſepulchri pretio capta mori feſtinavit.* Aut, cum ratione conſeqvente: *felicius tumulatur apis, qvam naſcitur. Nam in cera cunabulum, in gemma ſepulchrum adepta eſt.* Hujus generis fuit Socratis argutia, qvando *uxor impotens poſt clamores ipſum AQVA perfudit.* Qvod veluti thema erat, cujus objectum AQVA ſuggeſſit ipſi metaphoram proportionis, eandem vocans PLUVIAM ob ſimilitudinem, qvæ eſt inter res liqvidas. Unde veloci ingenio pluviam illam cum clamoribus, qvi præceſſerant componens hanc animadverſionem metaphoricam reperit: PLUVIA *poſt clamoſa TONITRUA cadit.* Unde ſubnatum eſt ipſi *enthymema* cum ratione præcedente: *Sciebam futurum ut poſt tonitru plueret.* Atqve aliud qvoqve hinc ducere potuiſſet *enthymema cum ratione conſeqvente: alio tempore cum tonabit, penulam ſumas licet.* Sic argutatus eſt ingenioſus qvidam vir in matronam lacrymantem, pulchra ſed fuſca facie. Thema erat: PULCHRA SED FUSCA FACIES LACRIMATUR. Unde eadem ſimilitudinis metaphora lacrymas PLUVIAM vocans: *qvid mirum*, inqvit, *ſi cœlum tam obſcurum in pluviam reſolvitur.* Similiter mendicus qvidam, qvi ne opus faceret, ſtipem colligebat, faciemqve flavo colore infecerat, ſic irriſus fuit: *miror te aureum cum ſis, mendicare.* Thema erat PAUPER PALLIDUS & objectum illud PALLIDUS metaphora ſimilitudinis ex categoria qvalitatis, qvæ ſub viſum cadit petita, vocatus fuit AUREUS. Unde prona ſeqvitur *conſeqventia*, qvæ ſubjici potuiſſet *permuta pellem pecunia, & eris dives.*

Hujus generis argutiæ enthymematicæ interdum *reſponſionibus & col-*

& colloqviis intercedunt veluti iſta Catuli, qvi à Philippo interrogatus: *qvid latras?* reſpondit: *qvia furem video.* Thema erat: CATULUS IN ADVERSARIUM VOCIFERATUR. Sed illud VOCIFERARI Philippus metaphoricè dixit LATRARE. Unde Catulus ſtatim recordatus infamiæ Philippi, qvi clientes deprædabatur, rationem adduxit metaphoricam cur latraret, ex qvo coortus eſt riſus maximus. Qvod ſi interrogatus, *Qvid LATRAS?* reſpondiſſet, *LATRONEM video*: Metaphoræ proportionis adjeciſſet anthiteton.

Hæ argutiæ enthymematicæ ejusmodi nituntur *Metaphorâ*, cujus *ſimilitudo* communi *genere phyſico* continetur. Sunt aliæ, qvæ nituntur proportione duarum rerum, qvæ diverſis generibus continentur, altera qvidem phyſica & ſenſibus expoſita, altera morali & mente intelligenda. Res certè pulcherrima & maximi pretii, ſed paulo difficilior. Majorem enim ingenii perſpicaciam reqvirit, qvod notiones procul inter ſe diſtant & majorem qvoqve ingenii velocitatem, qvę disjuncta componat & comparet, ſed ut facili exemplo hoc declarem, revertamur ad veterem illum, qvi cuicunqve præcepto qvadrat, calceum. *APIS IN ELECTRO MORITUR.* Illud *MORITUR* vulgarem ſtatim ſuggerit metaphoram EXTINGVITUR, qvæ à proportione duorum generum valdè diſtantium ducta eſt videlicet à *fine vitæ & flammæ* aut *famæ*, qvæ eſt intellectualis evaneſcentia. Poſſes igitur dicere: *pretioſus electri fulgor efficit, ut exſtincta volucris gloria reſtingvi non poſſit.* Aut *æternum lucebit in Poëtarum paginis apicula famæ inſito fulgentis gemmulæ ſplendore illuſtrata.* Hujus generis eſt enthymema Martialis in gemmas, qvas Aruntius Stella à Domitiano ſibi donatas verſuum præmium digitis geſtabat:

Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde eſt hæc, puto, culta manus.

Thema eſt *Aruntius argutus Poëta gemmis donatur.* Argutiæ metaphora proportionis dicuntur GEMMÆ. *Qvapropter*, inqvit, *gemmæ verſuum pepererunt gemmas digitorum.* In hoc genere argutiſſimum eſt dictum Ciceronis in Piſonem, qvi nudus inſtar circulatoris in orbe tabulæ ſaltabat. *Cum illum ſuum ſaltatorium verſaret ORBEM,*

BEM, fortunæ rotam non pertimeſcebat. Thema erat: *Piſo verſat ORBEM ſaltatorium*, & Cicero phyſicam circuli rotunditatem tranſtulit ad moralem rotunditatem Rotæ, cui fortuna inſiſtere dicitur. Unde hoc infert enthymema: *an ignoras ſtulte, dum in orbe volubili ſaltas, tibi cogitandam eſſe volubilem fortunæ rotam?* Inde pariter facetum eſt reſponſum Craſſi, cum Brutus Orator idemq; effœminatus homo dolens ſe explodi diceret translatè: *video me ſine cauſa ſudare*: Reſpondit Craſſus: *non mirum: modo enim exiiſti è balneis.* Vbi ſudor moralis *eloqventiæ* transfertur ad ſudorem phyſicum *thermarum*, qvibus qvod freqventius uteretur, mollities hoc dicto ipſi exprobabatur.

Tranſeamus nunc ad ſecundum genus metaphoræ, paucis illud exemplis percurrentes, qvæ ea ratione, qvam vidiſti expendes, thema nimirum eruens & vim enthymematis obſervans.

DATO THEMATE ARGUTUM ENTHYMEMA EX METAPHORA ATTRIBUTIONIS MOLIRI.

Metaphoram Attributionis eſſe illam, qvæ aut materiam, aut inſtrumentum aut qvalitatem, aut locum, aut aliam circumſtantiam rei pro re ipſa ponit, jam ſupra dictum eſt. Sunt igitur circumſtantiæ, à qvibus animadverſiones argutæ & enthymemata in hoc genere ducenda ſunt. Sit *thema APIS IN ELECTRO MORITUR.* Si pro *ELECTRO* dicas GEMMA TENAX qvæ materiata eſt ejus qvalitas: Sic poſſes colligere & inferre: *Nemo jam mortem paveat: Mors enim tenaci gemma illigatur.* Sic Martialis in puerum glacie ſuffocatum argutatus, pro glacie materiam ejus id eſt AQVAM poſuit & hac animadverſione obſervata: AQVÆ *puerum jugulant*, qvod novum & mirum videtur, duxit inde argutam conſeqventiam: *ubi mors non eſt, ſi jugulatis* AQVÆ? Argutum etiam eſt enthymema Angeli Politiani in vitem oleæ alligatam. Cum enim olea dicatur: ARBOR PALLADIS, qvæ eſt metaphora Attributionis, facit eam loqventem in hunc modum: *Qvid me implicatis palmites, plantam Minervæ non Bromi? procul racemos tollite: ne virgo dicar ebria.* Sed pergamus ad æqvivocum:

DATO THEMATE ARGUTUM ENTHYMEMA EX HOMONYMIA VENARI.

Hæc omnium facillima eſt inveſtigatio. Nomen enim ipſum

 veſtigia

veſtigia indicat. En *thema:* APIS IN ELECTRO MORITUR. Vox Apis ſignificat apem & bovem illum vivum, qvem Ægyptii adorabant. Sic dici poſſet: *Vivens APIS ab Ægyptiis colebatur, plus coleretur hac mortua.* Aut ſi diceres: *Apis mortua eſt, qvia arborem POPULUM pupugit:* inferre poſſes: *periculoſum igitur eſt POPULUM ladere.* Ab hoc genere venuſtatem qvæſivit Ageſilai jocus: *ne miremini, ſi ex Aſia receſſi: triginta me ſagittariorum millia depulerunt.* Et Alphonſi ad pictorem: *avarior es Juda, qui carius diſcipulum, qvam is Magiſtrum, vendis.* Ubi homonymia latet in imagine diſcipuli & vero diſcipulo. Qvalis & Martialis eſt luſus de vipera poculo inſculpta, ex qvo inebriatus ſuerat potor: *Viperâ veneno ſuo te leſit.* Et ſimilis eſt de urſo æneo, in qvo vipera pullos excludebat. Unde infans Hylas, qvi manum immiſerat gulæ, à vipera admorſus fuit: *O facinus, auſa qvod urſa fuit.* Sed argutiſſimus eſt Ciceronis jocus in corvum illum, qvem Metellus Magiſtri ſui tumulo impoſuerat, ut ſignificaret, eum in docenda eloqventia alterum fuiſſe coracem: *Rectè feciſti, nam corvus iſte volare te docuit, non dicere.* Qvin & alliterationes ad ambigua pertinent, & ex his arguta enthymemata formantur. Veluti iſtud: *aurum eſt aura: ideo leviter it & redit. Vitis eſt vita: homines enim recreat.* Nunc ad alia pergimus.

DATO THEMATE ARGUTUM ENTHYMEMA EX HYPOTYPOSI COLLIGERE.

Præcipua vis hujus figuræ eſt, rebus inanimis animam & rationis expertibus conſilium & ratiocinationem tribuere. Sic enim vividius res exhibentur. Ab hac figura enthymema ſuum in hanc apem mutuatus eſt Martialis: *Dignum tantorum pretium tulit illa laborum. Credibile eſt, ipſam ſic voluiſſe mori.* Et Valerius Maximus de Apibus, qvæ Platonem aluerunt loqvens, *ut mihi qvidem illa Apes non montem Hymettum thymi flore redolentem, ſed Muſarum Heliconios colles, omni genere doctrinarum virentes, Dearum inſtinctu depaſtæ, maximo ingenio dulciſſima alimenta ſumma eloqventiæ inſtillare voluiſſe videantur.* Qvæ ratiocinatio, utut arguta, breviori tamen enthymemate conſtringi poſſet: *Qværis unde Platonis tam dulcis fluxerit eloqventia? Apes Parnaſſi flores depaſtæ ipſius in ore mellificarunt.* Sic elephas, qvi coram Domitiano genua flectebat, cum Deus is haberi & adorari ſe juberet, numen ipſius Domitiani à Martiali ſentire in-

Spect.

Spect. libro dicitur. Et Cicero de templo, qvod fulmine conflagraverat,& pulchrius qvam antea exſtruebatur: *illa flamma divinitus exſtitit, non qva deleret Jovis templum, ſed qva pulchrius depoſceret.* Sic & cadaveri ſenſum & mentem Florus tribuit de Bruto agens, qvi occiſo Arunte Regis Tarqvinii filio, & ipſe ex vulnere exſpirans in mortuum procidebat: *Planè qvaſi adulterum ad inferos usqve ſeqveretur.* Tragicus ſed argutiſſimus ſenſus: ſimilis illi, de Polyxena à Græcis præcipitata in tumulum Achillis, de qva Seneca: *Cecidit, ut Achilli gravem factura terram.* Secundum reliqvas Hypotypoſeos ſpecies, qvas diximus, ipſe argumentare: nos ad aliud progredimur.

POSITO THEMATE ARGUTUM ENTHYMEMA EX HYPERBOLE FABRICARI.

Thema eſt: Apis In Electro Moritur. Hyperbolicè gemma illa dici poteſt Thesaurus ob pretii magnitudinem. Unde ſic argumentari potes: *Stolidiſſima iſtius apicula avaritia eſt: qvæ theſaurum ut potiatur, perit.* Hujus generis eſt jocus Martialis in Thermas Cæciliani, qvæ lignorum penuria parum calidæ erant. Cum enim thema eſſet: Thermæ Parum Calidæ Sunt: Per hyperbolen dixit: Sunt Frigidissimæ: Et inde hanc conſeqventiam deduxit: *Vin, ut te doceam, ubi piſces æſtate conſervare poſſis? Repone illos in tuis thermis.* Et in Cinnam, qvi rogans ipſum aliqvid, qvod extenuans, *nihil eſſe* dicebat, argutè hac deducta conſeqventiâ luſit: *Si nil Cinna petis: nil tibi, Cinna, nego.* Singularis qvoqve eſt ejus argutia in fundum ſibi donatum, & à donatore exprobratum. Nam cum dicere vellet, exiguus *iſte eſt fundus*, rem minutiſſimam veluti fundam animo concepit, & hinc concluſit: *Fundum Varro vocas, qvod poſſim mittere funda, ni tamen exciderit qva cava funda patet.* Huc referendum eſt dictum Caroli in Regem Ludovicum de pontis tremore. Nam ſicuti de viro forti per hyperbolen dicimus: *hujus aſpectu terrarum orbis tremit:* Sic iſte enthymema finxit hac metaphora fundatum: *Mirum non eſt, qvod pons tremat: ſub te enim mundus tremit.* Accedo ad Laconiſmum.

PROPOSITO THEMATE METAPHORICUM ENTHYMEMA EX LACONISMO CONFINGERE.

Thema eſt: Apis Moritur In Electro. Laconicè dupliciter dicimus, aut thema ita ſuccinctè conſtringimus, ut auditor ſenten-

Digitized by Google

tiam ſupplere debeat, ut ſi dicas: MORS IN GEMMA: reliqvis verbis omiſſis, atqve adeò enthymema tuum brevi dicto poſſes concludere in hunc modum: *Hem, qvid optabilem mortem faciat! Mors in gemma.* Aut qvod multò argutius eſt, diffuſior dicendi occaſio de pluribus remotis & curioſis rebus ex themate captatur, eæqve poſtea in compendium contractæ uno veluti alluſionis ictu exhibentur, qvi omnes illas res in mentem revocet. Diffuſior ratiocinatio ſit hæc: *Apis in electro illaqveata eſt, qvod ad arbores illa acceſſerit, in qvas Nymphæ Phaëtontis ſorores converſa fuerant.* En qvot res à themate remotæ! At omnes illas brevi & celeri alluſione innuere & complecti potes: *Qvaris, cur incautam apiculam fraudulenta arbor implicuit? fœmina erat.* Et generatim arguta dicta, qvæ ad Laconiſmum pertinent, ſunt illa, qvæ nonniſi aliis verbis, & qvidem pluribus qvam ipſum eſt dictum explicari poſſunt. Veluti illud Martialis in freqventia Romæ incendia. *Thema* erat: *Roma freqventibus vexatur incendiis.* Animadverſio metaphorica; *Vulcanus populum Martis (hoſtis ſui) freqventibus incendiis vexat.* Hinc natum eſt enthymema patheticum:

Jam precor oblitus noſtræ, Vulcane, qverelæ
Parce: ſumus Martis turba: ſed & Veneris.

Cujus hæc eſt ſententia: ***Placatus ſit tandem, Vulcane, utut enim Martis ſimus populus, qvem ob adulterium odiſti; ab Ænea tamen ortum qvoqve ducimus, qvi filius eſt Veneris, qvam tenerè amas, licet adultera ſit.*** En qvam multa qvam paucis! Sic nonnunqvam verbulo integrum enthymema continetur, ut oſtendi ſupra in argutiis ex Archetypo & verbo mixtis. Qvare tranſeamus ad aliam figuram.

DATO THEMATE URBANUM ENTHYMEMA EX OPPOSITIS CONCINNARE.

Nullum eſt thema adeò ſterile, cujus ſingula objecta non plures ejusmodi complectantur notiones, in qvibus peregrini ſint reſpectus & oppoſitiones, ad enthymemata arguta concinnanda idoneæ. In hoc *themate* APIS IN ELECTRO MORITUR qvantam copiam ex collectione illa ante à nobis facta hauries? Qvod Apis *in cera vivat, in gemma moriatur.* Qvod *mel raptura, à viſco rapiatur.* Qvod ſit *mortua & immortalis.* Qvod *concluſa ſit & videatur.* Qvod ſit *volans & captiva.*

Qvod

Qvod electrum ſit *liqvidum & lapis.* Qvod humor ſit *vilis & gemma.* Qvod vitam *auferat* & pretium *addat.* Hæc omnia ſunt contrapoſita, qvib' ſuperſtrui poſſunt animadverſiones ænigmaticæ & argutæ. Veluti: *Hic jacet, non jacet, in lapide non lapide, clauſa non clauſa, volucris non volucris, rapta dum rapit.* Unde fluunt enthymemata arguta: *Scis qvare vivat, qvia periit. Lateret, niſi hic lateret.* Aut: *avara volucris in cera vivit, in gemma moritur, qvis neget avarum meliorem eſſe mortuum, qvam vivum.* Simile eſt hoc Martialis: *Vis dicam male cur ſit tibi, Sexte? Bene eſt.* Et Plinius poſtqvam exaggeraverat annonæ ubertatem ex Ægypto Romanis ſubmiſſam eo anno, qvo Nilus aqvis defectus agros non inundaverat, infert: *Itaqve inopia Nili ubertatis cauſa fuit.* Sed alia eſt non minus peregrina oppoſitionis ratio, qvæ ſpeciem habet elenchi, ut in dicto illo Antigonæ ad patrem cœcum: *Si vivis antecedo: ſi moreris, ſeqvor.* Sed de hoc genere oppoſitorum ſuo loco ſatis dictum eſt. Deſinamus igitur hic.

STATUTO THEMATE ARGUTUM ENTHYMEMA DECEPTIONE CONCLUDERE.

Hujus rei artificium tale eſt, ut thema eum in modum exponatur, ne finis reſpondeat exſpectationi auditoris de initio conceptæ. Ut ſi rem videaris exaggeraturus, extenues: laudaturus, vituperes: excuſaturus accuſes; & ſimilia inexſpectata, de qvibus ante diximus. *Deceptio* igitur reqvirit aliqvam *oppoſitionem* inter duas res ita expoſitam, ut poſtrema non ſolùm ſit inexſpectata, ſed exſpectationi contraria, ſeu ex orationis filo, ſeu epitheto adjecto. Sit *thema* noſtrum: APIS IN ELECTRO MORTUA. Obſervare hic potes duo contraria objecta ELECTRUM *gemmam pretioſam*, & APEM *vermem viliſſimum.* Thema igitur ſic explicari poteſt, ut auditoris exſpectatio prioris objecti ſplendore concitata, poſterioris vilitate præter opinionem decipiatur. Ut: *gemmeo in ſepulchro ſplendidè conditur magnificus* VERMIS. Unde enthymema hoc deducitur: *Regales igitur Preficæ ſplendidas inferias condecorent funeſto* RISU. Aut: *Ergo venerare manes iſtos viator* & CONSPUE. Hoc modo Martialis thema, qvod ſibi propoſuerat: MAGNA PLUVIA: PARVA VINDEMIA CORAMI: extendit hoc arguto enthymemate: *Vindemiarum non ubiqve proventus ceſſavit Ovidi, pluvia profluit grandis: centum coramus fecit* AMPHORAS AQVÆ. Et alia qvoqve ſunt exempla, alibi recitata.

Eodem modo (ut diximus) loco enthymematum fiunt inductiones argutæ. Ut ſi diceres: *Celsâ in Pyramide jacet Regina*: *Marmoreo in Mauſolæo Rex Mauſolus*: *ſuperba in mole Hadrianus Cæſar*: *adde qvartum miraculum*: *gemmeo in ſepulchro VERMICULUS.* Simili inductione thema illud ſupra memoratum: ORNATUS INCEDIT PODAGRICUS explicari poſſet ita: *Ille incedebat elegantiſſimo inſtructus ornatu*: *gemmatam capite geſtans galeam*: *collo auream torqvem*: *pectore triplicem loricam*: *læva fulgentem clypeum*: *dextra argenteam lanceam*, *pedibus purpuream PODAGRAM.* Hujus generis argutias adamavit Anacreon, ut hæc ad reprehendendum: *Taurum natura docet ferire cornu*: *Eqvum jactare calces*, *leporem valere curſu*, *leonem dente ſævire*, *te vero* INSANIRE. Et hæc altera in laudem: *Niobes in ſaxum verſa eſt*, *Pandion in avem*: *ego mutari vellem in CALCEUM*, *tuos ut pedes oſcularer.* Sed de his alio loco egimus.

Jam ſingula genera urbanorum enthymematum ſeparatim ſunt explicata: oſtendam nunc duplicem rationem exercendi ingenii duorum theorematum beneficio, in qvibus jucunditas cum facilitate certat. Primum ſit hoc:

PROPOSITUM THEMA PER SINGULA FIGURARUM GENERA ALITER ATQVE ALITER ENTHYMEMATICE VERSARE.

Rhetores Romanos in ſcholis declamatoriis hoc exercitationis genere uſos eſſe legimus ut *dictum* aliqvod *argutum* ingenioſè per omnes rhetoricas figuras variarent. Sic Svetonius de claris. Rhetoribus: *præclarè dicta*, inqvit, *per* OMNES FIGURAS, *per caſus & Apologos ALITER ATQVE ALITER exponere*, *& narrationes tum breviter & preſſe*, *tum latius & uberius explicare conſveverunt.* Sufficeret qvidem huic theorematí illuſtrando omnia illa exempla hic colligere, qvæ de *Ape in electro* ſub ſuo qvodqve genere propoſuimus, in qvibus unum thema per omnes formas enthymematum urbanorum verſavimus. Sed majoris copiæ causâ aliud exemplum de paupere eodemqve ſuperbo, qvi ut dives haberetur apud eos, qvi ipſum ignorabant, digitis & veſtibus gemmas adulterinas geſtabat, proponam. Iſta enim hominis vanitas multam ridendi materiam ſuggerebat iis qvi hominem propius norant. Dabo itaqve ſecundum ſingula genera hactenus propoſita ſpecimen aliqvod ſalium in ſuperbam hominis paupertatem.

Ex

Ex Metaphora *proportionis* copiam illam gemmarum vocarunt qvidam GEMMARUM GRANDINEM. Dixerunt igitur*: hoc ipſo fame peris, qvod gemmis famem tegis. Tam enim crebra GEMMARUM GRANDO vineas tibi ac ſegetes omnes decuſſit.* Alii ſuperbiam vocantes FUMUM dicebant: *mirum eſt, cum domi tibi foculus non ardeat, te tamen eſſe FUMOSUM.*

Alii Metaphora *Attributionis* gemmas dixerunt LAPIDES, genus ſcilicet pro ſpecie. *Miramur te cum tot lapides geras, domo carere.* Et alii*: plus ederes, ſi, qvem digito geſtas ANNULUM, pedibus geſtares,* h. e. *non adeò eſurires, etiamſi alterius eſſes mancipium.*

Alii *Homonymia* Metaphora in voce *HUMILITAS* ludentes, qvæ & virtutem, & tenuem vitæ ſortem ſignificat; dixerunt: *Ne in tanta qvidem HUMILITATE HUMILIS eſſe didiciſti.* Et alius alludens notis MACRI & CRASSI nominibus alterius qvidem Græci Poëtæ, alterius divitis Romani civis: *Qvod Poëtica imitatione verius, qvam vero qvæſtu opes conficias: MACRO es ſimilior, qvam CRASSO.*

Ex *Hypotypoſi* alius hanc imaginem expreſſit: *Regis cadaveri ſimilis es, nam gemmis ornaris, nihil edis.* Et alius, *qvi veſtium gemmas, orisqve ſqvalorem ſpectat: Ceream te magnificentiæ fatetur imaginem.*

Ex *Hyperbole: prudenter te omnibus Indi Gangisqve opibus oneras, ne jejuniis vacuum ventus abripiat.* Et alius: *Stellarum numerum gemmis aqvas: itaqve cælum posſides, de terra nihil.*

Laconiſmus eſt: *Qvis te mortalium ſecurior? tot opibus foris polles, domi furem non times.* Et alii eundem ſenſum aliter explicarunt, obſervantes enim pavonem ſymbolum eſſe ſuperbiæ, & motacillam paupertatis, qvoniam non utitur proprio nido, dixerunt*: Video qvid ſis: foris pavo, domi motacilla.*

Oppoſita ſunt in his*: Mercurii callere artem videris, nam hoſtes duas, ſuperbiam & paupertatem, hanc inopiâ, illam opibus conciliaſti.* Item*: Bis miſer es, qvi paupertatem invidia, divitias miſerationi obnoxias feciſti, ut nec opes tibi, nec paupertas eſſe utilis videatur.* *Dece-*

Deceptio eſt in hoc luſu: *Egregium te gemmarum artificem eſſe minimè miror, cum artium omnium magiſtram domi habeas FAMEM.* Et aliter: *Qvod tam magnificè ornaris, aurifodinas ventre includere te facile credo, nam ipſa cutis aurea eſt.*

Qvod ſi ex ejusmodi DICTIS conficere velles EPIGRAMMATA in hunc modum ea concludere liceret.

Ex Metaphora *Proportionis* TUMOREM pro ſuperbia uſurpans, dicere potes:

Pauper es ac TUMIDUS. Non zoile miror: inani
Improba qvi vento farciat exta, tumet.

Ex metaphora *Attributionis* loco paupertatis BREVE TUGURIUM pones:

Superbiam qvi maximam appellat tuam:
Peccat. Tugurio tota cum lateat brevi.
Non eſſe major hoſpes hoſpitio poteſt.

Ex *Homonymia* obſervabis tam divitias qvam cauſam appellari RATIONEM unde hoc enthymema:

Fulgida tam crebris oneras cur pallia gemmis?
Non eſt hoc ut agas, ulla tibi RATIO.

Secundum *Hypotypoſin* imaginem ſuppeditabunt UTRES ULYSSIS:

Si pelagum ſcandas, Pelagus te credet ULYSSEM
Ventre geris VENTOS, utribus ille tulit.

Ex *Hyperbole* accipies proverbium illud: TANGERE COELUM digito, qvod de beato & divite dicitur.

Summa putat DIGITO ſe TANGERE SIDERA; credo
Nam qvod humi tangat, nil habet iſte ſuum.

Ex

Ex laconiſmo poteris alludere ad BAUCIDEM pauperem fœminam, qvæ Jovi ad cœnam vocato fabas appoſuiſſe fertur.

Eſſe Jovis conviva ſoles: potes ipſe vicisſim
Tam bona qvam BAUCIS prandia ferre jovi.

Ex *Oppoſitione* conſideres duo contraria Eſſe PAUPEREM & oſtentare DIVITIAS.

Pauper divitias tibi fingis, Zoile: veram
Pauperiem faciunt hæ tibi divitiæ.

Ex *Deceptione* infero divitias ejus eſſe SOMNIA.

Multa tibi res, multa domus, menſa eſt tibi multa
Lecti etiam multi: SOMNIA MULTA FACIS.

Alterum theorema non minus eſt & jucundum, & varium & ingenio excitando argutisqve ſententiis locupletando conducibile, qvod tale eſt:

PROPOSITUM THEMA UNUM SINGULA PER CAUSARUM GENERA FINESQVE RHETORICOS ENTHYMEMATICE VARIARE.

Præſtamus id in eodem themate ludentes nunc rationibus ex qvibus aliqvid infertur, nunc conſecutionibus ex themate deductis, nunc acutis animadverſionibus, nunc ad ſtuporem exaggerantes, nunc imminuentes & deprimentes, nunc ſvadentes, nunc revocantes, nunc incuſantes, nunc excuſantes, nunc documenta vitæ frugifera ex themate eruentes, nunc affectum amoris, odii, miſericordiæ, indignationis, invidiæ, commoventes variatis ſimul dicendi formis & periodis ita, ut thema ſemper ſit idem, ſed argumenta diverſa.

Sit *thema*: MAGDALENA CHRISTUM AMAT VEHEMENTER. EJUSQVE PEDES LACRYMIS LAVAT. Hoc thema primum revocabis ad mi-

ram & ænigmaticam qvaſi animadverſionem, hoc modo: MAGDALENÆ OCULI AMORE ARDENT ET LACRYMIS MANANT. Ubi ſtatim animadvertis *conjunctionem* duarum rerum, qvæ inter ſe contrariæ ſunt, in qvibus adeo latet copioſa ſcaturigo propoſitionum & enthymematum argutorum cujuscunqve generis, *Moratorum*, *patheticorum*, *logicorum*. Et cum ſit materia civilis ad tria cauſarum genera eam referre licet. Primum itaqve debes tibi copiam parare notionum, qvæ in qvatuor his rebus reconditæ ſunt: AMORE, LACRYMIS, IGNE, & COELO, Qvam copiam nullo negotio parabis indicibus illis, qvas dixi categoricis ordine percurſis. Inde nunc his nunc iſtis conſideratis ac inter ſe aptis & colligatis aut diviſis exiſtent admirabiles diſſertationes in hunc modum.

Qvid hoc prodigii? Aqva & flamma diſcordes olim rivales, ſocordes modo contubernales, in Magdalena oculis convivunt? Apage te flebilis meretrix Magdalena, pedes iſtos ne vel aduras vel mergas. Fallor jam arſerat, ni flammis undas exſiccaſſet: aduſſerat, niſi unda tēperaſſet incendium. O providam extremis periculis naturam! fontem anhelas viator? Ad Magdalenæ oculos diverte: frigidam propinant. Paſtor ignem qværis? Ad eosdem oculos diverte, ferulam inflammabis: unis in oculis fontem habes & facem ac ne deſit utilitati miraculum ex aqva ignem elicies, aqvam ex igne. Ecqvid vernaculi fontis naturam Dodona venditat præmortuam facem algentibus undis incendentem? Magdalena in oculis gemellos habes Dodonæ fontes. Audieram Æthneo in monte impunita cum nivibus incendia colludere, fidem aſtruit fabuloſo monti Magdalenæ oculus. Hac defuit portentis appendix, ut rivuli flammis flamma rivulis aleretur. At ô crudelis amor! Qvid oculos iſtos gemino ſupplicio igni & unda diſcrucias? ſævitiam excuſo: peccarant profana lumina, limina pectoris: algida olim in Deum, ardentia in mortales: nunc alterno miraculo impium algorem ſacra flamma, impurum ardorem ſacra lympha dum plectit, imminuit. Macte tibi ſancta peccatrix: qvæ ipſa eadem piaculum & expiatrix: profanum cordis

dis fanum igni & aqva flumine luſtras ac flamine. Viciſti: aqvarum filia Venus cum filio flammarum autore tuis ex oculis procul exulant, imò ipſis in oculis flammeam Stygis undam experiuntur ultricem. Periit veſana voluptas: cui poſthumus dolor parentaturus ardentem in oculis robum, ſacra irrorat aſpergine. Vel ſacrificulus amor in ara divinorum pedum operaturus acerram in oculis geſtat & phialam. An fortè geminus in oculis luctatur amor? Dumq́ igni ſuo impurus amor excoqvitur: purus pura ſeſe emergit ex unda. Fallor, nova nupta Magdalena thalamum auſpicatiſſimum ingreditur, conſveta novarum nuptarum cerne parerga, ignem & aqvam in limine: Qvin ipſe Paranymphus amor geminas agitat lampadas oculos, qvi amoris lychnum lacrymarum aqvis enutriunt. I modo, vince amorem, ſi potes, minare flammas, aqvis mergitur. Aqvas ingere, flammis innatat. Mergum dixeris in igne, Pyrauſtam in aqvis vivere. Qvaris, ecqvis inimica elementa pacificator conciliet? Dicam: exhauſtum fuerat ſuſpiriis pectus, ne prorſus inaneſcat, decidua undis flamma conjungitur. Nega jam omnium rerum pollentem eſſe amorem, qvi flammis undas ima ſummis conciliat, & immiſta elementa permiſcens ſummis ima conjungit, & ad antiqvum chaos Magdalena muliebrem mundum revocat, rurſumq́ diſcretis natura primordiis ex aqva & igni mundiorem mundum inſtaurat. Salvete oculi largitores æſtuoſorum fontium. Vos ergo debiles morbidiq́, ad iſta vaporaria Leucadio fonte ſalubriora balneator amor accerſit: Venite. Olim moleſtis ignibus perculſa animum puellæ Erycyno ſe templo devovebant, amorem rogaturæ, qvi gelida lampadam aqva perfundit. Huc vota amentes amantes litabitis. Amorem aſpicite flammas umbris opprimentem. Impura Venus aqvis innata aqvis præfocatur: fœduſq́ Dæmon ignium hoſpes igniculi iſtius favillam pavet. Cave fontem hunc turbes, ne ultrices flammas experiare. Cave flammas opprimas, ne mergaris. Utrumq́ cave, alterius præſidio alterum vivit elementum.

Sed nullus finis foret, ſi hæc perſeqvi liberet. Atqve animadverſio illa, cui ratiocinatio innitebatur, erat ferè poëtica & luſus ex ſola *metaphora Proportionis* naſcebantur; qvod ſi gravius ſit thema & ſolidius, profundiores qvoqve & ſeveriores evadent argutiæ. En aliud igitur exemplum in Callimachum Athenienſem, qvi pugna Marathonia præliando occiſus erectus conſtitit. Qvod robur pater ipſius in ſenatu exaggerat. Thema eſt: *Callimachus in acie occiditur & rectus manet*. Animadverſio in *oppoſitione admirabili* invenitur: MORTUUS STAT. Ratiocinatio hæc eſt:

Hoc qvem videtis Athenienſes ſangvine victoriam vobis peperi. Nemo vulnera filii mei qvarat: ſic ſtetit cum pugnavit. Dubito an moriendo vicerit, an vincendo ſit mortuus. Mors certè non interrupit victoriam, ſed continuavit. Bis vicit, ſemel Xerxem, iterum naturam, mille vulnera pertulit, plura optavit. Totam Aſiam ſuſtinuit, nec cecidit. Mortuus eſt & ſtetit. Qvod potuit mori culpa naturæ eſt, qvod non cecidit, laus eſt illius. Rerum natura, tecum mihi res eſt: cur aut cæleſtem filio meo animum dediſti, aut mortale corpus. Moriantur qvi mortem timere poſſunt. At ille nec cadere potuit, nec vinci, & debuit mori. Ille corpus non reliqvit ſed ab eo relictus eſt. Primus eſt, qvi naturæ ceſſit, & de natura triumphavit. Primus qvi vivus vicit, & mortuus non jacuit: primus qvi virtutis documenta poſt obitum dedit, qvi vitæ ſpatium ipſa morte extendit. Qvo honore dignus vobis Athenienſes videtur? qvo præmio? nam ſi fortiter in bello cadere laus eſt: ille & fortiter fecit, & non cecidit. Qvaritis an mortem timuerit? ne ſenſit qvidem. Sepulchrum ambire debeam neſcio, an recuſare. Utinam loqvi poſt mortem Callimache poſſes, ſicut potuiſti vincere! reſponderes hoc modo. Pro ſepulchro Athenienſes, memoriam mei mando. Pudet jacere inter reliqvos, qvorum multi ante mortem, omnes in morte cecidere, nemo poſt mortem ſtetit. Abſtine manum qvicunqve es: ne crudelior ſis ipſo hoſte, qvi occidere potuit, non potuit movere. Nemo mihi ſtatuam erigat, ſufficit hoc cadaver. Vos Barbaros virtute

Digitized by Google

tute viciſtis, ego ſocios exemplo. Cur torpetis manus, cur non pugnatis amplius? an timetis, ne qvis non crediturus ſit? Ego vos hoc metu libero. Non minus credent poſteri pugnaſſe mortuum, qvam ſtetiſſe.

Nunc alia qvædam theoremata proponam ex eadem radice diverſimodè prognata, in qvibus pari cum jucunditate & fructu ingenium exerceas licet.

PERPETUAM NARRATIONEM ARGUTIIS VEL ENTHYMEMATICIS ANIMADVERSIONIBUS INTERPOLARE.

Lepidiſſimum eſt hoc ſcripti genus. Sicuti enim, qvæ acu pinguntur, gemmis interpoſitis nitidiora fiunt: ſic *narratio* (ut Tullius loqvitur) *interpuncta ſermonibus, feſtivitatem habet.* Majorem verò, cui vividæ argutiæ interponuntur, nunc animadverſiones admirabiles, nunc morati ſermones, nunc teneri affectus, ut diximus. Sic igitur narrando ad varias res progreſſus ex qvacunqve re thema, & ex themate animadverſionem elicere poteris, cui ingenioſam rationem vel conſecutionem ſubjicias. Exemplum cum alienum deſit, meum ſuppeditabo, qvod totum narrationis interpunctæ, qvalem propoſui, ſpeciem & formam ſervat.

Neronis Claudii Cæſaris execrabilem hiſtoriam calamo perſeqvar. Par enim eſt calamis trajiciatur, qvos gladio acuit. *Hic inter privatos optimus, inter Principes peſſimus, ab accepto imperio repentè priſtinam virtutum ſpeciem pudenda labe maculavit.* Depreſſit illum fortuna, dum erexit: regno planè dignum, niſi regnaſſet. *Suaviſſimis ante moribus ad omnem poſtmodum crudelitatem concalluit.* Ut corallium induruit cum purpura rubuit. *Ante victor ac triumphalis tum marcidus & ſolutus ingentem gloriam bellorum otio luſtriſq; confecit.* Itaqve dum laurum acqviſivit regiam, palmam amiſit popularem. *Qvin etiam perſpicaciſſimi ac providi vir ingenii ſub honoribus imperii obſtupidus jacuit & inſanus.* Regiæ vitæ uſuram meritus, ut malè ſanum caput alligaret. Qvod injecto diademate fortuna fregit. *Sola amplificandis ædibus ac pomariis occupata majeſtas eſt.* Itaqve domum auguſtam fecit, anguſtam urbem. *At ô Cæſarea familia infelix pudor! Exigua ſcilicet clade cruentum gladium exſaturaverat, niſi eundem maternis in viſceribus mergeret.* Vipera erat, matris uterum rupit. *Nec ſatis luſum in ſangvine: egregiam urbem Patriam orbis terrarum caput ingeſtis flammis adolevit ut aboleret.* Decorè nimirum matri parentaturus patriam

pro rogo ſubjicit. *At ecce, tantorum ſcelerum curſus qvo tandem erupit? ſuo ſe ferro interemit.* Hoc uno juſtus, qvod injuſtas cædes è ſuo ſolvit & alienis de ſceleribus hauſtum ſangvinem egeſſit è ſuis. *Diu defuit extinſto rogus.* Ingrata ſcilicet Roma exiguum negavit ignem, à qvo tantum acceperat.

Eſt alia ingenioſa exercitatio, qvæ duo ingenia arguta ſuſcitat, ut de re aliqva longam ſeriem propoſitionum, reſponſionum, ſalium & facetiarum, veluti in certamine qvodam ingeniorum continuent.

DATO THEMATE ARGUTIS ET CONSEQVENTIBUS HINC INDE RESPONSIS ALTERCARI.

Ejusmodi certamen duorum facetorum eqvitum Meſſii Cicerri & Sarmenti, qvo utroqve pro ſcurris utebatur Auguſtus, nobis deſcribit Horatius. Jam enim adeò eviluerat nobilitas, aut vilitas nobilitata erat, ut Cæſaribus ſuis pro oblectamento eſſet & deridiculo.

Prior Sarmentus Eqvi te
Eſſe feri ſimilem dico. *Ridemus. Et ipſe*
Meſſius: Accipio *caput & movet.* O tua cornu
Ni foret execto frons (*inqvit*) qvid faceres: cum
Sic mutilus minitaris; *At illi fœda cicatrix*
Setoſam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus:
Paſtorem ſalutaret ubi Cyclopa; *rogabat:*
Nil illi larva; aut tragicis opus eſſe cothurnis.
Multa Sicerrus ad hæc: Donaſſet jamne catenam
Ex voto Laribus, *qværebat:* Scriba qvod eſſet
Deterius Dominæ nihilo jus eſſe. *Rogabat*
Deniq; cur unqvam fugiſſet; cui ſatis una
Farris libra foret, gracili ſic, tamqve puſillo.

Ejus-

Ejuſdem generis eſt altercatio duorum ſervorum Plautinorum Libani & Leonidæ.

Lib. *Jubeo te ſalvere voce ſumma, qvoad vires valent.*

Le. *Gymnaſium flagri ſalveto.*

Lib. *Qvid agis cuſtos carceris?*

Le. *O catenarum Colone.* Li. *O virgarum laſcivia.*

Le. *Qvot pondo te eſſe cenſes nudum?*

Lib. *Non adepol ſcio.*

Le. *Sciebam ego te neſcire: at pol ego, qvi te expendi, ſcio.*

Nudum vinctus centum pondo es, qvando pendes per pedes, &c.

Argutum iſtic certè conflictum intueris, cum omnes propoſitiones & reſponſiones ad figuram qvandam ingenioſam revocari poſſint nunc *proportionis*, nunc *attributionis* nunc *hypotypoſeos*, nunc *Laconiſmi*, ſed ſimile prorſus eſt prælium ebriorum concertationibus, qvi, nulla defenſionis cura cæſim ſeu punctim petantur ictus excipiunt & reddunt. Cujus rei cauſa eſt, qvod non uno in themate perſiſtant, ſed ſingulis vicibus illud mutent, unde reſponſum ſe non refert ad propoſitum. Ingenioſior erat Athenienſium cum Marco Antonio concertatio, qvæ unam continuabat metaphoram. Cum enim diceret Antonius: *ego ſum Aſia triumphator Bachus:* Athenienſium ingenium eò deductum eſt, ut *nuptias* ipſi offerrent ſuæ *Palladis.* Antonio nuptiæ *dotem* in mentem revocarunt, & hi hac occaſione *Semeles indotatæ* meminerunt. Sic diutius utrinqve continuari potuiſſet ingenioſa altercatio. Hujus generis eſt dialogus Gnidi & Lydiæ apud græcum poëtam, ubi unum thema continuatur, & poſtremum dictum novi ſemper thematis occaſionem ſuppeditat, ut argutiæ argutias pariant.

Gn. *Ex-*

Digitized by Google

Gn. *Exardeo.* L. *Tamen vivis.* G. *Inflammis perit,*
Vivitq́ Phœnix. L. *Lacrymis ignem obruam*
Gn. *Ah parce: tali creſcet hic unda focus.*
Ly. *An Lemnius hic eſt, unda qvem nutrit, focus?*
Gn. *Oculi trementem Lydia me exurunt tui?*
Ly. *Prior ipſa flammis, Gnide, flagrarem meis.*
Gn. *Sentire flammas Ætna, qvas jactat, neqvit,*
Ly. *Hæc ergo lumina vindice extingvam manu*
Gn. *Totum gemello ſidere orbares Polum.*
Ly. *Qvicqvam eſſe lucis, Gnide, ſi pereas, poteſt?*
Gn. *Qvicqvam eſſe vivum, Lydia, qvod ſpectes, poteſt?*
Ly. *Qvin ipſa vivo, vita qvod vivo tua.*
Gn. *Qvin ipſe moriar, luce ni moriar tua, &c.*

Atqve ſic pergunt argutando, qvæ argutiæ incidunt in rationes, mores aut affectus atqve omnes nituntur *metaphora proportionis.* Sic non nunqvam nomen aliqvod metaphoricum ſubſtantivum loco thematis aſſumitur, idqve alternis reſponſionibus bella ingenia argutè continuant, ut Dialogus iſte inter maritum & uxorem altercantes. Cum enim dixiſſet maritus: *Furia es* qvod veluti thema erat, regeſſit illa *certè qvidem: qvomodo non eſſem, qvæ in domo tua id eſt, inferno commoror?* Rurſus iſte, *poſtqvam ingreſſa es meam domum, magno meo malo illa facta eſt infernus:* Sed iſta, *Minimè: Plutonem enim ibi reperiebam.* Et idem: *Caſtam vero Proſerpinam fortè rapui.* Et hæc: *tanto pe-*

to pejus ſi talis fuiſſem, qualis enim Pluto eſſes, qui ejus inſignibus careres. Et ſic porro. Mulier enim in fabulis amatoriis verſata erat.

Eodem modo Dialogos non nunqvam ingenioſi amatores texuerunt ludentes ſub velo Metaphoræ, qvæ pertineret ad *chartas luſorias* ad *figuras, numeros,* & omnia *ludorum verba*, qvæ ad alium ſenſum trahebant & promtas argutasqve reſponſiones inde eliciebant.

At ingenioſisſimi ſunt iſti dialogi, qvos ingreditur Laconiſmus ita, ut in qvolibet propoſito & reſponſo contineatur alluſio & plus ſignificetur, qvam dicatur. Repetam pro exemplo colloqvium Agamemnonis & Pyrrhi ex Troadibus argutiſſimi Senecæ.

Pyr. *Eſt regis alti ſpiritum regi dare*

Innuit Pyrrhus clementiam Achillis erga Priamum captum.

Ag. *Cur dextra regi ſpiritum eripuit tua?*

Reſpicit Agamemnon crudelitatem Pyrrhi, qvi regem Priamum ſenem imbellem obtruncaverat.

Pyr. *Mortem miſericors ſæpè pro vita dabit*

Tanqvam miſericordia eſſet Regem iſtum infelicem calamitatibus eripere.

Ag. *At nunc miſericors virgines buſto petis?*

Tangit Polyxenam à Pyrrho ad ſacrificandum petitam.

Pyr. *Jamne immolari virgines credis nefas?*

Iphigeniam à patre Agamemnone mactatam objicit.

Ag. *Præferre patriam liberis Regem decet.*

Oraculo ſe coactum ſignificat, ut ventos hoc ſacrificio placaret.

Pyr. *Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit*

Et is ad oraculum provocat, qvod Polyxenam captam ſacrificari volebat.

Ag. *Minimum debet libere, cui multum licet*

Celebris ſententia, ut victorem à poſtulatis ſuis deduceret.

Pyr. *His iſta jactas, qvos decem annorum gravi*
Regno ſubactos Pyrrhus exſolvit jugo?

Plenam victoriam Trojæ ſibi ob mortem Priami deberi ſignificat.

Ag. *Hos Scyros animos?*

Probroſos Pyrrho natales in parva inſula Scyro, qvæ una eſt Cycladum exprobrat.

Pyr. *Scelere qva fratrum vacat.*

Patriam Agamemnonis impia fratrum Regum crudelitate infamem eſſe innuit.

Ag. *Incluſa fluctu?*

Alludit ad proverbium Homeri in inſulanos, qvi undis tanqvam carcere à natura concluſi ſunt.

Pyr. *Nempè cognati maris*
Atrei & Thyeſtæ nobilem novi domum.

Regiam Argus & Mycenarum reſpicit, ubi Atreus pater Agamemnonis fratri Thyeſtæ filios ipſius epulandos appoſuit.

Ag. *Ex virginis concepte furtivo ſtupro*
Et ex Achille genite, ſed nondum viro

Pyrrhus ex inceſtu Achillis in gynecæo muliebri habitu latentis cum Deidamia Regis Lycomedis filia natus erat.

Pyr. *Illo ex Achille, genere qvi mundum ſuo*
Sparſus per omnem cælitum regnum tenet.

Majores Achillis laudat, nimirum Thetidem Deam marinam, Æacum judicem inferorum, Jovem Regem cœli.

Ag. *Illo ex Achille, qvi manu Paridis jacet.*

Turpe

Digitized by Google

Turpe erat Achillem utut magicis artibus invictum à Trojanorum timidiſſimo & effœminatiſſimo Paride adultero fuiſſe occiſum. Ex his intelligitur ejusmodi altercationes Laconicas locum habere in argumento auditoribus non ignoto, earumqve venuſtatem poſitam eſſe in circumſtantia qvadam innuenda, ex qva reliqvum intelligatur.

Hoc genus exercitationis nos ducit ad aliud non minus jucundum & fructuoſum, qvo intellectum excitare & ſententiam noſtram peregrina eruditione exprimere poſſumus.

EX ARCANIS DISCIPLINARUM VISCERIBUS ERUDITA ENTHYMEMATA ARGUTE DERIVARE.

Metaphoræ, homonymiæ & reliqvæ omnes figuræ ingenioſæ ex artium & ſcientiarum ſuperficie peti poſſunt, ut ſuo loco diximus. Sed ingenioſiores multò ſunt & doctiores illæ, qvæ ex internis cujusqve ſcientiæ vel artis propoſitionibus ingenioſa applicatione derivantur: unde ad eruditos, non ad profanum vulgus earum excogitatio vel intelligentia pertinet.

Ex JURISPRUDENTIA Lepidam translationem mutuatus eſt nobilis qvidam ſtudioſus, qvi ducta clam ignobili ſed pulcherrima uxore, patri irato lege hac Papiniani ſatisfacere voluit: *In toto jure generi per ſpeciem derogatur.* Et Doctor qvidam interrogatus, cur uxorem duxiſſet facie ſubfuſca & ſtatura exigua legem Ulpiani laudavit: *In obſcuris* qvod *minimum* eſt ſeqvimur.

Ex MEDICINA cum ineptus qvidam Medici famulus opus facere recuſaret, qvod nondum cibum cepiſſet, herus aphorismo Hippocratis reſpondit: Rectè ſentis: *ubi fames, laborandum non eſt.* Et Princeps cum miniſtro cuidam magnam pecuniæ vim eripuiſſet, qvod ex munere geſto nimis ditatus inſoleſcere videretur: Medicus dixit, factum eſſe id qvod aphoriſmus jubet Hippocratis: *Morbos qui ex repletione fiunt, curat evacuatio.*

Ex GEOMETRIA: Geometra qvidam duos cernens æqve longos ac macilentos tanqvam lineas paralelas per viam pariter incedentes ſimul in foveam malè tectam incidere, ſeqve invicem collidere dixit: *en falſa definitio linearum parallelarum*; Euclides enim parallelas definiverat, *qvæ procurrentes nunqvam coincidunt.*

Ex MATHEMATICIS in centurionem gibboſum & macrum,

qvi mirifice virtutem ſuam prædicabat, aliis indignantibus, facetus qvidam dixit, *qvid mirum ſi iſte res tantopere augeat? nonne videtis eum eſſe Diaphanum ſphæricum.* Et è contrario de ſapienti & docto Viro, ſed deformi & contemtibili ſpecie, dixit qvidam: *hæc eſt figura Catoptrica in Cylindro aſpicienda.* Sunt enim figuræ, qvæ in plano videntur maculoſæ, ſed in ſpeculo Cylindrico proportionem & ſpeciem acqvirunt.

Ex MUSICIS de duobus Muſicis, qvi (ut iſtorum hominum mos eſt) aſſiduè inter ſe obtrectabant, dictum eſt, *hi inter ſe conveniunt, ut diateſſaron & diapente.* Eſt enim hoc Muſicæ ſcientiæ præceptum, ſesqvitertiam cum ſesqvi altera nunqvam concordare, ut autor noſter in problematis demonſtrat.

Ex ARITHMETICA, in divitem, qvi cum nummos fœnori poſuiſſet foro cedere coactus eſt, dixit menſarius: *hic nummos multiplicavit ſynthetica non analytica ratione.* Multiplicatio enim, qvæ *analytica* dicitur, à ſiniſtra ad dextram progreditur, at *ſynthetica* à dextra ad ſiniſtram:

Ex GRAMMATICA, Cum qvidam dotis cauſa anum qvandem duxiſſe perhiberetur ſine ſpe prolis ſuſcipiendæ, ingenioſus qvidam grammaticus dixit: *hic qvidem grammaticam nobis pervertit, cum dativum genitivo anteponat.*

Ex PICTURA, cum ſorores duæ in publicum prodirent, altera albo & ſucci pleno, altera ſicco & ſubfuſco vultu, dictum eſt: *En! duo picturæ genera à natura expreſſa, alterum Bernhardi Zenalis, alterum Figini.* Imagines enim Bernhardi nec umbra nec muſculis erant conſpicuæ. Contra Figini imagines, umbræ obſcuritate muſculos oſſa venas exprimebant, ut ſceleta potius qvam corpora viderentur.

Ex ARCHITECTURA, cum ingenioſus qvidam architectus puellam conſpiceret corpore & vultu deformi, ſed qvæ caput floribus eleganter exornaverat: *hæc*, inqvit, *artis noſtræ prorſus imperita eſt, qvæ columnæ thuſcæ Corinthium capitulum imponat.* Ordo enim corinthius capitula habet foliis eleganter adornata, ordo verò Tuſcus omnium eſt maximè rudis & ignobilis, unde etiam dicitur ordo ruſticus.

Ex CEREMONIIS ſacrificiorum, cum invenuſtus qvidam inter nobiles pueros puellasqve ruſticantes ſibi caput ſerto cinxiſſet, dixit

Digitized by Google

dixit nonnemo: en *Victima Sylvani.* Huic qvippe Sylveſtri numini immolabatur porcus coronatus.

Ex AUGURALI diſciplina, Plautus cum infantem cerneret polentam avidè devorare, *felix* inqvit, *augurium! benè paſcitur polenta.* Alludens ad auſpicia Tripudii Soliſtimi, qvod felix habebatur ſi pulli polentam comedisſent, infelix ſi faſtidiſſent aut in terram aliqvid cadere ſiviſſent.

Ex LUDIS in Comicum nullius ingenii & memoriæ dictum fuit: *hac perſona amphitheatrum potius qvam theatrum deceat.* In theatro enim homines, in amphitheatro beſtiæ producebantur.

Breviter ſi thema qvoddam argutè explicandum tibi proponis & in artes omnes oculos conjicis, ſexcentis illud modis valdè ingenioſis variare poteris atqve adeo lectis artium libris ſylvam qvandam ingenioſarum cogitationum notabis, qva ſuo tempore & loco utaris.

DE RIDICULIS.
CAP. XXI.

CUm nec dicta, nec inſcriptiones, nec ſymbola gravia ſemper ſint & ſeria, ſed interdum in comœdiis, in privatis congreſſibus lepidum qvoqve & RIDICULUM uſu veniat, de qvo hactenus nihil ex profeſſo diximus, nec fontes ejus inqviſivimus, hinc diſſertatiunculam hanc ſpeciatim huic argumento dicabimus.

Qvi autoris noſtri genium uſu non cognoverunt, exiſtimarunt partem illam ubi de ridiculo agendum ipſi fuerit, ex poëtica ejus injuria temporis excidiſſe. Cum enim in (281.) primo & (282.) tertio Rhetoricorum ad Theodectem legerint eum in poëtica ſua *de ridiculis eorumq́; generibus* egiſſe, neqve tamen in poëtica, niſi pauca verba, qvæ ſint hujus argumenti in ſecundo capite invenerint: reliqva periiſſe ſibi firmiter perſvaſerunt. Sed in paucis illis verbis magnum illud ingenium omnia dixiſſe reperio, cum radicem ſuo modo nobis demonſtraverit *definitionem videlicet ridiculi*, qvâ attentè conſide-

(281) Artes 1.Rh.c. 11. Sed de ridiculis in iis, qvæ de arte poëtica dicta ſunt determinatum eſt.

(282.) Idē 3.Rh.c.18. Explanatum eſt in iis, qvæ de re poëtica dicta ſunt, qvot ridiculorum genera ſint, qvorum alia liberis cōgruunt, alia non.

rata ingenium philoſophicum per ſe integram artem condere poterit. Verba ejus in poëtica ſunt hæc:

Comœdia eſt PEJORUM IMITATIO; (283.) non tamen ſecundum omne vitii genus ridiculum à turpi proficiſcitur. Ridiculum enim eſt ALIQVO PACTO PECCATUM ET TURPITUDO SINE DOLORE MINIMEQVE NOXIA, perinde ac ridicula ſtatim apparet deformis facies diſtorta ſine dolore.

(283.) *Ib. Eſt autem illuſio magis idonea libris quã ſcurrilitas. Nam qui illa utitur, ſui: Scurra verò alterig gratia loquitur.*

Hic primum animadvertis materiam ridiculi communem videlicet TURPE, cujus exemplum affert *faciem diſtortam*, in qva eſt *turpitudo phyſica.* Unde intelligitur eſſe qvoqve *turpitudinem moralem* veluti *actus obſcœnus.* Utraqve turpitudo continetur generaliſſima voce PEJORUM, qvæ faciunt argumentum Comœdiæ, & opponuntur MELIORIBUS, qvæ ſunt argumentum tragœdiæ. *Pejoribus* enim intelliguntur res *viles*, qvæ operarios, ſervos, paraſitos decent, *Melioribus* verò res *graves*, qvæ ad nobiles principes & heroes ſpectant.

Non autem faſtidio ſit hæc de rebus faſtidioſis diſputatio, qvæ gemmas nobiliſſimæ artis ex cœno colligit. Eſt enim humanæ mentis radius ſolis ſplendori ſimilis, cui ſoli per immunda mundum tranſire licet, qvin humana mens ad divinam qvodammodo accedit, cujus divinitas eadem ratione & paludi ineſt & ſtellis, & ex ſordidiſſimo luto corporum creatorum diviniſſimum condidit.

Ut itaqve à DEFORMITATE PHYSICA ordiamur, inter SUBSTANTIAS magis propria ridiculi materia eſt *cœnum* qvam aurum, *cucurbita* qvam cedrus, *animal immundum* qvam eqvus generoſus, ex *putredine* natum qvam elegans. In QVANTITATE magis ridiculus eſt *nanus* qvam gigas, *corpus mutilum*, qvam integrum, *mus* qvam taurus, & in qvantitate pretii magis id ridetur, qvod minoris æſtimatur, unde proverbium: *homo nihili.* In QVALITATE, qvæ ſub viſum cadit, ridicula ſunt *obſcœna, faculenta, maculoſa* potius qvam nitida & illuſtria, ſpecies *manca*, facies *diſtorta & deformis*, qvam pulchra & abſoluta. In iis, *qvæ ſub auditum cadunt*, ridetur potius *ruditus aſini*, vox *cuculi*, *rana*, *cicada*, qvam luſciniæ aut teſtudinis. Unde Plato à Satyrico appellatur *ſcholarum cicada*, atqve ſic in reliqvis *qvalitatibus* ſpeciebus & *relationibus* rerum inferiorum & arte factarum. *Actionibus*, *locis*, *habitu & inſtrumentis ſordibus ac vilibus* ſecundum tabulam à nobis ſupra exhibitam cum de *verbis illuſtribus* ageremus, ridiculum

exqvires,

Digitized by Google

exqvires, in qvibus invenies materiam phyſicam metaphorarum, dictorum & ſimilitudinum, qvæ riſum & jocum pariunt. Qvin & orationes & laudationes integræ rerum ejusmodi viliſſimarum ſua natura ſunt ludicræ & ridiculæ. Tale eſt Majoragii *encomium luti*, Cælii Calcagnini *encomium pulicis*, Luciani *de muſca*, Paſſeratii *de laudibus Aſini*, Melanchthonis *de laudibus formicæ*, Ugubaldi *de laudibus calvitii*, Jani Duſæ *in laudem umbræ*, Barlæi *de ente rationis*, Bilibaldi Pyrckhaimeiri *de laudibus Podagræ*, qvam ipſe autor præmium operæ nactus eſt. Sed ridiculum maximè eſt poëma Taſſonii in *urnam raptam*, qvod argumentum ipſi largiſſimum jocandi campum aperit. Et hujus generis ſunt omnes inſcriptiones, & epitaphia in viliſſima animalcula, apologi item pictura & ſymbola, qvorum corpora ſunt ignobilia & abjecta veluti *cucurbita cum petiolo* cum dicto: MELIORA LATENT. Et mus inter ungves felis: cum dicto SIC MEA FACIT AMICA.

Venio ad DEFORMITATEM MORALEM, de qva tamen notandum eſt illud autoris noſtri præceptum modo laudatum, *non omne vitium eſſe ridiculi materiam*. Sicuti enim virtus in medio duorum extremorum eſt poſita, qvorum alterum altero eſt turpius & vilius: ſic qvod turpiſſimum eſt, hoc magis propria erit ridiculi materia. Sic qvantum ad HONORIS uſum minus turpis eſt *ambitio & tyrannis*, qvam ſervilis & ſordida conditio. Iſtud enim vitium conjunctum eſt cum aliqvo animi robore, hoc vilis & abjecti animi eſſe videtur. Sic etiam artes qvo viliores ſunt, eò etiam ſunt turpiores magisqve ridiculæ. Hinc ex virtutibus intellectualibus minus pudenda eſt aſtutia & deceptrix calliditas, qvam ſtupor, inſulſitas, oblivio, & ſermo inconditus. Aſtutia enim mentem indicat ſatis ſuperqve acutam & perſpicacem, cum ignorantia animum meliori parte deſtitui fidem faciat, ex qvo qvodvis animans nedum homo ridiculus videtur. Atqve ita unumqvodqve vitium conſiderans, illud maximè ridiculum & pudendum eſſe reperies, qvod qvamplurimum participat de duobus hiſce defectibus: *ſervili humilitate & ſtupore*. Sic qvantum ad FORTITUDINEM magis ridiculus eſt *timidus* qvam temerarius. Hic enim ſpernit periculum, iſte fugit. Qvantum ad AMICITIAM magis ridiculus eſt *adulator* qvam proditor. Nam adulatio ſervilis ingenii fructus eſt, proditio ferocis & aſtuti, qvod vitium non riſum, ſed horro-

Digitized by Google

horrorem concitat. Circa bona FORTUNÆ magis ridiculus eſt *avarus*, qvam prodigus, & *furunculus clandeſtinus* magis qvam civitatum & regnorum prædo. Iſta enim vitia ſunt vilis & ignavi animi hæc generoſi & audacis. Sed ex omnibus vitiis turpiſſima ſunt illa, qvæ ex INTEMPERANTIA, *in crapula & libidine proficiſcuntur*, utpote qvæ verſantur in duobus ſenſibus materiæ & corpori maximè addictis atqve adeo ignobilioribus. Et turpiora ſunt hæc vitia ſi alia accedant ſervilis animi probra, veluti ſi qvis ſuam aut alterius exiſtimationem mercede accepta vendit. Atqve hæc ſunt argumenta comœdiarum propria. Sicuti enim tragœdia ſibi propoſitum habet *planctum*, qvem mœſtiſſimis rebus, uti ſunt cædes magnatum, excitet, ſic comœdia *riſum* qværit objectis *viliſſimis*, qvalia ſunt iſta duo modo commemorata. Cujus rei certiſſimum argumentum eſt, qvod reliqva objecta, qvorum mentionem fecimus, riſum moderatum, & ſerio temperatum excitant, ſed duo iſta narrationibus aut cavillationibus repræſentata immoderatum illum riſum pleno ore commovent, qvem *cachinnum* dicimus, non aliter ac ſi anima è ſede ſua exire geſtiat, ut dicenti & jocanti applaudat. Omnes enim ſunt motus animi ſocialis, qvi reſpondent animo ejus, qvicum loqveris.

(284) Ar. 3. Rh. c. 6. Pudet igitur homines non dictarum ſolummodo rerum, ſed etiam ſignorum, ut non ſolum venerea agentes, ſed venerea etiam ſigna.

Nec actiones ſolum & res pudendæ ridentur, ſed etiam (284) SIGNA & veſtigia earundem. Qvin hæc eò magis ſunt ridicula, qvod neſcio qvid figurati ſubſit, dum ingenium à veſtigio ad opus ipſum per ſe deducitur. Hinc ſi turpis eſt ſervitus, etiam ferri, catenarum, & notarum ſervilium meminiſſe riſum movebit. Et ſi imperfectum eſſe pudendum eſt, riſum qvoqve excitabit, ſi qvis Eunucho rugas & novaculam exprobret, qvi jocus eſt Claudiani in Eutropium, qvi ab ergaſtulo & novacula ad faſces conſulatus pervenerat. Et ſi artes ſellulariæ & ſordidæ ruborem incutiunt, parvulum earum ſignum jocandi materiam præbebit. Unde cum inſignibus viri opulenti, qvi aliqvando cauponam exercuerat, fortè poculum fuiſſet impoſitum ab iis, qvi ædem ipſius poliebant: totus populus largo riſu id proſecutus eſt. Sic faceta qvoqve erunt dicta, qvæ in mulctam aut cicatrices ex virgis & alia inſtrumenta pœnarum ob furtum aut delictum aliqvod inflictarum jaciuntur. Et deniqve veſtigia, qvæ intemperantiam arguunt, faceta ſunt. Unde Cicero

Digitized by Google

cero adverſariis in mentem revocat turpes crapulæ notas, pavimentum vino natans, nuditatem, lectos, ex laſcivia ſqvalorem, ut ipſos ridendos propinaret. Hinc adeò ridicula ſunt nomina, qvæ aliqvid ejusmodi ſignificant ut Caprinei, Aſinii, Verris, Portiæ, qvæ tamen erant nobilium familiarum cognomina. Figura item & ſpecies, qvæ rem immundam refert. Unde ridemus labia prominentia, qvæ ſcilicet grunnitus porcelli admonent: & ſimia animantium omnium eſt maximè ridicula, qvod faciem repræſentat hominis deformis.

Has omnes appellare poſſumus *deformitates ſimplices* & communem ridiculi materiam. Eſt alia DEFORMITAS COMPARATA, propior & magis vivida ridiculi materia, utpote qvæ per ſe argumentum præbet facetiſſimas argutias excogitandi. Hæc igitur poſita eſt in *diſconvenientia qva in duobus objectis inter ſe conjunctis* perſpicitur, e. g. ſi NOMEN perſonæ non conveniat, veluti puella apud Martialem, qvæ cum eſſet nocte nigrior *nix* tamen dicebatur, & nanus ille Satyrici, qvi vix palmam æqvabat & *Atlas* vocabatur. Item ſi PARS non reſpondeat toti, ut aſini aures capiti Midæ. Et in parva Caſtoris facie maximus ille naſus, de qvo poëta græcus: *Caſtoris eſt naſus fodiendis commodus arvis. &c.* Si SONUS ſit horribilis modumqve excedat, ut *ruditus aſini* Sileni, qvi in præcipitem fugam dedit Titanes cœlum aggreſſos, unde ſcriptum eſt, Jovem plus debere aſino, qvam Palladi ſuæ. Si GUSTVS non ſit accommodatus: unde proverbium: *ſimiles habent labra lactucas.* Et Chryſippus cum aſinum ſuum ficus videret de qvadra comedere, tanto riſu corruit, ut extingveretur. Si VIRTVS non reſpondeat minis, ut miles glorioſus apud Plautum, qvi totum orbem provocans à muliercula exterritus profugit. Si SCIENTIA impar ſit profeſſioni. Unde ridemus vitia in proſa aut verſu commiſſa & ſtultos ſermones Gratianorum, ſententias malè intellectas aut non ſuo loco adhibitas. Si RELATA inter ſe non conveniant, veluti ſponſa exiguæ ſtaturæ, qvæ nupſit Altilio ingenti viro, unde dicebatur, *nanam cepiſſe turrem.* Si DIGNITAS non convenit, ut cum moriones in comœdiis perſonam gerunt principis, & in ſeriis reipl. negotiis ſerviles ſcurrilitates excidunt. Si ARS non ſit perſonæ accommodata ſecundum proverbium Stratonici: *Bos ad lyram.* Si EF-

 FECTUS

Digitized by Google

FECTUS non reſpondeat præparationi, ut Caligula acie in littore inſtructa ac ſi cum hoſte concurrendum eſſet, mox conchas legere juſſit milites, & ſic triumphans reverſus eſt. Si ACTIONES ſint abſurdæ, veluti Margites cum umbra ſua dimicavit, & Qvicſotes adverſus molas pneumaticas, qvas pro gigantibus habebat, & Pſylli contra ventum arma expetiverunt, qvi ipſos pulvere injecto occœcabat. Si ORNAMENTA non conveniant ætati, ut Baſſa Martialis & Gabrina Arioſti. Si INSTRUMENTA operi non conveniant, veluti Pyratæ, qvi funibus turrem Calabriæ in navem ſuam pertrahere nitebantur. Aut ſi pravè adhibeantur, ut Ramirus ex Monacho Rex Arragoniæ, cum eqvo impoſitus eſſet, contra Mauros dimicaturus dextra lanceam, ſiniſtra ſcutum accipiens *frenum* inqvit *ori meo immittite, utramqve enim manum occupatam cernitis.* Et nauta Venetus cum eqvo iter faceret, frenum injecit caudæ eqvi & eqvum averſus conſcendit. *Venetiis enim,* inqvit, *gubernaculum in puppi navis ponitur.* Ejusmodi abſurdis conſtant multæ *actiones Comicæ* aut *poëmata faceta,* aut *ludi perſonati.* Ex qvibus naſcitur fœcunda materia ridicularum *provocationum, trophæorum, ſymbolorum & emblematum.* Et hujus generis qvoqve ſunt *narrationes* qvædam *oratoriæ* ex inveriſimilibus factis compoſitæ, qvas ſine alio acumine veriſimiles reddit ſola imitatio. Tales erant Craſſi, qvi ut Cicero teſtatur, cum ipſe nunqvam rideret, ut riſu rumperentur ſeveriſſimi Catones, efficiebat.

(285) Artes 4. Eth. 8. An hoc qvoq, nullam certã definitionẽ admittit, aliud enim alii, & odioſum & jucundum eſſe conſvevit.

Neqve igitur dubitandum, qvin DEFORMITAS ridiculorum ſit materia & fundamentum. Sed illud adhuc obſcurum ac dubium eſſe poteſt, qvod autor noſter adjicit, *deformitas SINE DOLORE,* cum ſæpius nos illa ridere conſtet, qvæ ei ad qvem pertinent ſatis vel moleſtiæ, vel doloris creant. Sed dubium hoc & vidit autor noſter & ſolvit (285.) *in ethicis,* ubi qværit, an ridiculum definiri poſſit, cum de rebus valde moleſtis & ingratis rideatur, & reſpondet ſibi ipſi: qvod pro diverſa animorum indole aliud alii moleſtum & odioſum eſſe videatur. Animus igitur benè moratus non ridebit ob deformitatem, qvæ alteri infamiæ eſt aut dolori, ſed ob eam modo, qvæ in vitæ conſvetudine mutuam præbet gratamqve jocandi materiam. Sed animus malè moratus, ſicuti alienam vicem non dolet, ſic dolorem alterius, cui deformitas adhæret, joci & oble-

ctamen-

ctamenti materiam arripit. Hinc cum Vulcanus Martem & Venerem adulteros reti implicitos Diis demonſtraret: Pallas (inqvit Ovidius) præ pudore oculos avertit, graviores Dii indignabantur & fremebant, at juniores Dii in riſum ſolvebantur. Et hoc accidit in verbis & factis, qvæ in theatro turpiter exhibentur, ut mentes ſordidæ apertè rideant, verecundæ & modeſtæ inde moleſtiam capiant: & callidæ & aſtutæ pudorem ſimulent & in ſinu gaudeant. Qvod verò de animo malè morato diximus, idem de ſuperbo & arroganti exiſtimandum. Democritus humana omnia effuſe ridebat, & contra bonus Heraclitus iſta fletu proſeqvebatur. Democritus enim (ut Hippocrates ad Demagetum ſcripſit) phantaſiam atra bile corruptam habebat, nec aliena infortunia aliter ac fabulas audiebat, contra Heraclitus alienum malum nimis ad ſe revocans ridere non poterat. At cujus animus prorſus eſt barbarus, vel ridens inimicum occidet & in crudelitate facetias inveniet. Sic crudeliſſimus Pyrrhus cum Priamus ipſi patris ſui clementiam exprobraret, ſubridens illum interfecit & *nuncium*, inqvit, *patri meo perfer & triſtia mea facta narrare memento.* Tiberius qvoqve cum ſcurram videret mortuo, dum efferretur, os admovere, & in aurem aliqvid dicere, qvæſivit ex eo, qvid dixiſſet, qvi infeliciter jocatus reſpondit: *mandavi, ut Auguſto referret legata ipſius à te nondum eſſe ſoluta*, qvi qvidem intempeſtivus revera jocus erat & deformitas ſine dolore, qvales ſunt ſcurrarum aulicorum joci. Sed Tiberius crudeliori joco ſubridens dixit: *melius erit, ut ipſe nuncium hunc perferas*, eumqve ſtatim occidi juſſit. Qvodſi in uno homine animus duplici affectu vindictæ & miſericordiæ commotus ſit, naſcetur qvoqve riſus & triſtitiæ mixtura, veluti cum Therſites glorioſus ſed ignavus, ideoqve ridiculus miles ab Achille merito vapularet, qvi aderant milites (ut Homerus ſcribit) *triſtanter qvamvis riſere ſvaviter omnes* atqve hic riſus eſt *Sardonius.*

Hactenus expoſui deformitatis ridiculæ duo genera, alterum *phyſicum*, alterum *morale*, & demonſtravi morale poſitum eſſe in vitiis *pudendis* non in contrariis, etſi plus damni inferant. Unde, *Zoilus eſt laſcivus* materiam jocandi præbet, at *Zoilus eſt parricida*, non riſus ſed horroris eſt materia. Hinc qvod in prius illud genus conjicitur dicteriorum, RIDICULUM appellatur, qvod in poſterius,

MALEDICENTIA. Qvam diſtinctionem (286.) autor noſter innuit eodem *poëtices* capite, ubi Homerum laudans, qvi novas *Comœdiæ* leges impoſuerit & à *Satyra* diſtinxerit, primum illum in Comœdiis *ridiculum*, non *maledicentiam* adhibuiſſe docet. Ante hunc verò Comœdiæ maledicentia Satyrica in Principes & magiſtratus refertæ erant, qvales ſunt Ariſtophanis. Interdum qvidem thema ob materiam ſubjectam ridiculum, tractandi modo fiet Satyricum, ſi ita illud ridetur, ut honori alterius detrahatur, cum qvod ita pungit, non amplius dici poſſit *deformitas ſine dolore*. Et è converſo argumentum Satyricum & mordax fiet ridiculum & jocoſum, ſi ita ludamus, ut jocari, non mordere videamur, & præterea in ridiculo, ſicut in reliqvis actionibus moralibus, circumſtantiæ mutant rem. Qvocirca laſcivia Thaidi exprobrata erit jocus: Lucretiæ, maledictum. Sic grave delictum qvod publicè innotuit, ridendi materia fiet: unde Tullius Clodii, Verris, Marci Antonii, enormia ſed cognita delicta facetè exagitans ſenatum facit ridere, idqve eò magis conveniet, ſi reus abſens fuerit, aut famæ repudium miſerit, tunc enim planè erit deformitas ſine dolore.

Cum itaqve definita ſit ridiculi materia, FORMAM qvoqve idem autor nos docet duobus verbis: *Turpitudo ſine dolore MINIMEQVE NOXIA* hoc eſt, ut ejusmodi URBANITATE condita ſit, ut nec modeſtia dicentis, nec exiſtimatio ejus, de qvo dicitur apertè violetur. Atqve hanc eſſe horum verborum ſententiam apparet (287.) *ex Ethicis*, ubi de facetis in vitæ conſvetudine dictis agens diſtingvit URBANITATEM à βωμολοχία, qvam latinè vertunt *ſcurrilitatem*, qvæ infamis ars eſt ſcurrarum & paraſitorum. Unde inter urbanum & ſcurram duas ponit conſpicuas differentias; alteram ratione finis (288.) cum βωμολόχος ſerviliter alterius cauſa jocetur ut lucrum captet, urbanus ex ingenii ſui libero impulſu. Altera eſt in modo, cum βωμολόχος nullo modeſtiæ freno vel obſcœnitatem verborum, vel acerbitatem maledictorum temperet, urbanus verò & pungat, & mulceat, ita ut modeſtia facetiis, pudor ingenio conſentiant, atqve hæc eſt illa differentia, qvam (289.) in Rhetoricis qvoqve conſtituit inter IRONIAM & βωμολοχίαν. *Ironia* intelli-

(286) *Ar. Poët. c. 2. Comœdiæ normam Homerus prior tradidit, non qvidem maledictis, ſed ridiculis.*

(287) *Ar. 4. Eth. 8. Qui ridiculis excedunt βωμολόχοι atq; importuni videntur, qvi ridicula potius affectant, adeò ut ſtudeant potius riſum movere, qvàm honeſtè loqvi.*

(288.) *Urbanus eſt ſua gratia, βωμολόχος alterius*

(289) *Ridiculorum genera alia liberis congruunt, alia non. Eſt autem Ironia magis idonea libero, qvam βωμολοχία.* 3. *Rh.* 28.

telligens dictum urbanum & homine libero dignum, βωμολοχίᾳ verò impudentem ſcurrilitatem ſervis & plebis fæci familiarem.

FORMA igitur *ridiculi urbani* poſita eſt in eo, ut dictum, qvod mordax eſt videatur innocens, qvod obſcœnum, illud videatur honeſtum. Hac enim ratione verè dici poteſt DEFORMITAS MINIME NOXIA. Atqve hoc eſt, (290.) qvod diſcipulum ſuum monet, *ne jocando res turpes verbis turpibus appellet, ſed eaſdem velut ænigmate ſignificet.* Et loco *Ethicorum* ſupra laudato novam comœdiam præfert antiqvæ, qvod *in illis verborum obſcœnitas, in his obſcœnitatis tantùm ſuſpicio riſum faciat.* Qvæ verba Cicero poſtea ab eodem didicit, vel mutuatus eſt: Sed artificioſa hæc dexteritas in eo poſita eſt, ut dictum maledicum, aut obſcœnum velo honeſtatis obnubatur, h. e. non propriè efferatur, ſed FIGURATUM ſit & Metaphora qvadam ARGUTUM.

(290) Ar. Rh. ad Alex. c. 34. Cavēdum eſt, ne res turpes nominibus appelles turpibus, ſed quæ ejusmodi ſint tanqvam per ænigma ſignificabimus.

Reſpiciamus exempla. Si cauſidicus adverſario dixiſſet: *Recordare patrem tuum ſalſamentarium & tace.* Ridicula qvidem eſt hujus dicti *materia:* at *forma* non item. Eſt enim aperta maledicentia, atqve adeò deformitas alterius exiſtimationi noxia. Cum vero dixerit: *Tace tu, cujus pater cubito ſe emunxit:* nonne vides, maledictum converſum eſſe in ironiam figuratam & tectam arguto Laconiſmo? Qvare ſi iſtud ſtomachum auditori, hæc rurſus riſum movet, cum, qvantum ad verborum literam, malidicat nihil, & tamen dicat. Sic ſi Cæſar dixiſſet: *hic ſervus eſt fur:* dictum fuiſſet injurioſum, ſed dicens *ſolus hic eſt ſervorum, cui nihil domi ſit clauſum*, ex maledicto ridicula fit per ὁμωνυμίαν Ironia, qvæ tàm pulchrè illam tegit, ut ſi verborum attendas ſonum, laudare videatur, ſin ſententiam, mordere. Eodem velo, qvod ſatyricorum maledicentiam tegit, etiam in comœdiis dicta ſordida teguntur ſecundū autoris noſtri monitum: *Dicere turpia, non turpiter.* Qvodnam ſordidius eſt dictum, qvam Martialis in Phœbi faciem: *Faciem, Phœbe, cacantis habes.* At idem hoc dictum, ſed verbis figuratis & honeſtis civis Romanus in Auguſtum jecit, cui, ut hiſtorici memorant, ſimilis erat facies. Cum enim Auguſtus moræ impatiens hunc allocutus eſſet: *Qvando tandem hoc dices?* Reſpondit iſte: *Dicam cum nixus fueris*, & abiit. Hoc igitur modo ſermones aut joci de rebus turpibus teguntur, qvi verbis propriis expreſſi cuivis indignationem moverent. Ejusmodi ſunt multa arguta Martialis

 epigram-

Digitized by Google

epigrammata inhoneſtè honeſta, & carmina, qvæ milites in triumphantes ſuos Imperatores effutiebant, & Centones qvidam claſſicorum autorum, qvi honeſtiſſima verba de Virgilio ſumta ad res prorſus diverſas transferunt, coguntqve ea dicere poëtam, de qvibus ne ſomniando qvidem cogitavit. Et deniqve hujusmodi ſunt Comœdiæ pleræqve minus impudentes.

Sed ut ad rem veniamus tot dico eſſe modos ridiculi figurati, qvot ſunt *figuræ ingenioſæ.* Sic igitur propoſito themate vel mordaci vel ſordido & vili, honeſtè illud veſtire poteris *octo metaphorarum* hactenus explicatarum aliqva, & huic *enthymema* ſuperſtruere, qvod non poterit non eſſe & honeſtum & ridiculum. Et ut ex media plebe exemplum capiam, Zoilum irriſurus, cui *uxor adultera* ſine culpa ſua *infamia eſt & pudori:* thema ſecundum tritum proverbium latinè erit tale: ZOILUS ARIES EST: cujus & ſententia eſt ſordida & vocabulum, ut apud Italos ſonat, parum honeſtum. At vocem *Aries* veſtire poteris *Metaphora proportionis* vocans Arietem *aureum Phryxi navigium.* Phryxum enim aries trans mare vexiſſe dicitur, aut hircum etiam per metaphoram Attributionis *barbigerum*, aut homonymia *muralem machinam:* ariete enim dejiciebantur muri & turres: aut etiam *cæleſte ſignum tauro proximum:* aut hypotypoſi *cornupetam*, aut hyperbole *immenſum attollentem cornu*, aut Laconiſmo: *Veris auſpicem*, qvoniam à ſigno Arietis Ver numeratur, aut oppoſito: *Libræ oppoſitum.* Libræ enim opponitur ſignum Arietis, deceptione *ſtrenuum ducem gregis.* Ex his igitur nullo negotio ſeu animadverſiones *ridiculas*, ſed honeſtas, ſeu enthymemata arguta utriusqve generis ſupra expoſiti colligere poteris. Ex proportione qvidem: *non poteſt uxori tuæ ſecura navigatio deeſſe, cum aureum Phryxi navigium duxerit.* Ex attributione: *miror cur philoſophale pallium non deferas, cui prolixa ſub mento barba cadit.* Ex homonymia: *Victoriam canent, ſi Zoilum ſecum habeant obſeſſores: vertice portas evertet.* Et hoc alterum: *Cælo donatus eſt Zoilus; piſces inter ac taurum medius fulget.* Ex hypotypoſi: *Cave Zoilum laceſſas: cornu petit.* Ex hyperbole: *Vir ſcilicet excelſus eſt Zoilus: ni ſuperliminaria extollantur, vertice infringet.* Ex Laconiſmo: *quacunqve incedat Zoilus; ridet tellus, vernant prata, nam Zoilus ſidus eſt veris auſpex.* Ex oppoſito: *non arriſit Zoilo juriſprudentiæ ſtudium, nam oppoſitum habet Libræ ſignum, qvo juriſprudentes*

dentes naſcuntur. Ex deceptione: *militiam ſectare: nam ſtrenuus evades dux gregis.* Qvod ſi has nugas connectere velis, ut continua fiat oratio, ludere poſſes in hunc modum: *miror, Zoile, cur philoſophale non trahas pallium, cum Stoico more prolixa tibi ſub mento barba cadat. At lætior nimirum te genius à tetricitate illa removit, ita qvacunqve incedis te lætitia ſeqvitur blanda comes: perpetuum ridet tellus, vernant prata, luxuriant fruges: ipſum enim ſidus es, verùs auſpex. Sapienter etiam, qvod in jurisprudentiæ ſtudiis contabeſcere noluiſti ſignum nactus Libræ oppoſitum, quâ jurisprudentes naſcuntur. Utilior tamen (ſi me audis) reipubl. futurus ſi militiam ſeqvaris, brevi nempe ſtrenuiſſimus evades dux gregis. Cavete Zoilum barbari: Cornu petit ille: Obſtructa ſaxis objicite mœnia, portasq; repagulis: has vertice evertet Zoilus. Neqve navali prælio procelloſa obſtabunt maria, qvippe cujus uxor aureum Phryxi navigium duxerit. Macte igitur, Zoile, tua magnitudine: jam triumphales tibi parantur arcus, qvos niſi ſuperliminaria attolluntur, vertice infringes. At exacto demum gloriæ curſu cœlo donabere: melius q; piſces inter atq; Taurum fulgebis.*

Hæc ſunt iſta *ridicula*, qvæ verbis honeſtis & ſplendidis ſententiam vilem ſordidamqve tegunt. Sed contra alia eſt ridiculorum ſpecies, qvæ verbis parum honeſtis ſordidisqve honeſtam ſententiam ſignificant. Hujus generis ſunt metaphoræ qvædam, qvæ dum laudant, labem aſpergunt, ut ſi qvis diceret, *hic monachus eſt cloaca humilitatis: hæc Academia eſt taberna Muſarum: hic Concianator bos eſt, qvi mugitu ſuo excitat auditores.* Sic Gelaſius ille Plautinus lurco & paraſitus metaphoras argutas à rebus ejusmodi petebat, ut hæc ſalutatio: *propino tibi ſalutem plenis faucibus.* Cujusmodi etiam fuit ruſtici cujusdam Neapolitani urbanitas, qva erga judicem uſus eſſe fertur: *Domine judex, herus meus me ad te miſit, qva retrorſum gero tibi, qvæ antrorſum uxori tuæ deſtinantur.* Scilicet de collo pendebant duæ manticæ, altera de pectore, altera à tergo. Et hujus generis ſunt *ænigmata*, qvæ actiones aut res honeſtas ſignificant, ſed prima ſpecie alia omnia videntur denotare, cujusmodi ambiguis ſermonibus

nibus adoleſcentuli puellas in ſcena, aut converſatione parum urbana ſtudent oblectare. Etſi enim de rebus honeſtis loqui videantur, illæ tamen qvæ audiunt contrarium facilè divinant, & cum nihil intelligere ſe ſimulent, nihilominus ſubrident. Sed de hoc genere ridiculorum nil amplius dico, de qvo ne autor qvidem noſter locutus eſt, illud tantum admoneo, utramqve ſpeciem nonnunqvam ſervire INSCRIPTIONIBUS RIDICULIS imò etiam EPITAPHIIS, qvæ tamen ſua natura ſcripta ſunt gravia & funeſta: Cujus generis olim plurima magna licentia ſcribebantur, ut illud typis vulgatum:

HIC JACET FRUOSINUS MILES, VIR BONUS, CUJUS GLADIUS NULLO IMBUTUS EST SANGVINE.

Item hoc tectius, ſed & injurioſius:

Il Strozza giace qvì buona perſona,
Che fù Poeta ex tempore: & le foglie
Di Febo meritò: ma tolſe Moglie
Talche non gli entrò in capo la Corona.

Hic jacet Strozza, Vir bonus, Poëta extemporaneus, dignus Phœbi laurea, ſed duxit uxorem, ſic caput ejus corona non ſubiit.

Et alterum hoc occultius

HIC JACET DAMIANUS PHOENIX. IBI MORTUUS, UBI NATUS.

Qvo turpiſſimum genus mortis exprobratur. Qvin in nonnullis famoſis epitaphiis non ſolum tectum ridiculum apparet, ſed etiam aperta *ſcurrilitas*, ut Muſæ illæ non Parnaſſum incolere, ſed luto demerſæ videantur, ut hoc typis commiſſum:

Qvi ſtà ſepelto Mario delle Scheggie:
Ch' ebbe in dir mal cotanto acute brame,
Che l' Alma per fuggir la bocca infame,
Sen' uſcì per la via delle correggie.

Hic ſitus eſt Marius, tanto maledicendi ſtudio actus, ut anima impurum os fugiens, qua via peditus ſolet, corpore exiret.

Sed hinc nos eripiamus & ad nobiliorem artem tranſeamus.

DE

Digitized by Google

DE INSCRIPTIONIBUS ARGUTIS.

CAP. XXII.

ROmana antiqvitas, qvod ſupra monui, cum nec guſtum, nec cognitionem bonarum artium haberet, inſcriptiones componebat nuda ſimpliciqve gravitate ſine ullo vigore & acumine. Acceſſit poſtea major ſtyli elegantia cum aliqva teneritudine affectum: verum nec oculus nec auris periodum lapidariam ab oratoria diſtinxiſſet; cum tamen perſpicuum ſit (ut ſæpius annotavi) *lapidariam* reqvirere *compoſitionem*, qvæ *inter oratoriam & poëticam* ſit *media*. Unde in ſententiis qvoqve vividior eſſe vult, qvam oratoria, minor autem qvam poëſis: & in ſtylo non adeò numeroſa ut poëſis, numeroſior tamen qvam oratoria. Sic igitur utut membra non certis ſint pedibus devincta, ut verſus, nihilominus menſuram habent adeò conciſam, ut lectoris animus ſæpius reſpiret, & conſideret, qvæ dicuntur, qvam in continuato periodicæ orationis curſu fieri amat. Qvod adeò verum eſt ut idem Cicero ſententioſas & argutas inſcriptiones compoſiturus (qvod idem ſine dubio optimè præſtitiſſet) ſvavi iſtâ ſtyli profluentiâ cogitationes ſuas exacuturus fuiſſe videatur. Hæ igitur ad *lapidariam* ſi revocandæ forent, primum amputandæ & conſtringendæ eſſent, qvod in vitibus agricolæ faciunt. Unum exemplû dabo argutiſſimum, ſed & unicum argutum, qvod in Cicerone legerim, elogium. Eſt hoc *encomium* fortiſſimorum militum *legionis Martiæ*, qvi in bello civili adverſus Antonium vincentes occubuerant, & à Senatu ſuperbiſſimo monumento honorati fuerant. Thema eſt ex duplici argumento compoſitum: LEGIO MARTIA VINCENDO CADIT & NOBILI MONUMENTO DECORATUR. Accipe igitur, qvomodo idem argutiis *patheticis moratis logiciſq;* ludat.

O fortunata Mors, qvæ Naturæ debita, pro Patria eſt potiſſimum reddita. Vos verò patriæ natos judico, qvorum etiam

nomen à MARTE eſt; ut idem Deus urbem hanc gentibus vos huic urbi genuiſſe videatur. In fuga fœda mors eſt; in Victoria glorioſa. Etenim Mors ipſe ex acie fortiſſimum qvemqve pignerari ſolet. Illi igitur impii qvos cecidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: Vos verò qvi extremum ſpiritum in Victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem & locum conſecuti. Brevis autem vobis vita data eſt; at memoria benè reddita vita ſempiterna. Qva ſi non eſſet longior, qvam hæc eſt; qvis eſſet tam amens, qvi maximis laboribus, & periculis ad ſummam laudem gloriamqve contenderet? Actum igitur præclarè vobiscum, Fortiſſimi, dum vixiſtis: nunc vero etiam Sanctiſſimi Milites: qvod veſtra virtus, nec oblivione eorum, qvi nunc ſunt; nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit; cum Vobis immortale monumentum ſuis pæne manibus Senatus Populusqve Romanus extruxerit. Multi ſæpe Exercitus Punicis, Gallicis, Italicis belli clari & magni fuerunt; nec tamen ullis tale genus honoris tributum eſt. Atqve utinam majora poſſemus; qvandoqvidem à vobis maxima accepimus. Vos ab urbe furentem Antonium avertiſtis: vos redire molientem repuliſtis. Erit igitur exſtructa moles opere magnifico inciſæqve literæ divinæ virtutis teſtes ſempiternæ: nunqvamqve de vobis eorum qvi aut videbunt veſtrum monumentum aut audient gratiſſimus ſermo conticeſcet. Ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem eſtis conſecuti.

In hoc elogio pulchram qvidem *eloqventiæ* formam cernis, qvæ chartæ inſcribatur: *lapidariæ* qvæ marmori incidatur, non item. Eſt qvidem qvælibet periodus argutis ſententiis concepta, ſed conciſa non eſt, & argutiæ ut plurimum in Metaphora non valde acuta, aut oppoſitis aſtrictis ſunt poſitæ, ut pote qvibus laconiſmus deeſt, qvi rotunditati periodicæ non congruit. Qvod ſi lapidariæ ad inſtar easdem concinnare velis: amputando & contrahendo (ut dicebam) ſic procedes,

Fortu-

Fortunata Mors,
Naturæ debita; Patriæ reddita,
Legio verè Martia,
A Patrio Numine nomen adepta.
Ut idem Armorum Deus
Urbem hanc gentibus; vos huic urbi genuerit,
In fuga, fœda Mors: in Victoria, glorioſa.
Mars enim fortisſimos pigneratur
Vos victi victores,
Pii impios occidiſtis, occiſi.
Itaq;, dum impios mulctant inferi;
Vos ſuperas inter ſedes, triumphatis,
Brevis vita, memoria ſempiterna.
Qvæ niſi vita longior eſſet,
Qvis gloriam qværeret per mortes?
Actum igitur præclarè vobiscum,
Olim Fortisſimi, nunc Sanctisſimi milites.

Qvorum virtus;
Ne vel oblivione vel reticentia inſepulta ſit:
Immortali ſepulchro Senatus cavit.
Ingentes Exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis,
Majorem felicitatem habuere non præmium.
Atq; utinam majora poſſemus, qvi maxima acce-
pimus.

Vos hoſtem Antonium
Furentem avertiſſe, redeuntem repuliſſe,
Æterna hac moles, æternitati teſtabitur.
Hanc qvamdiu ſpectabunt oculis, vos lingva lo-
qventur.
Pro mortali conditione, immortalitatem conſe-
cutos.

Nonne vides qvam parva mutatione elogium *auſcultationi* comparatum, *lectioni* accommodatum ſit. Conſtat enim Tullianam rationem auditu eſſe ſvaviorem, hanc lectu jucundiorem, ob freqventiora inciſa & concinnitatem arctiorem, qvæ periodos qvidem duriores facit, ſed etiam acutiores. Qvantum vero ad argutias, eſt in iſto elogio acumen floridiſſimum, qvod unqvam illis temporibus viſum vel auditum fuit. Qvin ſi elogio huic legionis Martiæ comparas ejusdem *ſenatus conſultum* ſupra laudatum: obſervabis eum iſtic gerere perſonam Senatoris, hic Oratoris. Unde illud Senatus Conſultum ſuſtinetur gravitate, hoc elogium ingenii præfert oſtentationem, eſtqve adeò argutius & floridius. Hæ conſiderationes mihi juveni anſam dederunt novum illud genus elogiorum Cæſareorum excogitandi, qvod *lapidaria* magis, qvam *oratoria* accommodatum eſt. Longè magis me excitavit illud Taciti in Galbam, qvod ne ſyllaba qvidem mutata per membra & verſiculos digeſſi in hanc formam:

Hunc exitum habuit Sergius Galba:
Tribus & ſeptuaginta annis, quinqve Principes emenſus,
Alieno imperio felicior, qvam ſuo.
Illi vetus nobilitas, magna opes, medium ingenium.
Magis extra vitia, qvam cum virtutibus.
Fama nec incurioſus: nec venditator.
Pecunia aliena non appetens, ſua parcus, publica avarus.
Amicorum Libertorumqve,

Ubi

Ubi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione patiens:
Ubi in malos usqve ad culpam ignarus.
Sed claritas natalium, & metus temporum, obtentui:
Ut qvod ſegnitia erat, Sapientia vocaretur.
Dum vigebat ætas
Militari laude apud Germanias floruit,
Proconſul, Africam moderatè;
Jam ſenior, citeriorem Hiſpaniam pari juſtitia,
Continuit,
Major privato viſus, dum privatus fuit,
Et omnium conſenſu.
Capax imperii, niſi imperaſſet.

Hoc elogium Tulliano iſti conferas & multa occurrent, qvæ diſcrimen ſtyli *oratorii & lapidarii, orationum & inſcriptionum* tibi attente conſideranti aperient. Tullii iſtud eſt paulò inanius cum unum & ſimplex thema comprehendat: Hoc Taciti eſt plenius, cum qvælibet periodus aliud thema conſtituat, ex qvo novæ ſublimesqve argutiæ naſcuntur. Iſtius materia magis eſt pathetica, hujus verò politica, qvæ inſcriptiones reddit minus teneras, ſed magis graves. Illud ferè ſemper in una *oppoſitionis* ſuperficiariæ figura ludit, hujus oppoſitiones *laconiſmo* ſuſtinentur, qvo ad hiſtorias adeò remotas alluditur, ut qvælibet vox integrum Commentarium reqvireret. Illud deniqve numerum habet molliorem & rotundiorem: hoc duriorem magisqve abruptum. Unde etſi dictio Ciceronis orationes magis ornet, hæc tamen Taciti inſcriptiones potius commendat. Inter *orationes enim & inſcriptiones* eadem intercedit differentia, qvam (291.) autor noſter reperit inter Oratorium ſtylum & hiſtoricum, ex qvibus illum vocavit *concertativum*, hunc *exqviſitum*. Hinc adeo notabis hodiernos elogiorum & inſcriptionum conditores, dum phraſin æmulantur Tullianam, acumen obtundere ſententiarum. Et contra (292) ſi populo de cathedra recitares illas inſcriptiones, qvæ lectu ſunt jucundiſſimæ, aures auditorum raderes & urbanitates viderentur ruſticæ. Ut de me dicam, alterum hunc ſtylum, utpote ad legendum aptiorem, in elogiis Cæſareis prætuli, qvanqvam mirum

(291) Non enim eadem eſt hiſtorica locutio & concertativa Ar. 3. Rh. 12.

(292) Ar. ibib. Cum conferuntur Hiſtorici quidē in certaminibus anguſti, oratores autem boni cum leguntur agreſtes videntur.

rum non ſit, ſi ſtylus utpote adoleſcentis ætatem redoleat, ſitqve vividior qvam ſolidior.

Has itaqve duas inſcriptiones pro ideis & exemplis INGENIOSARUM & ARGUTIARUM ex omni antiqvitate propono, qvomodo ſupra ideas *elegantium & rotundarum* inſcriptionum commonſtravi. Unde intelligere licet inſcriptiones ingenioſas eſſe eas, qvæ ſententiam in *Metaphora qvadam* ponunt, eiqve *animadverſiones & conſecutiones admirabiles* ſuperſtruunt. Etiamſi verò iis uſurus decorum debeat reſpicere: is tamen qvi ingenium exercet, poëticas audacesq; condere poterit. Facilius enim ab eo qvod nimium eſt, ad mediocritatem revocatur ingenium, qvam ab eo qvod parum eſt, ad mediocritatem attollitur. Ut taceam *epigrammata* non eſſe niſi inſcriptiones ingenioſas metro devinctas.

Qvare inſcriptionem illam arcus triumphalis, qvæ apud nos Auguſtæ Prætoriæ extat, qvam ideam *ſimplicis* ſed *graviſſima* inſcriptionis dignam & ſenatu & Auguſto ſupra laudavi, aſſumas, & omiſſis honorum titulis *ſubſtantiam* id eſt, themą conſideres:

IMPERATORI CÆSARI &c. S. P. Q. R. QVOD EJUS DUCTU AUSPICIISQVE GENTES ALPINÆ OMNES, QVÆ A MARI SUPERO AD INFERUM PERTINEBANT, SUB IMPERIUM POPULI ROMANI REDACTÆ SUNT.

In hanc *ſententiam* ſeu hoc thema mille modis argutè licebit ludere, in plura ſcilicet themata particularia illud dividens & animadverſionem aliqvam ex figuris ingenioſis unicuiqve accommodans, qvales exempli cauſa currente calamo tibi indicabo, ut earum occaſione acutiores mediteris. Sit igitur primum *thema:*

AUGUSTUS ALPINOS OMNES EXPUGNAVIT.

Huic explicando habes ecce has animadverſiones

Imperatori Cæſari, Senatus Populusq; Romanus. Qvod Italia jugulum, catenatis armis obſtrictum expediit: totamq; Italiam emancipavit. — Metaph. Proportionis.

Qvod gentes omnes cæcis Alpium latebris profundiſſimè obſtru- — Hyperb.

abſtruſas, Cæſaris haſta deprehendit: inferos quoq; Manes perſcrutatura: ſi populi Romani Hoſtes occiderent.

Qvod uni populo Romano, Alpini populi omnes, qvos Natura robore inſtruxit, nivibus ſepſit, ferro amavit, tot arcibus, qvot montibus vallavit, momento ſuccubuerint. Ut reliqvi mortales ſibi diffidant, cum mortalium bellicoſiſſimos defendere natura univerſa non potuerit. Hypotyp.

Cerne qvos qvibus in montibus Auguſtus debellavit: citra fabulam dixeris, Titanas ab Jove fulminatos. Atqve ſic per alias figuras ingenioſas arguta enthymemata invenire poteris. Nunc aliud thema formetur: Hypotyp.

IN ALPIBUS TRIUMPHALIS ARCUS ERIGITUR. Oppoſitio.

Ut Romana victoria nihil eſſet impervium, S. P. Q. R. ubi Italiam Natura clauſit, portum aperuit. Metaph. Proport.

Qvod bello univerſi orbis incendia, Nivibus Alpinis extincta ſint: Auguſtus uno tempore, Alpes aperit, & Janum claudit. Oppoſitio.

Ineluctabilibus Alpium clauſtris præfocata, hoc patefacto ſpiraculo, Italia reſpiravit. Hypotyp.

Hac eadem porta Bellum abiit, ut Auguſtus intravit. Oppoſitio.

Auguſtus ſuperbis Alpium jugis jugum impoſuit; ut exteræ Nationes omnes, Italiam ingredi ne poſſint, qvin colla ſubmittant. Æqvivocum.

Qvi molem hanc Alpibus ingesſit, Cælum aggredi poterat; niſi cum jove imperium diviſiſſet. Hyperb.

Poſtqvam ſaxea hac moles Alpium fauces ſuffocavit, oblatrare Romano Imperio deſierunt. Hypotyp.

Ecce aliud thema:

AUGUSTUS FERRO ATQVE IGNI ALPES EFFODIT. Laconis.

Qvid contra Auguſtum ſtabit? Alpes ceciderunt.

Cæſaris victoria, cæſis Alpibus naſci debuit. Æqviv.

Auguſtus Alpes depresſit; ut montium altiſſimi ſe Capitolio minores faterentur. Hyperb.

Romam metuat qvicqvid aſſurgit. Lacon.

Augu-

Digitized by Google

Hypotyp. *Auguſtus terrarum tremor, Alpes invertit.*

Hypotyp. *Contra ſeſe Alpes rebellarunt. Nam ferrum qvo eviſcerarentur nullibi erat, niſi ipſa dediſſent.*

Met. Attrib. *Avia cæteris avibus juga, Romanis aqvilis Cæſar complanavit.*

Hypotyp. *Diſcant ſuperbi Auguſto cedere: cui montes accidunt.*

Metaph. Attrib. *Sua qvoq; fulmina Romana miniſtrat Aqvila. Hoc etiam diriora: qvod Jupiter turres, Auguſtus montes evertit.*

Oppoſitio. *Annibale glorioſior Auguſtus: qvod unas ille Alpes aperuit, hic omnes: ibi gloria claritatem adeptus, ubi Annibal lucem amiſit.*

Sit aliud thema:

Metaph. Proport. EX ALPIUM RUINA TRIUMPHALIS EXTRUCTA MOLES.

Proport. Hyperb. *Hem qvantum ab Auguſto vinci profuerit, cum devicti montes, ſua ipſi viſcera, ut victoris monumentum attolleretur, impenderint.*

Hyperb. *Dum Cæſar eviſceratis Alpibus, molem erigit: inferi ſimul, & Superi trepidarunt.*

Oppoſit. *Senatus, Populusqve Romanus. Ut ſuis montibus nudati populi, agnoſcant tàm eſſe facile Romanis, montes auferre, qvam transferre.*

Oppoſit. *Surgere non poterat capax Auguſti arcus, niſi Alpes procumberent.*

Novum Thema:

ALPINORUM ARMA, TRIUMPHALI FASTIGIO IMPOSITA.

Hypotyp. *Docent hæc ſpolia, Naturam non alio conſilio Montes extuliſſe, qvam ut Romanorum Trophæa longius conſpicerentur.*

Lacon. *Hæc de Alpinis ſpolia; timete cæteri.*

Hyperb. *Senatus Populusqve Romanus Alpinarum Spolia Cælo oſtentavit: ut Superis qvoqve minaretur, ſi Cæſari reſtitiſſent.*

Hic,

Digitized by Google

Hic arcus, Orbe devicto, in Cœlum arma jaculatur. *Æqviv.*

Auguſtus arma Alpium medullis fabricata, Alpibus reſtituit: ut exarmata hoſtium temeritas ſuismet armis terreatur. *Hypotyp.*

En Alpinorum Arma Cælo proxima, ut ſe agnoſcant populi, non contra Romanos, ſed contra Superos dimicare. *Hyperb.*

Hæ Alpinorum Arma in Trophæorum congeſta faſces; cæperunt excelſa eſſe, cum ante Cæſarem ceciderunt. *Oppoſitio & Decep.*

Spoliari ambiunt, qui contra Romanos armantur. *Lacon.*

Aliud Thema ſit hoc:

ALPINÆ MOLI AUGUSTI NOMEN INSCRIBITUR.

In Occidua Italiæ Plaga Triumphalis ſiſtitur Arcus: Ut diurna lucis arbiter Sol, ante Cæſaris Trophæa qvotidie procumbens, ſuos in ipſius nomine radios extingvat. *Hypotyp.*

Nulla minor Moles tanto Nomini ſuffeciſſet: neqve ſatis extolli poterat Auguſti nomen, niſi Alpes deprimerentur. *Lacon. Oppoſitio.*

Senatus Populusqve Romanus: ut qvamdiu Alpes ſtarent, Auguſti Nomen conſiſteret. *Hypotyp.*

Olim à Panino Annibale cognominati montes, felicius ab Auguſto nomen accipiunt: unum enim Auguſti nomen, Alpium anguſtias impune poterat patefacere. *Æqviv.*

Altius Auguſti nomen extuliſſet S. P. Q. R. ſi altius Fama volare poſſet. S. P. Q. R. Ut qvantus fuerit Auguſtus, poſteritas ex baſi metiatur. *Met. Attrib. Hypotyp.*

Dubito molem ſuſtineat, an ſuſtineatur Auguſti nomen: ſanè ſi cæteris Romanorum molibus hac ſuperſtruit; Nominis miraculum fuit. *Hyperb.*

Qvantum ſit Auguſti Nomen, expende: Alpes depresſit. *Lacon.*

Ultimum Thema:

DEVICTARUM GENTIUM NOMINA, SUB AUGUSTI NOMINE LEGUNTUR.

Lege devictarum Gentium nomina: velocius vinci potuere, qvam ſcribi: nec mitiores fuere vultus, qvam Vocabula. *Hyperb.*

Decept. *Gratulor vobis Alpini populi; qvos Romana beneficentia illuſtri donavit ſervitute. Delituiſſent veſtra Nomina; niſi omnia Victor è latebris in lucem produxiſſet. Nihil ut vobis aqve profuerit, qvam debellari.*

Hypotyp. *Nova Triumphi pompa; Triumphatorum nomina in Cœlum*
Hypotyp. *rapere. Vivent ſub Auguſti Nomine veſtra Nomina communi Fornice excepta: ut ambiguum ſit vosne Triumphator premat, an promat.*

Felices Victi: qvi cum Victore, in eodem arcu, de Morte atq; oblivione triumpharunt. Age nunc & ipſe periculum fac ut ſubtiliora adhuc & vividiora enthymemata de eodem *themate* excogites: vel uno reperto mille alia ſe aperient.

Sed ingenioſæ iſtæ argutiæ majori licentia in certo genere inſcriptionum, qvæ animi vel oſtentationis cauſa feſtivis & amœnis rebus inſcribuntur, uſurpari poſſunt. Cum enim *themata* ita concipiantur, ut vehementer ſint admirabilia: permiſſum qvoqve eſt excedere limites præcipuè in *Metaphoris*, *hyperbolis* ſignificantibus, *hypotypoſibus*, *oppoſitis*, *& alliterationibus*. Exempli cauſa, qvatuor inſcriptiunculas à me compoſitas & inter ignium artificioſorum repræſentationes in feſtivitate ob natum principem Hiſpaniarum à me exhibitas in medium afferam, annotatis ad marginem figuris, unde argutiæ ſunt ductæ. Si qvis moroſior meis me exemplis uti reprehendat huic idem qvod Autor Rhetoricorum ad Herennium in eadem re judicat, reſpondeo. Ut taceam, ſi aliena in hoc genere exempla in promtu eſſent, libenter meis me parciturum fuiſſe. Præcipuum argumentum ſpectaculi feceram MONTEM ÆTNAM, in cujus officina novo Achilli Vulcanus arma fabricabat, cujus inventionis fundamentum erant duo verſus Torqvati Taſſi in nativitatem magni Principis pariter cantati;

Già Mongibel rimbomba: & sù le incudi,
Già ti fan l' armi i gran Giganti ignudi.

In limine officinæ ubi præſente Thetide Vulcanus cum Cyclopibus arma fabricabant, hæc inſcriptio præcipuum argumentum indicabat:

Ut

Digitized by Google

Ut novo Achilli
Fatalia procudas arma
Rapaces Phrygiæ Tyrannos triumphatura.
Tibi Vulcane ignipotens
Sollicita ſupplicat Thetys:
Novamqve Ætnam flammis fœtam
Novis tonantem Cyclopibus
Erigit.

Facilè apparet argutias hujus inſcriptionis in Metaphora illa, qvam *à ſpecie ad ſpeciem* vocamus poſitas eſſe, videlicet à *natali Achillis* ad *natalem Principis*, qvæ poſtea fit allegoria continuata, nimirum in *armis Achillis*, *in officina Vulcani*, in *ignibus* fabricatis, in *Phrygibus*, h. e. Turcis, contra qvos parabantur arma. Sic igitur figuræ omnes, emblemata, ſymbola inſcriptiones in luminoſo hoc theatro ad thema illud reſpiciebant, *gaudia* nimirum *natalitia ſymbolo ignium artificioſorum repræſentata*; qvod præcipuè indicant qvatuor inſcriptiones angulares impoſita qvatuor eminentibus Stylobatis:

Prima Inſcriptio.

Hoſpes, qvam ſpectas molem
Penſilibus florentem flammis: *Hypotyp.*
Nova eſt Ætna;
Clarandis Regum natalibus nata. *Metaph. Proport.*
Miraris Auſtriæ fortunæ novos naſci montes, *Oppoſi. & Hyperb.*
Cui novi naſcuntur mundi?
Plus eſt optimum naſci Regem, qvam montem
Majus qviddam mirabere.
Nam ſuis ignibus interitura naſcitur Ætna. *Oppoſitio Met. Proport.*
Eadem ſibi Pyra erit & pyrauſta.

 Nec

Digitized by Google

Nec tamen dolet.
Æquiv. *Qvippe lætitiæ flammis immori, non eſt mori,*
Frigida ipſa bruma
Æquiv. *In Rogali flamma Regalem ardorem ſentit.*
Deniqve orbis univerſus
Dulces in flammas liqveſceret,
Hypotyp. *Niſi regnaturo vivere juberetur.*
Apage Invide:
Æquiv. *Hanc ad flammam ni cales,*
Adamas es, non adamans.

Secunda Inſcriptio.

Hyperb. *Tibi Philippe Ter Maxime,*
Hypotyp. *Genialem Auguſtæ Sobolis felicitatem*
Hypotyp. *Terrarum orbis gratulatur*
Senſit depondere ipſo tellus
Auſtriacæ ſtirpis auctarium, magnam animam
Hinc natalitiis pro facibus
Flammigerantes evibrat Scopulos:
Hypotyp. *Et Excæcandæ Invidiæ, fumiferos intentat globos;*
Metaph. *Crede; mentiri Tellus neſcit*
Proport. *Qvæ conſcias amoris Flammas*
Synceris è montibus expectorat;
Et incluſa dudum ſuſpiria
Hypotyp. *E ruinarum ſpiramentis excludit.*

Itaqve

Itaqve ut ſoſpitalia referat in Cœlum vota,
Diligentiſſimum nuncium delegat, flammam: Hypotyp.
Qva vocali fremitu, eloqventibus lingvis,
Noſtrorum pectorum amores teſtatur.
Qvanqvam ſi qveat ignis expendi;
Ætna favilla eſt Hyperb. & Oppoſi.
Ignis friget.

Tertia Inſcriptio.

Naſcere Heroum Heres feliciſſime:
Magni Solis Heſperus, Magnæ Heſperiæ Sol: Æqviv. Oppoſit.
Regalis domus Columen & Culmen:
Avis decorus, avorum decus:
Tam omnibus clarus, qvam charus: Æqviv.
Non tu exili Fama tuba Oppoſitio.
Sed flammigenis Montium Bombis reſonandus, Æqviv. Hyperb.
Alicubi naſceris, ubiqve noſceris. Æqviv.
Jam tota Inſubria in montem aſſurgens, Hypotyp.
Tibi attremit, tibi ardet: & Met. Proport.
Vibratisq; ſideribus candidum ſignans Natalem,
Regale tuum nomen
Aureis flammarum pennis inſcribit Cœlo:
Jam Senatus Populusq; Mediolanenſis
Per te ſollicitus eſſe deſinens Lacon. &
Pro te ſollicitus eſſe incipit. Oppoſitio.

Metaph. *Itaqve ad illuſtrem Aram hanc fidei teſtem*
Hypotyp. *Expiabili flamma Votum firmante;*
Æquiv. *Tot tibi perpetes Annos annuit;*
& Hyper. *Qvot præpetes fulgurum fulgores*
Iſto ex monte coruſcabit.

Qvarta Inſcriptio.

Alludens ad Montem Ætnam, qvi cum nivibus tectus ſit, in flammas erumpit.

Cerne Viator
Hypot. *Rerum omnium rarum omen.*
Æquiv.
Oppoſitio. *Tandem luctantia elementa, luctas dediſcunt.*
Hic arcano fœdere,
Oppoſitio. *Ver hyemat in Nive, Hyems vernat in flamma;*
Æquiv. *Et fulmina fulminibus convivunt.*
Ac nec Cælo invideat Tellus;
Oppoſitio *Hic videbis perdia ſydera & pernoctes Soles,*
& Met. *Gregatim, ſparſimq; proſerpentes,*
Proport. *Illuminam noctem illuminare;*
Æquiv. *Et lucifugas fugare curas.*
Hypotyp. *Dixeris è monte Cælum naſci.*
Hyperb. *Hinc ſideribus cognatos cernes Cometas,*
Metaph. *Regnis, Regibus, Populis*
& Hypot. *Non lethalia, ſed læta omina deferre:*
Æquiv. *Qvi aureo tractu fulgentes, fugientes,*

Abi-

Digitized by Google

Abibunt, Obibunt:
Aureumqve in imbrem recident.
Hæc ſi aſpexeris, dices;
Aut Jupiter naſcitur; aut Mars perit; Oppoſit.
Aut utrumqve.

In his exemplis animadvertis, qvanta hoc genus inſcriptionum feſtarum & animi cauſa fictarum licentia recipiat figuras ingenioſas. Qvin etſi unam tantum in uno membro figuram notatam vides, nihilominus attentius conſideranti tres qvatuorve figuræ ſimul complicatæ apparebunt, ita ut unum membrum pluribus figuris illuſtretur veluti hoc: *Magni Solis Heſperus, Magnæ Heſperiæ Sol.* Ubi primum obſervas duplicem Metaphoram PROPORTIONIS, qva Regius infans *Sol* dicitur reſpectu regni natalibus ipſius illuſtrati, *Heſperus* vero reſpectu Patris, tanqvam ſtella ſolem ſubſeqvens. Poſtea apparet OPPOSITUM in vocum inverſione & contrapoſitione, ÆQVIVOCUM in voce *Heſperia* Hiſpaniæ, Italiæ & ſtellæ communi, & LACONISMUS in tacita alluſione ad publicam ſpem turbulentisſimis illis, qvæ tunc erant, temporibus.

Sed qvoniam argumentum interdum reqviret, ut inſcriptio metro illigetur, ſi thema adeò ſuccinctum ſit, ut diſticho explicari poſſit, dubium nullum eſt, qvin hoc perſpicuè argutèqve conceptum præ aliis metris placiturum ſit. Verſus enim Heroicus cum Lyrico mixtus ſcriptum reddit populare & medii generis. Tale eſt diſtichon ſtatuæ crudeliſſimi Imperatoris ſubſcriptum:

Qvis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Item hoc Didonis imagini ſubſcriptum:

Infelix Dido! nulli bene nupta marito,
Hoc pereunte fugis: hoc fugiente peris.

Et hoc Epitaphium catuli Corinnæ:

Latratu fures, excepi mutus amantes,
Sic placui Domino, ſic placui Dominæ.

Et hoc apud Ovidium:

Phyllida Demophoon letho dedit hoſpes amantem:
Ille necis cauſam præbuit, illa manum.

Cum enim fidem feſelliſſet, illa ſibi manus intulit. Eâdem ratione idem Ovidius epitaphium Didonis concepit duabus animadverſionibus ſuperſtructum:

Præbuit Æneas & cauſam mortis & enſem:
Ipſa ſua Dido concidit uſa manu.

Qvæ inſcriptiones pro exemplo conciſarum & argutarum ſervire poterunt, cum unaqvæqve ſub ornatu contrapoſiti vividam alluſionem contineat, eamqve adeò præciſè conceptam, ut ne verbulum qvidem, vel demere, vel adjicere, vel mutare liceat. At ſi thema hos fines excedat & ad decem duodecimve porrigatur verſus: Jambos adhibeas ſvadeo, qvi qvantum ad metrum (qvod antea monui) qvamproximè (293.) accedunt ad familiarem ſermonem, & inter verſum & proſam veluti medii ſunt. Sed ex altera parte idem verſus epitheta admittit tanta gratiâ, ut in graviſſimis materiis eundem magno pondere & majeſtate incedere videas, veluti hi:

(293.) *Ar. 3. Rh. 8. Jambicus ipſa oratio multorum eſt, idcirco ex omnibus metris jambica ex tempore maximè dicunt.*

Jam nocte pulſa dubius effulſit dies
Et nube mæſtum ſqvalida exoritur jubar
Lumenqve flamma triſte luctifica gerens, &c.

Qvin menſuram qvoqve & numerum inſcriptionum ſolutarum eum eſſe optimum ſenties, qvi plurimum ex jambis trahit. Qvod obſervavi in Inſcriptionibus, qvas juſſu Magni Caroli Emanuelis, Principis noſtri, explicandis tabulis in magno atrio rivulorum diſpoſitis compoſui. Miraculum certè picturæ, ubi doctiſſimi Europæ penicilli inter ſe certarunt, ut heroicum maximè argumentum, qvod in Annalibus Principalis hujus domus proditum eſt, exprimerent, videlicet Rhodum adverſus Turcas & Saracenos ab Amedæo IV. Sabaudo, qvi inſignia & nomen Magni hinc retulit, defenſam. In cujus perpetuam memoriam Amedeus V. cognomine Viridis, ordinem Eqveſtrem inſtituit annunciationis, qvo ſcilicet die feſto prælium iſtud & victoria contigit.

Sicut igitur thema tam erat copioſum, qvam anguſtum cujusqve

Digitized by Google

qve inſcriptionis ſpatium ad qvatuor verſus modo reſtrictum: ſic imitandus mihi erat Gorgias, qvi periodis verſuum æmulis auditores detinebat & decipiebat. Unde adhæſi metro jambico, ſed ea libertate, ut narratio & ſubjecta animadverſio poëtis videretur oratio proſa & proſæ ſcriptoribus ligata. In prima tabula exhibetur Amedeus cum eqvitibus ſuis è portu ſolvens, ut Rhodo ſuccurreret vexillo uſus crucis candidæ. Inſcriptio eſt hæc.

Solvit auſpicato nobilis heroum claſſis
Pro ſidere crucem, vota pro ventis ſeqvens
Spera Ottomannis clauſa navigiis Rhodos;
Hoc victa ſole Thracia hebeſcet luna.

Altera tabula repræſentabat Rhodiorum ducem à Turcis occiſum & eqvites occiſi chlamydem Amedæo offerentes adjectis precibus, ut locum illius occuparet.

Dextris læva principiis Rhodium principem ſagitta necat.
Supplicat Amedæo crucifera enecti chlamys.
Non ille Viduæ crucis moratur preces;
Periculoſi ſtemmata imperii capit.

In tertia conſpiciebatur navale prælium, in qvo Amedæus ſua manu Turcicæ claſſis Præfectum occidit.

Dum fervet maritimo Marte pelagus,
Impia Ducem pia Dux claſſis mactat Amedæus:
Palpitat orbata capite impietas ferox:
Rhodum nutantem virtus unius tenet.

Alludit ad verbũ ordinis: *fortitudo ejus Rhodum tenuit.*

In qvarta claſſis victrix naves & captivos Rhodum reducit:

Fama volatum velis anticipans victor
Suis ligatam rudentibus Aſiam remulco trahit.

Suis natat barbaries incluſa ergaſtulis:
Rhodiosq́ portus, qvos male cupiit, timet.

In qvinta Eqvites gratias Amedæo agunt, eumq́ve coronant:

Metu liber ſtupore captus eqvitum ordo
Gratiis atq́ oſculis vindicem cumulat dextram
Huic ſervatricis præmium aſſeritur frondis:
Et qvi tot palmas dederat, laurum accipit.

In ſexta Amedæi triumphus Rhodi actus repræſentatur:

Agitur triumphus: pars pompæ eſt hoſtium ſqvalor
Vultusq́ truces. Qvod qvisq́ timuit, ridet.
Radiat ſuperbo magnus è curru victor,
Novum læta ſolem miratur Rhodos.

Alluditur ad coloſſum ſolis.

In ſeptima Amedæus terra dimicat contra Saracenos:

Fœcunda laurus lauros, victoria victorias parit:
Semelq́ madidus neſcit abſtergi mucro
Reducta pelago præda terris prædones venatur,
Et crucis hoſtes hoſtiliter cruciat.

In octava Amedæus Regem Saracenorum occidit:

Per nubes telorum fulgurat Amedæi ferrum,
Et ritu fulminis alta robuſtius qvaſſans,
De tot barbaris Principem Saracenum petit:
Exinde Rhodiis reddita eſt ſerenitas.

Alluditur ad proverbium de ſerenitate Rhodi.

In nona eqvites rogant Amadæum, ut loco Aqvilæ candidam crucem inſignibus ſuis inſerat, in æternum victoriæ teſtimonium, qvod is renuit, niſi Imperator conſentiat.

Ni

Ni Cæſar annuat abnuit præmii ergo
Defenſæ crucis ſchemate mutare Aqvilam,
Qvam gloriæ auſpicem Beroldo aſtruxit Cæſar.
Tanta eſt magnanimo in pectore modeſtia.

In poſtrema Amedæus imperatoris conceſſu candidam crucem in campo purpureo pro inſigni aſſumit:

Probante Auguſto grande argumentum capit.
Servatum crucis candorem cruento inſerens clypeo.
Heros gladio MAGNUS, nec clypeo minor.
Nam qvid effecerit gladius, clypeus docet.

Alludit ad cognomen Magni.

En, Lector ingenioſe, qvomodo ab octo fontibus *figurarum ingenioſarum* proficiſcatur, qvicqvid in omni oratione ſeu *dicta* ſeu *ſcripta* arguti & ſententioſi elucet. Reſtat, ut breviter commonſtrem, qvomodo ex iisdem figuris naſcantur argutiæ omnium ſymbolorum. Sit itaqve poſtremum caput

TRANSITUS
AB ARGUTIIS VERBORUM AD ARCUTIAS SYMBOLORUM IN FIGURA AUT FACTIS.
CAP. XXIII.

EX ſuperioribus recordamur idem argumentum, DIVERSORUM INSTRUMENTORUM videlicet *vocis* vel *actionis* imitatione expreſſum, diverſa poëſeos genera conſtituere, videlicet *Ethicum & Mimicum*: qvod

Digitized by Google

ex autore noſtro (294.) ſub initium hujus operis declaravi. *Sacrificium Iphigeniæ* ab Homero cantatum *poëma* eſt: ab Euripide in Scena repræſentatum eſt *tragœdia*. Hinc adeò demonſtravi, unam eandemqve METAPHORAM, qvæ alia non eſt, niſi *poëtica imitatio*, repræſentari poſſe, aut *verbis*, aut *rebus*, aut *actionibus animatis*. Martialis Domitianum adulatoriè vocat HERCULEM, ſignificaturus eum eſſe domitorem hoſtium, ut Hercules erat monſtrorum. Et hæc erat Metaphora in verbo poſita. Eâdem Metaphorâ Domitianus ſe ipſum laudavit ſtatuæ Herculis capite adempto & ſui capitis imagine repoſitâ. Et hæc erat Metaphora *in factis & objecto* ſed inanimi poſita. Utraqve eandem ſententiam indicabat: *Domitianus eſt qvidam Hercules*. Qvod ſi idem Domitianus nudus cum leonis exuviis & clava in ludis comparuiſſet, monſtra oppugnaturus: hæc *metaphora* fuiſſet *in objecto*, ſed animato & actuoſo poſita, qvæ ſpectatoribus fuiſſet jucundior.

(294) Ar. Poët. c. 1. tribus autem differunt inter ſe, aut quod genere diverſis imitantur, aut quod res diverſas, aut quod modo diverſo &c.

Dico amplius metaphoram qvamlibet *in objecto vel actione* poſitam allegoricâ qvadam continuatione reddi poſſe figuram propoſitionis & enthymematis arguti, non aliter ac de *figuris verborum* eſt dictum. Qva ratione ſi qvis ſtatuæ Domitiani in Herculem mutatæ colum & fuſum appoſuiſſet, confeciſſet integram hanc propoſitionem: *Eſt Domitianus qvidem Hercules, ſed effæminatus & talis, qvalis inter ancillas Omphales Regina Lydiorum colum & fuſum duxit.*

Porrò ſicuti argutiarum verbalium aliæ ſunt *graves* aliæ *ridiculæ*: ſic in *factorum & rerum* argutiis eadem neceſſariò locum habebit differentia. Nam ſi Romani truncatæ Domitiani ſtatuæ *caput aſininum* impoſuiſſent; hæc metaphora fuiſſet *facto ridiculâ*, cum materia ſit vilis & ignobilis. Unde Ægyptii ſtultum & imperitum repræſentaturi *corpus humanum capite aſinino* pingebant. Sic ex picturis & ſculpturis, ut (295.) autor noſter admonet, *ridiculæ* à gravibus diſtingvuntur vilitate & deformitate objectorum. Unde picturæ Polignoti erant *graviſſimæ*, utpote qvi heroes & divinitates pingebant: Pauſonis imagines erant *ridiculæ*, utpote rerum vilium & deformium, qvales erant qvoqve Ludii picturæ. Eadem ratione tragædia eſt *gravis & ſeria*, qvæ mores & actiones *heroicas* imitatur, comœdia verò *ridicula*, qvæ mores actionesqve *humiles & ſerviles* exprimit.

(295) Ar. Poët. 1. neceſſe eſt meliores vel ſimiles, vel pejores imitari, Polignotus qvidem meliores, Pauſon deteriores, Dionyſius vero ſimiles effingebat. Ex qvo facile apparet imitationum poëticarum unamqvamqve tales differentias ſortiri,

Sic

Sic in Epicis Homerus in Achille *heroicas*, in Margite *ridiculas* actiones exhibuit.

Deniqve qvæ de Metaphora in factis dico, eadem de omnibus octo *figuris ingenioſis* accipienda ſunt, atqve adeò ſecundum novam hanc obſervationem ſtatuendum, qvicqvid arguti lepidiqve in *picturis, ſculpturis, theatris, perſonatis ludis, &* in qvacunqve *re ſeu actione humana, naturali, divina* occurrit, id omne *harum figurarum* ex aliqva proficiſci.

Tragica & graviſſima PROPORTIONIS METAPHORA erat iſta Tarqvinii ſuperbi, qva nuntio filii ſui de civitate Gabiorum, qvo doloſe confugerat, conſilium petenti facto mentem ſuam aperuit. Nullo enim reſponſo dato in horto tantum inambulans virgâ *papaverum* capita, qvæ reliqvos flores eminebant, detruncabat, id ſcilicet innuens, *referte filio meo, ut capita Reipl. occidat: ſic noſtra erit civitas*. En! Metaphoram politicam in *facto* non verbis poſitam. Gravis itidem erat Metaphora proportionis in ſomnio Cyri, qvi tribus vicibus ſibi viſus eſt utrâqve manu comprehendere *ſolem*, qvo ſignificabatur *eum tribus decenniis imperaturum eſſe*. Et Aqvila, qvæ Galba ſacrificante *victima viſcera* in antiqvam & ruinoſam *qvercum* tranſtulit, ſignificavit, *eum ad imperium ſed admodum ſenem perventurum*. Sic tot aliæ *ſomniorum, animalium, & naturæ* ipſius argutiæ, aliqvo proportionis ſymbolo nituntur omnes. Unde interpretum peritia in metaphoræ ingenioſa evolutione erat poſita.

In eodem genere *ridicula* erat Metaphora Marchioniſſæ Montis Ferrati, qvæ ut erat prudens ac honeſtiſſima matrona, cum intelligeret Philippum Luſcum Regem Gallorum Italiam ingreſſum ad ſe diverſurum eſſe amore potius formæ ſuæ adductum qvam opportunitate itineris invitatum, excepit eum convivio multorum qvidem ciborum, multorumqve miſſuum, ſed qvi omnes ex *gallinis* variè conditis conſtabant, ſignificatura (ut ipſa declaravit) *qvod ad alias poſſet animum adjicere*. Utut enim mulieres habitu, honoribus, forma differant, omnes tamen ſunt mulieres. Sed Rex alio ſenſu Metaphoram interpretatus erat, putans, tot *gallinas* ſine *gallo* id velle, *nullas in iſto palatio gallinas eſſe pro Rege gallo*, qvomodo idem *ſymbolum* ad eundem *finem* ſed diverſa *Metaphora* trahebatur. Ridicula qvoqve fuit proportionis Metaphora, qva ſtudioſi qvidam do-

ctorem rudem nulliusqve exiſtimationis exceperunt. Aſinum enim cathedræ impoſuerant cum corpore juris Civilis, tanqvam ex eo aliqvid recitaret. Cum vero is Doctore ſcholam intrante rudere inciperet, ingenti riſu omnes corruerunt, qvod hoc aſini ruditu Doctor exactè repræſentari videretur.

Deniqve ab hac Metaphora leporem mutuantur omnes ludi perſonati ſeu graves ſeu ridiculi, qvi ſpeciem divinitatum aut animantium aſſumunt variis ſenſibus indicandis. Qvomodo Auguſtus extrema annonæ penuria cum duodecim convivis inſtar numinum veſtitis epulatus eſt, qvod populus mordaci interpretatione proſeqvebatur. Et Heliogabalus per urbem ſemper incedebat *Veneris* & *Floræ* habitu indutus, unde ex eadem allegoria ejus pravæ actiones rectè dici poterant FLORALIA, qvi ludi fuerunt turpi licentiâ deteſtandi. Huc deniqve reſpiciunt *repræſentationes theatri*, qvæ ſub priſcis fabulis recentia & nova exhibent, omnia item *ſymbola* tàm *communia* qvam *heroica* ſeu picta ſeu ſculpta, ſeu naturalia, qvorum ſignificatio ſimilitudine *ſpecierum* aut *generum* nititur.

Inter METAPHORAS ATTRIBUTIONIS qvæ ſententiam aliqvam per *ſigna*, *inſtrumenta* aut aliam *circumſtantiam* ſignificant, maxime ſeria & atrox fuit illa, qvæ Veſpaſiano mortem portendit, cum *Mauſoleum Cæſarum* per ſe repente aperiretur, tanqvam Cæſarem ad ſe vocaret. Ejusmodi metaphora fuit in *armis ſonum edentibus ſcutisq́* in templo *colliſis* paulo ante infelicem Spartanorum pugnam ad vicum Leuctricum. Item in exareſcentibus *arboribus* natis ex ramo lauri coronæ Cæſaris, qva ſignificabatur mors Neronis, in qvo Cæſarum familia extingvebatur. Tragica porro Metaphora *attributionis à parte ad totum* fuit iſta Tancredi Principis Salernitani, qvi filiæ in patina argentea miſit *cor* Gviſcardi, qvem ipſa furtivo amore complexa fuerat. Ipſa igitur in Allegoria hac perſiſtens, poſtqvam lacrymis ſuis cor illud laverat & millies deoſculata erat, illi incumbens ſe occidit, qva metaphora hoc ſignificabatur: *Gviſcardus eſt mortuus & ipſa cum eo moriar.*

E contrario ridicula *attributionis* metaphora erat iſta alterius Principis Salernitani, qvi in perſonato qvodam ludo ingens par *cornuum* in capite gerens apparuit, indicaturus hoc ornatu ſe apertè geſtare cornua, qvæ alii occultè gerant. Et hæc erat Metaphora Attributionis à parte ad totum: Cornua enim ſignificant illud animal,

qvod

Digitized by Google

qvod habet cornua. Sed cum Marcus Antonius *Caput* Ciceronis in roſtris proponeret, in qvibus ipſe tanta populi admiratione verba fecerat, unà cum *lingua* acubus transfixa & *dextra* capiti alligata, hæc qvidem ipſi metaphora erat ridicula, qvæ ſignificat: *jam qvidem ſilentium impoſui loqvaci illi Ciceroni, qvi Philippicis ſuis ex hoc loco me pupugit* Sed populo hæc erat metaphora nimis atrox & terribilis, qvi in truncatis illis membris Romanæ Eloqventiæ mortem deplorabat. *Solvit pectora omnium in lacrymas gemitusq́,* (ſcribit Cremutius Cordus) *viſa & ad caput ejus deligata manus dextra divina eloqventia miniſtra.*

Porrò ab hac figura gratiam acqvirunt ea ſymbola, qvorum *corpus* faciunt *gladii* aut *ſcuta*, qvæ ſignificant *vigilantiam: manus* qvæ *liberalitatem: flumina* qvæ *provincias*, *arma* qvæ familiarum *inſignia* denotant. *Coronæ* item & *ſceptra*, qvæ ſoliis & lectis regiis imponuntur & æqvali honore, ac ſi Rex ipſe adeſſet, afficiuntur. *Spolia*, *trophæa*, *palmæ*, *ſerta*, qvæ è columnis ſuſpenduntur, aut in faſtigiis arcuum triumphalium eriguntur, ut victis cladem exprobrent. Qvæ omnes ſunt metaphoræ graves, ſicuti riſus cauſa fiunt trophæa ex vilibus inſtrumentis, ut alibi diximus.

Deniqve ejusmodi Metaphoris alius pungitur & mordetur ne ore qvidem aperto. Veluti is, qvi *penulam* ſibi injiciebat, dum Muſicus cantaret, ut ſignificaret: *nunc rana cantat*, qvæ pluviam minatur. Et is, qvi ſegmenta *ungvium* alienorum collecta pedi ſuo impoſuit, ut indicaret, *tu es magna beſtia.*

Ex Metaphoris HOMONYMIÆ REALIBUS gravis & atrox erat iſta populi Romani, qvando cadaver *Tiberii*, qvod regio rogo concremandum fuerat, in *Tyberim* projecit, homonymia nominis ludens, opere nimirum ipſo ſententia eâdem expreſſa qvæ in vicis & plateis cantabatur: TIBERIUS IN TIBERIM. Ridicula autem fuit ejusdem populi in Neronem Metaphora, qvando ſtatuæ illius *currum agonalem* imponebat, qvo tempore ſæviſſima fame omnes conflictabantur, ut nimirum ſignificarent *ex negligenti Neronis imperio, qvi currus agitabat in circo, Romam in agone verſari.* Ridicula pariter erat iſta juvenis non ſatis ſani Metaphora, qvi *Carthaginem ex placentis confectam* dato tubis ſigno cum convivis oppugnabat, ut moras Scipionis Carthaginem obſidentis irrideret.

Et

Et hujus generis, ut ſuo loco docui, ſunt omnia ſymbola, qvæ hominem aliqvem ſignificant alterius rei, cui idem *nomen* eſt, adjumento, veluti *qvercus everſa*, qvæ mortem ſignificabat Papæ Julii ex domo Roverea, qvæ qvercum ſignificat. Et in priſcis ſymbolis *Leo*, qvi *Delphinum* diripit, qvo victoria Leonenſium de Delphino Viennenſium relata indicatur. Et *corvus* in monumento Rhetoris, qvo Magiſtro uſus fuerat Metellus, ut ſignificaret eum eſſe alterum *coracem* græcæ eloqventiæ Principem. Etſi Cicero illum ridens aliter id ſignum interpretabatur, ut diximus.

Secundum hanc figuram lepidiſſimæ evadunt qvædam actiones *tragicæ* aut *fabuloſæ & ridiculæ*, qvæ ſcilicet ex homonymia qvadam vel *veſtitus* vel *hominis* vel *perſonæ* oriuntur. Gravis erat iſta Pyladis & Oreſtis, Jovis item & Amphitruonis, ridicula verò iſta Reginæ Longobardorum qvæ cum auriga ſibi rem eſſe cognovit, qvi ad illam veſtitu mariti ſui Agilulphi acceſſerat. Item hæc Alberti qvi moniali perſvadens illam ab *angelo* amari, ſæpius tali forma ipſam inviſit. Unde ejus cognati cum aliqvando illum apud eam deprehendiſſent, eandem Metaphoram allegoricè perſeqventes melle ipſum oblinebant, & plumis volutatum populo in publico Venetiarum loco tanquam angelum ſylveſtrem oſtentarunt.

Deniqve picturæ omnes, ſculpturæ, imagines urbium, qvæ in triumpho ducuntur ſub hoc genere Metaphoræ *Homonymicæ* continentur, cum idem nomen habeant diverſa qvamvis ſubſtantia.

Venio ad Metaphoras HYPOTYPOSEOS in RE poſitæ, qvo pertinent ea omnia, qvæ ſingulari vi & motu, qvi vitam referre videtur, actionem qvandam repræſentant. Omnis *ſtatua* (ut antea dixi) eſt *Metaphora*: at ſi ſtatua actum qvendam vivida ratione exhibet veluti *automata*, qvæ ex ſe moventur & volant, aut ſaltant, erit hypotypoſis. Et hoc diſcrimen Plinius annotavit inter priſcas picturas, qvæ mortuæ videbantur, & recentiores, qvæ ſpiritu motuqve præditæ apparebant. Sic Achæi Philopœmeni poſuerunt ſtatuam Delphis æneam tali ſitu & actu, qvo lancea tyrannum Spartanum Macanida de ſella & vita dejecerat. Et *ſtatua* Junii Bruti poſita fuit in Capitolio pugionem tanta vi agitans, ut ſceleſtum Tarqvinii filium non ſine horrore ſpectantium trajecturus videre-

videretur. Et hæ erant Hypotypoſes ſeveræ ac graves. Contra ridiculæ hypotypoſes erant Ludii pictoris, qvi pingebat *ruſticas & ruſticos*; hos qvidem aſinum venantes, illas verò in terram procidentes, ut riſum excuteret adſtantibus.

Idem intelligendum eſt de *Hypotypoſi rerum animatarum*, qvalis fuit illa longè ſeveriſſima, qva uſus Fabius in ſenatu Carthaginenſi, *ſinum togæ* excutiens, tanqvam bellum in medium projiceret. Sic enim hiſtoricus: *Non ſine horrore quaſi pleno ſinu bella ferret, effudit.* Et hæc Neronis, qvi dum Roma conflagrabat, incendium Trojæ *Homeri* habitu cantabat. Et generatim *repræſentationes* (296.) *mimicæ*, qvæ geſtu, *mores & actiones heroicas*, aut etiam *ſerviles* exprimunt, omnes ſunt Metaphoræ *hypotypoſis reales.*

Sed ridicula maximè fuit hæc Ferondi Metaphora, qvi maritum qvendam Zelotypiæ malo liberaturus, in ſoporem datum tumulo inferri fecit, cumqve experrecto perſvaſiſſet eum mortuum eſſe & pœnis affligi ob Zelotypiam erga caſtiſſimam uxorem, facilè ab eo inpetravit, ut fidem daret, ſi in vitam redire contingeret, ſe nunqvam uxori moleſtum futurum. Qvare eum rurſus in ſoporem datum è tumulo protraxit & clamore excitatum veluti vitæ reddidit, ex qvo nec uxori, nec amicis poſtea gravis fuit.

(296) *Ar. Poët. l. In geſticulationis numeroſa varietate mores, perturbationes, actioneſq; imitantur.*

HYPERBOLE IN OPERE erat *Coloſſus* Rhodius, in ſeptem mundi miraculis numeratus. Item is, qvi à Staſicrate delineabatur, ut ex monte Atho fieret Alexandri ſtatua, qvæ dextra Urbem teneret, ſiniſtra flumen funderet, qvæ qvidem digna fuiſſet magno Alexandro ſtatua. Porrò *Atlas Cœlum ſuſtinens & Gigantes* cœlum oppugnantes, qvorum illo ſignificatur Regis alicujus prudentia, iſto temerariorum qvorundam ſtultitia, *hyperbolem realem* exhibent.

Contra ridicula *hyperbole* erat iſtius inſania, qvi imaginatus ſe in gigantem excreviſſe, caput dimittebat, qvoties ſub arcu Conſtantini tranſibat. Item hæc Xerxis, qvi *compedes* mari injiciebat, ut in captivitatem illud redigeret. Et *fabula* de vulpe, qvæ cum Leone ludens, ut ſaxum Athenas projiceret, mittebat qvi Trojanos admoneret, ut ſibi caverent.

Hyperbole imminuens erat iſta Sartoris, qvi pelle *ranæ* detracta pellioni dixit: *Accipe hanc pellem, atque inde mihi confice veſticulam pelliceam.* Et *minutiſſima* illa *artis opera*, qvæ videntur facta, ut artem

Digitized by Google

ipſam illudant, veluti *quadrigæ Mirmecidis & formica* Callicratis. Et generatim omnia *ſymbola & actiones* qvæ *hyperbolicum* aliqvid, ſeu ultra rem, ſeu citra ſignificant, ex hac figura deſcendunt, ut minitabundum illud donum, qvod barbarus Scythiæ Rex Dario miſit, videlicet *avem, ranam, & talpam* cum tribus *ſagittis* qvo ſignificabatur: *Vola inter nubes, aut mari te immerge, aut intra terram te abſconde, ubiqve ſagitta mea te aſſeqventur.* Sed hæc figura cum Laconiſmo conjuncta eſt, ad qvem nunc accedo.

LACONICA METAPHORA IN FACTO eſt, qvæ Symbolis vel actionibus abruptè & imperfectè aliqvid deſignantibus mentem ad integriorem magisqve reconditum ſenſum tranſmittit, ita ut intellectus ex *veſtigio*, qvod apparet, in illud ſe penetret, qvod non apparet, ut in exemplo paulo ante laudato, in qvo eſt *Laconiſmus gravis & ſerius*. *Gravem* qvoqve *Laconiſmum* voco illud Alexandri factum, qvi cum chariſſimo Hephæſtioni arcanas literas legendas tradidiſſet, annulum ori ejus impoſuit, id dicturus: *Cave ne cui aperias, quæ legiſti.*

Lepidus erat Laconiſmus Papæ Leonis X. qvi Alchymiſtæ librum de arte Chryſopœiias ſibi offerenti præmii loco *crumenam inanem* tradi juſſit: qvod idem erat ac ſi dixiſſet: *librum tuum inaniſſimum eſſe arbitror atqve adeò ars auri conficiendi opere non exhibita tantum mihi prodeſt, qvantum tibi crumena ſine argento.* Simili ferè joco Rex Cotys ei, qvi magna ſpe præmii *pardum* ipſi dederat, viciſſim donavit *Leonem*.

Qvod ſi *Laconiſmus* mentem ingenioſam traducit ad res præteritas aut remotas, vocatur *alluſio*, qvæ in Symbolis æqve jucunda eſt ac in verbis. Qvodcunqve enim Laconicè diceretur verbis, id oculis ſubjectum fit *Laconiſmus in factis.* Veluti ut in exemplo jam adhibito maneam, ſi hominem pingeres, qvi *cubito* naſum emungeret & *digitum* ori admoveret in ſilentii ſignum, hoc idem eſſet, ac qvod dictum eſt: *Tace tu, cujus pater ſe cubito emungebat.* Similem Laconiſmum etiam geſtu poteris facere. Hæc cauſa eſt, cur plurima *ſymbola* & inprimis *heroica* omnia vel multum vel parum ex hac figura trahant, qvoniam omnia veſtigio qvodam aut res in præteritas ducunt, aut futuras ſignificant. Hinc omnibus inſeritur *Laconiſmus* qvidam, qvem vocare licet *tranſcendentalem*. Qvod ſi in tabula

qvadam

qvadam pingeres ipſas *res geſtas bellicas*, non ſymbolum eſſet Laconicum, ſed ſimplex *hiſtoria*. Sic tumulo Archilochi inſculpta fuit apis, ut indicaretur *eum, qui iſtic ſitus erat, poëtam fuiſſe, qui valde & delectaſſet & pupugiſſet.* Eâdem ratione cùm qvidam in monumento magni Ducis bellici urnam conſpiceret marmoream, qvæ ut mos eſt architectorum duabus Harpyis ſuſtinebatur, ſtatim alluſionem reperit & *pulchrè*, inqvit, *ſymbolum huic convenit, qvi valde fuit rapax.*

METAPHORA OPPOSITORUM IN FACTIS eſt, qvæ *duo objecta* exhibet ſibi invicem ita reſpondentia, ut ſi illa verbis explicares, in verbis venuſtas eſſet oppoſitorum & anthitetorum. *Anthitetum in verbis* fuit iſtud ſervi fugitivi, qvi rogatus, cur aufugiſſet ab Hero ſuo Chio, reſpondit, qvia *cum BONA habeat, MALA qværit*, ſignificans herum eſſe avarum, qvi multa ex prædiis ſuis bona colligens, ad victum utilia melioraqve vina vendebat aliis, ipſe pane hordeaceo & aqva victitans. At ex hoc *anthiteto verborum* Alciatus fecit *contrapoſitum in factis* aſino picto, qvi onuſtus optimis cibis ſtramen comedebat. Similiter ſi diceres *Cæſar tàm calamo qvàm gladio invictus fuit*: eſſet *propoſitio anthiteto figurata.* Sin verò nummo Cæſaris inſculpas gladium pennæ illigatum, idem eſſet *contrapoſitum rebus ipſis* repræſentatum.

Idem hoc in *actionibus* locum habet, ubi alterum alteri opponitur. Sicuti igitur dictum Senecæ: VICIMUS VICTI PHRYGES, argutia eſt verbalis ex *oppoſito & anthiteſi*: ſic Attila victor, ut diximus, picturam Mediolani, ubi barbari Reges ſub pedibus Romanorum jacebant, deleri fecit, & Romanos pingere Regum barbarorum pedibus ſubſtratos. Atqve hæc erat anthitheſis picturæ.

Hinc obſervare licet illos caſus humanos hominum curioſitatem jucundiſſimè alere, in qvibus eventus occurrunt, qvi inſtar habent contrapoſitorum & *anthiteſium in facto.* Ejuſmodi ſunt probatiſſima tragœdiarum argumenta, in qvibus *cataſtrophe* ſeu converſio incidit, è ſumma *felicitate* in ſummam *miſeriam*, aut viceverſa, qvæ eſt *anthiteſis fortunæ*, ut Belliſarii à triumphis ad mendicitatem redacti. Sic anthitheſis eſt, ſi qvis ea mala patiatur, qvæ alteri intulit. Sicut igitur anthitheſi verborum Seneca de damnatis dixit: QVOD QVISQVE FECIT PATITUR: Sic Perillus, qvi invenerat taurum æneum ad reos torqvendos, primus ipſe in eo tortus fuit,

Iiii 2 unde

ipſam illudant, veluti *quadriga Mirmecidis & formica* Callicratis. Et generatim omnia *ſymbola & actiones* qvæ *hyperbolicum* aliqvid, ſeu ultra rem, ſeu citra ſignificant, ex hac figura deſcendunt, ut minitabundum illud donum, qvod barbarus Scythiæ Rex Dario miſit, videlicet *avem, ranam, & talpam* cum tribus *ſagittis* qvo ſignificabatur: *Vola inter nubes, aut mari te immerge, aut intra terram te abſconde, ubique ſagitta meæ te aſſeqventur.* Sed hæc figura cum Laconiſmo conjuncta eſt, ad qvem nunc accedo.

LACONICA METAPHORA IN FACTO eſt, qvæ Symbolis vel actionibus abruptè & imperfectè aliqvid deſignantibus mentem ad integriorem magisqve reconditum ſenſum transmittit, ita ut intellectus ex *veſtigio*, qvod apparet, in illud ſe penetret, qvod non apparet, ut in exemplo paulo ante laudato, in qvo eſt *Laconiſmus gravis & ſerius.* *Gravem* qvoqve *Laconiſmum* voco illud Alexandri factum, qvi cum chariſſimo Hephæſtioni arcanas literas legendas tradidiſſet, annulum ori ejus impoſuit, id dicturus: *Cave ne cui aperias, qvæ legiſti.*

Lepidus erat Laconiſmus Papæ Leonis X. qvi Alchymiſtæ librum de arte Chryſopoeiias ſibi offerenti præmii loco *crumenam inanem* tradi juſſit: qvod idem erat ac ſi dixiſſet: *librum tuum inaniſſimum eſſe arbitror atqve adeò ars auri conficiendi opere non exhibita tantum mihi prodeſt, quantum tibi crumena ſine argento.* Simili ferè joco Rex Cotys ei, qvi magna ſpe præmii *pardum* ipſi dederat, viciſſim donavit *Leonem.*

Qvod ſi *Laconiſmus* mentem ingenioſam traducit ad res prætentas aut remotas, vocatur *alluſio*, qvæ in Symbolis æqve jucunda eſt ac in verbis. Qvodcunqve enim Laconicè diceretur verbis, id oculis ſubjectum fit *Laconiſmus in factis.* Veluti ut in exemplo jam adhibito maneam, ſi hominem pingeres, qvi *cubito* naſum emungeret & *digitum* ori admoveret in ſilentii ſignum, hoc idem eſſet, ac qvod dictum eſt: *Tace tu, cujus pater ſe cubito emungebat.* Similem Laconismum etiam geſtu poteris facere. Hæc cauſa eſt, cur plurima *ſymbola* & inprimis *heroica* omnia vel multum vel parum ex hac figura trahant, qvoniam omnia veſtigio qvodam aut res in præteritas ducunt, aut futuras ſignificant. Hinc omnibus inſeritur *Laconiſmus* qvidam, qvem vocare licet *tranſcendentalem.* Qvod ſi in tabula

qvadam

qvadam pingeres ipſas *res geſtas bellicas*, non ſymbolum eſſet Laconicum, ſed ſimplex *hiſtoria.* Sic tumulo Archilochi inſculpta fuit apis, ut indicaretur *eum, qvi iſtic ſitus erat, poëtam fuiſſe, qvi valde & delectaſſet & pupugiſſet.* Eâdem ratione cùm qvidam in monumento magni Ducis bellici urnam conſpiceret marmoream, qvæ ut mos eſt architectorum duabus Harpyis ſuſtinebatur, ſtatim alluſionem reperit & *pulchrè*, inqvit, *ſymbolum huic convenit, qvi valde fuit rapax.*

METAPHORA OPPOSITORUM IN FACTIS eſt, qvæ *duo objecta* exhibet ſibi invicem ita reſpondentia, ut ſi illa verbis explicares, in verbis venuſtas eſſet oppoſitorum & anthitetorum. *Anthitetum in verbis* fuit iſtud ſervi fugitivi, qvi rogatus, cur aufugiſſet ab Hero ſuo Chio, reſpondit, qvia *cum BONA habeat, MALA qværit,* ſignificans herum eſſe avarum; qvi multa ex prædiis ſuis bona colligens, ad victum utilia melioraqve vina vendebat aliis, ipſe pane hordeaceo & aqva victitans. At ex hoc *anthiteto verborum* Alciatus fecit *contrapoſitum in factis* aſino picto, qvi onuſtus optimis cibis ſtramen comedebat. Similiter ſi diceres *Cæſar tàm calamo qvàm gladio invictus fuit:* eſſet *propoſitio anthiteto figurata.* Sin verò nummo Cæſaris inſculpas gladium pennæ illigatum, idem eſſet *contrapoſitum rebus ipſis* repræſentatum.

Idem hoc in *actionibus* locum habet, ubi alterum alteri opponitur. Sicuti igitur dictum Senecæ: VICIMUS VICTI PHRYGES, argutia eſt verbalis ex *oppoſito & anthiteſi:* ſic Attila victor, ut diximus, picturam Mediolani, ubi barbari Reges ſub pedibus Romanorum jacebant, deleri fecit, & Romanos pingere Regum barbarorum pedibus ſubſtratos. Atqve hæc erat anthitheſis picturæ.

Hinc obſervare licet illos caſus humanos hominum curioſitatem jucundiſſimè alere, in qvibus eventus occurrunt, qvi inſtar habent contrapoſitorum & *anthiteſium in facto.* Ejuſmodi ſunt probatiſſima tragœdiarum argumenta, in qvibus *cataſtrophe* ſeu converſio incidit, è ſumma *felicitate* in ſummam *miſeriam*, aut viceverſa, qvæ eſt *anthiteſis fortunæ*, ut Belliſarii à triumphis ad mendicitatem redacti. Sic anthitheſis eſt, ſi qvis ea mala patiatur, qvæ alteri intulit. Sicut igitur anthitheſi verborum Seneca de damnatis dixit: QVOD QVISQVE FECIT PATITUR: Sic Perillus, qvi invenerat taurum æneum ad reos torqvendos, primus ipſe in eo tortus fuit,

unde Ovidius: *Suum imbuit autor opus.* Qvomodo de Epiſcopo Verdunenſi Cominæus refert, cum is Ludovico XI. rationem ſuggesſiſſet captivos ferreæ caveæ includendi, ipſum à Ludovico ibi concluſum fuiſſe. Unde ſymbolum naſceretur: ſi qvis *Taurum Perilli* flammis impoſitum pingeret cum lemmate: QVOD FECIT, PATITUR. Hæ igitur ſunt *anthitheſes in factis*, ſed crudeles & ſeriæ. Contra *ridiculam anthitheſin* paraſitus Mantuanus perpetravit, qvi cum Dux eqvo ipſius caudam abſcidiſſet, Ducis EQVO labia abſcidit, ſubjecta ratione, *æqvum eſt, ut eqvus tuus labris careat, dentesq́; monſtret, qvibus meum cauda carentem irrideat.*

Adjicio in ſymbolis qvandoqve *contrapoſita* apparere & cognoſci ex duobus corporibus oppoſitis, veluti in nummis Auguſti duo *capricorni* ſibi invicem obverſi: *Heliotropium ſoli* oppoſitum, duo *ſpecula* radios in ſe reflectentia, *juvenis*, cujus manibus alæ, pedibus ſaxum annexum eſt, *delphinus anchora* implexus, qvorum alterum incitat, alterum retinet. Ex qvibus ſine verbis oppoſitio cognoſcitur. Sunt tamen & ſymbola, qvæ unum *corpus* exhibent, duo contraria aut diverſas virtutes ſignificans, veluti *hiſtrix* qvæ procul & prope lædere poteſt, *magnes* qvi altera parte ferrum attrahit, altera propellit, *Lancea Achillis*, qvæ ferit & ſanat, *caduceus* qvi in ſoporem dat & excitat, *corona gemmea* qvæ ornat & gravat. Qvæ contrapoſita, ut-ut actu ipſo non appareant, explicari tamen poſſunt brevi *dicto*, in qvo ſemper anthitheſis audietur, veluti hiſtrici adſcribetur: COMINUS ET EMINUS, Magneti RAPIT & ARCET, Lanceæ Achillis MORS & VITA, coronæ ORNAT & ONERAT.

Deniqve *anthitheſis* ornatiſſima interdum fit in *ſymbolis ſibi reſpondentibus*, in qvibus ſententia ſententiæ, figura figuræ opponitur, ut par pari referatur, & mordens viciſſim mordeatur. Sic cum factio qvædam ſymbolum elegiſſet *columnam* cum dicto, FRANGOR NON FLECTOR: adverſa factio pingi fecit *juncum*, cum dicto FLECTOR NON FRANGOR, qvæ erat *anthitheſis in verbis & factis.* Sed fuerunt qvi multò ingenioſius retinerent eandem *figuram*, dicto tantum mutato. In qvo genere argutiſſimus fuit morſus Pariſiis etiam typis expreſſus in adminiſtrum qvendam Belgii Hiſpanici directus, qvi & nomine & inſignibus utebatur ROSÆ. Cum enim Bruxellis multi nummi argentei & aurei in laudem ejus cuderentur,

qvo-

Digitized by Google

qvorum alterum latus ipſius effigiem, alterum ROSAM baculum ducalem ſtrictè amplectentem & undiqve ventis exagitatam, nec dejectam exhibebant, cum dicto INCONCUSSA MANET: hoc in aula ita acceptum fuit; *ac ſi Cardinalis Infans & Thomas Sabaudia Princeps hunc miniſtrum apud Regem ſupplantare conarentur, qvem tamen à Comite Duce ſuſtentatum labefactare non poſſent.* Hic qvidem nummus ab iis qvos mordebat pro indicio vani animi acceptus & ridicule recuſus fuit, ſervata eadem effigie eodemqve ſymbolo, dicto ſaltem ad verſum integrum extenſo: INCONCUSSA MANET, VALIDO SI FUNE LIGETUR. Et hæc erat *antbitheſis ſymbolorum.*

Poſtrema eſt Metaphora DECEPTIONIS difficilis & rara in argutiis verborum: lepida & freqvens in ſymbolicis. Primum qvidem ſicut in uno vocabulo, ut diximus, interdum fieri poteſt *deceptio*, ut ſi pro *Roma* dicas ROMULA: Sic in uno corpore ſymbolico fiet Deceptio, cum alio modo inchoatur, qvam deſinit. Talis eſt *Chymæra*, qvæ caput habet capræ, caudam piſcium. *Syrenes* item & *Harpyæ & Satyri* & ex diverſis rebus conflatæ picturæ. Sic Alciatus ex corpore Cecropis, qvi homo incipit & in ſerpentem deſinit, ſymbolum fecit *hominis inſipientis*, qvi ad divina natus terreſtribus ſe immergit. Et Auguſtus *Sphinge* uſus eſt in annulo ſignatorio, indicaturus, ſe data operâ obſcurè ſcribere, ne penitus intelligatur, unde Romani dicebant *ab iſta ſphinge ſemper ænigmata procedere.* Aliæ ſunt Deceptiones, qvæ conſiſtunt in actione qvadam non conveniente opinioni noſtræ. Et ab his fiunt ſymbola arguta, veluti ſi pingas *caſum Phaëthontis*, ut exitum infelicem temerariorum conatuum deſignes. Et hæc eſt *deceptio in factis.*

Et hæc eſt illa figura, qvæ tragœdias reddit jucundiſſimas. Sicuti enim *cataſtrophe* gratiam acqvirit à *contrapoſitis*; ſic *agnitio*, qvi eſt pulcherrimus *tragœdiæ* locus venuſtatem omnem ex DECEPTIONE ſortitur. Sic Sacerdos in procinctu ſtans, ut Myrtillum ſacrificet, inſperato eum agnoſcit: & Agamemnon filia *Iphigenia* mactata eam *cervam* eſſe deprehendit, & Thyeſtes putans ſe à fratre lautâ cœnâ acceptum eſſe, ex capite & manibus in malluvio ſibi oblatis *filios* ſuos ſe comediſſe intelligit, qvæ omnes ſunt *Deceptiones factorum.*

Eadem figura condimentum eſt *fabularum* maximè ridicula-

 rum

Digitized by Google

rum & facetarum, qvalis eſt de Alexandro Agolante, qvi Romam iter faciens juvene comite, qvi ſe Abbatem Anglum ferebat, cum nocte qvadam ob anguſtiam diverſorii uno lecto uti cogerentur, cognovit ſe cum filia Regis Angliæ concumbere, qvam uxorem duxit. Talis eſt fabula *Maſetti Lamporetii*, & alia de *Petro Vinculo* item de tribus Florentinis, qvi caligas ad judicem Marchiſianum in jus traxerunt. Omnes ſunt *deceptiones & paradoxa* in facto.

Ab eadem hac figura leporem mutuantur *præſtigiæ manuum & illuſiones*, qvas in familiari vita alter alteri exhibere ſolet. Unde adeò ridemus, cum ſcamno furtim ſubtracto aliqvem improviſo concidere videmus. Et hinc in riſum ſoluta eſt aula Gallica, qvando Rollo, fortiſſimus, ſed idem rudiſſimus Normannorum Dux pedes Caroli Craſſi Regis oſculaturus, illos utraqve manu ſuſtulit tàm invenuſtè ut Regem proſterneret. Et generatim pauca ſunt *ridicula* ſeu in verbis ſeu in factis, qvæ non propter *inopinatum* ſint ejusmodi atqve adeo ex figura iſta *deceptionis* naſcuntur. Omnes enim rident ſeu cum non *illud* vident eſſe *objectum* qvod exſpectabant, ſeu non *tantum*, ſeu non *tale*, ſeu non ſuo *tempore*, *loco* vel *ſitu* appareat, ſeu *relatio*, *actio*, *paſſio*, *inſtrumenta* opinioni non reſpondeant, ut dictum eſt Theoremate de *ridiculis*.

Habes hic Lector intelligens paucis verbis explicatum qvicqvid de FORMA totius artis ſymbolicæ generatim dici poteſt. Qvantum ad MATERIAM pauca licet adjicere iis, qvæ ſupra attulimus. Qvod enim ad MATERIAM REMOTISSIMAM attinet, de illa ſatis exqviſitè egi principio hujus operis, ubi de argutiis *corporum figuratorum* oſtendi omnem *ſubſtantiam corpoream & viſibilem*, *cæleſtem* aut *ſublunarem*, *naturalem* vel *artefactam* materiam eſſe communem omnium ſymbolorum, qvæ poſita ſunt in occulto animi conceptu exprimendo beneficio *rerum viſibilium*, ſculptarum, pictarum, aut naturalium. Porrò dixi etiam, qvæ *cerni neqveunt* corpora, materiam eſſe ſymbolorum, veluti *aërem*, *ventum*, *cælum*, dummodo oculis ſpecie qvadam viſibili ſubjiciantur. Qvin & *qualitates*, ut *virtutes*, *vitia*, *ſcientia*, *errores*, imò *ſpiritus* ipſi & *divinitas* ita repræſentari poſſunt, ut oculis cognoſcantur. Qvin *ſubſtantia imaginariæ & Chymaricæ* ab intellectu fictæ huc pertinent. Deniqve demonſtravi, qvomodo *ſeptem coloribus* ſimplicibus aut mixtis in *armis*, *veſtibus*, *inſignibu*

gnibus cogitata inviſibilia ſignificentur. Ex qvo intelligitur nullam eſſe in hoc univerſo rem, qvin artis hujus *ſymbolicæ* materia ſit remota.

At ſi de MATERIA PROXIMA qværatur, jam tum oſtendi unum qvodqve ſymbolum æqve ac omnes verborum argutias revocari ad TRIA RHETORICES GENERA, *Demonſtrativum, Deliberativum & judiciale*, cum & ſymbolicis figuris *laudare* vel *vituperare, ſvadere aut diſſvadere, accuſare aut defendere liceat*. Dixi amplius, ſicut genus *Demonſtrativum* amplectitur etiam argumenta *theoretica & philoſophica*, qvatenus eadem *oratoria veſte* induit, ſic etiam ſymbola (qvæ ſua natura ſunt argutæ figuræ) multa ſunt excogitata docendis rebus *eruditis & theoreticis*: qvomodo ſymbolicis figuris Aſtrologi vim *aſtrorum*, Chymici operationes *metallorum*, priſci poëtæ *phyſica* & Ægyptii *ſacra* docuerunt. Deniq; ſymbolorum æqve ac argutiarum verbalium alia eſſe *Logica*, alia *Morata*, alia *pathetica*. Unde communem omnis materiæ ſymbolicæ cognitionem parare potes.

Sed, inqvis, *arti ſymbolicæ* perfectum finem à me imponi non poſſe, niſi de omnibus *ſymbolorum* generibus ſpeciatim agam, qvod qvidem ultrò confiteor. Etſi enim intelligenti ſufficere poſſint, qvæ ſuis locis de cujusqve ſymboli fontibus indicavi: Nihilominus diſtinctiorem notitiam tibi inſinuare non recuſo, ſed alia, qvam cogitas, via, qvæ & ad exitum perducet opus, nec ullius rei neceſſariæ cognitione te fraudabit. Sub examen itaqve revocabo maximè heroicum, nobile, ingenioſum, & argutum ſymbolum qvod vulgò IMPRESAM dicimus. Hoc enim continentur omnes reliqvorum *ſymbolorum* perfectiones, & qvisqvis *impreſas* conficere noverit, neceſſariò etiam confingere poterit *emblemata, hieroglyphica, ludos perſonatos, trophæa*, & qvemcunqve ſymbolicum mentis noſtræ fructum. Sic autor noſter de induſtria ſolius tragœdiæ præcepta tradidit, qvæ eſt Poëtices pars excellentiſſima. Qvisqvis enim fabulam *complicatam* ſecundum legis artes componere didicerit, qvi intellexerit fabulæ *contextum & enodationem, epiſodia, peripetiam, agnitionem, ſententias mores, affectus*, & deniqve *elegantiam* ſermonis proprii & figurati, qvæ omnia pertinent vel ad ſubſtantiam vel ad ornamentum tragœdiæ: is neceſſariò perfectiſſimam qvoqve componet *comœdiam*, materia tantum mutata, & perfectum qvoqve *poëma*, fabulis

tantum

tantum multiplicatis. Sic arte *tragœdia* traditâ ad reliqvas duas tradendas nihil amplius reqviritur, qvam ut conſtituta earum *definitione differentias* adjicias. Qvodſi igitur igitur artem omnem IMPRESARUM explicavero ſufficiet reliqvorum *ſymbolorum definitiones* indicare, utpote qvæ hujus artis laudem & perfectionem in aliis alia partibus attingunt.

Cap. XXIV.

IDEA ARGUTIARUM HEROICARUM QVAS IMPRESE DICUNT ITALI.

HAnc qvidem *artem*, Amice Lector me non aliter poſſe tradere judicavi, qvam propoſita IDEA PERFECTISSIMA SYMBOLI HEROICI. Qvia enim illorum, qvæ cernimus, alia aliis ſunt pulchriora, aberrationum verò nulla datur ſcientia nec numerus certus, & inſuper heroicum ſymbolum cum reliqvis ſymbolis *nomine*, *finibus & ſubſtantiâ* arctiſſimè conjunctum eſt, nec *eſſentia* ab *accidentibus* ſatis diſtingvitur: hinc mirum non eſt, cur hujus artis *definitiones & præcepta* tàm differant, imò inter ſe pugnent, qvam ipſæ artificum *opiniones*. Neceſſe itaqve eſt, ut Idea qvædam conſtituatur, in qvam omnes concurrant perfectiones. Utut enim non omnes ad eſſentiam ſymboli heroici pertineant, omnes tamen ſpectant ad eſſentiam perfectiſſimi ſymboli heroici. Etiamſi qvoqve ſeu humani ingenii imbecillitate, qvod finitum eſt, ſeu argumenti repugnantia, qvod vix unqvam omnes circumſtantias conjunctas admittit, vix fieri poſſe videatur, ut ad hanc *ideam* aſpiremus: hinc tamen cognoſcemus, qvæ magis minusve ad ideam hanc accedunt eſſe vel perfectiora vel imperfectiora ſymbola. Sic Plato *ideam Reipl.* Cicero *oratoris*, & autor noſter *tragœdiæ* propoſuit, ſapientes (297.) pictores imitati, qvi cum in corporibus mortalibus nullam ſine menda formam reperiant,

(297) *Ar. Poët. 2. Par fuerit nos qvoq; ab excellentium pictorum more non recedere, qvi pulcherrimos pingunt,*

Digitized by Google

teperiant, diſcipulis imitandam proponunt ſpeciem ex idea mentis expreſſam, qvæ omni vitio careat.

Qvod eò magis eſt in *perſvadendi* facultate neceſſarium, qvæ ægrè certas admittit leges, cum imbecillitas ingenii fuerit (ut (298.) autor loqvitur) demonſtrationes exigere philoſophicas in ea re, qvæ populari fundamento nititur, idqve potiſſimum in hac arte ſymbolica. Primum, qvoniam hæc ex omnibus perſvadendi artibus, ut nobiliſſima, ſic difficillima eſt, utpote qvæ reqvirit *eruditionem peregrinam* ſed *proprietate* ſua planam, acumen laconicum in *dicto arguto* & velociſſimum imò momentaneum mentis motum in comparando *dicto* cùm *proprietate & proprietate* cum *perſona.* (299.) Eſt enim hæc (ut dixi) ultima ſagacis & acuti ingenii vis puncto temporis duas *notiones* ſub duobus diverſis generibus latentes complecti, & in unum *corpus* congregatas in rebus diſſimilibus ſimilitudinem invenire poſſe. Unde ſapienter (300.) autor noſter infert admirabilem hunc velocis ingenii ab una re ad aliam trajectum proficiſci vel à *divino furore*, vel ab *agilitate ingenii*, vel à *pertinaci exercitatione*, qvorum primum cœlo, alterum naturæ, poſtremum nobis debetur, laborem ut plurimum fugientibus.

Augetur verò difficultas, qvod præter *argumentum* ſymboli tot aliæ perfectiones & circumſtantiæ concurrere debeant, qvas ſicuti in uno argumento conjungere res videtur humanæ mentis viribus major: ſic vel unam omiſiſſe cenſuram provocet faſtidioſorum aut mordacium ingeniorum. Qvò enim nobilior eſt hic ingenii partus eò majori eſt invidiæ obnoxius. Et qvò magis eſt publicus, eò magis ab omnibus tanqvam ſcopus petitur.

Accedit qvod reliqvarum artium *poëticarum*, *& oratoriarum* qvædam priſcorum Rhetorum extant præcepta, hujus vero ſymboli nulla: utut ſine dubio unà cum *poëſi & pictura* nata ſint, atqve adeo vanum fuerit alium illorum inventorem qværere præter (301.) naturam ipſam, qvæ omni tempore omnem populum docuit IMITARI nec poëma legatur latinum aut græcum adeò rancidum, in qvo non mentio fiat *ſymbolorum & emblematum.* Hæc verò utut ingenioſa ab ingenio naſcebantur ſine ulla arte: ita ut qvi laudaret iſta

Kkkk ignoi-

(298) *Ar. 1. Eth. 7. In artibus qvæ ſvaſionibus utuntur demōſtrationes reqvirere vitium ingenii eſt.*

(299) *Ar. 3. Rh. 11. In multo diverſis perſpicere quid ſimile ſit ſolertis atq; acuti ingenii eſt.*

(300) *Ar. Poët. 14. Quapropter vel verſatilis ingenii eſt, vel furore perciti. Et 3. Rhet. aut verſatilis ingenii eſt, aut exercitati.*

(301.) *Ar. Poët. 2. Cæterum à duabus cauſis & qvidem naturalibus videtur poëtica habuiſſe originem, nam & inſitum eſt a natura imitari à pueris,*

ignoraret, cur eſſent laudanda, & qvi inveniebat, artem neſciret ad qvam inventa exigeret, talparum inſtar qvæ ſæpius pariunt nec partus ſuos unqvam cognoſcunt. Tale erat ſymbolum Regis Scythiæ Perſarum Regi minas denuncians tribus *animalibus* tribusqve *ſagittis*, ut diximus, qvod erat ſymbolum heroicum ingenioſiſſimum corporibus naturalibus exhibitum, qvod æqve facile pictis ſculptisqve corporibus repræſentari potuiſſet, ſicuti iſta qvæ *galeis ſcutisq;* ſuis præferebant Colchidis Phrygiæqve Heroes.

Qvamvis igitur hæc ſymbola omnium ſint temporum: *ars* tamen nata eſt in Italia ſuperiori demum ſeculo: Seculo illo erudito qvidem, ſed infelici, nec literis minus illuſtri, qvam diſcordiis turbido. In medio igitur præliorum & ſtudiorum ardore, cum Duces animoſi bellarent & literati ingenioſi inter ſe certarent, invaſit animos curioſa qvædam & mira æmulatio ſigna militaria ingenioſis, acutis eruditisqve argutiis animandi. Sic igitur non ſolum Duces cum Ducibus, ſed eqvites cum eqvitibus *ſymbolorum* inventis ſe mutuo pungentes non ingenio minus qvom manu pugnabant, imò altius ſæpè vulnus inferebant acumine argutiarum qvam gladiorum. Paulus Jovius altera Comi gloria perſpicaci atqve erudito ingenio præditus primus eſt artis hujus parens, qvam æmulatione Andreæ Alciati Nobilis Medolanenſis, qvi pater eſt argutiarum moralium in *emblematis*, procudit. Jovius igitur à multis principibus & privatis rogatus, multa excogitavit *ſymbola Heroica*, qvædam aliunde mutuatus eſt & omnia naturali mentis lumine conſiderans primas artis leges adumbravit potius qvam expreſſit. Sed accidit *ſymbolicæ arti* qvod nauticæ, in qva navis carinam Atlas inveniſſe dicitur, poſtea alii remum, alii gubernaculum alii vela, qvibus ventos ſuſtineret, adjecerunt, cum inventis addere facile ſit. Veſtigia igitur Jovii plures alii Philologi preſſerunt, qvi exqviſitiori lima ſucceſſu temporis expolierunt artem adeò pulchram & magis magisqve perficere ſtuduerunt. Qvamvis autem tot patres agnoſcat ſymbolum Heroicum, qvot Circe matres: Ipſorum tamen ſententiæ adeo inter ſe diſtant, imo pugnant (ut antea dixi) ut veritas inter manus qværentis elabatur. Idqve adeò fit pluribus de cauſis, qvæ ſolent ingenioſiſſimas qvasqve doctrinas perturbare. Primùm qvod qvidam in hac materia ita verſati ſunt, ut potius extollerent ſymbola divitum

tum atqve potentum, qvam verum qvod ſeqvendum eſſet magnopere curarent, qvi adeò errores in prioribus ſymbolis admiſſos ſeqventium nobis leges reliqverunt, cum tamen qvilibet docens (ut (302.) Philoſophus noſter loqvitur) debeat qvidem amare Socratem, amare Platonem, ſed hiſce omnibus præferre veritatem, venerandum æternumqve intellectus Numen. Alii porrò ut acutiores fuerunt in penetrando & recentiores in componendo, ſic facilius inter ſe cenſuris colliſi ſunt. Eſt enim hæc conſvetudo illorum cygnorum, ut roſtris ſe mutuò petant, juxta illud Heſiodi: *Muſicus muſico, poëta poëtæ infeſtus.* Qvorum certaminum cum ſimplex lector idoneus judex eſſe neqveat: fit ſæpius ut veritas innoxia condemnetur. Sed fortiſſima ratio eſt arcta cognatio qvæ inter heroica & reliqva *ſymbola* intercedit: ut, ſicuti gemellos apud poëtam ne ipſa qvidem mater diſcernere, nec ſuo qvemqve nomine appellare potuit, ſic iidem hujus artis autores neſcieverint nomina ac præcepta heroici ſymboli ab *emblematis*, *hieroglyphicis*, cæteriſqve omnibus *ſymbolis* ſeu naturalibus ſeu repræſentatis ſeparare. Qvibus accedit qvod autores illo tempore de ARGUTIIS nihil qvicqvam inaudiverint, in qvibus tamen origo latet vera & unica duarum nobiliſſimarum artium *ſymbolicæ & lapidariæ*, qvarum neutra à perfecto ſymbolo abeſſe poteſt. Cum igitur iſti rivulos, non fontem hujus artis fuerint ſecuti, fieri aliter non potuit, qvin de præceptis ejus confusè loqverentur. Neqve tamen non cum primi glaciem fregerint, tantam merentur laudem ob ea, qvæ rectè dixerunt, qvantam veniam, ſicubi aberrarunt. Eleganter igitur Bargalius, poſtremus & optimus ſcriptorum, qvos de hac materia legerim, in ſuo indicat ſymbolo ſucceſſoribus relictam eſſe facultatem propius hunc ſcopum feriendi.

(302.) *Ar. 1. Eth. 6. Amicus Plato, amicus Socrates, ſed licet ambo amici ſint, ſanctum eſt veritatem ipſis anteponere.*

Huic itaqve operi perficiendæ artis SYMBOLICÆ jamdiu eſt, qvod me accinxi, non ſolum ſtudio nobiliſſimum hunc petendi ſcopum, ſed neceſſitate qvam alia mea mihi ſcripta impoſuerunt adductus. Cum enim ſuſcepiſſem magnam ARGUTIARUM ARTEM (qvam ipſo nomine involutam & ſepultam deprehendi) eruere atqve in lucem proferre, idqve ſolius Ariſtotelis ductu, cujus oraculum, utut obſcurum, nihilominus attentè auſcultanti nihil non revelat, & fidem datam reliqvis omnibus partibus hujus generis ex-

Digitized by Google

poſitis liberaſſem: videbar mihi debere adhuc orbi admirabilem hunc tantæ matris partum. Qvare non aliud, qvam ejusdem Ariſtotelis oraculum conſulens, de his ſymbolis libellum ſeparatum confeci, utpote argumento magis populari & heroico & à multis amicis, qvi ſcriptum viderant, valdè expetito. Hujus itaqve compendium qvoddam hic dare conſtitui indicans methodum, qva inveſtigavi DEFINITIONEM perfectiſſimi ſymboli, qvod unice huic tractationi propoſitum.

Methodus inveniendi Definitionem perfectiſſimi Symboli.

Sicut omnis ars humana ſeu liberalis, ſeu ſordida alia non eſt niſi ordinata ſeries præceptorum ad opus aliqvod directorum & omne præceptum naſcitur ex *definitione* ejusdem artis & objecti ſui (unde ab (305.) autore noſtro *Definitio* vocatur *principium, & plus quam dimidium totius operis*) ſic qvoad *definitio* non eſt declarata, ars jacet in tenebris. Et contra reperta *definitione*, inde qvodvis facile *præceptum* derives (304.) *dubiaq́;* diſſolvas.

Ex tribus verò faculis, qvibus autor Definitiones ſcholaſticarum difficultatum tenebris obrutas inveſtigat, prima eſt ETYMOLOGIA (305.) *Nominis*, qvod cum ſit rei ſignificatæ ſignum arbitrarium, neceſſe eſt (niſi nomen ſit prorſus inconveniens) ut inſtar brevis & confuſæ definitionis generalem notionem *rei ſignificatæ* aperiat. Altera eſt EXEMPLAR *alicujus individui*, qvod in hoc genere ab omnibus probatum laudatumq́ve ſit, qvomodo à perfectionibus *Oedipi* Sophoclis in tragœdiis: Iliados in Epopoiia & Margitis in comœdia tanqvam abſolutis prototypis idem autor proprietatem & perfectiones harum poëticarum diſciplinarum petiit. Poſtrema facula eſt COMMUNIS OPINIO *eorum, qvi benè vel ſecus de re propoſita egerunt*, (307.) cum veriſimile non ſit in omnibus omnes decipi. Iisdem igitur faculis dubia veſtigia indagabo, ut perveniam ad latentem *definitionem perfectiſſimi Symboli qvod cæterorum ſit Idea.*

De Nomine Symboli Heroici.

Hujus Symboli heroici vera eſt patria *heroicum ſcutum*. Qvare Plinius

(303.) Ar. 1. Eth. c. 7. Danda eſt opera, ut rectè definiatur: Videtur enim principium plus quam dimidiū.

(304) Ar. ib. Complura eorum qvæ in qvæſtionem veniunt, per definitionem manifeſtantur.

(305.) Ar. Poët. 2 Ducentes à nominibus ſignum & elenchis nominibꝰ utimur pro ſignis.

(306.) Ar. Poët. 9. & c. 11. & c. 13

(307.) Ar. 1. Eth. 8. Omnes er-

Plinius Secundus perverſam ait grammaticorum ſubtilitatem, qvi *clypeum à cluendo* derivant, tanqvam à ſplendore poliri æris: cum nomen acceperit à *glyphon*, qvod ſignificat figuratam ſculpturam. Et ſane remotiſſimis ſeculis inglorius erat miles, cui *purum erat ſcutum* hoc eſt, nullo ſymbolo aliqvam actionem repræſentante figuratum. Differt itaqve SCUTUM à CLYPEO: hic enim aliqvo ſymbolo ornatus, illud erat nudum. Refert igitur noſſe qvomodo *Græci*, *Latini*, *Itali*, *Galli*, *clypeorum* atqve adeò *inſignium*, *loricarum*, *galearum* & deniqve *ſigillorum* (qvæ à clypeis tanqvam exemplum ab exemplari translata ſunt) *figuras* nominaverint, & ſic qvoqve heroicum nominabitur Symbolum.

rare non contingit, ſed in uno ſaltem ali, qvo vel in pleriſqve veritatem aſſeqvi veriſimile eſt.

Græcè igitur ſecundum Plinii Etymologiam vocantur GLYPTA, qvæ vox à cauſa *inſtrumentali* videlicet ſcalpro deſumta eſt. Etiam SYMBOLA qvemodo Herodotus militum Carienſium notas militares appellat. Et Plautus de ſigillo militis impreſſo loqvens: *Miles hic reliqvit ſymbolum impreſſum in cera.* Et hoc vocabulum ductum eſt à cauſa *formali* generaliſſima, videlicet ab arte ſymbolica, qvæ ſymbolo h. e. *ſigno manifeſto* indicat *ſententiam latentem*.

Virgilius latinè vocat SPECIMEN locutus de *ſole*, qvo Rex Latinus inſigni utebatur in galea, qvod nomen eandem vim habet ac *ſymbolum*. Sed alibi vocavit ARGUMENTUM, ſymbolum ſcuti qvo Turnus utebatur deſcribens, qvæ erat vacca JO. Et Plinius de prælio gigantum, clypeo Minervæ inſculpto loqvens, ut victoria intelligeretur, qvam Pallas in iſta pugna retulit, figuras illas vocat *argumenta parva & ingenii tantum*. Et hæc vox ducta eſt à cauſa *formali* interiori h. e. qvod ex argumento ſimilitudinis argutias præfert. Fit enim argumentatio à *figura viſibili ad ſententiam inviſibilem.*

Itali noſtri IMPRESE vocant à *cauſa finali*, qvæ vox reliqvis omnibus eſt ſignificantior, qvandoqvidem hoc genus ſymboli heroico propoſito vel operi ſignificando repertum à reliqvis *ſymbolis* res alias indicantibus diſtinguit. Unde frigidiſſima eſt illorum etymologia, qvi Italicam vocem IMPRESA à latina IMPRESSIO deducunt, tanqvam eſſet figura impreſſa & ſculpta. Qva ratione *impreſſa* ſcribendum eſſet, non *impreſa*. Sed etiam nomen *impreſa* etſi eo loco, ubi de ſymbolis agitur, ſatis intelligitur: nihilominus in ſe ſpectatum eſſet ambiguum, cum ignoretur, utrum accipiendum

 ſit

ſit de re ſeu actione ſignificata an ſymbolo ſignificante. Gallia, cui (ut mox dicemus) pulcherrima debemus exempla heroicorum ſymbolorum, illa vocat ARMOIRIES, qvæ vox tamen idem qvoqve valet, ac *familiæ arma ſeu inſignia*, eſtqve adeò à *cauſa materiali*, in qva extant Symbola. Alio nomine iidem Galli vocant DEVISES Italicè *Diviſe*, utut diverſa admodum nominis ratione. Galli enim ſuum *Deviſe* ducunt à DEVISER qvod ſignificat *cavillari* brevibus *dictis ludere*, unde propriè pertinet ad *dicta Symbolorum*, magis qvam ad *corpora*, ſed Itali ſuum nomen derivant à DIVIDERE, qvoniam ſymbolis factiones inter ſe dignoſcuntur.

Ex omnibus hiſce vocibus generatim id intelligitur ſymbolum hujusmodi ſua origine inventum eſſe, qvo tanqvam ſigno in clypeo ſignificaretur heroica aliqva actio; ſeu peracta ſeu propoſita. Unde nullum ex his nominibus adeò proprium eſt huic ſymbolo, ut ſolum extra orationis contextum à reliqvis ſymbolis illud diſtingvere valeat, niſi alia vox aut ſimplex aut compoſita differentiæ loco adjiciatur. Unde Græci poſſent dicere HEROGLYPTA i. e. ſculpturas heroicas, ut diſtingverent ab HIEROGLYPTIS, qvæ ſunt ſculpturæ myſticæ. Latini ARGUMENTA HEROICA aut SYMBOLA HEROICA. Italicè uſu ſatis cognita eſt vox IMPRESE, ubi de ſymbolis ſermo eſt. Sed qvoniam ſola homonymiæ obnoxia eſt, huic tollendæ vocari poſſet IMPRESA SYMBOLICA. Nos hic qvidem appellavimus ARGUTIAS HEROICAS, cum enim de iis hic agamus tanqvam *argutiarum* ſpecie; conveniens qvoqve erat nomen mutuari ab hoc ejus genere metaphyſico, adjecta differentia ſpecifica. Atqve hinc ut videbis fluent omnia præcepta & à reliqvis argutiis diſcrimen. Tranſeamus igitur ad alteram conjecturam.

Qvænam ex argutiis heroicis ſingularibus maximè probata fuerit.

Ne litem inter ambitioſas Deas de pulchritudine agitatam hic ſeqvar, ſolius famæ arbitrio videor mihi decernere poſſe Ludovici XII. Galliæ Regis ſymbolo palmam tribuendam eſſe. Hoc erat Hyſtrix undiqve aculeos projiciens, adſcripto lemmate: EMINUS

NUS ET COMINUS id eſt *hoſtes meos & procul & prope feriam.* Primus hujus artis faber Paulus Jovius commendat illud, ut *pulchritudine viſu ac ſignificatu* eximium. Bargalius, qvi ultimam huic arti manum impoſuit, affirmat *illud non ſecundum inter argutias heroicas locum obtinere.* Deniqve qvilibet ſcriptor & qvilibet homo ſeu ſummi ſeu mediocris ingenii illud admiratus eſt usqve adeò, ut & inimici hujus Regis illud & timuerint & laudaverint.

Sunt tamen qvantum ad *autorem & ſignificationem* diverſæ ſadmodum opiniones, qvas expendere & dijudicare neceſſe eſt, ut verus argutiarum fons cognoſcatur. Compilator qvippe hieroglyphicorum Pierio annexorum refert hoc ſymbolum ad *Ludovicum XI.* qvi Carolo Duci Burgundiæ, *à quo & propè & procul multa perpeſſus fuerat*, iſto minatus ſit. Juvenalis Urſinus, Favinus & Autographum Fecialis cujusdam Gallici adjiciunt, cum Carolum Filium baptismo luſtrari curaret, hoc ſymbolum excogitaſſe. Contra Typotius idem adſcribit *Carolo Duci Burgundiæ*, qvi *Ludovico* ſibi *vicino & Imperatori remoto* minatus ſit, audax certe ſententia & digna audace Carolo, niſi Typotius nomine Caroli deceptus fuiſſet. Nam Monrealis, Sammartani & autor Relationis ſtatuum ſymboli inventorem nominant *Carolum Ducem Aurelianenſem*, qvi Burgundicæ factionis *implacabilem inimicum & ſangvinis paterni vindicem* ſe profeſſus ſit, adjicientes qvod is ſymbolum hoc dederit Eqveſtri Ordini: viginti qvatuor nimirum eqvitibus formidabilem hanc feram cum dicto adſcripto Achati inſculptam in pectore circumferendam tradens. Sed ut dixi, Jovius, Capaccius, Bargalius, Paradinus & alii multi *Ludovico XII.* laudem inventionis tribuunt, affirmantes eum primum in lorica hoc animal prætuliſſe ſine dicto, ſed in vexillis & monetis animaſſe cum dicto EMINUS ET COMINUS: minantem *ſe propè quidem factiones Galliæ ſuis armis oppreſſurum, procul verò Italiæ conſiliis & calamo negotium facturum*, aculeos adeò calamos intelligens. Alii deniqve duas opiniones conciliaturi autorem faciunt *Carolum Aurelianenſem & Ludovicum* imitatorem, adjicitqve Paradinus talia fuiſſe inſignia *Blaſenſia*, qvæ hæreditate ad Ludovicum pervenerant, qvæ circumſtantia ad argutias detegendas non parum facit. Qvin autor relationum adjicit aliam circumſtantiam ſcitu dignam, Ludovicum diu uſum eſſe *hyſtrice coronata* cum dicto illo

illo *Eminus & cominus*. Sed à prælio Ravennatenſi, qvo Ludovicus ſe & Caroli VIII. & Anteceſſorum clades expiaſſe gloriabatur, mutaſſe dictum hoc altero; ULTUS AVOS TROJÆ, indicans *hyſtricem ſuam jam ſat procul aculeos projeciſſe*, & ſimul reſpiciens opinionem illam incerto autore traditam ſtirpem Regum Franciæ ex ſolo Phrygio ab Heroibus Trojanis prognatam eſſe.

Hoc igitur *ſymbolum* ratione ponderantes primùm obſervamus *ſignificationem* eſſe verè heroicam. Qvod enim ſupra laudatus hieroglyphicorum compellator annotat: *Rara laus eſt regum duas iſtas dotes, magnum animum multumqve conſilii, conjunctas poſſidere*, cum vel alterutra ſatis illuſtrem poſſit reddere.

Cominus *ut pugnat jaculis atq́ʒ* eminus *hiſtrix,*
Rex bonus eſt armis conſiliisqve *potens.*

Qvaſi dicat: *multum & conſilio & manu praſtitit.* Sed alii apud Paradinum ſubtilius interpretantur, *ſicuti aculei hiſtricis utut acutiſſimè pungant, nihilominus virtute polleant ſanandi vulnera*, & inſtar lanceæ Achillis & arma ſint & medicina: *Sic regis arma & pacem afferre & bellum*,

Et vita ex noſtro vulnere morsq́ʒ redit.

Qvomodo ſanè Rex profitebatur ſe oppreſſos ſublevare, invaſores opprimere. Multæ porrò perfectiones obſervari poſſunt in corpore ſymboli. Eſt enim FIGURA *nobilis, elegans, curioſa, erudita* & proprium belli *ſymbolum* ut illud Claudianus deſcribit. Eſt enim res admirabilis, jucunda & peregrina cernere bellicoſam iſtam feram, qvæ capite galeam, terrorem aſpectu, oculis ignem, & corpore ordines haſtatorum præferat, qvi & pharetræ & arcus & ſagittæ munere fungentes vicinum hoſtem impulſu, remotum jactu trajiciunt, ſylvam qvandam volantium telorum tam exqviſita ratione emittentes, ut ne exercitatiſſimus qvidem ſagittarius oculo diligenter collineans accuratius ſcopum feriat. Sed præter admirabilem corporis ſymbolici *proprietatem* eo illud proportione viſui exponi poteſt, ut in qvocunqve *clypeo* ſeu parvo ſeu magno in *vexillis*, *balteis*, *nummis* æqvali gratia locari poſſit, ut oculus voluptatem, imaginatio terrorem inde capiat. Nec

Nec minores laudes habet DICTUM ſeu LEMMA. Primum enim adverbia iſta EMINUS ET COMINUS ſine verbo argutum Laconiſmum facunt, qvi cogitandum relinqvit, qvod non dicitur, nec tamen non dicit, qvod alter cogitat. Qvo pacto dictum ſine figura nihil dicit, & figura ſine dicto elingvis eſt. Porrò in ſono verborum concentus eſt ex *anthitheto*, isqve *quantitate* tam æqvalis, ut chartæ inſcriptus & oculum & aurem oblectet.

Sed laus eſt multò maxima *dictum* non eſſe ex ingenio confictum, ſed à nobilibus Scriptoribus petitum. Fortè enim ex vigeſimo qvarto libro Livii deſumtum eſt, ubi de admirabilibus Archimedis machinis, qvibus Marcellus Syracuſarum oppugnator impediebatur, hæc exſtant: *Sed ea qvoqve pars, omni tormentorum apparatu inſtructa erat; quæ non EMINUS tantum, ſed & COMINUS tela mitteret.* Aut ex libro 4. illuſtris Poëtæ Lucani, ubi prælium deſcribitur qvo Curio in Africa occubuit:

> - - *Sic undiqve ſepta juventus*
> COMINUS *obliqvis* & *rectis* EMINUS *haſtis*
> *Obruitur.*

Hinc enim dicto accedit pondus *autoritatis*, gloria *eruditionis* & admiratio prompti agilisqve *ingenii.* Facilius enim mille dicta excogitamus ipſi qvam vel unum in claſſico autore inveniamus, qvod in noſtri gratiam de induſtria ſcriptum eſſe videatur.

Qvare ſic ſtatuo celebrem illam HYSTRICEM in Ludovici inſignibus meritò coronatam fuiſſe, cum verè dici poſſit Regis argutia Heroica & argutiarum Heroicarum Regina. Qvodſi igitur omnes ejus dotes accuratè inſpiceres: ſolum id ſymbolum plus artis docere qvam montes librorum deprehenderes. Aſt nimia hinc laude diſcederet, ſi ad perfectionem illam in idea poſitam accederet, qvo neminem aſpirare poſſe diximus. Sicut igitur autor noſter ex perfectionibus Oedipi Sophoclei definitionem tragœdiæ perfectæ inveſtigat, & à definitione regreſſu demonſtrativo ad ejusdem Oedipi errores detegendos redit: ſic hujus ſymboli præſtantia nobis ſerviet, ut definitionem perfectiſſimæ ideæ reperiamus, qva inventa ad noſtrum revertemur ſymbolum & luce rationis

 admo-

Digitized by Google

admota diſpiciemus utrum aliqvid ad ſummam laudem ipſi deſit. Qvod erit (ut diximus) CONSPICILLO ARISTOTELICO maculas Solis deprehendere. Supereſt, ut poſtremam facem adhibeamus conſiderantes

Communes Autorum de SYMBOLIS opiniones.

I. Inter autores, qvos qvidem legi, usqve ad Bargalium (cum enim poſt hunc ipſe, ut dixi, ideam hujus argumenti animo concepiſſem, alios legere amplius nolui) hoc convenire video, ***dari ARTEM ſymbolorum*** qvamqvam non ſatis diſtingvant, utrum Rhetoricæ an Poëſi ſubjiciatur, qvod tamen cognoviſſe multum refert, ut ex ſuis fontibus præcepta deriventur.

II. Symbolum eſſe SIGNUM animi noſtri ſenſis alii ſignificandis deſtinatum, ſed nec illud definierunt utrum *ſignum* illud æqve poſſit eſſe genericum an ſpecificum, compoſitum an ſimplex, vocale an viſibile ſic ut illi explicando geſtus ſufficiant ſine voce, aut vox ſine coloribus, nec utrum ſpiritus ſeparatus ſymbolum ſola cogitatione formare poſſit, qvam alius ſpiritus intelligat.

III. Senſum animi ſignificatum debere eſſe HEROICUM, unde impreſa originem & nomen habuit. Sed ſub judice lis manet, utrum *ſenſum* conveniat eſſe unum, an multiplicem, unius proprium an multorum communem, de actione facta an futura. Qvin nec illud conſtat, an ad bellicam rem pertineant ſenſa, an porrigantur etiam ad virtutis, ſapientiæ, amoris, res ſignificandas, imò ridicula & faceta atqve adeò tam aliena vitia qvam proprias virtutes poſſint reſpicere.

IV. Heroicum ſymbolum eſſe rationem ſignificandi graviſſimam & omnium ſymbolorum INGENIOSISSIMAM. Sed neqve hoc determinant, qvæ ſit ratio graviſſima, aut in qvo poſitum ſit *ingenium*, cujus intelligentia qværenti eſt valdè obſcura. Qvin neqve hoc ſatis explicant, utrum *hieroglyphica inſignia & emblemata* ſpecie differant ab heroico ſymbolo an numero, eſſentialiter an accidentaliter.

V. Reqviri in ſymbolis figuram alicujus CORPORIS. Sed adhuc certant num rejiciendum ſit corpus humanum, abſtractum, chymari-

mæricum, aut ejusmodi corpus, qvod repræſentat ſubſtantiam incorpoream, ut Dæmonem, Angelum, divinitatem.

VI. In corpore ſpectari SIMILITUDINEM aliqva proprietate nixam. Sed nondum expeditum eſt utrum hæc proprietas opinione non re ipſa rei ineſſe debeat, ſitne fabuloſa, an vera, potentia an actu, qvin an poſſit repræſentare *diſſimilitudinem*, *contrarietatem*, *negationem* an *identitatem.*

VII. Symbolo adjiciendum eſſe DICTUM ſeu LEMMA, ita, ut è Scripturæ cum figura coalitione tota ſignificatio egerminet. Sed nondum conſentiunt, utrum *ſcriptura* ad ſubſtantiam an decus modo pertineat, qvin circa multitudinem verborum eorumqve perſpicuitatem ea adhuc diſputant, ut umbra lucem adæqvare videatur.

VIII. Symbolum eſſe compoſitum ingenioſum ex CORPORE & ANIMA, ſed inter ipſos non ſatis conſtat, qvæ ſit *anima* & qvod *corpus*, qvod *ſubjectum* & qvod *objectum*, qvæ *materia* & qvæ *forma.*

Sic ingenia oculis clauſis Andabatarum more inter ſe pugnant, qvod artem ARGUTIARUM ignorent, qvæ cum multas ſpecies complectatur mixtas, nec principiis demonſtrativis (ut diximus) ſed figurate perſvadibilibus & popularibus nixas, qvarum non ſunt certæ ſpecies ut numerorum: hinc fit, ut vel curioſiſſima ac ſubtiliſſima ingenia perturbentur. Sed omnes hæ difficultates evaneſcunt, ſimulac perfectæ ideæ lumen apparet, cujus communem notitiam ex *nominis*, *exempli*, & *communium opinionum* obſervationibus ductam in hunc modum ſuppeditare viſum eſt: SYMBOLUM HEROICUM *eſt expreſſio ſententiæ heroicæ, qvæ in mente noſtra eſt non propriis vocibus, ſed ſymboli conſpicui ope.* Hinc enim deducens ſymbolum eſſe *Metaphoram in facto poſitam* atqve adeò *argutiam ingenioſam*, libris aliis ſepoſitis & opinionibus autorum relictis, ex ſolis regulis perfectæ metaphoræ & ingenioſarum argutiarum ab autore noſtro traditis hujus materiæ naturam inqviſivi, & ex perfectionibus argutiarum perfectiones ſymboli heroici ſeparatis theſibus colligens, easqve ad demonſtrationem nedum evidentiam rhetoricam perducens, ex conjunctis illis DEFINITIONEM perfectiſſimi ſymboli conſtitui, qvam oculis tuis ſubjicio, ut Polycletus ſuam ſtatuam, in qvam perfectiones corporis omnes, qvæ mente concipi

 pote-

Digitized by Google

poterant, congregaverat, non qvod illæ in vero corpore universè reperiri poſſent, ſed ut ſtudioſi illius artis ſaltim, qvæ omnibus corporibus deeſſent, intelligerent. Sit igitur prima

Theſis Fundamentalis

Perfectum Symbolum eſt METAPHORA.

(308.) *Ar. Poët. 20. Tranſlatio eſt nominis alieni illatio.*

Hoc evidenter demonſtratur ex Definitione (308.) METAPHORÆ, qvæ eſt *rem alterius rei interventu* non propriis verbis *ſignificare*, ut ſupra docui. Si Ludovicus Rex dixiſſet: *inimicos meos prope & procul proſternam*, hæc fuiſſet propria & communis oratio. Sed ad hanc ſententiam ſignificandam adhibet imaginem HYSTRICIS, qvæ propè pungit & ſpinas procul emittit, hæc eſt & *Metaphora & Symbolum.*

(309.) *Ar. 3. Rh. 10. Quæcunq; ex verbis facilem nobis ingerunt diſciplinã, ſuaviſſima ſunt.*

(310.) *Ar. 3. Rhet. 2. dilucidum, jucundum, & peregrinum maximè affert trãſlatio.*

Et hinc Symbolorum naſcitur jucunditas. Nam res ſuis verbis ſignificata nihil præter ſe ipſam docet, ſed per Metaphoram ſignificata uno tempore duo docet alterum in altero: *Regem* in hyſtrice, *arma* in ſpinis, *ultionem* in pungendo (309.) qvod humano ingenio multa diſcendi naturaliter ſine labore cupido non poteſt non eſſe gratiſſimum ſicut ex præceptis autoris noſtri, qvæ omnis rhetoricæ & poëticæ elocutionis clavem gerunt, ſupra pleniſſimè oſtendi. Unde (310.) ſicut Metaphora inter verba ſignificantia maximè nobilis eſt & arguta, ſic Symbolum eſt nobiliſſima & argutiſſima ratio ſenſum exprimendi heroicum, ut illud merito poſſimus dicere *linguam heroum.* Heroica igitur & argutiſſima eſt iſta Ludovici Regis Metaphora, cum Symbolo vividiori repræſentari non poſſit Rex bellicoſus, qvam imagine feræ iſtius pugnacis, qvam Claudianus nobis ita deſcribit:

Militat omne feræ corpus: vibrataq; rauco
Terga fragore ſonant, ſtimulis accenſa tubarum.
Agmina collatis credas confligere ſignis &c.

Theſis

Theſis Secunda

Perfectiſſimum Symbolum eſt Metaphora PROPORTIONIS.

Metaphora PROPORTIONIS eſt fundata in *ſimilitudine duarum rerum diverſi generis* ob *proprietatem* qvandam *analogicam*: veluti inter *Achillem & Leonem* ob *fortitudinem*. Unde Achillem poſſis dicere *Leonem Græcorum* & Leonem *Achillem ferarum*, ut ſupra vidiſti.

Metaphora ATTRIBUTIONIS fundata eſt in qvadam *circumſtantia rei conjuncta* velut *gladius* eſt bello, *inſtrumentum* operi, *pars* toti, *abſtractum* concreto & ejusmodi aliæ denominationes ut diffuſe docui ſupra.

(311.) Ar. 3. Rh. 10. Translationes quæ ſecundum proportionem ſunt maximè probãtur.

Utriusqve Metaphoræ argutiſſima ſunt Symbola. ATTRIBUTIONIS Symbolum eſt *calamus gladio conjunctus* cum dicto EX UTROQVE CÆSAR, ubi inſtrumentum ponitur pro ſcribendi bellandiqve excellenti peritia. Et *juſtitia* cum dicto CUIQVE SUUM, qvod erat Ducis Wilhelmi ſymbolum, abſtractum pro concreto ponens.

Symbolum PROPORTIONIS eſt *elephas* Ducis Emanuelis Philiberti, cum dicto: INFESTUS INFESTIS. Eſt enim hæc elephantis proprietas, ut non offendat, niſi offendatur. Et *Sol* Regis Philippi II. cum dicto: JAM ILLUSTRABIT OMNIA, ob proprietatem analogicam illuſtrandi mundum, qvod alter qvidem luce præſtat, alter victoriis. Et in *hyſtrice* Regis Ludovici ejusmodi analogia eſt adverſarios procul aut propè feriendi.

(312.) Ar. 3. Rhet. 11. In multo diverſis proportionem perſpicere ingenioſi eſt atq; ſolertis.

Ajo vero Symbolum PROPORTIONIS qvovis Symbolo ATTRIBUTIONIS perfectius eſſe cum & *proportionis* (311.) *Metaphora* qvavis alia ſit perfectior. Eſt enim (312.) majus perſpicacis ingenii argumentum ſimilitudinem in duabus remotisſimis rebus deprehendere, qvam attributum aliqvod rei conjunctum obſervare, ut ſupra docui. Unde hæc qvoqve metaphora jucundior eſt, qvæ curioſiora docet & mentem à genere ad genus transfert.

Qvod ſi ad Symbolum PROPORTIONIS accedat Metaphora ATTRIBUTIONIS, eò erit (313.) argutius: qvomodo & Metaphora eſt

(313.) Ar. 3. Rhet. 11. Quanto plus contineat, tantò urbanius videtur.

poterant, congregaverat, non qvod illæ in vero corpore universè reperiri poſſent, ſed ut ſtudioſi illius artis ſaltim, qvæ omnibus corporibus deeſſent, intelligerent. Sit igitur prima

Theſis Fundamentalis

Perfectum Symbolum eſt METAPHORA.

Hoc evidenter demonſtratur ex Definitione (308.) METAPHORÆ, qvæ eſt *rem alterius rei interventu* non propriis verbis *ſignificare*, ut ſupra docui. Si Ludovicus Rex dixiſſet: *inimicos meos propè & procul proſternam*, hæc fuiſſet propria & communis oratio. Sed ad hanc ſententiam ſignificandam adhibet imaginem HYSTRICIS, qvæ propè pungit & ſpinas procul emittit, hæc eſt & *Metaphora & Symbolum.*

(308.) *Ar. Poët. 20. Tranſlatio eſt nominis alieni illatio.*

Et hinc Symbolorum naſcitur jucunditas. Nam res ſuis verbis ſignificata nihil præter ſe ipſam docet, ſed per Metaphoram ſignificata uno tempore duo docet alterum in altero: *Regem* in hyſtrice, *arma* in ſpinis, *ultionem* in pungendo (309.) qvod humano ingenio multa diſcendi naturaliter ſine labore cupido non poteſt non eſſe gratiſſimum ſicut ex præceptis autoris noſtri, qvæ omnis rhetoricæ & poëticæ elocutionis clavem gerunt, ſupra pleniſſimè oſtendi. Unde (310.) ſicut Metaphora inter verba ſignificantia maximè nobilis eſt & arguta, ſic Symbolum eſt nobiliſſima & argutiſſima ratio ſenſum exprimendi heroicum, ut illud merito poſſimus dicere *linguam heroum*. Heroica igitur & argutiſſima eſt iſta Ludovici Regis Metaphora, cum Symbolo vividiori repræſentari non poſſit Rex bellicoſus, qvam imagine feræ iſtius pugnacis, qvam Claudianus nobis ita deſcribit:

(309.) *Ar. 3. Rh. 10. Qvacunq; ex verbis facilem nobis ingerunt diſciplinã, ſvaviſſima ſunt.*

(310.) *Ar. 3. Rhet. 2. dilucidum, jucundum, & peregrinum maximè affert trãſlatio.*

Militat omne feræ corpus: vibrataq; rauco
Terga fragore ſonant, ſtimulis accenſa tubarum.
Agmina collatis credas confligere ſignis &c.

Theſis

Theſis Secunda

Perfectiſſimum Symbolum eſt Metaphora PROPORTIONIS.

Metaphora PROPORTIONIS eſt fundata in *ſimilitudine duarum rerum diverſi generis* ob *proprietatem* qvandam *analogicam:* veluti inter *Achillem & Leonem* ob *fortitudinem*. Unde Achillem poſſis dicere *Leonem Græcorum* & Leonem *Achillem ferarum*, ut ſupra vidiſti.

Metaphora ATTRIBUTIONIS fundata eſt in qvadam *circumſtantia rei conjuncta* velut *gladius* eſt bello, *inſtrumentum* operi, *pars* toti, *abſtractum* concreto & ejusmodi aliæ denominationes ut diffuſe docui ſupra.

Utriusqve Metaphoræ argutiſſima ſunt Symbola. ATTRIBUTIONIS Symbolum eſt *calamus gladio conjunctus* cum dicto EX UTROQVE CÆSAR, ubi inſtrumentum ponitur pro ſcribendi bellandiqve excellenti peritia. Et *justitia* cum dicto CUIQVE SUUM, qvod erat Ducis Wilhelmi ſymbolum, abſtractum pro concreto ponens.

Symbolum PROPORTIONIS eſt *elephas* Ducis Emanuelis Philiberti, cum dicto: INFESTUS INFESTIS. Eſt enim hæc elephantis proprietas, ut non offendat, niſi offendatur. Et *Sol* Regis Philippi II. cum dicto: JAM ILLUSTRABIT OMNIA, ob proprietatem analogicam illuſtrandi mundum, qvod alter qvidem luce præſtat, alter victoriis. Et in *hyſtrice* Regis Ludovici ejusmodi analogia eſt adverſarios procul aut propè feriendi.

Ajo vero Symbolum PROPORTIONIS qvovis Symbolo ATTRIBUTIONIS perfectius eſſe cum & *proportionis* (311.) *Metaphora* qvavis alia ſit perfectior. Eſt enim (312.) majus perſpicacis ingenii argumentum ſimilitudinem in duabus remotisſimis rebus deprehendere, qvam attributum aliqvod rei conjunctum obſervare, ut ſupra docui. Unde hæc qvoqve metaphora jucundior eſt, qvæ curioſiora docet & mentem à genere ad genus transfert.

Qvod ſi ad Symbolum PROPORTIONIS accedat Metaphora ATTRIBUTIONIS, eò erit (313.) argutius: qvomodo & Metaphora eſt

(311.) Ar. 3. Rh. 10. Translationes quæ ſecundum proportionem ſunt maximè probantur.

(312.) Ar. 3. Rhet. 11. In multo diverſis proportionem perſpicere ingenioſi eſt atq; ſolertis.

(313.) Ar. 3. Rhet. 11. Quanto plus contineat, tantò urbanius videtur.

eſt argutior, qvæ plures figuras continet, ut ſupra dixi. Tale erat Symbolum ejusdem Ducis Emanuelis Philiberti, qvod is juvenis adhuc aſſumſit, cum vires ejus non animus à magno rege opprimerentur. Pingebat is *arma velo* obducta cum dicto: Conduntur Non Retunduntur. Nec defuit hæc perfectio ſymbolo Ludovici Regis, cum in *hyſtrice*, qvatenus inſigne erat Ducatus ſui, *metaphora* lateret *Attributionis*, cui adjiciens proprietatem procul & prope lædendi, *Metaphoram proportionis* conſtituit, & ſic figuram figuræ, lumen lumini conjungens argutias duplicavit.

(314.) Ar. 3. Rhet. 10. Neceſſe eſt tam verba qvam enthymemata urbana eſſe, quæ velocem nobis cogitationem faciunt.

Theſis tertia

Perfectiſſimum Symbolum eſt Metaphora proportionis, vim habens ARGUMENTI.

Aperui ſupra (314.) tres differentias *Metaphoræ Proportionis*, qvarum prima eſt ſimplicis VERBI METAPHORICI, ex prima intellectus operatione nata, ut ſi *ignem* dicimus pro *ira*. Altera eſt Propositionis Metaphoricæ, in ſecunda regione intellectus nobilius educata, ut *ignis gladio non eſt fodiendus* pro *irritanda non eſt magnatum ira*. Poſtrema eſt Argumenti Metaphorici in ſuprema intellectus ſphæra condita, ut ſi dicas: *qvaris cur Saguntum arſerit? Romanorum ignem gladio foderat.* Atqve hæc eſt nobilisſima & argutiſſima figura, qvin ipſa *argutia*, qvæ nomen ab argumento duxit, ut ſupra docui. Qvod ſi igitur perfectiſſimum ſymbolum eſt *perfectisſimâ Metaphora*, *vim argumenti* habeat neceſſe eſt. Unde Latini valdè propriè illud vocarunt Argumentum, ut antea dixi.

Jam iſti, qvi mirantur me artem ſymbolorum ex regulis Ariſtotelis, qvi nunqvam iſta cognovit, reſtituere velle, legant totum cap. 4. (315.) lib. 3. Rhet. & intelligent, hæc iſti ignora non fuiſſe, qvæ aliis rectius nominavit, & multis argutiſſimis exemplis declaravit, utut verbalibus modo & Satyricis, qvæ nituntur ARGUMENTO SIMILITUDINIS PROPORTIONATÆ, qvod ipſe vocat IMAGINEM, qvod ipſum nomen Plinius tribuit ſymbolis in heroum clypeis pictis: *ſcutis inqvit, qvalibus apud Trojam pugnatum eſt, continebantur IMAGINES.* Intelligit igitur illic (216.) Ariſtoteles nomine imagi-

(315.) Ar. 3. Rhet. 4. Sunt igitur imagines in ſoluta oratione ut apud Androcionē.

(316.) Ar. ib. Translationes ſunt imagines ratione indigentes & 3. Rh. 10 Imago eſt translatio rationis adjectione differens.

imaginis metaphoram proportionis, cui ratio adjicitur ex ſimilitudine. Veluti iſta, qvam ab Androcione ſumſit. *Idriæus ſimilis eſt CANIBUS, qvi vincti catenis domi tenentur, nam illi ſoluti poſtea in omnes incurrunt. Sic idriaum vinculis ſolutum factum eſſe acriorem.* Et hæc Antiſthenis imago Cephiſodotum thuri eſſe ſimilem. THUS *enim cum conteritur ſvavem odorem exhalat & Cephiſodotus niſi plagis contuſus nil rectè agit.* Et iſta Demoſthenis de *populo: eum eſſe ſimilem NAUCLERO valido qvidem ſed ſurdaſtro* ſeu ut alii: GUBERNACULO *robuſto ſed curvo. Habet enim populus magnas vires, ſed judicium corruptum.* Et aliæ, qvas ſupra recitavi. Qvid igitur deeſt imaginibus hiſce Ariſtotelicis, qvo minus argutiæ fiant ſymbolicæ, niſi ut pingantur? Qvin ex verbis oratorum, unde imagines petitæ ſunt, dicta excepere poſſumus, *canì e. g. ſoluto* adſcribentes SÆVIOR SOLUTUS: & in *thus contuſum CONTRITUM DELECTAT.* Et in *gubernaculum* ROBUSTUM SED CURVUM. Unde infero perfectum ſymbolum nihil aliud eſſe qvam IMAGINEM i. e. argumentum *à ſimili* in (317.) axiomate hoc proportionis fundatum: *ſicuti ſe habet ſecundum ad primum, ſic qvartum ad tertium.* Sicuti enim ACULEI ſunt arma HYSTRICIS, ſic ARMA ſunt aculei LUDOVICI & ſic *ſecundum* reſpondet *primo & qvartum tertio.*

(317.) Ar. Poët. 20. Proportione reſpõdens dixerim qvando aliqvod ſecundum ad primum ſimili ratione ſe habet, qva qvartum ad tertium.

Hoc igitur CONSPICILLO ARISTOTELICO explores licet omnia ſymbola, ut judicare poſſis ſintne perfecta an minus. Neqve enim perfecta erunt, qvorum non potes qvatuor terminos tuis digitis comparare in hunc modum: *ſicuti hyſtrix aculeis prope & procul pungit, ſic Ludovicus armis propè & procul vincit.* Et qvo clariores erunt qvatuor termini, eò pulchrius ac perfectius erit ſymbolum, & contra qvò implicatiores, eò & obſcurius erit ſymbolum. Hinc ſymbola ſimplicis ATTRIBUTIONIS non poſſunt eſſe perfectiſſima, cum metaphora Attributionis, qvæ non ſimilitudine ſed unitate nititur, nunqvam poſſit ad *qvatuor terminos* revocari, ſicut geometricè ſupra demonſtravi & exempla ipſa *ſymbolorum Attributionis* ſatis evincunt.

Theſis

Theſis Qvarta

Hoc argumentum eſt POETICUM.

Duobus modis, ut (318.) autor noſter docet, uti poſſumus IMAGINE, altero qvidem, qvi rem rei comparat, ut *Ludovicus eſt hyſtrici ſimilis*, altero qvi hoc illud eſſe fingit, ut *Ludovicus eſt hyſtrix.* Ex priori modo ducitur argumentum proprium & oratorium tale:

Ludovicus eſt ſimilis hyſtrici. Sicut enim hyſtrix propè & procul ferit ſpinis: ſic Ludovicus inimicos ſuos prope & procul vincet armis.

A poſteriori modo naſcitur argumentum Metaphoricum & poëticum in hunc modum:

Ludovicus eſt hyſtrix, Ergo inimicos ſuos prope & procul percutiet.

Vides propoſitionem eſſe fictionem metaphoricam, atqve adeo poëticam, cum fictio ſit ſubſtantia poëſeos. Contra argumentum oratorium adhibet *comparandi particulas*, in qvibus propriè nec metaphora eſt nec fictio. Hinc metaphora eſt ingenioſior qvam imago ob fictionem, multò qvoqve jucundior, (319.) primum qvia novius aliqvid docet, ſcilicet hoc eſſe illud: deinde qvia imago rem totam explicat, ſed metaphora proprietatem modo indicat, reliqva intellectui aſſeqvenda relinqvens, ut ſupra dixi.

Symbolum igitur ARGUMENTUM POETICUM eſſe dico, qvoniam non adhibet *terminum comparationis* ſed ante oculos ponit hyſtricem, ex qvo intelligas Lodovicum eſſe hyſtricem, ad eum modum, qvo (320.) pictura perſvadere cupit, fictum eſſe verum, & metaphora, Achillem eſſe Leonem. Id qvod infertur falſo ſyllogiſmo, qvi ex tribus affirmantibus in ſecunda conſtat, ſcilicet, *Leo eſt ferox, Achilles eſt ferox, Ergo Achilles eſt Leo.* Item *hiſtrix prope & procul ferit, idem facit Ludovicus, Ergo Ludovicus eſt hiſtrix.* Et hic eſt paralogiſmus, qvem (321.) autor noſter vocat *poëtarum mendacium*, cujus exemplum bonus Homerus dedit. In hoc enim paralogiſmo

(318.) Ar. 3. Rhet. 4. Imago etiam trãslatio eſt: parum enim à translatione differt. Nam cum Achillem ut Leonem irruiſſe *poëta dixit imago eſt, cum vero dicit Achillem* Leonē, *trãslatio.*

(319.) Ar. 3. Rhet. 10. Imago minus ſuave eſt qvam translatio qvoniam longior & non dicit hoc illud eſſe, qvare nec animo id qværit.

(320.) Ar. Poët. 2. Ideoq́; hujusmodi imagines intuentes gaudent, qvoniam ex illarum contemplatione accidit, ut ratiocinentur qvod hoc illud ſit.

(321.) Ariſt. Poët. 24. Homerus præcipuè alios docuit qvo pacto mendacium dicendum ſit, qvod profectò paralogiſmus eſt.

Digitized by Google

mo omnis ars poëtarum & pictorum conſiſtit, & perfectior poëta & pictor is eſt, qvi qvam optimè novit παραλογίζεσθαι, veriſimile pro vero venditans, ut docui ſupra.

Theſis Qvinta

SYMBOLUM eſt compoſitum qvoddam ex CORPORE & ANIMA.

Omne verbum ſeu dictum ſeu ſcriptum (322.) eſt SIGNUM SENSIBILE, indicans SENTENTIAM INTELLIGIBILEM, ad eum modum, qvo ludentes calculum ponunt, qvi cernitur: ut ſignificetur nummus, qvi non cernitur. Sic igitur *ſignum ſignificans* erit CORPUS Orationis ſeu materia; *ſententia ſignificata* erit ANIMA ſeu forma. Pariter *oratio metaphorica* componitur ex *corpore & anima* h. e. ex vocibus propriè ſignificantibus & ſententia impropriè ſignificata. Sic in ſymbolo, qvod metaphora eſt picta, *figura cum proprietate ſua* aliqvid *ſignificante* conſtituit CORPUS, & *perſona* cum *proprietate ſignificata* faciunt *ANIMAM*, in hunc modum:

(233.) Ar. l. Elench. 1. Nominibus pro rebus utimur ut ſignis quemadmodum qvi calculis ſupputant.

CORPUS proprie ſignificans.	1. *HYSTRIX.* 2. *Vibrans SPINAS.*
ANIMA metaphoricè ſignificata.	3. *REX* 4. *Tractans ARMA.*

Eſt igitur ſymbolum ejusmodi compoſitum qvod miraculi naturam habet, utpote cujus anima extra corpus degit. Nam *qvod ſignificat* ſenſibus in ſcuto cognoſcitur, *qvod ſignificatur* mente intelligitur.

Unde hoc intelligitur ad ſubſtantiam ſymboli *figuram & ſententiam* ſine ullo dicto ſufficere. Talia erant priſcorum heroum ſymbola. Qvod enim ſymbolum *corpus* habet & *animam*, ejus integritati nihil deeſſe poteſt.

Theſis Sexta

Corpus Symboli perfecti ſit VERUM & REALE.

Etiamſi Metaphora ſit fictio poëtica, reqvirit tamen (323.) *veriſimile* in *natura* fundatum. Nam ſi metaphoricum ſignificatum ponas in aliqvo ſignificante chymærico: veriſimile ſuperſtruis in veriſimili, atqve adeò fictio fictione perlucet, & paralogiſmum illum, de qvo diximus, evertit. Unde libentius Rhetores admittunt metaphoram hanc: *adulator eſt principum SCOPULUS,* qvam *adulator eſt Principum SCYLLA. Scopulus* enim verè & naturaliter exiſtit, *Scylla* eſt res imaginaria & fabuloſa, & qvamvis ejusmodi *metaphora* videatur ingenioſior, certum tamen eſt eam rationi magis adverſari & proficiſci potius à juvenilis ingenii levitate, qvam gravis judicii ſoliditate. Præterqvam qvod ingenioſius eſt ſimilitudinem in veris objectis reperire, qvam eandem inter objecta pro arbitrio excogitata confingere. Verum enim certos habet limites, qvibus intellectus conſtringitur, (324.) fictum verò infinitum eſt & ſine terminis, cum illud ſuo qvisqve ingenio facile poſſit adaptare. Unde facillimum eſt (obſervante (325.) autore noſtro) apologos fingere, facilius certè qvam ſimilitudinem in humanis actionibus deprehendere.

Excludo igitur à perfectiſſimo ſymbolo omne corpus CHYMÆRICUM & IMAGINARIUM, non qvòd argutiſſimæ & ingenioſæ ſignificationes his non poſſint ſuperſtrui, ſed qvia fundamentum eſt leve & incredibile. Unde Virgilius magno judicio in Regis Latini galea inſigne poſuit *Solem* i. e. corpus naturale, in Turni verò juvenis tumidi, *Chymæram*: unde corpora Chimærica nomen acceperunt. Rejicio poſtea omnia corpora PRÆTER NATURAM CONJUNCTA, utut unumqvodqve ſeparatim exiſtat, veluti *cancrum*, qvi chelis *lunam* comprehendit, cum dicto: FATIS AGOR, qvod erat ſymbolum Angvillaræ. Item omnia corpora INVISIBILIA, qvæ ſola vis imaginationis effinxit. Veluti *ventos* repræſentatos *humano ore* aliqvid *efflante & ſolem inſtar aurigæ* Regis

(323) *Ar 3. Rhet. 2. Cavendum ne fictè dicere videamur, ſed innatè. Hoc enim veriſimilē reddit orationem, illud autē contrarium.*

(324) *Ar. 3. Rh. 6. Si quæ non ſunt ea dicis, ut* modicus qvidam ventoſ9 collis, *in infinitum enim ſic amplificatio fit.*

(325) *Ar. 2. Rhet. 21. Cum difficile ſit res præteritas ſimiles invehere, apologos facillimè eſt fingere.*

gis Philippi. Porrò IMAGINES ABSTRACTAS, ut *fortunam* explicantem vela Caroli Archi Ducis Auſtriæ, aliosqve *Iconiſmos* ſeu inventos, ſeu fabuloſos. Omnes enim indicant ingenii anguſtias, qvod ad fictiones confugit, qvoniam in veris corporibus ſimilitudinem nullam reperit.

His omnibus igitur multò perfectius erit Symbolum Regis Ludovici, qvod, cum eandem ſententiam repræſentare potuiſſet *fabuloſis Stymphalidis*, qvæ ſunt mulieres volantes, & alis ſuis ſagittas ferreas excutientes, cominus eminusqve feriunt: prætulit corpus naturale, videlicet hyſtricem ſpinas undiqve projicientem.

Qvod ſi ex me qværas utrum rectè adhibeantur illa *corpora* aut *proprietates*, qvæ etſi revera non exiſtunt, pro veris tamen vulgò habentur, ut *phœnix* ex cineribus ſuis renaſcens, *Heliotropium* ad ſolem ſe convertens, *Pelicanus* ſuo ſangvine pullos à mortuis reſuſcitans, *urſa* lambendo fœtus ſuos perficiens, *cantus Cygni moribundi*, *Salamander*, *Pyrauſtus*, *adamas* flammis inſuperabilia: res omnes famoſæ at fabuloſæ, ex qvibus multa ſymbola magna laude celebrata conſtant: Reſpondebo qvod (326.) autor reſpondit de argumentis tragœdiarum: revera falſis, ſed vulgo receptis creditisqve: *à principio ejusmodi fabulæ contexendæ non erant, ſed ſi ſemel conſtitutæ ſint & ita recepta, eas admitti, qvamvis abſurdas, probabilius erit*; Indicans iſto comparativo *probabilius* qvod iſtas in malis bonas, in bonis malas judicaret.

(326) Ar. Poët. 22.

(327) Ar. 3. Rhet. 2. Translationes à pulchris transferēda ſunt ut ſono, aut poteſtate, aut viſu, aut alio quopiam ſenſu. Differt autem & melius dicitur Aurora ROSEA, *quā* PURPUREA, *& multò peius* RUBEA.

Theſis ſeptima

Corpus perfectiſſimi Symboli ſit NOBILE ET PULCHRUM.

Perfectum Symbolum eſt *metaphora perfecta*: ducatur ergo neceſſe eſt à rebus *nobilibus & pulchris*. Inter metaphoras enim illæ potiſſimum ab autore (327.) noſtro commendantur, qvæ menti objiciunt aliqvod elegans, & oculis auribusqve aliisve ſenſibus acceptum, aut ſaltem nobiliori & perfectiori virtute præditum. Unde pulchrior erit (inqvit ille) metaphora, *aurora* ROSEA qvā PURPUREA. Qvanqvam *jus*

enim utraqve rem ejusdem generis referat, ſcilicet colorem rubeum vox tamen PURPUREA repræſentat ſangvinem corruptum viliſſimi vermis, ſed ROSEA ante oculos ponit pulcherrimum oculisq́; gratiſſimum objectum. Idem de NOBILITATE ſentio; Unde Homerus furorem Achillis in hoſtes expreſſurus, rectius illũ vocat *leonem* qvam *viperam*. Utut enim utrumqve vocabulum belluam furibundam ſignificet, *leo* tamen præſtantior eſt & perfectior. Accedit qvod, cum Symbolum ſit *expreſſio ſententiæ heroicæ*, viliſſimum animum oſtenderet ille, qvi comparatione uteretur abjecta & ignobili, ut Dantes merito hac de cauſa à bonis autoribus reprehenſus: præſertim cum Symbolis propoſitæ ſint ſententiæ laudabiles & honeſti ratio poſtulet (inqvit (328.) ator noſter) ut metaphoræ laudantes à rebus nobilioribus deriventur, ſicuti vituperantes ab ignobilioribus, qvæ in eodem ſunt genere. Unde laudaturus hominem doctum, apellare potes THEATRUM *Muſarum*, irriſurus STABULUM *Muſarum*, utrumqve nomen ad idem genus pertinet ad locum, ſed alterum eſt honeſtius, alterum deterius.

(328) *Ar. 3. Rhet. 2. At hac ſi laudare velis à melioribus, ſi vituperare à pejoribus eorum; qvæ in eodem genere ſunt ducẽda translatio eſt.*

Excludo igitur à perfecto Symbolo omnia illa *corpora*, qvæ licet affectionem qvandam ingenioſe exprimant, IGNOBILIA tamen ſunt, & CONTEMPTA, ut *bufonem*, qvi flammis incluſus disrumpitur Franciſci Cibi cum dicto: DI BENE IN MEGLIO. Et *bovem inter aram & currum* Panvinii cum dicto: AD UTRUMQVE PARATUS. Etſi enim ea, qvæ ſignificantur ſint ſatis nobilia, cum tamen corpus ſymboli pro illo, ut diximus, accipiatur, qvi utitur ſymbolo: de iſto dici oporteret, EGO SUM BUFO de hoc EGO SUM BOS.

Rejicio porrò illa *corpora*, qvæ *nobilia* qvidem ſunt, & *pulchra* ſed nomen habent vulgò in malam partem acceptum. Eſt nobile ſymboli corpus illa *machina*, qva in mari infiguntur pali acuti, qvam pro ſymbolo ſuſtulit Andreas Andræuccius cum dicto: FIRMIUS. Cum tamen huic inſtrumento ab Architectis Italis nomen impoſitum ſit *becco*, qvod apud nos parum honeſtum eſt, hinc ſymbolo ex ſolo nomine adhæret macula.

Et generatim fugienda ſunt omnia illa *corpora*, qvæ utut nomine & figura ſint nobilia, cavillandi tamen occaſionem ſiniſtrè judicantibus dare poſſunt. Sic Hippolitus Peruſinus familiaris Papæ Julii II. ut

ut ſe beneficientiæ heri ſui obſtrictum eſſe indicaret, ſymbolum aſſumſit ejusdem Pontificis nobiliſſima inſignia, videlicet *quercum* cum dicto: Umbram Atqve Salutem, ad *quercus* ſeculi aurei argutè reſpiciens, ſed diverſo ſenſu malitioſi aulici; autorem hinc irridebant, tanqvam *devoratorem glandium.*

Conſtat qvidem magna & faceta ingenia ſymbola non jocoſa, ſed ſeria de induſtria condidiſſe *corporibus* ignobilibus, ex beneficio, qvod (329.) autor ipſis (ut ſupra indicavi) permiſit, ut vitia oratoria nonnunqvam in virtutes converterent & arte in artem ipſam peccarent, qvod etiam pictoribus non inſolens eſt. Sic Academicis ut vocantur cucurbitæ & furfuris placuit in ſymbolis ſicuti in nominibus, uti illis qvidem *cucurbita* cum perticis, iſtis cribro pollinario, viliſſimis inſtrumentis nobilia cogitata exprimentes. Sic nobiles illi in Belgio ſeceſſionem facientes, ut publicè ſignificarent ſe arma capere non ex perfidia, ſed inopia, nomen ſumſerunt Mendicorum & *manticam* loco ſymboli, cum dicto: Fideles Usqve Ad Manticam. Sed de ejusmodi licentia infra qværemus, cum perſpicuum ſit, qvod ea qvæ vel ſponte, vel imprudenter peccantur, perfectæ ideæ, qvam hic qværimus, convenire non poſſint.

(329) Ar. 3. Rhet. 5. Hæc ergo omnia fugienda ſunt, niſi quis ſtudio id faciat.

Qvantum igitur ad hoc caput perfectiſſimum eſt ſymbolum *hiſtricis* undiqve ſpinas emittentis. Qvod corpus adeò nobile eſt & pulchrum: ut natura illud ſpectantium & terrori & voluptati armaſſe ornaſſeqve videatur. Unde Claudianus eleganter more ſuo:

Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præſidio dignata feram. Stat corpore toto
Sylva minax, jaculisq; rigens in prælia creſcit
Picturata ſeges &c.

Theſis Octava

In perfectiſſimo ſymbolo corpora NATURALIA *præferuntur artificioſis.*

Sepoſita omni alia ratione generatim dico *corpus* NATURALE tanto eſſe nobilius arte facto, qvanto eſt natura arte nobilior. Hæc

Mmmm 3 enim

enim eſt mentis divinæ, iſta humanæ opus: Hæc magiſtra eſt, iſta imitatrix. Et in primis ſi *corpus* eſſet opus *mechanicarum* artium. Sicuti enim iſtæ artes viliores ſunt, ſic minus heroëm deceret ratione fortitudinis comparari incudi inter malleos, qvam Leoni inter gladios. Præterea ſicuti res *naturales* æternæ ſunt, & *artificioſa* temporariæ: ſic ſimilitudo cum rebus naturalibus fatalis veluti & divina videbitur. Deniqve metaphoræ ductæ à rebus *naturalibus* etiam ſimpliciores videntur, à rebus *artificioſis* magis affectatæ: iſtæ veriores, hæ magis fictæ. Unde (330.) autor noſter pro exemplo metaphoræ frigidæ hoc eſt, qvæ veriſimilitudine careat, duas affert Alcidamantis, qvi Philoſophiam dixerat *vallum & foſſam legum*, & Homeri Odyſſeam *ſpeculum* humanæ vitæ. Qvodſi inter exempla imaginum (ut diximus) *gubernaculum* retulit, fecit illud plebis ingenio, valido ſed curvo repræſentando. In vituperando autem à rebus *ignobilioribus*, ſicut in laudando à *nobilioribus* metaphoras petendas eſſe diximus.

(330.) *Ar. 3. Rh. Ut etiam Alcidamas Philoſophiam* vallum *legum* atqve foſſam *appellat, & Odyſſeam* pulcherrimum humanæ vitæ ſpeculum. *Cuncta enim hæc parum credibilia ſunt propter ea, qvæ dicta ſunt.*

Hinc in clypeis antiqviſſimorum heroum, qvæ authentica ſunt ſymbolorum exempla, *corpora naturalia* cernes picta, non *artificioſa*. *Aqvila* erat ſymbolum Jovis in rebelles, qvæ poſtea tranſiit in familiam Cadmi Thebas, Theſei Athenas, Æneæ in Phrygiam à qvo ad Latinos transmiſſa eſt. *Leo* erat ſymbolum Agamemnonis, ut dictum eſt: *fulmen* erat ſymbolum Regis Scytharum Colaſſis filii Jovis, qvem Romani poſtea imitati ſunt. Pindarus autor eſt Amphiaraum in expeditione Thebana *Draconem* clypeo prætuliſſe, Capaneus, Statio memorante, geſtabat *hydram*, Hippomedon *Typhonem*, fumum ore evomentem: Polinices *Sphingem*, Ulyſſes *Delphinum*: ſymbolum Palladis erat *noctua* ſignum vigiliarum, qvibus ſapientia comparatur, commutata poſtea *capite Meduſæ*, ubi metaphora proportionis in metaphoram attributionis converſa fuit. Argonautæ omnes in ſcutis varias *imagines naturalium rerum* præferebant, hic *planta*, iſte *draconis*, alius *monſtri marini*, alius *belluæ* cujusdam ſylveſtris, qvas ad vivum calamo depinxit Valerius Flaccus, qvi bellum illud ſub pacifica Domitiani lauru cecinit.

Perfectiſſimum igitur ſymbolum haberi meretur iſtud Regis Ludovici, qvod objicit oculis nobiliſſimum *corpus naturale*, *hyſtricem* à ſe ipſa armatam, & ab arcu tergi ſagittas carni infixas in hoſtes emittentem.

Sed

Sed hæc omnia generatim ſunt accipienda. Sicuti enim ſymbolum cujus ideam modo qværimus, multas reqvirit perfectiones: ſic fieri poteſt, ut corpus NATURALE vincat qvidem ARTIFICIOSUM una dote, ſed aliis vincatur, v. g. ſi corpus artificioſum ſit minus *nobile*, ſed *ingenioſius* fortè ſit & *admirabilius*.

Sed, ſi corpora, inqvis, NATURALIA, qvæ nobiliſſima ſunt ſymbolis qvoqve ſunt digniſſima, nulla erit dubitatio, an perfectum ſymbolum CORPUS HUMANUM admittat, qvod corporum omnium eſt nobiliſſimum. Sit igitur.

Theſis Nona

Perfectiſſimum ſymbolum non admittit CORPUS HUMANUM.

Qvotqvot humanum corpus à ſymbolis excludunt, afferunt hanc rationem, qvod inter *hominem & hominem* non SIMILITUDO intercedat, ſed IDENTITAS. Qvod qvidem ita indiſtinctè prolatum verum non eſt, cum inter hominem & hominem metaphoræ & imagines argutiſſimæ, qvæ proportione nituntur, reperiri poſſint, qvalis eſt hæc Democratis ab (331.) autore noſtro inter argutas imagines relata: *oratores ſimiles ſunt nutricibus ſicuti enim hæ cibum deglutiunt, ſaliva pueros inungunt; ſic iſti opulentiſſima ſtipendia ad ſe trahunt, Reipl. minimum utilitatis conferunt.* Et hæc Periclis: *Samii ſimiles ſunt infantibus, qvi panem lacrimantes accipiunt.* Cum enim ab Athenienſibus victum ſibi compararent, ſemper tamen de amiſſa libertate qverebantur. Et iſta Theodamantis: *Archidamus talis eſt in adminiſtratione civili, qvalis Euxenus in Geometricis*: Uterqve enim multum ſe ſcire putabat in arte ſua & tamen nihil ſciebat. Unde autor noſter proportionem invertens, facetè Euxenum vocat *Archidamum Geometricum*, & Archidamum *Euxenum politicum*. Sic celebres reperiuntur argutiæ heroicæ, qvæ ejusmodi metaphora *ab homine ad hominem* ducta nituntur, veluti *Atlas cælum ſuſtinens* Gvidonis Bentivolii cum dicto: MAJUS OPUS, arduum ſuum propoſitum indicans ruentem patriam ſuſtinendi. Et *peregrinus* eqvitis

(331.) *Ar. 3. Rh. 4. Et Democrates oratores nutricibus conferebat, qvæ deglutientes cibum ſaliva pueros inungunt.*

tis Goitii, cum dicto ET CÆTERA qvo ſignificabat ſe ex animo Dominæ ſuæ ejectum eſſe.

Largior itaqve ex *corporibus humanis* fieri poſſe argutiſſima & nobiliſſima ſymbola ducta proprietate à genere ad genus, ut ab *actionibus phyſicis* ad *morales*: ſed perfectiſſimum ſymbolum qvod hic exempli loco qværimus, inde conſtitui poſſe nego, idqve duabus de cauſis: altera eſt, qvod etſi proprietas ſit diverſorum generum, ſubjectum tamen eſt ejusdem ſpeciei. Unde qvod prima *theſi* dicebamus, major vis ingenii cernitur in ſimilitudine rerum diſtantium reperienda, veluti inter *hominem & plantam*, qvam inter *hominem & hominem*. Altera & præcipua ratio pendet ex duabus theſibus, qvæ ſeqvuntur.

Theſis Decima

Corpus perfectisſimi ſymboli ſit ADMIRABILE.

Metaphorarum (332.) qvædam ſunt *ſuperficiariæ*, qvædam ADMIRABILES. *Superficiariæ* ſenſum habent perſpicuum & cuivis obvium. *Admirabiles* ſenſum habent reconditum & eruditum, unde auditor, qvi illum aſſeqvitur lætitiam capit, ut diximus ſupra.

(332) Ar. 3. Rhet. 10. Dicimus Superficiaria, quæ cuilibet patent, nec qvicqvam habent, qvod in eis qværere oporteat.

Superficiaria igitur vocare poſſumus ſymbolorum corpora, qvorum affectio ita plana eſt, ut qvilibet ex trivio cauſam poſſit perſpicere, veluti *fax*, qvæ lucente ſole lumen perdit, cum dicto: LUMINE VICTUS Matthæi Juſtiniani & *lucerna clauſa* Mutii Matthæi, cum dicto: ARDET NON LUCET. Qvorum ſymbolorum utut arguta ſit ſignificatio (de qva poſtea dicemus) proprietas tamen ſignificans nemini niſi cœcus ſit obſcura eſſe poteſt.

E contrario ADMIRABILES ſunt iſtæ, qvarum figura vel proprietas à communibus naturæ legibus diſcedens animum ſuſpenſum & admirabundum tenet, veluti *acus nautica* qvæ non aliter ac ſi oculos haberet, ad ſolam ſtellam polarem ſe convertit, cum dicto: NULLI ALII Garziæ Toletani, & *Herba lotos*, qvæ nocte aqvis Euphratis obtecta oriente ſole emergit, meridie tota erigitur, occidente ſole in aqvas occidit & abſconditur. Unde hunc florem ad ſymbolum

bolum tranſtulit Cardinalis Madruccius, cum dicto: EMERGO LUCENTE SOLE. Et plures aliæ ejusmodi figuræ ac proprietates admirandæ *fontium meteororum, plantarum, animalium*, qvas plurimas collegit (333.) autor noſter, Plinius, Majolus, & tot alia opera facta Mathematica, Optica, Architectonica, ut notavi ſupra inter argutias naturæ & ingenii. *(333.) Arte admirandis conditionibus.*

Perfectum igitur erit Regis Ludovici ſymbolum, qvod *corpus* exhibet forma ſua admirabile, vivum qvaſi atqve volans armamentarium referens: ſed admirabilius illud eſt proprietate à Claudiano deſcripta:

- - - Additur armis
Calliditas, parcusqve ſui timor, iraq; nunqvam
Prodiga telorum, caute contenta minari,
Nec niſi ſervandæ jactus impendere vitæ.
Error abeſt: Certum ſolertia deſtinat ictum,
Nil ſpatio fallente modum: ſervatq; tenorem
Muta cutis, doctiqve regit conamina viſus.
Qvid labor humanus tantum ratione ſagaci
Proficit? &c.

Sic igitur, qvi vivam *hyſtricem* cerneret horribilia arma ſua tanta arte tractantem, non dubium eſt, qvin attonitus redderetur & obſtupefactus.

Theſis Undecima.

Corpus perfectisſimi ſymboli ſit NOVUM, nec tamen IGNOTUM.

Hæ duæ perfectiones ſibi repugnare videntur, utrumqve tamen in metaphora reqvirit autor (334.) Poſtulat ut *nova* ſit. Novitas enim admirationem, admiratio jucunditatem parit, ut experi-

(334) Ar. 3. Rhet. 2. Innſitatiora ſunt adhibenda, hæc enim ex omnibus maximè admiramur, admirabile autem omne jucundum eſt.

 mur

mur novi aliqvid diſcentes. Sed diverſa parte reqvirit, ut *clara* ſit, ſiqvidem (335.) *obſcuritatem* inter frigora metaphoræ refert.

(335.) Ar. 3. Rhet. 10. Tranſlationibus frigiditas fit, ſi obſcura ſunt.

In priorem legem peccant illa *corpora ſymbolorum*, qvæ qvamvis nobilia, cum tamen qvotidie in oculis verſentur nihil novi autrari docent, qvalia ſunt *corpus humanum*, *pavo*, *eqvus*, *ſol*, *flumen*, *fons*, *qvercus*, *ſcopulus*, *mons* aut, qvæ rarò qvidem videntur freqventius tamen in ſymbolis depicta cernuntur, ut *leones*, *aqvila*, *fulmina*, *palmæ &c.* Qvanqvam proprietas admirabilis huic qvidem vitio mederi poſſit, cum in corporibus non novis novæ obſervationes locum inveniant. Idem ſentio de proprietatibus qvibusdam admirabilibus, ſed hodie pervulgatis & obſoletis, veluti *in flammis renaſci* de phœnice, *ferrum attrahere & ſtellam proſeqvi* de magnete. Imprimis ſi *corpus* illud atqve iſta *proprietas* jam ab aliis occupata fuerit, veluti phœnix à Jolito, Comite Trinitatis, Cardinali Chriſtophoro Madruccio. Et *herba lotos* adhibita, ut dictum, à Ludovico Madruccio, cum dicto: EMERGO LUCENTE SOLE, & à Ferrante Caraffa, cum dicto: SIC DIVA LUX MIHI. Sic igitur hæc *corpora* utut *admirabilia* cum novitatem amiſerint, & admirationem & pretium ſuum amiſerunt. Sicuti igitur (336.) metaphora, ſic ſymbolum utpote fœtus multò ingenioſior non alieno, ſed noſtro ingenio excludendus eſt.

(336) Ar. 3. Rhet. 2. Nec eſt metaphorâ accipere ab aliqvo, & Poët. 21. Id qvod unum non aliunde qvæſitum ſit oportet.

In poſteriorem legem impingunt illa *corpora*, qvæ qvod nimis *nova*, etiam *obſcura* ſunt. Et qvæ voluptas, aut qvæ doctrina capi poteſt ex imagine (337.) rei prorſus ignotæ? Talis eſt *flos Lotos*, in ſcuto pictus, qvem fortè accolæ Euphratis agnoſcerent, nos non item. Hinc adeò autores ipſi inter ſe non conveniunt, qvomodo pingendus ſit, ſiqvidem in hominum illuſtrium ſymbolis nobis repræſentatur veluti nola cum foliis, in Ruſcellii ſymbolis inſtar longæ ariſtæ, in Matthiolo tanqvam baccæ lauri. Idem ſentio de aliis *corporibus* ſeu *mixtis*, ſeu *plantis*, ſeu *animalibus* alterius orbis in qvibus verè perſpiciuntur admirabiles qvalitates, ſed nobis ignoratæ, ut adeò autori eruditus commentarius in ſuum ipſius ſymbolum conficiendus eſſet.

(337.) Ar. Poët. 2. Si veras formas nencit, qvam inſpexiſſent, nullam omnino voluptatem præberet imitatio.

Magna itaqve laus debetur ſymbolo Regis Ludovici, inqvo utraqve dos concurrit, qvæ *corpus* exhibet novum qvidem non tamen ita, ut ab aliqvo in rerum natura non prorſus hoſpite agnoſci neqveat. Sic igitur ſimul & videt corpus oculus, & mens illud intelligit, &

animus

animus gaudium ex eo capit, cum formam ejus capiat, poſtqvam & ex fama illud cognovit.

Theſis Duodecima

Proprietas perfectisſimi Symboli ſit EVIDENS & ENERGICA.

Ex metaphoris illæ præ cæteris ab autore (338.) noſtro commendantur, qvæ cum hypotypoſi conjunctæ ſunt, & rem ante oculos ponunt qvaſi agatur, ut ſupra diſſerui. *Homo* QVADRATUS pro perfecto pulchra eſt, (339.) inqvit ille, metaphora, ſed ſine actu & veluti mortua. Sed *haſta* VOLABAT, rem ante oculos ponit in actu vividiſſimo. Ex ſymbolis itaqve perfectiora ſunt, qvæ proprietatem oculis objiciunt *actu* ipſo non *potentia*, metaphoræ proportionis hypotypoſin conjungentia. Pro hieroglyphico Vigilantiæ ſatis eſt pingere *caput ciconiæ* ſed ad ſymbolum formandum ſatius eſt eandem pingere totam altero pede erecto, qva ſaxum complectatur, ad eum modum qvo Alexander manibus tenebat globum, qvo excitaretur. In nummo Domitiani ſatis eſt *Leo* cum dicto: IMPERATORI, ſed in ſymbolo repræſentandus eſſet Leo furiens, adverſus gladios oppoſitos pugnam parans, ac ſi diceret: PER TELA, PER HOSTES.

Hanc dotem Rex Ludovicus conciliavit *biſtrici*, dum' eam pingi fecit ſagittas de tergo actu ipſo vibrantem: *ſe pharetra, ſeſe jaculo, ſeſe utitur arcu.*

(338.) *Ar. 3. Rhet. 10. Præterea ſi præ oculis rem ponit qvaſi agatur.*

(339) *Ar. 3. Rh 11 Si qvis conſtantem virum* qvadratum *dixerit trãslatione uſus eſt, ſed hæc translatio nihil gerentem ſignificat,*

Theſis Decimatertia

Proprietas perfectiſſimi Symboli ſit SINGULARIS.

Argumenta Similitudinum duci poſſunt ab aliqva proprietate vel *generica*, vel *ſpecifica*, vel *ſingulari*. *Volare* eſt proprietas GENERICA omnium avium, *partus ſuos ad ſolem explorare* eſt proprietas SPECIFICA omnium aqvilarum, *ex cineribus renaſci* eſt proprietas SINGULARIS ſolius Phœnicis. In argumentis igitur & epithetis

 (340.)au-

Digitized by Google

(340) *Ar. 2. Rh. 14. Qvantò propinqviora tãtò propria magis & communio.*
(341.) *Ar. ibid. Communia dicimus ut ſi Achillē laudas, qvoniam vir, qvoniam SemiDeus. Propria vero, qvæ nemini præterqvã Achilli contigerunt.*

(340.) autor noſter probat ea, qvæ *propinqviora* ſunt & minus communia. Unde Achillem vocare *virum fortem* aut *SemiDeum*, aut *heroëm expeditionis Trojanæ* hæc, (341.) (inqvit ille) communia ſunt reliqvis militibus, ſed vocare eum *victorem Hectoris Trojanorum fortiſſimi*, *Cygni interfectorem*, *militis immortalis*, hæc ſolius Achillis ſunt propria.

Cum igitur ſymbolum ſit argumentum ſimilitudinis: eò perfectior erit ſimilitudo, qvo magis propria & ſingularis erit affectio, & contra inepta foret *proprietas generica*, ubi figura exhibet unicum in orbe individuum, veluti ſi pingeres *phœnicem in ſublime ſe evehentem* cum dicto: DESPICIT IMA. Eſt enim hæc non propria phœnicis ſed aqvilæ & ciconiæ communis affectio. Pariter ubi figura *ſpeciem* deſignat, non tribuenda eſt ipſi proprietas generica, ut *calx* in fornace cum dicto: PERFICITUR, qvoniam fornace perficitur non calx ſolum, ſed etiam *aurum*, qvod ita adhibuit in ſymbolis Franciſcus Gonzaga.

Erit igitur perfectiſſimum ſymbolum, in qvo repræſentat *figura individuum* aliqvod ejusqve *maximè propriam affectionem* veluti *ex cineribus renaſci* de ſola phœnice, *luce propria fulgere* de Sole inter Planetas, *non ſubire Horizontem noſtrum* de urſa ſtella polari, *non alium ferre eqvitem niſi Dominum* de ſolo Bucephalo, *extinctas faces accendere* de ſolo fonte Dodonæo, & ejusmodi aliæ proprietates ſeu veræ ſeu fabuloſæ.

Interdum qvidem *proprietas* aliqva *generica* uni *ſpeciei* vel *individuo* potius convenire videtur qvam alteri, qvando ſcilicet vel *nomine*, vel *loco*, vel *munere*, vel alia *circumſtantia* reſtringitur. Sic perpetua *fragrantia* etſi multis *fructibus ſolidis* à planta ſeparatis convenit, ſpecialius tamen tribuitur *malo Cydonio* à Cotiniola, cum dicto FRAGRANTIA DURAT. Reſpicitur enim ibi ad cognomen celebris illius Ducis & ad inſignia ejus patriæ. Sic qvamvis in *qvercubus* nidulari multis *avibus* conveniat, fit tamen magis ſingulare in *aqvila* Comitis Antonii Landriani, qvoniam *aqvila* in familiæ ſuæ inſignibus & *qvercus* in ſoceri ſui Ducis Urbini inſignibus comparebat, qvo reſpicit cum dicto: REQVIES TUTISSIMA. Sic igitur etſi cominus & eminus ferire multis rebus tam naturalibus qvam artificialibus, ut dictum eſt conveniat: nihilominus *hyſtrici* Regis, qva utebatur in Ducatu ſuo inſigni, magis propriè illud vindicatur. Theſis

Digitized by Google

Theſis Decimaqvarta

Corpus perfectiſſimi Symboli ſit REPRÆSENTATU FACILE.

Qvodcunqve *verbum* ſcribitur, ita (342.) ſcriptum eſſe debet, ut legi poſſit. Omnis *metaphora* (343.) reqvirit ſermonem, qvi intelligatur. Omne igitur ſymbolum, qvod publicè exhibetur, ita debet ſeu ſculptum, ſeu pictum ſeu delineatum in *ligno marmore*, *argento*, *charta*, vel etiam *carbone* in pariete adumbratum repræſentari, ut poſſit agnoſci qvid ſit, & oculi tui non alium niſi ſe ipſos conſulentes pronuncient *hoc eſſe illud*. Hoc deeſt inſignibus familiarum, qvæ *faſces aut trabes* habent ſimplicium colorum, unde marmori inciſa non cognoſcuntur, utrum alba ſint an rubra. Ex hoc capite imperfecta eſt *luna deficiens* Petri Strozzii, hanc enim argento imprimens ignoras, utrum obſcura ſit an candida.

Sed hæc laus eſt in *hyſtrice* Ludovici Regis, qvæ qvacunqve ratione ſeu pingatur ſeu incidatur, etiam ſine coloribus hyſtricem ſagittiferam exhibebit.

(342) Ar. 3. Rh. 10. Univerſaliter oportet eſſe legibile qvod ſcriptum eſt.

(343.) Ar. 2. Rhet. 2. Translatio per non ſignificantes voces frivola eſt.

Theſis Decimaqvinta

Corpus perfectiſſimi ſymboli RESPONDEAT SPATIO.

Sicut in *elocutione verborum* (344.) reqviritur PROPORTIO inter res & verba, ſic in *elocutione ſymbolica* ſervanda eſt proportio inter figuram & ſpatium. Multa ſymbolorum corpora ſunt argutiſſima, at ſi in grandi ſpatio collocantur, erunt nimis exigua: ſin in parvo, erunt nimis grandia. Utrumqve repugnat decoro, qvoniam repugnat veriſimilitudini. Qvæ igitur erit inqvies, menſura? reſpondeo, menſuranda eſſe corpora ad originem & veluti patriam ſymbolorum, videlicet ad *clypeum*, ex qvo ſymbolum, ut diximus, nomen contraxit. Unde ſicut *emblema* pingitur in tabula qvadrata, ſic heroicum ſymbolum in ſcuto pingitur. Emblema enim eſt orna-

(344) Ar. 3. Rhet. 7. Decorum erit in elocutione ſi rebus ſit accommodata.

ornamentum *atriorum*, *portarum*, *parietum* ſymbolum eſt ornamentum proprium *clypei*, & à clypeo transfertur ad *galeas*, *thoraces*, *balteos*, *nummos*, *ſigilla*, & ipſa *emblemata* non minus ac *inſignia familiarum*, ut diſſerui ſupra. Hæc igitur figura ſervabit proportionem, qvam gyrus ſcuti bellici naturaliter poſſit capere. Hoc enim figura redditur perfectius, ſicuti etiam picturæ, qvæ naturam exprimunt, qvoniam ſunt magis veriſimiles, perfectiores ſunt. Hinc (345.) *Mons Olympus* Ducis Octavii nimis vaſtus eſt, qvam ut ſcutum eum per naturam capiat: *Muſca* illius Spartani nimis eſt exigua. Præterea nimis parva objecta in anguſto ſpatio repræſentata formam ſuam perdunt. Unde ſi inſculpas ſigillo *rutam* in ore muſtelæ Franciſci Medicis, comprehendere non poſſes, utrum ruta ſit, an alia herba. Hoc igitur corpus juſtam habebit proportionem, qvod integrè facilèqve ab oculo capi poteſt.

Sed & illud corpus PROPORTIONEM habebit, qvod juſta & aſpectui grata ſymmetria in ſcuto ſitum eſt. Sic ſi figura ſit ſimplex, in centro erit collocanda, ut utrumqve latus pulchra proportione porrigatur, veluti *Phœnix* Gioliti. Si duplex ſit, utraqve latera æqve diſcedent à centro, ut *duæ* columnæ Caroli V. utrinqve ita vinculis conſtrictæ, ut aſpectus inde reficiatur.

Talem igitur proportionem reperimus in *hyſtrice* Regis Ludovici. Naturalis enim ejus magnitudo cum ſpiculis, qvæ projicit inſtar radiorum, à centro ad circumferentiam ductorum, tali ſymmetria elegantia & ſplendore ſpatium omne ſcuti complet, ut oculus ſpectatoris nihil nec ſuperfluum, nec contractius animadvertens admirabili voluptate perfundatur. Unde Hiſtrix pr[illegible]um in *clypeo* tanqvam loco natali expreſſa, & inde ad alia translata in *vexillis* fluctuans, in *baltheo* acupicta, in *nummis* inſculpta, in *gemma* inciſa ſuam ſemper formam ſervat, & variam & ornatam.

Accommodata autem erit, ſi non ſit humilis in rebꝰ magnis, nec in parvis ampla. (345) Ar. Poët. 5. Fieri non poteſt ut perexiguum animal pulchrum appareat: nam qvæ inſenſibili tempore ſpeculatio fit confunditur, nec illud qvod omnino ſit permagnum: ipſa enim ſpeculatio ſimul fieri non poteſt. Magnitudinē igitur eā dico, qvam probè oculis uſurpemus.

Theſis Decima ſexta.

Corpus perfectiſſimi ſymboli poſtulat in figura UNITATEM.

Una & unica perfectio metaphoræ eſt *brevitas* (346.) cum in una

una

una *voce* multæ res perſpiciuntur, ut ſupra dixi. Iſtud igitur ſymbolum erit longè perfectiſſimum qvod unica figura integrum heroicum enthymema ſignificat. Talis eſt ex corporibus arte factis *horologium* cum dicto: SECUM MULTA PRIUS qvæ unica figura & ſcutum implet, & argumentum ſimilitudinis conſtituit. Sed in corporibus naturalibus rarior eſt hæc perfectio, utpote qvorum ſimplicitas difficulter aliqvem animi ſenſum, qvi non ſimplex & generalis ſit, indicare poteſt, niſi dicto illi ſubvenire eumqve clarius declarare velis, in qvo tamen gravius eſt vitium, ut dicemus. Pulcherrima tamen eſt *Luna creſcens* Henrici II. cum dicto: DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM. Hic enim unicum corpus ſufficit & ſcuto implendo & exprimendis vaſtis cupidisqve propoſitis Regis illius nondum Regis in ſpem orbis tunc ſuccreſcentis. Neqve verò imperium ipſum deſtituiſſet, niſi ipſe defuiſſet imperio.

(346) *Ar. 3. Rhet. 11. Qvantò brevius, tantò magis probātur, qvia major diſciplinatio fit.*

Contra imperfectiſſimum eſt ſymbolum Ferrantis Caraffæ neſcio cur tantopere à Ruſcellio celebratum videlicet *palma* de cujus culmine *ſagitta* decidebant in *capram ſylveſtrem*, qvæ *dictamnum* ſub palma comedebat, cum dicto: HINC VULNUS, SALUS ET UMBRA. Qvo magis enim corpora recedunt à pluralitate, eò erunt perfectiora. Ingenioſa tamen & arguta ſunt etiam illa, qvæ duas figuras diverſas qvidem repræſentant, in unum tamen corpus ambæ veluti coëunt, ut *Phœnix* inter *flammas*, *adamas* ſupra incudem, *rotula ſclopeti*, qvæ *clavim* rejicit, Annibalis Cari cum dicto VIM VI, in apologia ſua adverſus Caſtelvetrum.

Hoc omne locum habet in ſingulorum ſymbolis. Sed *academiæ*, *Reipl.* aut alterius *communitatis* ad unum finem ſpectantis ſymbolum plura admittet *corpora*. Ut tria *horologia* academiæ concordiæ, unum *rotis* actum, alterum *ſciathericum*, tertium *arenarium* cum dicto TENDIMUS UNA. At ſi iſta pluralitas in unum corpus colligatur, hac qvidem parte perfectius erit ſymbolum ut ſi una machinula tria iſta herologia concludantur. Hinc eadem ſententia ab academia Mediolanenſi expreſſa fuit una *antlia* cum multis *ſitulis* concatenatis & ſe invicem impellentibus cum dicto: UNA OMNES. Sic pro academia *Fulminantium*, qvæ Taurini eſt, pinxi priſcam illam bellicam & prodigioſam *machinam fulminantem*, qvæ una diſploſione multa tela ſimul emittebat, cum dicto ab Horatio ſumto: OMNES EODEM.

Theſis

Theſis Decimaſeptima
Campus figuræ ſit PURUS ET SIMPLEX.

Sicuti figura unica in ſymbolis maximè laudatur, ſic eadem ſe ipſa contenta ſocietatem omnem ornamenti affectati reſpuit. Iſtud *cœlum*, iſte *aër*, iſtæ *arbores & regiones*, qvæ vulgus in clypeis ſymbolorum pingit, omnia ſunt naturæ adverſa & mentis luſus. *Inſignia* familiarum & *ſymbola* prorſus conveniunt, niſi qvod iſta ſint genti communia, hæc ſingulorum propria. Utraqve ſunt *corpora ſymbolica*, utraqve *ſymbola heroica*, utraqve *ſigna* in clypeis repræſentata. Sicuti igitur magna eſſet ſtultitia *aqvilæ* in *inſignibus, balteis, vexillis*, aut etiam *nummis* imperatoris conjungere regionem, ſic par eſt ſtultitia eandem in ſymbolis pingere. Vacuum illud clypei, qvod vulgo CAMPUM dicimus, priſci architecti *tympanum* aut *diſcum* vocarunt, non aër ſit aut cœlum, ſed color ſcuti proprius, qvi olim erat albus, ut interpretes Virgiliani hemiſtichii obſervant: *parmaqve inglorius alba.* Sed poſtqvam factiones repererunt inſignia colorata & in coloribus myſteria qvæſiverunt, ut docui ſupra: unusqvisqve ſcutum tingere poterit eo colore, qvem vel familia, vel ipſe ſibi proprium elegit. Nec movearis illa ratione non ratione, qvæ corpora ſymbolorum in loco ſolido collocanda, nec in aëre ſuſpenſa veluti relinqvenda eſſe dictitat. Idem enim valebit de *inſignibus gentilitiis*, qvæ in *ſcuto, balteo nummis* atqve *ſigillis* exprimuntur, In ſumma ſymbolum nihil aliud eſt niſi *imago* non in terra qvieſcens, ſed ad ſcutum relata & affixa ut priſcis heroibus uſitatum fuit, & principes hodiè in nummis conſveverunt. Non ignorabat hoc præceptum Rex Ludovicus, qvi & in *ſcuto* & in *paludamento* hiſtricem prorſus nudam geſtabat, ſine illis ſuperfluis ornamentis, in colore cœruleo, qvi Galliæ eſt proprius.

Hactenus *de corpore ſignificante*, venio ad *animam ſignificatam*, i. e. ad *ſententiam*. Sic igitur.

Theſis

Theſis Decimaoctava

Sententia perfectiſsimi ſymboli non ſit præceptum commune ſed SENSUS SINGULARIS.

Qvælibet propoſitio *Demonſtrativi generis* facilè converti poteſt (ut (347.) autor admonet) in Deliberativam fine tantum mutato. *Deliberativa* erit propoſitio, *nobilis ſit ut adamas, qvi malleo fortunæ non frangitur.* Hæc verò fiet Demonſtrativa hoc modo, *hic nobilis eſt ut adamas, qvi malleis fortunæ non frangitur.* Prior *propoſitio* eſt *dogmatica* emblematum propria, poſterior eſt *ſingularis* ſymbolis conveniens, qvomodo iſta uſus eſt Antonius Caracciolus, cum dicto: SEMPER ADAMAS. Sic igitur idem corpus & *emblemati & ſymbolo* ſerviet, mutataq; ſententia emblema in ſymbolum commutabis, & vice verſa, non corpus ſed animam immutans. Sic multa præclara ingenia ſtudio habuerunt tradere præcepta vel *moralia*, vel *politica*, vel *theologica* ſymbolis ex corpore & dictis compoſitis ad inſtar heroicarum argutiarum: qvalis doctrina eſt ingenii fœcundi, ut ſupra dixi.

(347.) *Ar. i. Rhet. 9. Habent a tē commune ſpeciem laus cum deliberatione. Nam qvæ admonendo diceres, ea laudē conſtituunt orationis dictione commutata.*

Theſis Decimanona

Sententia perfectiſsimi ſymboli ſit HEROICA.

Symbolum ut diximus, non aliud eſt qvam *metaphora in ſcuto heroum depicta.* Ab origine igitur ſua ab heroibus in eum finem inventum eſt, ut ſublimia ſua cogitata ſub colorum ſimulacris humili vulgo abſconderent, qvomodo ſagax Minerva heroem ſuum nube texit, ne à qvoqvam, niſi oculis regiis cerneretur. Qvo igitur ſententia erit magis HEROICA & excellens, eò perfectius erit ſymbolum. Sicuti vero virtus heroica verſatur in rebus arduis, ſic excellentiſſima heroicarum virtutum erit, qvæ ad ſuſcipiendas (ut

Digitized by Google

(348) Ar. 3. Eth. 6. Circa qualem igitur virtutem verſabitur? An circa illam, quæ in pulcherrimis rebus contingit? Cujusmodi ſunt quæ in bello oppetũtur in maximo ſcilicet, ac pulcherrimo periculo.

(348.) autor noſter docet) res maximè arduas & periculoſas impellit, atqve id qvidem in tutelam *amicorum, patriæ, principis, propriæ exiſtimationis*, & rerum divinarum. Qvodcunqve igitur ſymbolum ejusmodi ſententiam *nobilem* & HEROICAM præfert, id eſt perfectum & nomini ſuo reſpondet.

Talia erant ſymbola priſcorum heroum & maxima pars illorum, qvæ clariſſimi principes & Duces ſuperiori ſeculo vexillis prætulerunt, nunc prælia minantes ut *hiſtix* Regis Ludovici ante pugnam Ravennatenſem, cum dicto EMINUS ET COMINUS: nunc exprobrantes victoriam, ut eadem *hiſtrix* hoſtibus ad Ravennam fuſis cum dicto: ULTUS AVOS TROJÆ.

Sed qvoniam juvenes bellatores ex militari qvadam opinione, ſe *eqvites alicujus mulieris* profitebantur, tanqvam illi & pro illa ſub ſignis Amoris ſimul & Martis mererent: hinc illos *colores* eaqve *ſymbola* in ſcutis oſtentarunt & pinxerunt, qvæ argutisſimè ſenſum amoris videbantur indicare, utpote qvo præcipue ad ſubeundos labores militares incitabantur. Sic Turnus eqves Laviniæ in ſcuto pinxit juvencam Jo tanqvam ipſe eſſet ejus *Argus*, qvo ſignificabat *iſtis armis ſe Dominam ſuam defenſurum, donec mors ipſius oculos clauſerit*: qvæ ſententia erat argutiſſima nec non heroica & amoris plena. Hinc in ludis eqveſtribus & torneamentis qvæ vocant, ſeu ludicris ſeu ſeriis ejusmodi ſententiam eqvites in ſcutis præferre ſolebant: veluti in Rolando furioſo, qvi Damaſci in magna illa feſtivitate Regis Norandini ad ludos eqveſtres comparebant, *horum alii coloribus artificioſe inventis lætitiam aut dolorem Dominæ ſuæ oſtendebant* (qvæ erant ſymbola) *alii in galeis ſcutisq́, pictis amorem ſeu faventem ſeu crudelem deſignabant* (qvæ ſunt heroica ſymbola.)

Eandem rationem ſervarunt maxime Principes ſuperiori ſeculo in bellis publicis. Unde Rex Henricus II. *Luna* ſua *creſcente* cum dicto: DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM, ſententiam qvidem valde bellicoſam & heroicam expreſſit: ſimul tamen reſpexit (ut Jovius affirmat) ad nomen amicæ, qvæ *Diana* vocabatur, tanqvam ab illa generoſæ militiæ auſpicia mutuaretur. Et ejusmodi *ſenſibus heroico amatoriis* nituntur *ordines eqveſtres* cum ſymbolis, qvæ argutias heroicas imitantur, ut Ducis Burgundiæ *vellus aureum* cum dicto PRETIUM NON VILE LABORUM, Alphonſi Regis

Digitized by Google

Regis Hiſpaniarum *faſcia*, cujus leges erant, *res honoratas perficere & mulicbri ſexui inſervire* Eduardi III. Regis Angliæ *ordo Periſcelidis* (qvi natus eſt ex ligula de tibialibus matronæ ſaltantis delapſâ) cum dicto HONNY SOYT QVI MAL Y PENSE id eſt, *infamis ſit, qvi ſeqvius qvid cogitat.* Caroli Aurelianenſis *hiſtrix* ſeu *Achates*, ut dictum eſt. Ex qvibus omnibus tutò inferre licet, ſententiam ſymboli utpote qvod eſt commentum nobilium, debere eſſe heroicam.

Illud tamen certum eſt, ſicuti locus ubi æmulæ qvadrigæ ad metam decurrebant propriè dicebatur *curriculum*, qvod nomen catachreſi qvadam de *diſco, palæſtra ludis popularibus* dicitur, verſus item jambus utut in aliorum injuriam ut græca ætymologia monſtrat inventus, nihilominus argumentis honorificis vel tragicis vel miſerabilibus ſervit: ſic heroicum ſymbolum utut natum ſignificandis heroicis ac militaribus auſis, nihilominus per catachreſin ſed eleganter extenditur ad ſignificandum omne genus virtutum & ſententiarum *eruditarum*, *politicarum*, *œconomicarum*, imò & *ſatyricarum contumelioſarum ludicrarum & facetarum* Qvæ omnia in ſcuto pinguntur, qvod ita convenit his ſententiis, ut cœlum patinæ.

Theſis Viceſima

Sententia perfectiſſimi ſymboli ſit UNICA.

Symbolum ut intellexiſti, eſt argumentum comparationis. Ab uno igitur medio termino (qvi eſt proprietas ſeu affectio) colligenda eſt una ſententia. Et contra plures ſententiæ, plura etiam argumenta reqvirunt, ut non amplius ſit unum propoſitum, ſed plura veluti in faſciculum ligata. Qvale eſt ſymbolum Ducis Burgundiæ paulò ante memoratum, qvod exhibet *ſilicem* percuſſum cum *igniario & lignis decuſſatim poſitis & Vellus aureum* dependens. Neqve enim hæc in qvatuor terminos redigere poteris, niſi argumentis comparationis multiplicatis & ſeparatis in hunc modum:

Sicuti Argonautæ pericula ſpernebant, ut vellus aureum conſeqverentur: ſic nullo periculo movebor, dummodo amicæ gratiam merear: & ſicut ſilex chalybe percuſſus flammam excitat,

ſic armis Franciæ infeſtatus incendium in ipſa Francia excitabo.

Vides igitur pro uno *corpore ſymboli duo* eſſe cumulata, duas item *proprietates* duasqve *ſententias*, qvæ ingenium intuentis confundunt. Nec ſufficit unam eſſe perſonam, ut ſymbolum ſit unicum. Sunt enim & in (349.) tragœdiis illæ ſtolidiſſimæ, qvæ unam perſonam multasqve actiones repræſentant.

(349) Ar. Poët. 22. Alii vero circa virũ unum verſātur, ſed actionẽ ipſam multimẽbrem conſtituunt.

Neq; tamen reprehenduntur illa ſymbola, in qvibus medius terminus continet anthitheton duorum effectorum ab una cauſa proficiſcentium, veluti ferire EMINUS ET COMINUS in iſta Regis Ludovici, qvin illa ſymbola ſunt argutiſſima & reliqvis perfectiora ut mox dicemus.

Theſis Vigeſima prima

In perfectiſſimo Symbolo figuræ conjungendum eſt DICTUM.

Indicavi qvidem theſi qvinta *dictum* non pertinere ad ſubſtantiam ſymboli, cum *figura qva ſentitur & ſententia qva intelligitur* totum qvoddam ex *corpore & anima* per ſe conſtituant, hic vero etſi non ad eſſentiam, ad decus tamen & perfectionem illud ſpectare dico, idqve duabus de cauſis, altera qvod conjunguntur duæ pulcherrimæ artes *lapidaria & ſymbolica*, qvarum qvæqve ſeorſum etiam delectat & ex omnibus partibus lapidariæ vividiſſima ſunt (350.) *dicta Laconica*, ut diſſerui ſupra. *Dictum* igitur *figuræ* conjungens (351.) laudem laude ingenium ingenio cumulas. Altera eaqve gravior ratio eſt, qvod cum ex uno themate (ut ſupra dixi) multæ animadverſiones duci poſſint, qvibus obſcuraretur ſymbolum ancepsqve redderetur ſpectator: Dictum (352.) tuam animadverſionem indicat, & ab aliis eam diſtingvens, proprietatem in *actu* ponit, *mentiq;* lumen præfert.

Pingas exempli cauſa *hiſtricem ſpinas ſuas vibrantem*, qvod erit *thema*. Qvam curioſæ animadverſiones hinc duci poſſunt? Legas hiſtricem Claudiani, multaqve reperies, qvæ condendo ſymbolo *ſententiam & dictum argutum* ſubminiſtrant.

(350) Ar. 2. Rh. 22. Quibꝰ etiam laconica dicta accommodantur.

(351.) Ar. 3. Rh. c. 11. Quantò plura continent, tantò urbanius videtur.

(352) Ar. 3. Rh. 5. Nec ea qua non facile diſtingvuntur.

Primum

Digitized by Google

Primum eſt hoc: *hiſtrix non indiget aliis, niſi ſuis ſagittis: ſic Ludovicus non opus habet armis ſociorum, quibus ſe tueatur.* Et dictum etiam ex verbis ipſis hujus poëtæ petes: EXTERNAM NON QVÆRIT OPEM, *fert omnia ſecum.* Alterum eſt hoc: *Dum hiſtrix ſpinas vibrat, aliæ ſuccreſcunt: ſic Ludovicus, dum exercitum in Italiam mittit alium in Gallia colligit.* Dictum qvoqve ex verſibus ſeqventibus ſumitur: *jaculisq; rigens in prælia creſcit picturata ſeges, qvarum cute fixa tenaci ALTERA SUCCRESCIT.*

Tertium erit: *hyſtrix non vibrat ſpinas, niſi tuendi ſui cauſa: ſic Ludovicus ad arma non venit, niſi aliter ſe defendere neqveat. Cautè contenta minari nec niſi SERVANDÆ jactus IMPENDERE VITÆ.*

Qvartò: *hiſtrix eminus ferit tam accuratè, ut à ſcopo non aberret: ſic Ludovicus tali prudentia arma ſua utut abſens diriget, ut victoriam conſeqvatur.* En dictum! *ERROR ABEST certum ſolertia deſtinat ictum NIL SPATIO FALLENTE MODUM.*

Deniqve Rex Ludovicus animadvertit iſtam proprietatem *propè & procul feriendi*, eiqve adjecit dictum COMINUS ET EMINUS, ſicut Claudianus aliis verbis dixerat: *crebris propugnat jactibus ultrò, & longè ſua membra regit.*

Ex his conſeqvuntur duo notatu digniſſima. Alterum eſt *Dictum cadere directè in figuram ſignificantem, non in perſonam ſignificatam,* cum ejus munus ſit proprietatem diſtingvere & determinare. Unde dicta illa laudem non habent, qvæ indicant mentem ejus, cujus eſt ſymbolum, veluti ſupra *aurum in fornace* DOMINE, PROBASTI ME. *Et in Amaranthum, qva aqvis revireſcit* AT LACRYMIS MEA VITA VIRET. Qvæ verba ſine manifeſto mendacio non poſſunt de figura accipi, cum nec Amaranthus fleat, nec aurum cum Deo loqvatur.

Alterum eſt *dictum à qvibusdam falsò appellari animam ſymboli,* cum *anima & vita ejus* non ſit *dictum* ſed *ſententia ſignificata:* Rectius diceres *animam materiatam* qvalis eſt embryonis. Sicut enim *corpus*

materiatum ſymboli compoſitum eſt ex figura & proprietate, ſic di-ctum eſt expreſſio proprietatis, ut traditum eſt, atqve adeò ſignum eſt ſignificans non ſententia ſignificata.

Qvod ſi igitur clarius cupis cognoſcere dotes & laudes dicti, qvod ſymbolo adjicitur, eas mecum colligas autore noſtro duce à laudibus & perfectionibus dicti arguti.

Theſis Vigeſima ſecunda

Dictum perfectiſſimi Symboli ſit ACUTUM & BREVE.

Si *argutum* eſt dictum urbanum, neceſſariò erit BREVE. Hæc enim eſt (353.) natura urbanitatis, ut paucis verbis multa doceat, ut docui ſupra. Et hanc laudem reqvirunt etiam *dicta* illa *ſeparata*, qvæ magni viri, nobilesqve familiæ loco ſymboli armis galeisqve inſcribunt ſine ullo ad figuram reſpectu, alludentes tantum ad facinus aliqvod perfectum aut ſuſceptum, ita ut paucis verbis multa doceant. Qvale dictum eſt Regiæ domus Borboniæ SPES, Angliæ DEUS ET JUS MEUM, Scotiæ PRO TUTELA MEA, Sabaudiæ FERT, Britanniæ PRO TOTA VITA MEA & qvædam ad nomen alludentia, ut domus Caponis GALLO CANENTE SPES REDIT, domus Loras UN JOUR L'ORAS, id eſt, *aliqvando habebis:* Domus Arces LE BUIS EST VERT & LES FUEILLES SONT ARCES hoc eſt, *truncus eſt viridis, ſed folia arida.* Et ex his dictis qvædam ſunt valdè ſingularia, ut domus Dinan HARY AVANT: qvo dicto aſini incitantur, atqve adeò indicatur iſtam perpetuò velle progredi. Et iſtud Cottmenni ITEM ITEM.

(353.) *Ar. 3. Rhet. 11. Neceſſe eſt urbana eſſe qvæ velocem nobis cognitionem faciunt, ibidẽ qvantò brevius, tantò magis probãtur.*

Omnia hæc dicta heroica ſunt & BREVIA, ſed non omnia ſunt ACUTA. Cum enim à figura ſunt disjuncta, tum majorem qvoqve claritatem reqvirunt. Sed *dicta* ſymbolorum qvæ figuræ oculis per ſe loqventi conjunguntur, non amplius niſi leviſſimum nutum reqvirunt, & velociſſimæ lampadis inſtar ſunt: Hinc adeò ſunt magis ACUTA, qvod plus cogitandum relinqvunt, qvam dicunt.

Hinc ſi nimis declaratur *proprietas* aut *ſententia*, utut *breve* ſit dictum, *acutum* idem non erit. Ut iſtud de mure Sarmatico ſeu odorato:

rato: MALO MORI QVAM FOEDARI. Pariter ſi dicto continentur illæ res, qvas oculus in figura cernit, utut breve, tamen verboſum erit. Veluti hoc de juncis marinis, FLECTIMUR NON FRANGIMUR UNDIS: ubi vox UNDIS, qvoniam in figura cernitur, in dicto eſt ſuperflua. Et hoc: INGENTIA MARMORA RUMPIT CAPRIFICUS, merito reprehenſum fuit, qvoniam nominat *marmor & caprificum*, qvæ oculus picta videt. Unde aut *dictum* aut *pictura* eſt ſuperflua, qvod ſi tantùm dicatur INGENTIA RUMPIT erit ſimul breve & acutum, utut minus numeroſum & harmonicum, ſic perfectio perfectioni obſtat. Illud itaqve neceſſarium eſt, ut nec *dictum* ſine *figura*, nec *figura* ſine *dicto* ſententiam integram conficiant, aliàs lectori eripitur ſumma illa voluptas, qvam ex ingenii ſui facultate capit; qvod (354.) penetrare poteſt in ſententiam & complere, qvod deeſt *dicto acuto*; ex qvo naſcitur applauſus.

Sed inqvis, *qvot igitur verbis conſtabit ejusmodi dictum breve?* Certè ſtultitia videatur acu metiri velle *brevitatem*, *qvæ formam ſpectat, qvantitate materiali.* Unde (355.) autor noſter irridet præceptum illud rhetoricum, *narrationem debere eſſe brevem* cum brevitas æſtimanda ſit non verborum numero ſed *materiæ* amplitudine. Unde in hoc argumento narratio qvatuor verſuum erit prolixa, & in illo, narratio qvatuor paginarum erit brevis. Sic etiam in dictis, qvorum qvædam tribus verbis erunt longa, ut *mare*, cui *Sol* imminet, Thomæ Marini cum dicto: NUNQVAM SICCABITUR ÆSTU, ubi vox *æſtu* eſt ſuperflua. Et contra dictum novem verborum non erit longum, qvale eſt Jovii, patris hujus artis, qvod in *ſtruthiocamelum* ſcripſit: SI SURSUM NON EFFEROR ALIS, CURSU TAMEN PRÆTERVEHOR OMNES, ut adeò hæc cum (356.) autore noſtro ita definire poſſis, *dictum illud eſſe breve, qvod proprietatem ſignificat ſine verbis ſuperfluis.*

Sed his non obſtantibus negari non poteſt qvin oculus ex juſta *verborum qvantitate* voluptatem capiat & qvin una qvantitas præ alia melius & *memoriæ* inſcribatur, & *intellectui* ſatisfaciat, & *ſentis chartisq́;* inhæreat. jam vero docet experientia dicta trium verborum iſtud in ſymbolis efficere, qvoniam *numerus ternarius* præ reliqvis ſingularem habet proportionem conſtans ex principio medio & fine, in qvo (357.) autor noſter *veram menſuram brevitatis & longitudinis*

(354) Ar. 2. Rh. 24. Iis maximè plaudunt qvæ acuta ſunt & audientes ſtatim ut inceperis percipiunt, ipſi enim ſecum gaudent qvod præviderint.

(355) Ar. 2. Rh. 24. Qvi vero aſſeruit debere narrationem eſſe brevem ridiculo eſt.

(356) Ar. ib. id efficitur ſi ea dicas, qvæ rem ſignificanter exponant.

(357) Ar. Poët. 22. Longitu-

dinis præfinitio eſt, ut principium ſimulq́ finis conſpici qveat.

gitudinis ponit. Deinde qvoniam iſte numerus ita perfectus eſt, ut facile & *intellectui* ſatisfaciat & *memoriæ* firmiter inſculpatur. Porrò qvoniam nullum dictum pauciorum verborum *harmonicum* nec qvod plurium eſt verborum *breviſſimum* eſſe poteſt. Deniqve qvoniam tria verba incharta ſuſpenſa aptisſimè ſita ſunt, cum una vox iſtic, altera illic, & tertia in medio conſpiciatur. Qvodſi duo verba in tria ſpatia velis dividere, ſenſus manebit mutilus & ſæpe abſurdus ac ridiculus, qvod accidit ſtolido illi amatori, qvi cum ſymboli loco pinxiſſet *Asbestum in igne* cum dicto ILLÆSUS ARDET: diviſit duas iſtas voces in tria ſpatia ſine diphthongo ſic: ILLE-SUS-ARDET. Multo imperfectius erit dictum unius vocis, ut NASCETUR in *Elephantem* Balionii: LACESSITUS in cygnum Gonzagæ: FLAVESCENT in *ſpicas* Horatii Farneſii. Etſi enim magnum acumen perſpiciatur in eo, cum multæ res una voce conſtringuntur, ut de metaphora & figura diximus: nihilominus *unitas* non eſt numerus, ſed principium numeri, & *dualitas* numerus eſt ad *ternarium* relatus imperfectus. Unde nec in una voce, nec in duabus locum habere poteſt vera harmonia, nec tot aliæ perfectiones *dicti arguti* de qvibus diximus ſupra, & nunc amplius dicemus.

Sed hic diſtingvere convenit ſpecies ſymbolorum. Nobis ſermo eſt de *perfectiſſimo ſymbolo*, qvod cum ſit heroici ac ſublimis generis: ingenia qvoqve reqvirit talium ſententiarum capacia. Eſt enim perſpicuum, ſymbola qvæ vilia aut muliebria ingenia reſpiciunt, ſententias poſtulare planas & dicta aperta, imò integros ſæpè verſus *Italicos:* ſed *latinos* non item, cum latini non ad vulgus hominum pertineant, ut paulò infra dicemus.

Pulcherrimum itaqve & qvod exemplo ſit aliis eſt *dictum* Regis Ludovici COMINUS ET EMINUS: cum vix aliud legatur, qvod elegantius in ſcuto collocetur, magis oculo auribusqve ſatisfaciat, plus ingenium delectet, facilius memoria teneatur, breviusqve mentem exprimat. Brevi nihil nec adjicere, nec demere poſſis, qvin illud corrumpas.

Theſis

Theſis Vigeſima tertia

Dictum perfectisſimi ſymboli ſit HOMONYMUM.

Homonymia (ut (358.) autor noſter admonuit & nos ſupra dicebamus) eſt ex *dicti arguti* ingenioſiſſimis perfectionibus. Inprimis verò in dictis *ſymbolorum* varias venuſtasqve formas accipit.

(358.) Ar. 3. Rhet. 11. Quæ omnia tunc probantur, cum per æqvivocationẽ nomen effertur.

Prima eſt verè ingenioſa & popularis, qvæ *nominibus* aut *verbis ambiguis* ſimul ad *figuram & ad ſententiam* alludit. Tale eſt dictum Regis Henrici: DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM, ubi vox ORBIS æqve ſignificat *orbem* lunæ, qvi cernitur, & *orbem* terrarum, qvem animo complectebatur.

Altera ratio eſt magis ſingularis & ænigmatica, cum *figura* ipſa ſuo proprio nomine dictum conſtituit. Sic in eodem Henrici ſymbolo *luna* poëtis DIANA dicta, nomen amicæ illius Regis innuit. Et dictum GELAT ET ARDET in montem Æthnam ludit, ut diximus, in nomine GELARDÆ. Et puella qvædam ſeni aſtmathico ſemper moribundo, nunqvam morienti nupta amaro riſu ſymbolum ejus fecit herbam SEMPRE-VIVO; Eodem uſa nomine loco dicti, ſed in tria ſpatia diviſo SEMPR-E-VIVO, qvo ſuam calamitatem amaſio ſignificabat.

Sed hæc æqvivoca, utut ingenioſiſſima, uſui non ſunt apta, qvoniam nimium lumen figuræ & ſententiæ afferunt. Eſt itaqve hæc præ cæteris laudabilis & ſolida & heroica cujusqve dicti ratio, ut verba adeo ſint generalia & ABSTRACTA, qvo ab ipſa univerſalitate (ut (359.) autor noſter dicit) naſcatur *homonymia*. Tale eſt dictum hoc in horologium, MULTA PRIUS SECUM. Et hoc Regis Ludovici COMINUS ET EMINUS conſtans ex *adverbiis latè patentibus* qvæ nec in hiſtricem, nec in Regem apertè cadunt, utriqve tamen æqve conveniunt.

(359.) Ar. poſt. 2. Æqvivocationes latent in univerſalibus.

Sunt igitur ea dicta imperfecta primum, qvæ ipſis verbis perſpicuè exprimunt *proprietatem* vel *figura* vel *ſententia ſignificata*, ut dictum eſt theſi ſuperiori. Deinde ea, qvæ adhibent *particulas demonſtrativas*, ut ſtella Veneris: HAC MONSTRANTE VIAM: &

Digitized by Google

duæ anchoræ HIS SUFFULTA. Iſta qvoqve, qvæ *formam inferendi aut comparandi* præferunt, ut in herbam loton SIC DIVA LUX MIHI: & in vitulum marinum in ſicco qvieſcentem: SIC QVIESCO. Symbolum enim (ut audiſti) non rem rei comparat ut imago, ſed rem pro re accipit, ut metaphora. Et iſta rejiciuntur, qvæ particulas adverſativas ſeu tacitas ſeu expreſſas adhibent, ut in palmam ſoli obverſam: HAUT ALITER. Et in ſcapham in terra poſitam QVID IN PELAGO, & ejusmodi alia tam inventu qvam intellectu facilia. Eſt enim hæc ſcriptorum argutorum communis regula, qvæ facillimè componuntur, minus ingenioſa ſunt. Unde laude ingenii deſtituta plauſum etiam amittunt.

Theſis Vigeſima qvarta

Dictum perfectisſimi ſymboli ſit AUTORIS CLASSICI.

(360.) Ar. 3. Rhet. 11. Dicitur etiã transłatio cum nova dicuntur, qvod ſit cum præter opinionem ſit, nec ut ille dicit ſi ad priorẽ opinionem conferas.

(361.) Ar. 3. Rhet. 8. Numerorum antẽ heroicus amplus & elegans eſt.

Unus qvisqve niſi prorſus ſit ſtupidus, ſuo marte facile poterit excogitare *dictum ſymboli* conveniens, ſed ejusmodi dictum maxima deſtituetur laude (360.) qvæ naſcitur ex accommodatione dicti celebris, *contra qvam auditor exſpectaverat*, ut ſupra, ubi de deceptione actum oſtendimus. Non deeſt hæc perfectio illi dicto EMINUS ET COMINVS prolato ab *autoribus claſicis* qvi hyſtricem Regis Ludovici ne ſomnio qvidem conceperant. Nec negari poteſt hanc eſſe vim ingenii atqve autoritatem voluptatem & laudem parere, ſiqvis tria inter ſe maximè diſtantia comparare poſſit: *figuram naturalem, ſententiam moralem & dictum alienisſimum*, qvod tamen noſtro propoſito qvadrare videtur. Hoc eſt opus adeò difficile, ut miraculo proximum videatur, atqve adeò felicia ſunt iſta ingenia, qvibus hæc comparatio tandem ſuccedit.

Sed perfectius erit *dictum* qvod poëtæ cujusdam erit *hemiſtichium:* cum ſymbolum ſit partus poëticus, & hoc amplius ſi hemiſtichium ſit verſus *hexametri*, qvem (361.) autor noſter judicat maximè heroicum, amplum & excellentem.

Sed ineptè illi faciunt, qvi ut *hemiſtichium* uſibus ſuis accommodent, demptis aut mutatis autoris verbis in proſodiam peccant, ut

ut *dictum* illud Aſcanii Sforzæ ADIMIT QVO IPSA REFULGET. Ab hoc verſu decerptum: *totum adimit qvo ingrata refulget.* Et hoc alterum de muſcis in ſpeculo: SCABRIS TENACIUS HÆRENT. Ex hoc verſu detractum: *Labuntur nitidis ſcabrisq; tenacius hærent*, qvorum dictorum alterum ſpeciem verſus non habet, alterum ſine errore qvantitatis menſuram verſus non admittit. Unde neceſſe eſt, ut dictum ſit aut *mera proſa*, aut *juſtum metrum*.

Theſis Vigeſima qvinta

Dictum perfectiſſimi Symboli reqvirit ANTHITHESIN.

Jam didiciſti ex ſuperioribus præceptis, ſvaviſſimum dictionis condimentum eſſe (362.) *contrapoſitum brevitati conjunctum*, etiamſi ſit *contrapoſitum ſimplex*, qvod (363.) autor noſter vocat ANTHITHESIN. Tale eſt de phœnice: PERIT UT VIVAT, (363.) & de pila PERCUSSUS ELEVOR, & de palma: INCLINATA RESURGO.

Sed argutius erit dictum, ſi accedat *æqualitas membrorum* ſeu (364.) ISOCOLON, ut in *formicam leonem*, PARVA MAGNIS, MAGNA PARVIS, & in *metas*: NEC CITRA, NEC ULTRA, qvæ dicta qvatuor vocum faſis bellè locantur duplici ſpatio in charta volante.

Sed perfectiſſimum erit dictum, ſi his duabus perfectionibus accedat tertia videlicet *ſimilitudo verborum & clauſularum*, qvæ vocatur (365.) PAROMOIOSIS. Vt in dicto Ducis Emanuelis Philiberti in arma obtecta: CONDUNTUR NON RETUNDUNTUR. Et in murmur fontis SI DEFERAR EFFERAR. Et in oleam reciſam: FERO ET SPERO. Perfectiſſimum igitur eſt dictum COMINUS ET EMINUS. In qvo mirabiliter convenire vides tres iſtas harmonicas perfectiones *anthitheſin rerum*, *æqualitatem membrorum*, *& ſimilitudinem clauſularum*, ita ut *idea* videatur *dictorum* è cœlo demiſſa.

Theſis Vigeſima ſexta

Dictum perfectiſſimi Symboli ſit LATINUM.

Symbolum pingitur in *inſignibus*: eſt igitur publicum. *Metapho-*

(362) Ar. 3. Rhet. 11. Qvantò brevius & per oppoſitionem dicta ſunt, tantò magis probantur.

(363) Ar. 3. Rhet. 9. Anthitheſis eſt cum idem mēbrum ex contrariis conſtat.

(364) Ar. ib. Iſocolon eſt cum æqualia membra ſunt.

(365.) Paromoioſis eſt cum ultima utriusqve membri ſimilia ſunt.

ra tegitur, eſt igitur ingenioſum. Sit igitur ſcriptum neceſſe eſt, qvod ad multos æqve & ingenioſos referatur. Vnde *dictum perfectiſſimum* ſymboli tali *idiomate* ſcriptum eſſe convenit, ut ingenia vulgaria ferè excedat, ſed omnibus ingenioſis cujuscunqve gentis (366) innoteſcere poſſit. (397.) Loqvi enim qvod nemo intelligat, non eſt loqvi, & loqvi qvod omnes intelligant, non ingenioſum eſt, nec elegans, ut ſupra diximus.

Non igitur ſymbolo heroico conveniet *idioma* (368.) *vulgare.* Hoc enim nimis tritum eſt, nec (369.) *idioma peregrinum*, qvod non intelligitur niſi ab eis, qvi ejus ſunt gentis. Vnde frigidiſſima mihi ſemper viſa eſt affectatio ſuperioris ſeculi qvo bellatorum Italicorum ſymbolis adjiciebantur dicta *germanica, graca aut hebraa*, ut ingenioſiſſimi qvoqve & eruditiſſimi cogerentur aut lexicon ſecum ferre, aut ignorantiam ſuam fateri. Qvare nimis ingenii monſtravit Molza in ſymbolo, qvod pro Alexandro Farneſio invenit, qvod erat *ſcopus* cum dicto græco ΒΑΛΛ'ΟΥΤΩΣ id eſt: *ſic feri*, alludens videlicet ad verba Agamemnonis ad Teucrum, cum tectus ſcuto Ajacis fratris ſui Trojanos tutus petebat: *ſic feri & clariſſimum eris lumen Gracia.* Hoc qvidem rudes conſolari poterat, qvod etiam ingenioſi erubeſcere cogerentur, niſi totam Homeri Iliadem memoria tenerent. Excuſari igitur autoris hujus inſolentia non poteſt, niſi fortè dictum hoc ſe non Itali clypeo ſed Areopagi portæ inſcribere, perſvaſus fuit. Sed major fuit illius affectatio, qvi Reginæ Galliarum Catharinæ Iridi adſcripſit dictum græcum, fidem faciens in hoc ſymbolo Ludimagiſtrum qvendam non fœminam loqvi: (370.) decorum enim poſtulat, ut ſymbolum in eum conveniat & ab eo excogitatum videatur, qvi illud proponit. Qvare ejusmodi Autorum ſtultitia contemtu vindicanda eſt, nec oculi in ſcripta illorum conjiciendi: ut de ſcriptis Heracliti, de induſtria obſcuri eleganter dictum eſt: *non vult intelligi, ne legatur qvidem.*

Hinc igitur conſtat, nullum idioma dictis Heroicorum ſymbolorum rectius convenire, qvam LATINUM. Primum enim ſermo Latinus eſt nobilis argutus, conciſus & peregrinus, qvi orationem reddit elegantem, heroïcam & à vulgi fæce ſecretam. Deinde hæc lingua eſt ingenioſis & literatis non Italiæ modo & Europæ, ſed hodie omnium gentium, qvæ inter utrumqve polum ſunt, communis. Qvare

(366) *Ar. 3. Rhet. 8. Univerſaliter oportet legibile eſſe, qvod ſcriptum eſt.*

(367) *Ar. 3. Rhet. 2. Niſi oratio ſignificet, non habebit opus ſuum.*

(368) *Ar. Inuſitata verba graviorem reddunt orationẽ.*

(369) *Ar. 3. Rhet. 2. Verba cæterarum gentium non intelliguntur.*

(370) *Ar. 3. Rhet. 2. qvod Theodori vox ad aliorum habet. Illa ejus qvi di-*

Qvare, qvi *germanicè* ſcribit, germanis ſcribit, qvi *latinè*, toti orbi. Hinc *Inſcriptiones*, *Epitaphia*, & omne genus *Lapidaria* hoc idiomate decentiùs, qvum ullo alio utuntur. Magno igitur judicio Rex Ludovicus, cum in ſymbolo ſuo æqve ac alii Reges lingua vernacula uti poſſet, qvæ præſertim in dicteriis eſt argutiſſima, *latinam* prætulit, utpote nobiliorem & magis communem, ut cum cominus & eminus minaretur, non cominus modo, ſed & eminus illæ minæ intelligerentur.

cit eſſe videtur, hæc aliena.

Eqvidem non inficior, etiam lingva vulgari aut peregrina etiam barbara & plebeja certis de cauſis, aut etiam pro lubitu ſymbola & dicta argutiſſimorum ſymbolorum componi poſſe: ſed nos hic loqvimur de dicto perfectiſſimo.

Hucusqve diſtinctè demonſtravimus perfectiones *corporis*, qvod figura, & *animæ* qvæ ſententia continetur & *dicti*, qvod corpus animæ conjungit, reſtat ut totius *compoſiti & ſymboli* generatim dotes oſtendam. Venio igitur ad

Theſin Viceſimam ſeptimam

Perfectiſſimum ſymbolum ſit POPULARITER ÆNIGMATICUM.

Omnis *oratio rhetorica* (371.) ad *auditorem* refertur, unde auditor vocatur *finis Rhetoricæ*. Sicuti igitur tria ſunt auditorum genera, *plebeii, eruditi, & populares*: ſic totidem ſunt genera *Elocutionis Rhetoricæ*. *PLEBEJA* reſpicit *auditores rudes & imperitos*, etiamſi aliàs nobiles ſint & purpurati. EXQVISITISSIMA reſpicit auditores eruditiſſimos, & ingenia acutiſſima, utut alias ſint ſordidi atqve ignobiles. POPULARIS ſpectat auditores (372.) *medios* hoc eſt nec prorſus eruditos nec prorſus plebejos. Jam vero *populare* genus rhetorices ad medium hoc genus auditorum dirigitur, unus vero, isqve ingenioſiſſimus auditor (373.) *exqviſitum* genus poſtulat ut ſupra dicebamus. Idem accipiendum de poëſi & præcipuè de metaphoris. Aliæ enim ſunt PLEBEIÆ & vulgares, ut ſi diceres: *Verres DEVORAVIT Siciliam*, cum nemo ſit, qvi non intelligat, qvid ſit *devorare*. Aliæ POPVLARES, ut ſi dicas: *Verres eſt* HAR-

(371.) Ar. 1. Rh. c. 2. Omne perſuaſibile eſt & c. 3. penes auditorem quoqve finis eſt.

(372) Ar. 1. Rh. c. 2. Rhetorica eſt ad hujuſmodi auditores, qvi neqveant ex remotis ratiocinari.

(373.) Ar. 3. Rh. 12. Multoq; magis ſi apud unum judicem.

HARPYA Siciliæ, cum Harpya ſit rapax fera, qvod nemo mediocriter eruditus facilè ignorat. Aliæ deniqve EXQVISITISSIMÆ & abſtruſæ, ut: *verres eſt OCTPUS Siciliæ*, qvæ vox ſignificat ſingularem harpyam, qvam Hyginius tribus illis ſatis notis adjungit. Unde hæc metaphora eſt nimis affectata, utpote ad qvam intelligendam reqviritur recondita qvædam humaniorum literarum notitia, qvæ ludimagiſtris magis qvam populo convenit.

Porrò metaphoræ POPVLARES duplici rurſus modo ab (374.) autore noſtro dividuntur. Aliæ enim ſunt *faciliores*, qvæ à mediocribus ingeniis audito verborum ſono ſtatim intelliguntur. Aliæ ſunt *difficiliores*, qvæ attentiorem reqvirunt *circumſtantiarum* meditationem, ut ſententiam colligas, qvam poſtqvam aſſecutus eſt auditor, lætatur, & non ſibi minus, qvi intellexit, qvam autori, qvi invenit, applaudit. Et hujus poſterioris generis ſunt omnia (375.) ÆNIGMATA POPVLARIA, qvæ parvis ingeniis videntur inexplicabilia ſed à mediocriter eruditis excitatisqve ingeniis adhibita aliqva meditatione & tacita comparatione *circumſtantiarum* facilè ſolvuntur.

(374) *Ar. 3. Rh. 10. Quorum cognitio vel* ſimul dum dicitur, *fit, vel* non multò poſt, *mẽs ea conſequitur. Sic enim quaſi diſciplinatio fit.*

(375.) *Ar. 3. Rhet. 2. Translationes ſi ænigmaticè orationi congruunt, manifeſtum eſt probè eſſe translatum.*

Perfectiſſimum igitur ſymbolum ejusmodi POPVLARE ÆNIGMA oportere eſſe ſtatuo, cujus picturam idiotæ cernentes & dictum legentes non altius in ſententiam penetrent, qvam vulpes in vas à ciconia appoſitum. Neqve tamen adeò abſtruſum eſſe convenit, ut mediocriter ſubtilia atqve erudita ingenia conſideratis *circumſtantiis perſonæ*, qvæ ſymbolum proponit, *occaſionis temporis, loci* aliorumqve *accidentium* brevi ratiocinatione ſine ope librorum non poſſit ſententiam conſeqvi nodumqve explicare. Neqve enim qvisqvam ſuum cerebrum fatigari velit, ut qvæ in alterius cerebro verſentur intelligat.

Symbolum igitur ÆNIGMATICVM ſimul & POPULARE eſt iſtud Regis Ludovici. Cum enim ſubitò in regiis inſignibus apparuiſſet *hiſtrix ſpinoſa & aculeos emittens* cum dicto COMINVS ET EMINVS, nemo non illis temporibus mediocriter ſagax obſervata formidabili *figura & voce* in animum revocare poterat & turbas, qvas dabant factiones Galliæ & neceſſitatem recuperandi exſtimationem armorum gallicorum in Italia, & utilitatem puniendi perfidiam Ludovici Mori Mediolanenſis, & alias ejusmodi *circumſtantias*,

tiæ, qvibus non nihil ſecum volutatis & expenſis divinare licuit, qvid *biſtrix* iſta minaretur. Et ſine dubio hoſtes horum malorum præſagi prius à *pictis* hiſce *aculeis* dejecti ſunt qvam *veros* ſenſerint.

Et hæc cauſa eſt, cur multa *ſymbola* heroum & Ducum ſuperioris ſeculi, utut argutiſſima & ingenioſiſſima à collectoribus frigida & ſuperficiaria interpretatione declarentur. Cum enim notitia *circumſtantiarum* tractu temporis evanuerit, etiam argutia cogitationum evanuit. Certè qvi hodiè videt *luna creſcenti* Regis Henrici II. inſcripta illa verba: DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM: ſtatim dicet *generoſus iſte Princeps ſpem fovit totius terrarum Orbis potiundi.* At qvis vel ſomnio concipiat *lunam* iſtam ænigmaticè nomen amicæ ſuæ Dianæ reſpicere, niſi oraculum qvoddam illorum temporum hoc myſterium revelaſſet?

Hæc ſunt POPULARIA & communia. Alia ſunt SINGULARIA & abſtruſa, qvorum ſententiæ longè argutiſſimæ à nemine unqvam intelligi poſſunt, niſi ab autore ipſo, & cui is ſenſum aperire voluerit. Talia ſunt ænigmata qvædam obſcuriſſima, qvæ (376.) autor noſter vocat INNOMINATA, qvæ vel Oedipo viderentur ſomnia, ſed poſtqvam dixiſti, *iſta res eſt*, auditor gaudet & applaudit, & *vere* inqvit, *iſtud convenit, ſed nunqvam iſtud mihi in mentem veniſſet.* Sic Auguſtus in nummis qvibusdam & ſigillis *ſymbola myſtica* inſculpſit, qvorum ſolus ille cum Agrippa ſuo ſenſum noverat, non ſine voluptate irridens alienas curioſorum Romanorum interpretationes, ſicuti Apelles olim poſt tabulam opiniones ruſticorum irridebat. Sic multi nobiles milites à potentibus Principibus offenſi tectis ſed mordaciſſimis ſymbolis ſe vindicarunt, & veluti Teucer pone ſcutum Ajacis occultati miſerunt tela. Pariter occulti qvoqve amatores ejusmodi ſcuti vel inſignium *ænigmatibus* & omnibus & nemini arcana ſua revelare ſtuduerunt, qvorum illa tantum notitiam habebat, ad qvam res ſpectabat, eaqve picturam ſine ſuſpicione intueri poterat, qvæ inſcia ibi erat depicta. Sic deniqve multa ingenia ſingularia ſibi & muſis canentia propoſuerunt ſymbola, qvæ crucem curioſis figant & fortè ab ipſo autore non intelligebantur. Ut iſte, qvi *urbem* pinxit *in monte*, cum dicto: DULCIUS aut longe aliter ab autore explicantur, qvam ingenioſi putaſſent, ut *mula* cum dicto EXTINCTUS EST IGNIS, qvod

(376.) *Ar. 3. Rhet. 2. Innominata Ænigmata per translationem ita deſcribere oportet; ut cum nominata fuerint, pateat eſſe propinqua: Ut in illo comprobato ænigmate Æneum vidi virum; viro conglutinatum,*

omnes

omnes fruſtra divinare fecit, & iſtam, qvam amabat, valdè perturbavit. Tandem expoſuit non aliud myſterium ſe indicare voluiſſe, qvam *ignem ſtabulo appoſitum extinctum & mulam ejus ſervatam eſſe.*

Ex his infero SYMBOLUM POPULARE eſſe iſtud, *qvod omnibus publicè propoſitum turba qvidem intelligentiam fugiat, ſed mediocriter ſagacibus atqve eruditis ingeniis ope eruditionis non abſtruſa & comparatione circumſtantiarum reſcitu non difficilium pateat.* Contra ſi ſymbolum ſit ita ſuperficiarium ut qvilibet illud intelligat: aut ita abſtruſum, ut nemo capiat, nec populare erit nec lepidum nec laudabile.

(377) *Ar. Poët. 4. Hoc autē eſt poſſe explicare, qvæ inſtant, & qvadrant.*

(378) *Ar. 3. Rhet. 10. Reſpicientes non ad indefinita, & univerſalia, ſed in ea, qvæ in illis ſunt, de qvibus habetur oratio.*

(379) *Ar. 3. Rhet. 11. Qvæ omnia tunc maximè probantur cum per æqvivocationē nomen effertur.*

Theſis Viceſima octava

Perfectiſſimum ſymbolum ſit PROPRIUM ET CONVENIENS.

Proprium ſymbolum voco, qvod tam benè qvadrat perſonæ & argumento, ut in alia non æqve conveniat, ut ſupra docui. Et hæ ſunt ſententiæ, qvas (377.) autor vocat QVADRANTES, ſimilitudinem capiens à lapidibus qvadratis, qvi ab omni parte deſtinato loco qvidem conveniunt, ſed alii non item. Multa verò ſymbola cernimus adeò *communia*, ut veluti ephippia pluribus eqvis ſic etiam multorum humeris imponantur, ut *adamas ſub malleo:* ut ſignificet ego *ſum fortis*, *& ciconia cum ſilice* ut ſignificet, *ſum vigilans. Propria* igitur ſymbola erunt qvibus exprimuntur (378.) *circumſtantiæ propriæ & ſingulares*, qvæ rem, qvod dicitur, acu tangunt.

Ejusmodi *circumſtantiæ* ſunt (1.) *nomen* & *cognomen*, aut *agnomen* aliqvod celebre (379.) *homonymia* enim ex talibus circumſtantiis nata ſententiam reddit propriam atqve argutam. Sic Henricus II. ingenioſo invento (ut dictum eſt) ex nomine amicæ ſuæ ſymbolum fecit, & contra, puella Bononienſis ardens amore *Cæſaris* Spinelli, cum à patre non impetraret nuptias cum illo expetitas, effigiem illius ſecum tulit, cum dicto illo celebri: AUT CÆSAR, AUT NIHIL. Qvod verbum à Cæſare Borgia qvoqve uſurpatum eſt, qvi ſibi proponens

Digitized by Google

nens ut omnia eſſet, aut nihil, mortuus eſt ut *Cæſar*, nec tamen regnavit, ut *Cæſar*, unde hoc encomium abſtulit:

Borgia CÆSAR erat factis, & nomine Cæſar;
AUT NIHIL, AUT CÆSAR dixit: utrumqve fuit.

Sed ingenioſiſſimum eſt, qvod refert Johannes Andreas Palaccius de nobili Senenſi, cui cognomen erat *Firmafides*, qvi cum unicè amaret puellam, qvæ vocabatur LUCHETTA, id eſt, Species qvædam feræ, in armis ſuis pinxit ejusmodi feram, qvæ aperiri non poteſt, niſi diſpoſitis certa ratione characteribus, & characterum loco *nomen ſuum* poſuit, cum dicto: UNI PATET. Qvam argutiam nuper qvidam imitatus ad *Beatam Virginem* transtulit, cum hoc dicto: UNI PATET VERBO, ubi homonymia magis propria & ſubtilis, qvanqvam hæc phraſis *patere verbo* pro *concipere* aut *parere verbum divinum* non ſatis proba ſit.

Secundo circumſtantia veluti ſingularis eſt *inſignium gentilitiorum*, unde in figura aut dicto ad iſta alludere proprium & conveniens reddit ſymbolum. Valde itaqve proprium erat ſymbolum Johannis Jacobi Trivultii, qvi ut Regi Ludovico ſignificaret, *utut genere inferiorem*, *illi in Italiam undecunqve venturo animosè ſemet objecturum eſſe*, vetuſta gentis ſuæ inſignia videlicet *ſtylum*, *qvi umbram ſoli adverſam projicit* pinxit, cum dicto: NON CEDIT UMBRA SOLI. Argutiſſimum etiam fuit ſymbolum Philippi Segæ, qvo Gregorio XIII. Pontificatum præſagivit, *Draconem* ſcilicet pingens, qvem Boncompagni in inſignibus gerunt, cum dicto: DELUBRA AD SUMMA; reſpiciens ad narrationem Virgilii, qva nihil poteſt eſſe convenientius. Hoc acumen qvoqve non defuit ſymbolo Caroli Audacis. Cum enim inſignia Burgundiæ ſint duo *baculi obliqvè poſiti*, iis adjecit *ſilicem & igniarium* minatus *baculos Burgundiæ inflammatos magnum incendium Galliæ illaturos eſſe*, ut factum eſt. Et hac circumſtantia hiſtrix etiam Regi Ludovico, in cujus ducatus inſignibus exſtabat, fit propria.

Alii ſymbola ad perſonas accommodarunt per *circumſtantiam ſigni aſcendentis* ut Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ, qvi ſymboli lo-

Digitized by Google

co pinxit *ſagittarium*, cum dicto: Opportune, & Coſmus Medicès *Capricornum* pinxit adjecto *cornu copia & gubernaculo* navis, qvalis in nummis Auguſti cernitur, cum dicto: Fidem Fati Virtute Seqvemur. Id dicens, *ſicuti Auguſto ſignum iſtud aſcendens imperium terra mariſq; preſagiit, ſic eodem fato ipſe natus ſum.* Qvanqvam (ut alibi oſtendi) error hic popularis eſt, qvi Auguſtum aſcendente hoc ſigno natum credit, cum Virgo ejus ſit horoſcopus. Et ipſe cum excogitare deberem ſymbolum, qvod Sabaudi Principis Thomæ, Gallici exercitus Ducis inſignia ornaret, obſervavi *aſcendens* ipſius *ſignum* fuiſſe decimum qvintum gradum *Libræ*, qvalis circumſtantia de nullo alio Principe niſi de Romulo prodita, obſervabam porrò in Manilio eum, cui decimus qvintus gradus Libræ aſcendat, juſtitia & bellica virtute inimicis terribilem fore:

Felix æqvato genitus ſub pondere Libræ
Judex extremæ ſiſtet vitæq; neciſq;
Illum urbes & regna trement.

Alludens igitur ſimul ad *ſignum natale & juſtitiam armorum* Regis Gallici, cui cognomen eſt juſti, aſterismum pinxi Libræ, cum *Liliis Galliæ* cum ipſis verbis Manilii loco dicti: Urbes et Regna Trement.

Etiam alluſiones ad *ſingulares res geſtas* ſymbolum faciunt ſingulare, veluti Carolus V. cum victricia arma intuliſſet Africæ, captæ *Tuneto & Guletta* ſymboli loco aſſumſit *columnas Herculis* cum dicto: Plus Ultra. Qvod tamen magis propriè conveniſſet in Ferdinandum Regem Catholicum, qvi primus metas illas navibus ſuis tranſcendit, comprobans illud Lucani: Herculeis Aufertur Gloria Metis. Valde qvoqve proprium eſt & conveniens, qvo in S. Petrum ab undis ad Apoſtoli munus vocatum, ubi ex timidiſſimo piſcatore factus eſt martyr fortiſſimus, & *petra* Eccleſiæ ſolidiſſima, Paulus Areſius ad actionem ſimul & nomen alludens pinxit, videlicet *corallium* qvod extra aqvas *purpuraſcit & lapideſcit*: cum dicto Indurabitur. Qvanqvam dictum illud ſit ſine gratia.

Alia eſt ratio proprium reddendi ſymbolum, qvæ ad *ſymbolum* aut *dictum* antecedens reſpicit, ut Ludovicus Rex, qvi à prælio Ravenna-

vennatenſi immutato *biſtricis dicto* ſententiam mutavit. Et Henricus Rex cum vivo Patre uſus eſſet *luna creſcente* cum dicto, DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM, illo mortuo uſus eſt *luna plena*, cum his verbis: CUM PLENA EST, FIT ÆMULA SOLIS. Qvanqvam dictum hoc tam infeliciter conceptum ſit, qvam prius illud felix erat & acutum. Qvin nonnunqvam ſymbolum qvoddam dejicitur alio adverſariorum *ſymbolo*, ut dicebamꝰ de *roſa à ventis non proſtratâ*. Sic cum Columnenſes pro ſymbolo uterentur *junco marino* cum dicto: FLECTIMUR NON FRANGIMUR: Cæſarini contra columnam aſſumſerunt hoc adjecto lemate: FRANGIMUR NON FLECTIMUR. Pariter cum Ludovicus Aurelianenſis in bello adverſus ducem Burgundiæ minitabundum ſymbolum extuliſſet *baculum nodoſum* cum dicto Gallico, qvod ad ludum qvendam pertinebat: INVITO: Dux contra aſſumſit *malleum* cum dicto: TENEO; atq; ſic duo iſti Martes dictis baculis prius qvam veris gladiis ſe petebant. In ſumma ſi animum advertas ad reliqvas *circumſtantias indicis categorici* ſupra allati, mirum foret, ni qvædam propoſito tuo commoda occurrerent.

Theſis Viceſima nona

Perfectiſſimum Symbolum ſit INGENIOSUM.

Jam ſupra docuimus ingenium poſitũ eſſe in duabus mentis operationibus videlicet in *ſagacitate* inveniendarum circumſtantiarum & in *velocitate* earum comparandarum. Erit igitur ſymbolum ingenioſum,(380.) qvod magnum numerum propriarum aptarumq; circumſtantiarum, qvas diximus, continebit. Ingenioſiſſimum verò erit, qvod *figurã ingenioſam, dictum ingenioſum, & ſententiam ingenioſam* complectitur. Sed hæc rara eſt feliciſſimorum ingeniorum gloria, non longè tamen hinc abſunt qvædam priori theſi allata ſymbola.

Sed ingenioſiſſimum eſt illud qvod Princeps Sabaudiæ Mauritius perpetuus ingeniorum Mæcenas dedit heroicæ celeberrimæq; ſuæ armorum & literarum academiæ, qvam SOLITARIORUM nominavit. Figura illius ſymboli erat *ſpeculum* CONICUM, in qvo, qvæ in plana ejus ſuperficie videbantur deformes, conjunctæ & in altum reflexæ perfectiſſimas & valdè compoſitas exhibebant figuras. Ubi

(380) Ar. 2. Rh. 23. Quantò plura eorum quæ in re ſunt teneas, tãtò facilius demõſtrabis. Et 3. Rhet. 11. Quantò plura contineat, tãtò urbanius eſt.

Digitized by Google

multæ notatu dignæ circumſtantiæ concurrebant. Primum enim *corpus ſymboli* nec artificio *ingenioſius*, nec *nobilius*, nec *admirabilius*, nec *rarius*, utpote novum *Optica* artium omnium maxime admirandæ inventum, eſſe poterat. Deinde ingenioſa qvoqve eſt *accommodatio.* Id enim ſignificat, *utut unusqvisqve academicus ſi ſolus ſpectetur imperfectus ſit, nihilominus ſi ſuas qvisqve dotes in commune hujus academia conferat, forma perfectionam acqvirere.* Sed latent aliæ magis ſingulares circumſtantiæ: prima eſt heroicam iſtam SOLITARIORUM Academiam in *ſuburbano & amœno* Principis *prædio* præcipuam ſedem habere, ſicuti *Academia* Athenienſis *hortos amœniſſimos Academi* celebris herois incolebat. Qva in docta ſolitudine juvenes adhuc crudi & immaturi adeò perfecti evadebant, ut vulgò diceretur: *Ex Academia venit*, id eſt, *hic eſt ſpeculum omnis heroicæ & præſtantis virtutis.* Conſtat enim ex hac Academia prodiiſſe Viros & literis & armis in patria ſua maximè conſpicuos. Sed altera eaqve ingenioſior eſt *circumſtantia*, ſicuti locus Academiæ iſtius eſt *hortus amœniſſimus*, qvi in viridi collium theatro *hemicyclum Labiryinthi* efficit, ſic in corpore ſymboli maculæ illæ in plano ſpeculi flexuoſum Labyrinthum repræſentant, ſed in ſpeculo reflexæ ex perſpectivæ diſciplinæ artificio perfectos characteres conſtituunt, qvi dictum ſymboli reddunt hoc: OMNIS IN UNUM ab illo Virgilii deſumptum: *Virtus coit omnis in unum.* Sic igitur magna ingenii vi & admirabili congruentia figura dictum & dictum figuram format, anima corpori & corpus animæ ſervit. Qvin etiam *homonymia* ingenioſiſſima dictum ingreditur. Æqve enim convenit *Academicis*, qvi in unum corpus congregantur, & *figura ſpeculi* qvæ cum Conica ſit aut Pyramidalis in unum punctum coit, qvalis figura ingeniis ſublimioribus à Platone tribuitur. Sed potiſſimum myſterium latet in profunda *ſignificatione.* Corpore enim iſto ſymboli pius ille & generoſus Princeps non ſolùm communem illam, qvæ dicta eſt, Academiæ ſententiam indicavit, ſed ſimul heroici ſui animi qvoddam pignus dedit, videlicet *actiones ſuas utut ab aliis fortè in ſiniſtram partem acceptas, nihilominus in ſincero mentis ſuæ ſpeculo ſemper fuiſſe rectas & ad probum honeſtumq; finem relatas.* Eſt enim hoc ſapientis & magnanimi (ut (381.) Philoſophus docet) actiones ſuas rationis, cujus ſibi conſcius eſt metiri regula, non opinione aut arbitrio auræ popularis duci. Sic igitur

(381.) *Ar. 4. Mor. 8. Magnanimus majorem veritatis quam opinionis curam habet. Et lib 3. c. 9 Virtutum medium cognoſcere non cujuslibet eſt, ſed ſapientis.*

tur ſine ulla controverſia hoc ſymbolum appellari poteſt *ingenioſorum omnium idea* cum tot circumſtantiæ propriæ in ea concurrant, & inprimis novitas, qvæ admirationem parit; Et qvanqvam nobilis qvædam Italiæ Academia idem *ſpeculum* (ut accepi) poſtea ſymboli ſui corpus ob eandem ſententiam generalem elegerit, res tamen eſt notiſſima Principem hunc iſtud multò ante occupaſſe. Cum enim ejusmodi *admirabile ſpeculum* Pariſiis circa annum 1627. inventum eſſet, & ex primis ab artifice factis unum in aulam hujus Principis delatum eſſet, priusqvam fama illud eſſet in reliqva Italia cognitum, cum illo ipſo tempore Academiæ ſymbolum meditaretur, ex oblato hoc tam peregrino & admirabili invento ſymbolum iſtud ſuum fabricavit. Et novi ipſum multa dicta evolviſſe & expendiſſe, ut tandem reperiret aliqvod, qvod ſuperficiem horti ex mente ſua referret, & in ſpeculo ſententiam Academiæ exprimeret. Qvale commentum nulli unqvam in mentem venit.

Theſis Triceſima

Perfectisſimum ſymbolum reſpiciat aliqvem FINEM RHETORICÆ.

Symbolum omne eſt *argumentum rhetoricum* in *veriſimili* fundatum: idcirco ad *rhetoricam perſvaſionem* neceſſe eſt dirigatur (381.) Ad eandem enim facultatem pertinent argumenta vera & veriſimilia, atqve adeò ſymbolum omne neceſſe eſt referatur ad aliqvod (382.) trium generum rhetorices DEMONSTRATIVUM, DELIBERATIVUM ET JUDICIALE, ut de *argutiis facti* ſupra diſſerui.

AD DEMONSTRATIVUM referuntur præcipuè omnia ſymbola ad *laudem* pertinentia, qvibus aut noſtra aut aliorum (383.) virtus ſignificatur, ut *ardea* Marci Antonii Columnæ, qvæ tempeſtatem præſentiens ſupra nubes ſe attollit, cum dicto: NATURA DICTANTE, in qvo eſt ſymbolum *prudentiæ*. Sic *pro juſtitia* Dux Gvilielmus adhibuit *ſtateram & enſem*, cum dicto: CUIQVE SUUM. Pro *fortitudine* Porcellaga *ſcopulum inter undas* cum dicto: SEMPER IDEM. Pro *temperantia cervam* Lucretia Gonzaga cum dicto Petrarchæ,

(381.) *Ar. 1. Rh. 1. Ejusdem facultatis eſt veri & veriſimilis conſideratio.*

(382.) *Ar. 1. Rh. 3. Neceſſariò igitur tria ſunt genera dicendi:* Demonſtrativũ, Deliberativum & judiciale.

(383.) *Ar. 3. Rhet. 9. Laudabilia ſunt indicia virtutum & opera.*

trarchæ, Neſsun Mi Tocchi id eſt, nemo me tangat. Generatim qvodcunqve (384.) *excellit*, erit argumentum laudis. Excellentia enim aut imitatur, aut conſeqvitur, aut indicat virtutem, ut *pulchritudo, dignitas, nobilitas, victoria*, Qvare (385.) in omnia, qvæ excellunt, utut vita & ratione carentia ob analogiam excellentiæ humanæ argutiſſima ſymbola vel ſeria vel jocoſa componi poſſunt. Ut in navi Luſitanicâ, qvæ Phœnix dicebatur, ſculpta fuit in puppi Phœnix multis avibus cincta, cum dicto Claudiani de felici iſta avi loqventis: Non Jus Habuere Nocendi, qvo firmitas illius navis indicabatur, qvæ ſola à multis aliis nihil timebat.

Alter finis priori contrarius eſt (386.) *vituperare*, unde naſcuntur *ſymbola vituperantia*. Talis eſt *porci mactati* cum dicto: Tantum Frugi in avarum. Sic in mulierem Siculam in cujus inſignibus erat vitis populo alligata, dictum illud adjectum fuit: Nulla Magis Arbore Gaudet. Et Ludovicus Alamannus elegantiſſimi ingenii vir à factione imperatoris Caroli V. Florentia ejectus aqvilæ imperiali adjecto hoc dicto: Ut Plus Voret Duo Rostra Gerit, ſe vindicavit.

Et huc ſpectant qvoqve ſymbola *memorantia*, qvæ rem geſtam ſeu bonam ſeu pravam in memoriam revocant.

Symbola DELIBERANTIA (387.) *ſvaſionem & diſſvaſionem* reſpiciunt. Qvanqvam verò, qvatenus communia præcepta, emblemata potius faciant: nihilominus ſymbola qvoqve proprias ſententias ita explicant ut ſint vel *documenta vel preces vel conſilia*. Talis eſt roſa Academici Aviſati, cum dicto SENTES EVITA, hoc eſt, *roſas ita colligam, ne ſentes me pungant*. Et *navis* tempeſtate acta Cardinalis Granwellani cum dicto Virgiliano: Durate, hoc eſt, *etſi in aula contra me excitetur atrox tempeſtas, illam patientia ſuperabo, & cuculus* Johannis Hieronymi Columnæ cum dicto: Parce Pias Scelerare Manus.

Et qvoniam *genus Deliberativum* (388.) *futurum tempus* præcipuè ſpectat, eò etiam referenda erunt omnia illa ſymbola, qvæ vocantur *præſaga minantia aut deſignantia*. Symbolum præſagum eſt *Sol* Regis Philippi cum dicto Jam Illustrabit Omnia *Minax & deſignans* eſt hiſtrix Regis Ludovici.

Symbo-

(384) *Ar. ib. Omnis excellentia laudabilis eſt.*

(385) *Ar. ibid. Sed qvoniam accidit joco vel ſeriò laudare non ſolum hominem aut Deum, ſed etiam inanimata de iis qvoque ſimiliter propoſitiones ſumenda ſunt.*

(386) *Ar. 1.Rh.?.Eſt autē Demonſtrativum* laus & vituperatio.

(387.) *Ar. ib. Deliberatio orationis eſt ſvaſio & disſvaſio.*

(388.) *Ar. ib. Deliberativo tempus futurum convenit.*

Symbola Judicialia ſunt, qvæ (389.) *excuſant* vel *accuſant* aliqvem. Symbolum excuſans erat iſtud Comitis Landriani, qvi audiens adverſarios ſuſurrare eum poſtqvam ad ſummos honores pervenerat, otio ſe tradidiſſe, *flumen* pinxit *redundans* cum dicto: Altior Non Segnior. Item iſta Alphonſi Caraffæ, qvi accuſatus, qvod partes Caroli V. potius qvam Pontificis cognati ſui eſſet ſecutus, *ſe ipſum* pinxit in inſignibus Carolo Fidem Ligiam, qvam vocant, jure jurando dantem, cum dicto Absit Mihi Gloriari Nisi In Domino: indicans *jusjurandum Vaſalli Ligii ipſum coëgiſſe Caroli partes ſeqvi.*

Symbola *accuſantia* erant omnia, qvæ unicus Accoltus in eam compoſuit, qvæ vana ipſum ſpe lactaverat, vocans illam *mendacem & infidam*, & hæc præcipuè in qva *Aqvila* partus ſuos ad ſolem explorat cum dicto, Sic Crede, *tanqvam tantum illi eſſet credendum, qvantum oculis cerneretur.*

Omitto genus Dogmaticum, qvod ſymbolis Philoſophica docet aut Moralia. Iſta enim ſunt emblemata potius, qvam heroica ſymbola.

Theſis Ultima

In perfectiſſimo ſymbolo cuſtodiendum eſt DECORUM.

Hæc *circumſtantia* à priſcis rhetoribus neglecta ab autore noſtro in omni parte orationis curæ noſtræ ſollicite commendata eſt, & in (390.) *metaphoris argutaqve urbanitate* eò magis qvò difficilius ibi ſervatur. Decorum verò Metaphoræ nihil eſt niſi Convenientia, ita, ut Metaphora reſpondeat atqve conveniat *dicenti, auditori, rei.*

Primum itaqve ſymbolum reſpondere debet *intelligentiæ perſonarum, ad qvas dirigitur.* Sicuti enim (391.) picturæ procul ſpectatæ ſimpliciores ſunt & rudioribus coloribus diſtinctæ, qvam qvæ propè ſpectantur: ſic ſymbola populo expoſita tantam accurationem aut eruditionis ſubtilitatem non reqvirunt, qvantam Academicæ. Hinc in *ludis eqveſtribus*, ubi fœminæ potiſſimam partem theatri faciunt, *corpus ſymboli* minus eruditum, *ſententia* minus ſublimis,

dictum

(389) *Ar. ib. Judicialis eſt accuſatio vel defenſio.*

(390) *Ar. Poët. 2. Cumprimis vero translationibus decēter uti, maximè arduum eſt.*

(391.) *Ar. 3. Rh. 12. Elocutio picturæ ſimilis eſt, nam quãtò major populo ſit, tantò magis à longe ſpectat. Et Elench. 1. Imperiti veluti diſtantes à longe ſpeculantur.*

(392) Ar. 3. Rh. 11. Multitudini pejora videntur, qua magis exquiſita ſunt.

dictum minus acutum ſit oportet. Qvin hic recte (ut dixi) adhibere potes integrum verſum Italicum, cujus acumen potius ſit poſitum in gratia antithetorum, qvam ſubtilitate eruditionis. Qvale fuit ſymbolum Angeli *Galli*, qvi amore mulieris captus, in cujus inſignibus erat *aqvila* in ſcuto ludi eqveſtris, pinxit *Gallum* inter ungves *Aqvilæ* cum verſu PEtrarchæ, ET DEL SUO VINCITOR SI GLORIA IL VINTO id eſt, *victore ſuo ſe jactat victus*. Symbolum verè argutum ſed intelligibile atqve adeò vulgo (392.) laudatius. nam optimum peſſimum videtur, qvando non intelligitur.

(393) Ar. 3. Rh. 7. Accommodata erit oratio ſi non ſit humilis in rebus magnis, nec in parvis ampla.

Porro ſymbolum conveniat *qvalitati perſonæ illud proponentis*, ſiqvidem ſententia qvædam conveniet Principi, qvæ non decebit privatum Nobilem, multò minus, viliorem ordinem. *Jupiter ſupra nubes fulmen expediens* cum dicto POSSE SATIS EST, ſymbolum erat Principis Biſiniani, ſed magno Regi potius qvam Vaſallo accommodata eſt. Et contra ſententia Regis Ferdinandi *ſe nolle manus polluere ſangvine cognati ſui Ducis Seſſani* verè erat heroica, ſed ad illam ſignificandam pinxit *muſtelam albam* cum dicto: MALO MORI QVAM FOEDARI, qvod in pudicam matronam potius qvadraſſet.

(394) Ar. 3. Rhet. 5. Hæc omnia fugienda ſunt, niſi qvis ſtudio id faciat.

Deniqve reſpondeat qvoqve *rei* ſeu *argumento*. Unde in decorum peccabit, qvi ſymbolo profano adſcribet verba ſacra aut ſacro verba profana aut qvi corpore (393.) ignobili ſententiam explicabit heroicam, ut qvi *limacem* inter flammas crepantem pinxit cum dicto: RUMPIT SILENTIA MOEROR. Ex qvibus infero ſymbolo Regis Ludovici, qvantum ad decorum, præcipuam deberi palmam. Qvatenus enim *populare* eſt ſymbolum & intelligibile eſt, & qvatenus eſt ſymbolum *Regis*, grave eſt & heroicum, & qvatenus *argumentum* eſt *heroicum*, ex figura & dicto nobiliſſimo componitur.

(395.) Ar. Poët. 2. Ridiculum eſt aliqvo pacto peccatum, turpitudo ſine dolore.

Illud verò manet, qvod alibi diximus, decorum interdum eſſe poſitum in violando decoro, ut ſi qvis (394.) de induſtria *ridicula facetaq́* ſymbola velit componere. *Ridiculum* enim ex grata decori violatione naſcitur, cum ſit (395.) *turpitudo ſine dolore*, ut fuſe docuimus ſupra, ubi neglectum iſtum decori in duas ſpecies diſtinxi, in VILITATEM MATERIÆ ut ſi de rebus ſordidis humilibusqve dicas, & in CONJUNCTIONEM RERUM INOPINATARUM, ut ſi barbarè loqvaris, aut qvæ nihil ad rem faciunt dicas, ut auditor opinione

opinione fallatur. Qvodſi utraqve ratio miſceatur, magis ridiculum erit ſcriptum. Talia igitur ridicula ſymbola locum habebunt in ornamentis *conclavium ruſticorum* aut in *ludis perſonatis*, aut *ludis eqveſtribus* ad riſum comparatis, ubi nobiles *perſonas ridiculas* ſuſtinent, atqve adeò in ſcutis & inſignibus ridicula & nulla ratione ſuffulta ſymbola oſtentant. Sic igitur RIDICULA erunt ſymbola qvæ aut in *vili argumento* verſantur, aut *res diverſas præter rationem conjungunt* aut *dicto barbaro transpoſitoq;* utuntur, aut deniqve qvæ ex his omnibus *mixta* ſunt atqve conflata.

Ridiculum igitur & facetum eſt ſymbolum qvod ante diximus Academiæ, qvæ à *cucurbita* nomen ſumſit. Utut enim *ſententia* ſit nobilis, *corpus* tamen eſt vile & abjectum, *cucurbita* nimirum *cum piſtillis* cum dicto: MELIORA LATENT, ut ſignificarent *ſicuti vili cucurbita contineatur id, qvo condiuntur cibi, ſic Academiam illam ſapientiam potius curare, qvam externam ſpeciem.* Tale etiam eſt *allium*, qvo eqves Riſentitus utebatur in decurſione eqveſtri, cum dicto: FLEBIT QVI ME MORDEBIT. Item *felis*, qvæ *mure* ungvibus correpto ludit, cum dicto: SIC MEA FACIT AMICA, Item iſta qvæ in ridiculo poëmate Ciulli & Pernæ nobiles in acie præferunt, velut *inſtrumentum caligis induendis* in forma dimidii cornu, cum lemmate in Dialecto regni Neapolitani incolis familiari: SE SIERVO MEZZO, CHE FARAGGIO TUTTO. ſi dimidius inſervio, qvid non faciam totus?

Interdum in dictis unica vox mutatur, veluti, is qvi ære alieno obrutus in vinculis tenebatur, marſupium pinxit ſine fundo in cavea, cum dicto: MISER CHI MAL PAGANDO SI CONFIDA: cum in verſu eſſet, *malè operando.* Et multis aliis modis faceta dicta atqve ſcurrilia lepidè fabricantur, ut dictum eſt, cum de figura Deceptionis ageremus.

Epilogus Theſium
ET DEFINITIO perfectisſimi ſymboli.

Cum unamqvamqve perfectionem ſeorſim conſideraverimus, non difficile foret integram perfectiſſimi ſymboli *definitionem* inde

(396) *Ar. Poët. 3. Tragœdia eſt imitatio actionis illuſtris abſoluta magnitudinẽ habentis ſermone ſvavi.*

colligere, ad eum modum, qvo (396.) autor noſter ſubſtantiam tragœdiæ plenè definivit iis circumſtantiis, qvæ non prorſus ad ſimplicis tragœdiæ naturam pertinent, ſed omnes perfectisſimæ demum, qvæ in mente poteſt concipi, tragœdiæ conveniunt. Qvare *circumſtantias* colligentes definiemus ita:

Perfectisſimum ſymbolum eſt argutia in facto poſita, fundata in Metaphora Proportionis, ſpecie argumenti poëtici à ſimilitudine, ſignificans ſingularem heroici animi cogitationem, beneficio figuræ veræ, nobilis, unicæ, pulchræ, naturalis, ſed admirabilis, novæ ſed noſcibilis, repræſentatu facilis & ſcuti magnitudini reſpondentis, proprietate qvadam ſpecioſa, actuoſa & ſingulari qvæ dicto acuto brevi oppoſito & homonymo & ex claſſico poëta latino petito ſignificetur, ut ingenioſum & ſingulare, populare tamen ac perſonis argumentoq́, dignum evadat ſymbolum.

Omnes hæ circumſtantiæ ad perfectisſimi ſymboli eſſentiam pertinent: ad ſimplex ſymbolum non æqve omnes reqviruntur. Qvodſi itaqve eas, qvæ ad perfectionem comparatæ ſunt ab iis, qvæ ſimpliciter neceſſariæ ſunt, ſeparare velis, brevisſimè ſymbolum definire poterimus in hunc modum:

Symbolum eſt argutia ſententiam heroicam figuræ cujusdem ſymbolicæ beneficio exprimens.

Hic verò velim obſerves, me non à calce qvod qvidam faciunt, definitionem ſymboli inchoare, ſed à capite. Repetenti enim caput 3. & cap. 4. in mentem revocabitur me ſummum genus argutiarum diviſiſſe in ſuas ſpecies, qvarum unum eſt ſymbolum. Et hoc modo omnia *inſignia familiarum, trophæa, hieroglyphica*, ad factum aliqvod heroicum reſpicientia etiam ſine dicto erunt ſymbola. Sed parva ingenii laus eſt in nuda rerum eſſentia hærere. Sicut facies facie non eſt præſtantior eſſentia, ſed accidentibus, videlicet lineamentorum aut colorum decore: ſic ſymbolum vel laude vel cenſura dignum reddunt, non qvæ neceſſariò adeſſe debent, ſed qvæ ornatus cauſa adjiciuntur. Illud largior ſicuti accidentium alia ſunt magis minusvè propria, ſic nudæ illi & aſtrictæ definitioni adjici poſſe præcipuas qvasdam proprietates, qvæ perfectum ſymbolum, qvamvis non perfectisſimum reddant, ut ſi diceres.

Symbolum eſt argutia proportionis inſtar habens argumenti comparationis & ingenioſè ſignificans cogitationem heroicam beneficio figuræ naturalis

Digitized by Google

turalis vel arte facta proprietate qvadam peregrina & perſpicua, brevi & arguto dicto indicata

Sed hoc opinor non negabis laudatius eſſe ſymbolum, qvod majorem numerum perfectionum complectitur, meliusqve omnino eſſe illas conſeqvi, qvam negligere. Præterqvam qvod, ſicuti ſymbolum pulcherrimus eſt ingenii partus ſed publicæ ingeniorum cenſuræ ad reprehendendum magis qvam laudandum pronæ expoſitus: Sic leviſſima menda videtur macula, & una carere perfectione judicatur vitium. Poſtqvam igitur exemplo *hyſtricis* Regis Ludovici, & regulis Ariſtotelicis conſtituimus *definitionem ſymboli perfectiſſimi*: reſtat, ut eadem definitione in maximorum virorum, qvin ipſius hiſtricis celeberrima ſymbola inqviramus, numqvid imperfectionis iis adhæreat, qvod idem erit, ac ſi TUBO ARISTOTELICO maculas Solis detegamus.

Judicium de celeberrimis Symbolis etiam illo hiſtricis.

Maximus ingeniorum plauſus merito datus eſt ſymbolo Papæ CLEMENTIS VII. qvod repræſentat *globum cryſtallinum*, qvem tranſeuntes radii ſolis omnia comburunt præter candida cum dicto: CANDOR ILLÆSUS. Symbolum tanto Principe vere dignum illuſtre *nobilitate corporis*, admirabile *proprietate*, *ſenſu* heroicum, *dicto* argutum qvo innuitur Papam innocentia ſua vim Hiſpanorum evaſiſſe. Attamen *corpus* caret unitate illa tantopere laudata, cum plures figuras valdè remotas complectatur. Nec *candor* repræſentari poteſt, ſive *ſigillo* ſive *argento* aut *marmori* objectum velis inſculpere. Porrò *dictum* eſt nimis perſpicuum, nec *harmonicum*, nec *metricum*, nec celebris *autoris*, prætterea ſymbolum non adeò qvadrat circumſtantiis ſingularibus vel perſonæ, vel Pontificis, ut non æqve poſſet privato cuicunqve applicari, qvi innocentia ſua tempeſtatem effugerit. Habet igitur ſymbolum hoc multas perfectiones, ſed *perfectum* non eſt.

Celebre qvoqve hoc eſt IMPERATORIS CAROLI V. ſymbolum videlicet duarum *Herculis columnarum*, cum dicto PLUS ULTRA ſignificans *expugnatis duobus Africæ munimentis ſe ſpem tenere pro-*

ferendi nominis Chriſtiani. Sententia digna chriſtiano & magnanimo heroe, ſed *corpus* ſymboli non eſt *verum*, aut *in rerum natura exiſtens*, ſed *fabuloſum & chymaricum*, nec in eo eſt *metaphora Proportionis* vel *argumentum ſimilitudinis*, cum non poſſit ad qvatuor terminos revocari, *dictum* porrò eſt barbarum & ſine metro totumqve ſymbolum (ut jam monui) Regi Ferdinando potius conveniret, qvi primus Herculeas columnas prætervectus eſt.

Sum̃am qvoq; laudem tulit *Luna creſcens* Regis HENRICI II. cum dicto: DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM. Qvod enim eo ſignificatur, *magnanimum* eſt *heroicum* & animo Regis ac juvenili *dignum*. Nec minus eſt *falſum & mordax*, cum id dicere videatur *Carolus V. ſatis habuit fretum tranſire Herculeum, ſed ipſe totum orbem ſubigam.* Porrò figura eſt *nobilis*, *unica* & ſcuto *reſpondens*, *dictum* eſt *argutum*, *metricum*, *numeroſum*, in qvo duplex ingenioſiſſima homonymia concurrit, altera *figuræ*, qva ut demonſtratum eſt nomen Amicæ continetur, altera *dicti*, in qvo vox *orbis* æqve ſignificat *globum terreſtrem & circulum lunæ*. At ſi conſpicillo *Definitionis* ſymbolum hoc intuemur, non minores in *picta* hac, qvam in cœleſti *luna* maculas deprehendemus. *Corpus* enim non eſt peregrinum ſed qvotidianum: *proprietas* naturalis non eſt *admirabilis* ſed communis: *dictum* non ex claſſico autore translatum, ſed liberè excogitatum eſt. Porrò *Luna* ſymbolum eſt, qvod in ſiniſtram partem vulgò accipitur & inconſtantiam aliaqve notat vitia heroi indecora. Deniqve totum ſymbolum conveniſſet potius Solimanno, in cujus *inſignibus* eſt Luna, qvod metaphoræ *Proportionis* adjeciſſet metaphoram *attributionis*.

Sed tranſeamus à *Luna* ad *Solem*, clariſſimum ac glorioſum erat ſymbolum Regis PHILIPPI II. Sol, qvi *quadrigas* ſuas ab oriente attollit, cum dicto: JAM ILLUSTRABIT OMNIA *magnum demonſtrans animum dandi ſerenitatem orbi terrarum pacifico imperio, cum bella Patris cum Rege Franciſco orbem obſcuraſſent:* cogitatio qvæ ſine temeritate in ſolam ejus mentem cadere poterat, cujus imperium ſolis curſui æqvale orbi pacem aut bellum dare poterat. Sed in *ſole* iſto majores videbis maculas, qvam in *Luna* Henrici. *Sol* enim *currui inſidens* figura eſt *chymærica*, & *ſpecies humana* in perfectis ſymbolis non laudatur. Porro *proprietas naturalis* nihil habet rari vel admirandi, & lem-

& lemma eſt *ſine autoritate*, *numero*, *& gratia*, & ita perſpicuè loqvitur, ut ipſe ejus Sol. Qvin ne eſt qvidem neceſſarium, cum *ſol* per ſe loqvatur.

Admirantur qvoqve ſcriptores ſymbolum Ducis GVIDOBALDI URBINATIS videlicet *metam* cum dicto græco φιλαρητοτάτῳ: in qvo præcipuè laudant *eruditionem figuræ* alludentem ad palmam deſtinatam iis, qvi in circo metam primi attigiſſent, laudant qvoqve *eruditionem dicti*, qvod latinè ſignificat *virtutis amantiſſimo*: ex qva hæc ſententia naſcitur: *Principem iſtum omni ſtudio contendere ad palmã virtutum tàm belli, qvam pacis conſeqvendam*: propoſitum verè dignum animo heroico cùm virtus heroica nihil aliud ſit, niſi præſtantia qvædam in omnibus belli paciſq; virtutibus. Sed in hoc ſymbolo ſplendido ope *definitionis* non parvas mendas deprehendes. Ut enim omittamus nullam hic reperiri *circumſtantiam*, *qvæ* prorſus *qvadret* aut *conveniat* Duci: corpus eſt veluti *mortuum* ſine proprietate *actuoſa* vel *naturali*, qvæ vitam ipſi conciliet. Porrò *argumentum* non poteſt reduci *ad qvatuor terminos*, niſi remotos admodum & confuſos. Deniqve *dictum* nullam habet earum dotium, qvæ *dictum argutum* reddunt non *acumen*, non *numerum*, non *autoritatem* non *popularitatem*. Siqvidem ſymbolum videtur doctis in ſchola non populo publicè propoſitum cum *vox* ſit *græca*, qvæqve ad *perſonam* non ad *figuram* referatur. Unde *perfectum ſymbolum* non eſt, ſed *numiſma*, qvale provinciæ græcæ Romanis imperatoribus dedicabant.

Pulcherrimis qvoqve annumeratum eſt hoc Cardinalis FRANCISCI GONZAGÆ: videlicet *Aqvila inſidens oleæ ramo* cum dicto: BELLA GERANT ALII, ubi obſervamus ſymbolum iſtud valdè *gratum* eſſe oculo & perſonæ *proprium* cum ob *figuram*, qvæ ad *arma gentilitia* reſpicit, tum ob *ſententiam*, qvæ apprimè decet Principem religioſum, cujus eſt, non bella gerere, ſed pacem afferre. Qvin in hac voce ALII argutam obſervant alluſionem ad virtutem militarem reliqvorum ſuæ gentis Principum, tanqvam diceret: *Aqvila mea non invidet gloriæ reliqvarum Aqvilarum Gonzagæ gentis, ſiqvidem tantum ipſe pacis artibus inclareſcam, qvantum belli artibus & Pater meus Ferrantes, & reliqvi fratres mei*, qvæ argutiſſima certè eſt, & *heroica* cogitatio. Sed primum fundatur illa in nulla metaphora *Proportionis* ſed ſimplici *Attributionis*, cum nullum

argumentum ſimilitudinis analogicæ inter qvatuor terminos intercedat, ſed ſimplex ſymbolum, dum inſtar *hieroglyphicorum & numismatum aqvila* perſonam, *olea* pacem ſignificat. Porrò inter *aqvilam & oleam* nulla eſt *naturalis proprietas* nec *actuoſa*, ſed ſimplex *aggregatio chymarica*. *Dictum* poſtea non cadit in *figuram ſignificantem*, ſed directè in *ſententiam ſignificatam*. Qvin adeò clarè illa exprimitur, ut *figura* ſit ſuperflua: ut dictum janitoris eſſe videatur. Verum qvidem eſt *dictum* eſſe *metricum & numeroſum*, parva mutatione ab iſto Turni apud Virgilium expreſſum: *Bella viri pacemq́, gerant*, aut à celebri iſto: *Bella gerant alii, tu felix Auſtria nube.* Sed qvoniam *religioſum* eſt & *ſacrum* ſymbolum, *dictum* qvoqve *ſacrum* magis deceret. Ejusmodi enim religioſa ſymbola non creduntur in *bellico ſcuto* picta, ſed in *oratorio:* niſi fortè occaſione belli ſacri eſſet conditum, qvo caſu ſententia nihil haberet generoſi & dictum deſumendum eſſet potius ex ſacris literis aut poëtis ſacris, Prudentio, Juvenco, Paulino, Fortunato, Boëtio.

Nobilibus Imperatorum Regum Ducum & Cardinalium ſymbolis ſubjiciam unum illuſtris Ducis militaris ANTONII LEVÆ, qvod æqve celebre eſt ac ipſe autor ejus. Iſtud eſt *examen apum circa alvearia*: cum dicto SIC VOS NON VOBIS. Qvod Bononiæ cum Carolus V. coronaretur ab utraqve aula & deinde toto orbe à ſcriptoribus adeò laudatum eſt, ut diu de nulla alia re eſſet ſermo. Et certè negari neqvit *ſententiam* eſſe argutiam qvandam Hiſpanicam qva domino ſuo non ſine gratia qverelas exponit. Dum enim Leva multo ſudore Ducatum Mediolanenſem imperio recuperaſſet, ſperans ſe fruiturum eo qvod comparaverat: Imperator Ducatum illum Franciſco Sfortiæ reddidit. Hoc igitur ſymbolo ſuo dicere voluit: *Idem mihi, qvod Virgilio accidit, qvi verſus in laudem Auguſti compoſuit & mercedem pro iis accepit Auguſti medicus, unde & ipſe poſſum dicere qvod Virgilius SIC VOS NON VOBIS mellificatis Apes.* Ubi vides qvam pulchrè convenit *dictum Laconicum numeroſum & magnæ autoritatis*: qvam *nobilis & ſpecioſa* ſit *proprietas*: qvam pulchrè procedat *argumentum ſimilitudinis*, comparans Carolum *Auguſto*, Virgilium *Apibus*, ſeipſum *Virgilio*, Sforzam *Medico*, Mediolanum *melli* & ipſum mel tunc Toſcana lingva dicebatur MELANO. Sed non minus lepida & arguta fuit reſponſio Caroli ad Levam *Nihil eſt*, *qvod*

qvod doleas: ipſe enim ſum ille Medicus, id dicens, *ego te fruſtravi, ego te in integrum reſtituere poſſum.* Sed ut non minus mala qvam bona annotemus, *dictum eſt proverbio tritum, & vulgo ſatis cognitum atqve intellectum*, ſi vel nulla accedat *figura* ad ſignificandam ſententiam. Auditor enim ipſe his verbis pronunciatis mente verſum complet, & *apes* illas ſibi objicit. Sed in ipſa *figura multitudo* illa *apum* turbat unitatem, cum per metaphoram non poſſit dici *Antonium Levam examen eſſe apum* Porrò etſi *apis* pro nobili inſecto haberi poſſit, *Alveare* tamen corpus eſt ignobile & agreſtre. Unde ſi huic dicto adjeciſſes vel unam *apem* qvæ *mel* ex *floribus* decerpat, eadem fuiſſet ſignificatio & figura nobilior. Attamen *examen* illud plebeios animos multum movet. Qvare hoc ſymbolum habeo pro *maxime populari.*

Supereſt ut de iſto *ſymbolo* judicemus, ex qvo reliqva hactenus judicavimus. Iſta eſt HISTRIX REGIS LUDOVICI, & qvis ſperet ſe ſine macula conditurum ſymbolum, ſi in hoc *ſole* qvi ad maculas reliqvorum detegendas lumen attulit, reperiatur macula? Nihilominus fatendum eſt, ſymbolum iſtud reliqva omnia præter ſe ipſum ſuperaſſe. Primum non fundatur in *perfecta metaphora Proportionis.* Etſi enim *homo & hiſtrix* ſubſtantiæ ſunt diverſi generis, nihilominus actio *feriendi* non eſt *proprietas* ſimilitudinis inter *genera ferè analoga:* ut eſt *ſerenitas* ſolis & *ſerenitas* pacis, *acumen* gladii & *acumen* ingenii. Sed eſt proprietas ejuſdem generis phyſici, ut ferire ſagitta & ferire gladio. Deinde *proprietas cominus vel eminus feriendi* non eſt propria dos *hiſtricis*, cum idem dictum poſſit adſcribi *ſpiculo, bombardæ*, & præcipuè *machinæ Archimedis*, qvæ ut dictum eſt & procul & propè feriebat. Sic igitur pingi potuiſſet eadem illa *machina* à Livio celebrata cum ipſis ejus verbis: EMINUS ET COMINUS. Deniqve in corpore ſymboli non levis menda latet, qvod non eſt ita nobile, ut ad modum metaphoræ de perſona ipſa cum dignitate dici poſſit. Sicuti enim hiſtrix in Gallia vocatur PORC ESPIC id eſt, *porcus ſpinoſus*, qvomodo à Claudiano qvoqve deſcribitur:

Os longius illi
Aſſimilat Porcum: mentita cornua ſetæ.

Sic

Sic non videtur perſonam Regis decere hæc propoſitio metaphorica: *Rex Ludovicus eſt porcus ſpinoſus.* ut dicitur *Achilles eſt Leo.*

Sed hic audire mihi videor qvorundam voces, *qvi à me reqvirant exemplum aliqvod ſymboli in qvo locum non habeat cenſura, cum reliqvas omnes cenſura notaverim.* Qvibus autoris noſtri reſponſum regero, qvi cum poëſin doceret nec verſus faceret (397.) *arguta*, inqvit, *& urbana dicta formare, ingenioſi eſt hominis vel exercitati, viam verò & rationem tradere doctrinæ hujus eſt.* Sic *Cos* Horatii ferrum acutum reddit, ipſa ſecandi expers eſt, & *Mercurius* in triviis viam monſtrat, qvam non ingreditur. Qvare non dubito, ſi ſymbola qvædam à me in aliornm gratiam fabricata & in hoc opere ferente ſic occaſione indicata ſub cenſuram vocare velis qvin ſine ope alicujus conſpicilli magnas in illis maculas deprehenſurus ſis. Et ſi iſta exercendæ cenſuræ tuæ non ſufficiunt, ſuppeditabo *meum ipſius ſymbolum*, qvod cum præter meritum adſcriberer *Academicæ Sereniſſimæ SOLITARIORUM*, pro me ipſo compoſui, ſed eo *tempore* qvod per acerbam æmulationem (de qva ex *capricorno* meo *cornibus nudato* cognoſcere potuiſti) mihi erat *turbulentisſimum.* Cum enim eruditæ ingeniorum altercationes in apertas animorum abalienationes converterentur, decreveram alio migrare & *calamum* meum impendere actionibus heroicis *Sereniſſimi Principis Sabaudiæ*, benigniſſimi mei Mecœnatis, qvi tunc temporis in Belgio, Regiorum armorum imperium, ut olim abavus ejus ſuſtinebat. Videns igitur amicos cognatosqve meos dolere, qvod ignotus in ignota regione perpetuis Martis tumultibus obſcurata, voluntariis me tenebris involverem: indicare volui hoc ſymbolo, *me etiam in turbido illo mediæ noctis climate daturum operam, ut PENNA mea illuſtrarer atq; inclareſcerem.* Publicè itaqve expoſui ænigmaticum meum ſymbolum admirabili penicillo eqvitis Iſidori animatum, pingi faciens in campo obſcuro & nocturno avem iſtam volantem, qvæ in hiſtoria animalium dicitur AVIS LUCIDA, ab Alberto Magno LUCIDIA, à Belgis AVIS IGNITA, à Fulvio Patavino MICROPHOENIX, qvæ in regionibus Septemtrionalibus inter ſylvas Arduennam & Herciniam ſpisſisſima nocte volans lumen *pennis* ſuis concitat. Qvæ eſt admirabilis, attamen vera proprietas; peregrina ſed teſtimonio (398.) Po-

(397) *Ar. Poët. c. 10.*

Digitized by Google

(398.) Solini, Plinii, Iſidori & aliorum Hiſtoricorum ſatis cognita, & experientia incolarum confirmata, qvi noctu per vaſtas illas ſolitudines iter facientes pennis iſtarum avium pro facibus utuntur. Pro *dicto* adſcripſi illud hemiſtichium: NIL OPIS EXTERNÆ ex Panegyrico Claudiani in Manlium Theodorum deſumtum:

Ipſa qvidem virtus pretium ſibi, ſolaq; latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur plauſuve petit clareſcere vulgi
NIL OPIS EXTERNÆ cupiens, nil indiga laudis.

Et certè cum in turbidis illis regionibus tranqvillum mihi cœlum inveniſſem, ſcripſi ſucceſſum illius EXPEDITIONIS ita, ut pennam meam potius magni illius Principis rebus geſtis illuſtratam qvam actiones iſtius mea penna illuſtratas credam.

Sed qvoniam, ut dixi, illa ſymbola ingenioſiora ſunt, qvæ propriam & convenientem ſententiam directo ſignificantes ſimul aliam obliqvè innuunt: Eodem ſymbolo æmulis meis ſubindicare volui, qvod *qvamvis tentaſſent ſcripta mea ſupprimere & defenſionem occultare, nihilominus in angulo iſto Europæ rationes meas beneficio PENNÆ clarius ſim demonſtraturus.* Qvod etiam feci. Sed te, ingenioſe Lector, me ipſo melius hujus ſymboli maculas perſpecturum eſſe credo, unam tamen bonâ fide indicabo, atqve hæc eſt, qvod *iſta, ut ab aliis diſtingvatur, colores reqvirat.* Nam præter pennarum ſplendorem pingenda eſt (ut monent ornithologi) *colore aureo atqve cæruleo*, qvali à Claudiano deſcribitur Phœnix, unde hæc avis qvoqve dicta fuit MICRO PHOENIX. Hoc igitur ſymbolum pictum qvidem conſpicitur, ſculptum non æqve. Qvod pleriſqve ſymbolis elegantiſſimis & *inſignibus* antiqviſſimis, omnibusqve fere *ſymbolis* neceſſariò accidit.

CONCLUSIO ARTIS SYMBOLICÆ.

Concludo igitur, Lector intelligens, non eſſe humanæ artis omnes

(398.) *Solinus c. 21. In ſaltu Hercinia aves gignuntur, qvarum* pennæ per obſcurũ lucent, *qvamvis denſa nox obtegat terras unde homines loci illius plerumq; nocturnos curſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi per opaca callium indicio* alarum refulgentium. *Plinius lib. 10. c. 47. Iſidorus l. 12. c. 7. lib.*

de natura rerum Ma*jolus colloqv*. 6. *Aldrovãdus Ornithologia lib*.12.c.18.

omnes iſtas *perfectiones* antea memoratas in unum ſymbolum cogere, primum qvod ſicuti argutiarum inventio eſt veluti momentanea intellectus operatio vel à *natura*, vel ab *arte*, vel ab *afflatu* adjuta; ſic intellectus humanus, qvi finitus eſt & aſtrictus uno momento tot perfectiones aſſeqvi non poteſt. Deinde qvia multæ *perfectiones ſymboli* veluti *oppoſita* inter ſe conſiſtere non poſſunt. Vigor *oculi nigri & ſcintillantis*, qvi venerationem parit, excludit leporem *oculi cærulei*, à qvo Amor gignitur, & *flavi capillitii*, qvod ex auri filis videtur conſtare pulchritudo, excludit *nigri capilli* laudem, ex qvo candor faciei, ut picturæ lumen ab umbra eminet. Idem de *eloqventia* ſentiendum. Periodus enim rotunda & ſvavis corrumpit laudem periodi *conciſa & concinna*, & profunditas *acutorum ſenſuum* obſcurat claritatem *popularium*. Sic deniqve in ſymbolis corpora *nobiliſſima* ſunt vulgaria, & *rariſſima* ſunt ignota: qvæ *nitidiſſime pinguntur*, ſculpta non agnoſcuntur. *Dicta convenientia* nullam habebunt autoritatem, & *quorum autoritas conſtat*, eorum verba niſi mutilentur, erunt ſuperflua. Sententiæ *plana* ſunt nimis vulgares, *eruditiores* non ſunt populares. Et ſic de reliqvis dotibus. Unde qvod Cicero de eloqventia, idem de ſymbolo dico, *ſi perfectam ejus ideam conſeqvi non licet, contendendum, ut qvam proximè ad eam accedamus, & ſi omnes perfectiones colligere non licet, numerum qvem poſſumus maximum, colligamus*.

Credo ego hic ſimplices qvosdam exſpectare, ut apparatum qvendam *ſymbolorum dictorumq;* ſubminiſtrem, unde ſine ullo labore petere poſſent tanqvam ex herbis ſertum, qvæ ad condenda ſymbola faciunt. Sed noſtrum inſtitutum erat docere formam non ſuppeditare materiam ſymbolorum, cum tibi integrum ſit laborioſa hac opera per te defungi. Nihilominus exqviſitè ſatis in ſuperioribus *praxin* ipſam docui, qvæ beneficio *exercitationis*, *lectionis & meditationis* inſtituenda eſt, eumqve in finem *libros* utiliſſimos commendavi. Imprimis verò oſtendi rationem conficiendi *indicis categorici* ex omnibus corporibus *naturalibus & arte factis*, & colligendi *dicta lepida vividaq;* *hemiſtichia* clariſſimorum poëtarum, qvorum in omni argumento uſus eſt. Deniqve *labor improbus omnia vincit*.

TRA-

TRACTATIO DE EMBLEMATIS.

Cap. XXV.

SUpra diximus nos ſub examen vocare velle ſolum HEROICUM SYMBOLUM, qvod cum reliqvorum ſymbolorum ſit perfectiſſimum, ſufficere videbatur hujus naturam & *definitionem* conſtituere, ut ad reliqva ejus generis qvisqve, qvi judicio valeret, hinc præcepta derivare poſſet. Sed qvoniam ſecundum heroicum ſymbolum nullum Academiis acceptius eſt EMBLEMATE, qvin apud populum in *feſtorum apparatibus, in atriorum arcuumq; ornamentis*, atqve aliis publicis ſpectaculis emblemata majori plauſu excipiuntur, qvam heroica ſymbola, qvæ ingenioſis tantùm loqvuntur, & qvidem ſingularibus privatisqve cogitationibus, qvæ adeò difficulter poſſunt intelligi; volui hoc genio tuo dare & *eleganti huic ſymbolorum generi* parum atramenti impendere. Cum enim in tractatu de heroicis ſymbolis de *corporibus ſignificantibus & ſententia ſignificata dictisq;* jam egerimus, parvo labore definitionem & proprietates nobilis hujus Muſarum partus reperire licebit. Sed ut ab initio omnis homonymia tollatur, recolendum eſt *emblematis* nomine latinos græcosqve generatim intellexiſſe rem omnem, qvæ ornatus & elegantiæ cauſa alteri rei adjiciebatur, veluti vaſis argenteis aureisqve figuræ & ductus, veſtibus limbi & opera acu picta, pavimentis teſſellæ, ephippiis eqvorum phaleræ lunulæ & annuli, portis encarpi, & ſculpturæ eminentes, & ejusmodi opera ſeu inſculpta ſeu adjecta, qvæ etiam vocabantur *argumenta, parerga, anaglypta, gryſendeta, dedalmata, ornamenta exemtitia*. Etſi verò omnia hæc emblemata ſummo genere metaphorarum *ſymbolicarum* contineantur propter *fictionem*, atqve adeò partus ſint *poëſeos* ratione *imitationis:* non illa tamen ſunt ſpecies ſymbolorum, qvæ hic qværimus, qvoniam iſta corpora præter ſe ipſa nihil ſignificant, nulla ad aliam ſententiam mente retentam neceſſaria accommodatione. Pariter repetendum eſt me-

moria nomine *Emblematum* paulò ſtrictius accepto contineri *hieroglyphica* Ægyptiorum, qvæ certis animantium, avium, corporumqve naturalium figuris ſine voce ſententiam aliqvam ſignificabant, ſed magis tanqvam ſimplicia vocabula, qvam ut argumenta: veluti *adamas* ſymbolum eſt viri fortis, *grus* vigilantiæ, *pileus* libertatis, ſed EMBLEMATE hodie intelligunt literati, (ut ſupra dixi) *ſymbolum populare, ex figura & verbis compoſitum, ſignificans tanqvam argumentum, documentum aliqvod ad vitam hominum pertinens atqve eum in finem ornamenti cauſa in tabulis conclavium, in apparatibus, academiis exponitur, aut etiam libris cum imaginibus & explicationibus ad populum erudiendum imprimitur.* Ubi cum *populare & populum* nominare audis, non rudem plebem cogitare debes, ſed mediocria illa ingenia, qvæ latinè ſciunt & literis humanioribus nonnihil tincta ſunt. Latina enim ab omnibus gentibus intelliguntur, & qvi iſta non intelligit, eum nihil juvat epigramma, qvanqvam explicationes lingua vulgari poſſint ſubjici, ut de ſymbolis heroicis eſt dictum.

In qvo conveniant & differant heroicum Symbolum & Emblema.

Conveniunt primùm, qvia utrumqve eſt METAPHORA SYMBOLICA, atqve adeò utrumqve habet aliqvod *ſignificans qvod ſenſu, & ſignificatum, qvod mente comprehenditur*, atqve aliam rem oſtendunt aliam indicant, ut Metaphora monſtrat *Leonem* intelligit *Achillem.*

Conveniunt poſtea, qvod in utroqve eſt *argumentum poëticum:* ſimilitudo enim proprietatis ſignificantis cum proprietate ſignificata tacitam vim habet enthymematicam ſvadendi & disſvadendi aliqvid, ut dictum eſt ſupra.

Conveniunt deniqve, qvoniam utrumqve componitur ex *corpore* & *anima*, *corpore* pro figura & verbis, qvæ materiatam figuræ animam conſtituunt accepto, & *anima* tanqvam rationali pro ſententia ſignificata, ut dictum eſt ſupra. Hinc adeò ſi meram ſubſtantiam ſpectes, tam emblema qvam ſymbolum heroicum verbis carere poſſet, cum pro corpore figura & pro anima ſententia ſufficeret, ſed utrumqve eſſet imperfectum tam qvia figura multas ſignificationes admittit, qvarum qvæ intelligatur, divinare non licet, qvam qvod magna laus ingenio decederet, cum utrumqve ſuſtinere de-

re debeat florem jucundiſſimarum artium SYMBOLICÆ & LAPIDARIÆ figura nimirum & inſcriptione, ut ſupra demonſtratum.

Sed utraqve differunt primum objecto: cum *heroicum ſymbolum* reſpiciat propoſitum herois ſingulare, *emblema* verò commune vivendi præceptum.

Differunt deinde modo exprimendi ſententiam. Symbolum enim heroicum eſt magis heroicū, abſtruſum & ingenioſum. *Emblema* vero planius popularius & intellectu facilius. Hinc heroicum ſymbolum reqvirit dictum magis ambiguum, argutum & breve, qvod explicando adumbret & adumbrando explicet proprietatem ſignificatam, cum emblema diffuſius figuram explicet, ut morale documentum pateſcat, unde ſolum ſymboli *dictum* ſine figura non retinet ſymboli ſubſtantiam, cum deficiat argumentum ſimilitudinis. Qvi enim dicit *Ludovicus cominus & eminus feriet:* non hoc dicit, *Ludovicus eſt ſimilis hiſtrici*, niſi hiſtrix conſpiciatur. Sed in emblemate ſecus eſt. Nam vel ſolo *epigrammate* ſine imagine depicta ſubſtantia emblematis retinetur, cum eodem & ſubjectum imaginis & accommodatio explicetur. Porrò *dictum* ſymboli heroici laudatius eſt, qvod ab autore aliqvo petitum eſt; contra epigramma emblematis laudatur magis, qvod ab ingenio noſtro prolatum, qvam qvod ab alio deſcriptum. Hoc enim non eſt verſus applicare ſententiæ, ſed verſus & ſententiam furari.

Porrò ſymbolum heroicum tanqvam genus commentationis acutius & individuum aliqvod reſpiciens eò erit perfectius qvò figura eſt magis vera, naturalis & unica, ut demonſtratum eſt, ſed *emblema*, ut ingenii fructus magis popularis & jucundus, plures qvoqve admittit figuras ſeu hiſtoricas ſeu fabuloſas, ſeu artefactas, ſeu naturales, ſeu chymæricas, imò nec corpora humana rejicit, ut Ganimedem qvi attollitur & Phaëtontem, qvi dejicitur, qvod in heroico ſymbolo non laudaretur ob rationes modo allatas. His conſeqvens eſt locum proprium ſymboli eſſe *ſcutum*: qvoniam heroicam ſententiam ejus qvi ſcutum geſtat, ſignificans in ſcuto natum eſt, & à ſcuto in vexilla atqve alia arma derivatum eſt, ut ſæpius dictum. Sed proprius emblematis locus ſunt *ſpatia* parietum & *tabulæ*, qvæ populo proponuntur, ut hiſtoriis illis, atria,

fornices, & præcipuè apparatus ornentur. Hinc adeò majoris ornamenti cauſâ, & ut fabulæ integræ, ſi opus ſit, poſſint exprimi, ampliorem & capaciorem locum poſtulant.

Exempla bonorum Emblematum.

Qvod antiqviſſimis literatis Latinis & Græcis cognita fuerit ars emblematum, non ſolum illorum, qvæ in nudis mutisqve ornamentis vaſorum, portarum, veſtium, erant poſita & à Cicerone, Plinio, aliisqve hoc nomine appellantur, ſed etiam verorum & perfectorum emblematum eo ſenſu, qvo hodierni literati ea intelligunt, in *figuris* nimirum (ut ſupra declaratum) *verbis* vel *epigrammatis* poſita: conjecturam multò veriſimilem ex ipſa natura licet ducere, qvæ cum humano ingenio notitiam dederit ſenſa mentis declarandi *ſymbolis & verbis*: ſine dubio verba qvoqve cum ſymbolis conjungere docuit, præcipuè ſagacisſimos poëtas, imitatores illos, ut ſupra dixi. Et qvæ ſunt *imagines* Philoſtrati, niſi emblemata ex figuris & verbis compoſita ad moralem ſententiam ſignificandam? Prolixitas enim orationis, qva utitur, facilè epigrammatis concludi poteſt. Qvid deeſt *Apologis* Æſopi, qvo minus vera ſint emblemata, cum & figura adſit ſignificans, & verba, qvæ figuram ad documentum ſignificatum accommodant.

Præter hæc verò multos priſcorum poëtarum in græca anthologia *moralia epigrammata* in *imagines hiſtoricas* aut *fabuloſas* admirabili ingenio & elegantia compoſuiſſe reperio, qvæ qvid aliud ſunt, qvam vera emblemata. Non ſine morali myſterio Athenis in eadem ara collocare moris erat ſimulacrum *Palladis & Bachi*: ſic in eodem altari Argyrenſes ponebant *Cupidinem & Fortunam* ut ſignificarent, *utrumq; eſſe inconſtantem* Et Heſiodus ſcribit in Helicone *Cupidinem* cum *Muſis* adorari, ut ſignificet, *carmina nobis conciliare amorem.* Phornutus adjicit, in eodem templo adoratum fuiſſe *Mercurium* cum *Gratiis*, ut indicetur *Principes viris bonis & literatis gratias habere oportere.* Ejusmodi ſocia Numina ab ipſis appellabantur *Synnai*, qvo vocabulo argutè uſus eſt Cicero. Cum enim Romani commune templum adulatoriè poſuiſſent *Julio Caſari & Dea Saluti*: Cicero ejus inimicus ad Atticum ſcripſit, ſe malle, ut Cæſar Romulo ſit *Synnaos*, qvam Saluti, id eſt, *Caſarem occiſum eſſe ut Romulum*, & hoc verum

rum

rum erat augurium. A Virgilio, Dii iſti *Synnai* vocantur communes: *in medioqve focos & Diis communibus aras.* Cum igitur Athenienſes communem aram ſtatuiſſent *Palladi & Baccho*, qvæ Numina videntur adeò ſibi contraria, alterum labori, alterum Vino deditum, illud ſcutum, hoc ſcyphum tractans; græcus qvidam nobilisſimum emblema conſtituit, in hanc imaginem argutum epigramma, qvo ſententiam, qvæ ſuberat, moralem declararet, componens: *humanæ ſcilicet virtuti tantum prodeſſe Bacchum vino, qvantum Palladem oleo.* Oleo enim corpora roborabantur & vino animus recreatur. Sed Andreas Alciatus alio epigrammate in eandem imaginem documentum morale aliqvantum immutavit hoc modo:

Hæc Bachus Pater & Pallas communiter ambo
Templa tenent, Soboles utraq; vera Jovis.
Hic caput, ille femur ſolvit: huic uſus olivi
Debitus: Invenit primus at ille merum.
Junguntur merito, qvod ſi qvi abſtemius odit
Vina, Deæ nullum ſentiat auxilium.

Alius Græcus cum *vitem* cerneret ſuis pampinis amplecti *oleam*, aliud inde emblema fecit. Cum enim reprehenderet temeritatem vitis, qvæ homines de ſtatu mentis dejiciens oleam amplecti audeat, virginem plantam caſtæ Palladi dedicatam: Arguto diſticho id intulit virginibus vinum non convenire:

Qvid me palmitibus premitis? Sum planta Minervæ
Tolle mihi vites: vina puella fugit.

Ex qvo diſticho hoc potes cognoſcere, non omnia emblemata niti figuræ *ſimilitudine*, ſed qvædam in figura notant *disſimilitudinem* atqve inde documentum petunt *à contrario*, qvod itidem argumentum eſt ingenioſum.

Simili argumento *à disſimili* Chabrias Poëta Græcus antiqvisſimus emblema fecit de *aſino*, qvi cum ſimulacrum Iſidis portaret, & ado-

adoratores procumbere, & venerari Deam cerneret, ſuperbior incedebat, credens honorem illum ſibi haberi, qvod iſte ad rudes illos transferret, qvi cum ad dignitates & magiſtratus pervenerunt, efferuntur honoribus, non cogitantes non aſino haberi honorem, ſed ſacris inſignibus. Qvod epigramma græcum ab Alciato latinè redditum eſt in ſeptimo emblemate, hoc titulo: *Non tibi, ſed religioni.*

Alius Græcus in qvarto libro collectionis emblema fecit de ſtatua *Nemeſis* ſeu *Dea Rhamnuſia*, qvæ repræſentari ſolebat in ſiniſtra menſuram, dextra frenum geſtans, & diſticho hoc documentum inde eruit, eum, qvi nolit à Nemeſi, Dea ultionis & indignationis, caſtigari, debere moderari actionibus, lingvam refrenare:

Menſura frenoq; homini Rhamnuſia monſtrat
Ut verbis frenum, rebus ineſſe modum.

Atqve ita illam Græcorum Epigrammatum collectionem pervolvens in multa incides epigrammata, qvæ in varias imagines fabuloſas & hiſtoricas conſcripta veriſſima atqve argutiſſima emblemata conſtituunt. Unde apparet artem iſtam adeò non eſſe novam, ut à priſcis illis Magiſtris recentiores multum luminis acceperint. Attamen præ omnibus antiqvis & recentioribus palmam certè in hoc genere abſtulit Andreas Alciatus, ingenium communem hominum ſortem ſupergreſſum, qvi poſtqvam graviſſimis Jurisprudentiæ ſtudiis atqve omnibus humanioribus literis græcis & latinis pectus imbuerat, vocisqve ſuæ oraculô celeberrimas Italiæ & Galliæ Academias animaverat: à fortuna poſtea & invidia (qvæ eminentes Viros perſeqvitur) huc illuc jactatus tranqvillum otium in Muſeo ſuo reperit, & pretioſum illud volumen ducentorum ac duodecim emblematum compoſuit, in qvem contulit, qvicqvid variâ doctrinâ ſuâ atqve infinitâ eruditione perceperat. In iſto enim libro animadvertes, ut omnia nobiliſſima fabularum & antiqvarum imaginum argumenta, omnia item emblemata & epigrammata Græcorum, qvorum, multa tranſtulit in opus ſuum, & meliora reddidit, accuratè expenderit, & in fontibus ſuis inqviſiverit. Porrò profundæ eruditionis ſententias ex Politicis, Ethicis, Oeconomicis, imò

imò chriſtiana ſapientia petitas illic animadvertes, ita ut ex amœniſſimæ ac latiniſſimæ poëſeos melle, ſalubrem omnibus animi morbis ſuccum percipias. Meritò igitur ejus emblemata à Viro doctovocantur *divina* & à Julio Cæſare Scaligero, acerrimo illo cenſore, hanc laudem obtinuerunt: *ea talia ſunt emblemata, ut cum qvovis ingenio certare poſſint.* Et qvatuor eruditiſſima maximáqve ingenia Laurentius Pignorius Italus, Claudius Minos Gallus, Franciſcus Sanctius Hiſpanus, & Johannes Thuillius Germanus, qvi omnes alius poſt alium ad illuſtranda emblemata omnem ſuam ſcientiam contulerunt, & ſemper altiores doctrinæ & eruditionis theſauros in iis repererunt, nihil ſe ſcire intellexerunt, qvod iſte ignoraverit. In ſumma, ſi ejus epigrammatis non nihil aſperitatis detraheretur, qvod illius tempore poëſis ad hodiernum nitorem perducta non erat: nihil haberes, qvod in hoc genere ab humano ingenio deſideraretur. Qvid itaqve attinet exempla perfectorum emblematum hic conqvirere? Evolve librum Alciati, cum poſtremo Thuillii commentario & tot habetis exempla, qvot emblemata. Sed ut majori lumine illa legas, & ſimilia vel meliora ex arte elaborare poſſis, diſtinctius agam de

Partibus Eſſentialibus perfecti Emblematis: Themate figura & inſcriptione.

THEMA eſt ſcopus ille, qvem ſibi proponit is, qvi aliqvod emblema condit, verbi gratia, *avaritiam vituperare*, aut ad *concordiam exhortari* conſtitui. Et ejusmodi alia, qvæ animum adducunt ad qværendam figuram aliqvam fabuloſam aut veram, qva hanc mentem meam exprimam. Et hoc *thema* interdum indicatur *titulo* emblematis, ut Alceati emblema 85. *in avaros* in figuram Tantali, & emblema 30. *gratiam referendam*, in figuram ciconiæ, & emblema 40. *Concordia inſuperabilis* in figuram tergemini Geryonis. Hoc enim eſt principium & finis emblematis, intellectum excitans ad inveſtigandum aliqvod ſymbolum, qvod ſententiam tuam explicet. Hæc igitur eſt pars eſſentialis emblematis, neqve tamen ut in ornamentis atriorum literis exprimatur neceſſe eſt, ſufficit illud menti tuæ impreſſum eſſe: ſicut heroico ſymbolo adſcribitur titulus aliqvis præter dictum, qvi qvid ſpectes aut ſecutus ſis, indicet. In libris tamen im-

Digitized by Google

preſſis titulus iſte præparat lectorem ad intelligendum epigramma, cum popularius ſcriptum ſit emblema, qvam ſymbolum heroicum, qvod ab omnibus intelligi non vult, & qvod qvisqve ſymboli autor de ſe ſingulari ratione loqvi velit.

FIGURA qvoqve, ut dictum eſt, partem eſſentialem perfecti emblematis facit. Nulla enim ſententia ſymbolica prorſus poteſt populo ſatisfacere, niſi *figura* appareat vel picta vel ſculpta, unde emblema qvoqve nomen accipit. Unde tabulæ atriorum non perfectè exornatæ forent, ſi nihil aliud, qvam chartæ qvibus epigrammata inſcribuntur, cernerentur. Contra verò ſpectator valdè oblectatur cum primum conſiderata tabula hiſtoriis picta, poſtea curioſam explicationem adjectam legit.

Harum figurarum, ut initio dictum eſt, qvædam ſunt *hiſtorica* veluti incola Finniæ, qvem Tacitus adeò pauperem deſcribit, ut Fortunæ nulla ſit in eo poteſtas, cum nihil aliud habeat, qvam pellem & arcum: Qvo repræſentatur illorum ſecuritas, qvi omnia ſecum portant, in emblemate 37. Alciati.

Aliæ ſunt *Fabuloſa*, ut iſta Phaëtontis ad temerarios redarguendos in emblemate 56.

Aliæ ſunt *naturales*, ut pullorum ciconiæ pietas in matre ex ſenio infirma paſcenda, ad commendandum gratum erga benè meritos animum in embl. 30.

Aliæ ſunt *artificioſa*, ut ſepulchrum Archilochi pro ſymbolo maledici in embl. 51.

Aliæ ſunt *chimarica*, ut remora ſagittæ implicita pro ſymbolo conſideratæ feſtinationis in emblemate 20. Simile huic Auguſti, qvi Delphino anchoræ implicito utebatur.

Tranſeo ad INSCRIPTIONEM, qvæ qvam neceſſaria ſit emblemati, ſatis perſpicuum eſt. Sine hac enim fieri non poteſt ut populus intelligat, ad qvod præceptum morale ſymbolica figura præcipuè trahenda ſit, ita ut ſignificans eſſet ſine ſignificato. Etſi verò thema figuræ ſuperſcriptum lumen poſſet afferre percipiendæ applicationi, ut ſi Phaëtonti ſuperſcribabur IN TEMERARIOS: Nihilominus hoc in vulgaribus tritisqve figuris tantum juvaret, parum verò in eruditis & reconditis, ubi ſignificatum qvidem eſſet perſpicuum ſed figura ſignificans obſcura: qvod in ſymbolo popu-
lar

ari vitium foret naturæ ipſius adverſum. Hac de cauſa literati emblema conſiderantes ut ingenii opus magis populare & planum, qvam ſymbolum heroicum: cum figura conjunxerunt epigramma multò clarius atqve diffuſius, qvam dictum ſymboli, ut duplici fungatur munere, in qvo duæ partes epigrammatis continentur.

Priori explicatur figura materialis, videlicet hiſtória aut fabula, ut illam intelligat populus, qvi nihil qvicqvam de ea legit vel audivit. Qvod interdum fit ſimplici *narratione* ut iſta emblematis 7. *Iſidis effigiem tardus geſtabat aſellus. &c.* Interdum adhibetur *modus vividior*: veluti cum poëta imperat pictori, ut in tabula figuram talem vel talem repræſentet, ut in embl. 9. *Stet depictus Honos Tyrio velatus amictu.* Interdum inducitur *Dialogiſmus*, ut ſpectans loqvatur cum figura, hæc verò reſpondeat ut in embl. 122. ubi figura picta eſt inſiſtens globo rotundo pedibus alatis:

Cur pennis ſtas? usq; rotor. Talaria plantis
Cur retines? paſſim me levis aura rapit. &c.

Interdum fingitur aliqvis cum ſpectatore loqvens, illiqve figuram demonſtrans, ut in emblem. 56. *Aſpicis aurigam currus Phaëtonta paterni.* Et pluribus modis, de qvibus actum eſt in figuris patheticis.

Poſteriori parte epigrammatis applicatur hiſtoria & figura ſignificans ad documentum ſignificatum, qvod etiam non ſine gratia fit, dum nunc ſententiæ univerſæ ponuntur, nunc ad ſpectatorem diriguntur, nunc alia forma pathetica, minando, plangendo, & ſimili ratione proferuntur. Qvin varietatis cauſa non nunqvam ordine inverſo à documento ordimur, & in explicatione figuræ deſinimus, ut emblem. 11. ubi repræſentatur Harpocrates Taciturnus: *cum tacet, haud qvicqvam, differt ſapientibus amens. &c.*

Qvod ſi qværas, qvot verſibus debeat conſtare inſcriptio? reſponderem, tot ut duplici iſti muneri *declarandæ figuræ & oſtendendæ applicationi ad morale documentum* posſint ſufficere. Qvod ſi uno diſticho præſtare poteris eò argutior erit inſcriptio: at ſi ſex verſus excedet, erit tædioſa. Qvanqvam hodiè cum in aulis & privatorum atriis epigrammata ut nimis ſcholaſtica repudientur; emblemata componi poſſint, qvæ inſtar ſymbolorum heroicorum brevi,

 arguto,

Digitized by Google

arguto,& ingenioſo dicto documentum in charta volante exhibeant. Sed de hac ſpecie emblematis ex populari & acuto mixti poſtremo loco agamus. Nunc aperiemus

Varietates Emblematum.

Prima varietas ducitur à tribus finibus, qvibus omnis materia rhetoricæ continetur, in tria ſcilicet genera diſtincta DEMONSTRATIVUM DELIBERATIVUM & JUDICIALE, ut dictum eſt ſupra. Qvin oſtendimus etiam ſymbola in *factis & figuris* poſita ad aliqvod horum trium generum omnia pertinere, & rurſus probavimus ad eadem tria genera revocari omnia ſymbola & argutias heroicas. Tres igitur erunt genericæ differentiæ emblematum: Alia ſunt *judicialia*, alia *Deliberativa*, alia *Demonſtrativa*, qvanqvam omnia præceptum aliqvod reſpiciant.

Emblemata JUDICIALIA ſunt qvibus *condemnatio* aut *defenſio* continetur, verbis propemodum *forenſibus*. Tale eſt emblema 48. ubi virtus in ſepulchro Ajacis deflet corruptum ſenatus græci judicium, qvod in controverſia de armis Achillis pro doloſo Ulyſſe adverſus merita fortis Ajacis ſententiam tulerat, indicans apud iniqvos plus valere gratiam vel odium, qvam jus & æqvum.

Scilicet hoc reſtabat adhuc, ut judice græco
Vincerer, & cauſa ſtet potiore dolus.

Et contra in emblemate 28. cum narraſſet Neptunum iratum Ulyſſi arma illa eripuiſſe, eaqve fluctibus marinis ad ſepulchrum Ajacis delata eſſe: Undam ipſam tanqvam judicem pro forti Ajace ſententiam pronunciare facit:

Vicisti Telamonide, tu dignior armis
Affectus fas eſt cedere juſtitiæ.

Emblemata DELIBERATIVA ſunt qvæ bonum *ſvadent* aut malum *diſſvadent*. Prioris generis eſt embl. 82. ubi alludens ad Synthema illud Pythagoricum *Chœnici ne inſideas*, qvæ erat menſura diurni cibi: ſvadet fugiendum otium, ſi qvis victum parare velit:

Surge

Surge igitur duroqve manus aſſveſce labori,
Det tibi dimenſos craſtina ut hora cibos

Et è converſo embl. 59. exemplo eorum, qvi in lavando Æthiope, perdunt operam, diſſvadet prudenti, ne inemendabilem corrigere fruſtra laboret.

Abluis æthiopem qvid fruſtra? ah deſine, noctis
Illuſtrare nigra nemo poteſt tenebras.

Emblemata DEMONSTRATIVA propriè ſunt, qvæ *laudant* res honoratas aut *vituperant* contrarias. Prioris generis eſt embl. 14. qvo imagine Belleropohontis, qvi alato Muſarum eqvo, qvem Pegaſum dicunt, per aera vectus chimæram occidit, poetas laudat, qvi pennis eruditis & excellentibus carminibus vitia oppugnant:

Sic tu pegaſeis vectus petis æthera pennis
Conſilioqve animi monſtra ſuperba domas.

Poſterioris generis eſt embl. 50. qvo ſimilitudine anatis cicuris, qvæ ſylveſtres in caſſes pellicit, proditores cognati ſangvinis, ut aliis placeant, vituperat.

Perfida cognato ſe ſangvine proluit ales
Officioſa aliis, exitioſa ſuis.

Et ad hæc tria genera, ut alibi diximus, omnia argumenta perſvaſibilia revocantur. Sed qvod jam ante admonui, genere DEMONSTRATIVO, qvanqvam impropriè, contineri etiam argumenta ſcholaſtica & Didaſcalica, qvatenus à rhetore vel poëta ſpecioſis ornamentis & poëticis imitationibus veſtiuntur: ideò ad hoc genus qvoqve refero omnia emblemata DIDASCALICA, qvæ ſymbolicis imaginibus loco præcepti moralis (qvi proprius eſt emblematis finis) doctrinam qvandam vel theologicam, vel philoſophicam, vel naturalem ſcholis propriam tradit, adjecto, ut docti ſententiam tuam intelligant, epigrammate. In hunc modum ſi gigantes terræ filii ſemihomines, & ſemiſerpentes in cœlum rebelles & Jovis fulmine conſumti pingerentur, ducto inde hoc præcepto morali: *Ita*

Digitized by Google

puniri à Deo impios iſtos, qvi cum homines ſint, in beſtias affectibus terreſtribus degenerant, religionemqve contemnant: hoc proprium eſſet & verum emblema. Sed phyſico hinc dogmate eruto nimirum *planetam Jovis, cum in ſuo domicilio, h. e. in ſagittario reperitur, facillimè vapores qvi à terra verſus cœlum aſſurgunt diſſipare:* hoc eſſet improprium & ſcholaſticum emblema. Et hoc modo ſymbolis nimirum, & emblematis doceri poſſent meteororum cauſæ & omnis aſtrologia, qvæ foret aſtrologia poëtica, aut poëſis aſtrologica, jucunda tamen, ut eſt Lucretii Phyſica. Atqve hæc eſt differentia emblematum ex ſententia ſignificata.

Altera *varietas* eſt in modo exprimendi ſententiam. Sicuti enim ſupra oſtendimus eandem argutiam, idemqve ſymbolum tribus modis repræſentari poſſe, videlicet *rationali morato & pathetico*: ſic emblemata qvædam vocari poſſunt RATIONALIA, qvædam MORATA, qvædam PATHETICA: omnia tamen ad præceptum aliqvod inſinuandum directa.

Emblemata RATIONALIA poſſumus dicere, qvæ explicantur tanqvam *enthymemata ratiocinantia*, ut embl. 51. Alciati, ubi propoſito ſepulchro Archilochi veſpis inſculptis aſperſo, argumentum inde ducit conjecturale à ſigno, ex qvo infert, eum fuiſſe maledicum:

Archilochi tumulo inſculptas de marmore veſpas
Eſſe ferunt, lingva certa ſigilla malæ.

Et certè poëta iſte Spartanus Lycambi ſuccenſens, qvi filiam ipſi deſponſatam collocare noluerat, tot Satyris in ipſum & filiam invectus eſt, ut ad ſuſpendium & illum & iſtam adegerit.

Emblema MORATUM eſt qvod *ſententioſa* ratione explicatur, ut emblem. 22. Qvod Pallade depicta, pervigili Dracone ipſi vicino ſic concludit:

Innuptas opus eſt cura aſſervare puellas
Pervigili: laqveos undiqve tendit amor.

Deniqve

Digitized by Google

Deniqve emblema PATHETICUM eſt qvod ſententiam explicat forma qvadam *affectuoſa* & vivida, ut laudatum ante emblema 24. ubi planta oleæ à vite comprehenſa qveritur & rogat, ut ab hac moleſtia liberetur, cum minime conveniat ebrioſi Bacchi plantam conjunctam eſſe cum arbore caſtæ Palladis.

Qvid me vexatis rami? Sum Palladis arbor
Auferte hinc botros: Virgo fugit Bromium.

Aliæ varietates emblematum ab octo ſpeciebus Metaphorarum duci poſſent. Qvædam enim argutè fundari poſſunt in metaphora PROPORTIONIS, ut iſtud de proditore, qvi in hoſtiles inſidias cives perducit, ut anas cicurata in caſſes pellicit alias ſui generis. Eſt enim hæc, ut vides metaphora à ſimili ad ſimile in diverſo genere.

Alia fundata ſunt in Metaphora ATTRIBUTIONIS veluti iſtud de duabus Palladis & Bacchi imaginibus in eodem altari poſitis, ubi Numina ponuntur pro rebus ab ipſis inventis, id eſt, olea & vino qvæ robori conducunt, & emblema primum, qvod inſignia Vice comitum pro ipſa gente ponit, qvæ eſt Metaphora attributionis.

Alia fundata ſunt in HOMONYMIA, ut emblema tertium, qvod ponit alcem animal æqve velox & forte pro familia Alciatorum, tanqvam idem nomen easdem qvalitates argueret.

Alia ſunt fundata in HYPOTYPOSI ut embl. 48. qvo Virtutem flentem & comas in ſepulchro Ajacis lacerantem repræſentat, qvod plane apud autorem noſtrum pro exemplo hypotypoſis adducitur.

Alia in HYPERBOLE ut ænigma 5. qvo repræſentatur gigas Typhœus, cœlo bellum inferens pro ſymbolo hominis ſuperbi.

Alia ſunt fundata in LACONISMO, ut ſupra laudatum emblema 82. qvod totum pendet à Laconico illo ſynthemate Pythagoræ *Chœnici ne inſidas*, ut innuatur non otio indulgendum eſſe, cum de victu qværendo agitur.

Alia ſunt fundata in OPPOSITIONE, ut iſtud oleæ & vitis, altera planta Palladis ſobriæ, altera Bachi ebrii, ut demonſtretur Virginibus vina non convenire, ut dictum eſt.

Alia deniqve fundantur in DECEPTIONE, ut ſententia inexſpecta-

exſpectata riſus excitetur ut embl. 139. ubi poëta omnes magnis pre cibus invitat, ut Herculi æternos honores habeant, qvod is Princeps ſit ſpuriorum.

Mixtura Emblematum cum aliis Symbolis argutis.

Symbolis idem accidit qvod coloribus, qvi inter ſe magis minusve permiſti infinitos colores medios pariunt, qvibus pictura utitur, etſi nomine careant. Hoc uſu venit in ſymbolis heroicis, ut dictum eſt ſupra, hoc uſu venit in emblematis, omnibusqve ſymbolicis inventis ob arctam neceſſitudinem, qva inter ſe conjunguntur. Unde poëticum ingenium natura ſua fœcundum interdum *finem* unius miſcet cum *forma* alterius & *ſubſtantiam* cum accidentibus alienis, multas novas & à regula aberrantes, curioſas tamen jucundasqve inventorum ſpecies producens.

Primum itaqve miſceri poteſt *finis* ſymboli heroici cum *forma* emblematis, ut ſi indicare velis heroicam cogitationem tibi propriam, qvi finis eſt ſymboli heroici, utaris etiam proprietate figuræ naturali, ut in Symbolis illis, ſed inſcriptionem præcepti modo concipias, qvod proprium eſt emblematis, faceres *ſymbolum heroicum emblematicum* aut *emblema* (ſi ita loqvi licet) *hero-ſymbolicum*. Ejusmodi genus adhibui in gratiam Marci Antonii Chamberanæ Nobilis docti & præſtantisſimi Civis mei, qvi cum ſciret qvosdam turbidis temporibus clancularia obtrectatione fortunæ ſuæ flori intercedere: modeſto ſymbolo indicare volebat veritatem cum tempore emerſuram, eorumqve malignitatem ſuamqve integritatem iri agnitum: ſicuti evenit ipſo ad gradus honorum fide & virtute ſua dignos evecto. Symbolum itaqve elegi *florem Lotos*, qvi ſecundum qvosdam eſt candidiſſimus, cumqve planta ſubtilis ſit & flexibilis, ut ligustrum nocturno tempore in flumine Euphrate latet, ſed ſole oriente & ipſe prodire incipit & cum ſolis aſcenſu magis magisqve attollitur, ejusq; curſum non aliter ac heliotropium ſeqvitur. Cernebatur itaqve Sol oriens & candidus flos ex aqvis emergens, conſpicua in fluvio pellucido planta. Loco dicti adſcripſi figuræ hoc epigramma in tabula,

tabula, ubi figura exactè à Caraſolio depicta erat, nitidis chartæ ornamentis qvam utroqve latere tenebant Tempus & Veritas.

Candida nocturno latitans ſub gurgite Lotos
Surgit ab arcanis Sol ubi ſurgit aqvis.
Obruat ingenuam tenebroſa calumnia laudem
Hanc è tenebris EXTRAHET UNA DIES.

Vides igitur epigramma hoc docere populum documentum qvoddam morale ad inſtar emblematum, ſed in mente ejus, qvi illud proponit, indicat ſingularem qvandam cogitationem heroico ſymbolo propriam, cui ſuffeciſſent pro dicto tria iſta verba: EXTRAHET UNA DIES. Et in hunc modum in apparatibus in honorem Sancti cujusdam aut defuncti viviqve Principis adornatis formantur ſymbola, qvorum ſignificatio propriè in perſonam cadit: formantur etiam emblemata qvæ figuris fabuloſis hiſtoricis aut naturalibus conſtant, & rigidis ſymboli perfecti legibus ſoluta comune qvoddam & honeſtum documentum palam inferunt, tacite verò ad virtutem aliqvam perſonæ, de qva agitur, propriam accommodantur.

Alia non minus elegans fit mixtio, ut paulò ante indicabam, *finem & eſſentiam* emblematis, qvantum ad figuram & ſententiam, conjungendo cum ea ratione illud explicandi, ut prolixitas latinæ inſcriptionis, ubi ingrata eſt, evitetur. Hoc modo pro epigrammatibus, qvæ populo figuram explicant, & cum documento comparant, adhibetur modò breve & argutum dictum, ſpectatori relicta accommodatione, ut ingenio ſuo ſuppleat, qvod tacetur. Negandum qvidem non eſt, ubi figuræ fabuloſæ & hiſtoricæ nimis abſtruſæ ſunt, hanc rationem nec populo, nec ingenioſis fore gratam qvæ adeò adhibenda non eſt, cum figuræ ne mediocriter qvidem ſunt cognitæ, ut popularia ingenia, qvæ latinè ſciunt, adhibita cogitandi cura illas poſſint intelligere.

Hoc genere uſus ſum in exornando aliqvo atrio electis elegantiſſimis & minus abſtruſis Alciati emblematis, qvæ in qvadratis ſpatiis ita pingi curabam, ut in exiguis chartis volantibus brevi dicto

Digitized by Google

metaphorica figura veſtito novum qvoddam documentum morale inſinuarem, in hunc modum:

In primo ſpatio erat fabula *Actæonis* qvi cervi ſpecie proprios canes fugit, cum dicto: QVOS PAVIT, PAVET: Reſpiciens illos, qvi (qvod non rarò accidit) ab iis exagitantur, qvos in familia ſua aluerunt. Emblema eſt 57. Alciati, qvod is à Phavorino apud Stobæum accepit, aliter atqve ego feci, illud applicans.

In ſecundo: *eqvus ſine freno*, qvi præcipitanter currit, cum dicto: QVOD PRÆPES, PRÆCEPS ſignificans feſtinationem nimiam rebus gerendis exitio eſſe. Fabula eſt in emblemate 55. qvam Alciatus ex Phædro Platonis accepit.

In tertio: *Pigmei* conantur vinculis Herculem dormientem conſtringere, cum dicto: VOLUNT NON VALENT, notans eos, qvi cum infirmi ſint, potentioris inimicitias ſuſcipiunt, qvi excitatus ipſos ut formicas disjiciat, ut in emblema 58. qvod Alciatus ab imaginibus Philoſtrati deſcripſit.

In qvarto: *Æthiops*, qvi lavari poteſt, non ablui, cum dicto: ALLUES NON ABLUES, alludens illis, qvorum natura perverſa nec bono nec malo emendari poteſt, ut in emblem. 59. qvod Alciatus à Luciano tranſcripſit lib. 2. epigr. græcorum.

In qvinto: *Niobe* filios ſuos ab irata Diana interfici videns, cum dicto: UBI CRIMEN, IBI DISCRIMEN, ut in embl. 67. qvod Alciatus ex 6. Juv. ſatyra petiit.

In ſexto: *Narciſſus* ſui amore captus in fontem ſe præcipitat cum dicto: SE PERDIT QVI SE QVÆRIT, ut evenire ſolet Philautia, id eſt, nimio ſui amore laborantibus, ſecundum emblema 69, qvod à Pauſania in Bœoticis Alciatus ſumſit.

In ſeptimo *invidia* Furiæ ſpecie cor ſuum edens cum dicto Ovidii: CARPITQVE ET CARPITUR UNA. Dum enim invidus alios arrodit, ſe ipſum rodit. Emb. 71. qvod Alciatus ex 2. Metamorph. Ovidii accepit.

In octavo *Tantalus* in medio aqvarum fugacium ſitibundus, cum dicto: AFFLUUNT SED EFFLUUNT in ſymbolum corporearum voluptatum, qvæ qvo magis abundant, eò magis deficiunt. Embl. 85. qvod Alciatus ex Horatio accepit lib. 1. Serm. Satyra. 1.

In nono: *Ariſtippus* aureis vinculis conſtrictus, cum dicto: DITIOR

Digitized by Google

TIOR SED IMPEDITIOR ſymbolum aulici, qvi utilitatem aliqvam ex aula capit & libertatem vendit, ut in emblem. 87. qvod Alciatus ſumſit ex apophthegmate Diogenis in Ariſtippum, qvi in aula Dionyſii, ut ſplendidè viveret philoſophicam libertatem amiſit, cum Diogenes leguminibus ſeſe paſcens & pannis obſitus ſui juris eſſet.

In decimo: *Hercules* populos ducit catenis aureis, qvæ ex ore ipſius pendebant, cum dicto: VI SVAVI, ſymbolum eloqventiæ: qvæ ſvaviter hominum animos impellit, qvo vult. Embl. 181. qvod Alciatus ex Luciani *Hercule Celtico* mutuatus eſt.

In undecimo: *Phryxus* adoleſcens ariete velleris aurei vectus mare trajicit, cum dicto: INVIA NULLA VIA. Symbolum virtutis, qvæ ubiqve ſibi viam facit. In embl. 190. qvod Alciatus à Galeno accepit in Svaſoria *ad Artes* principio operum ſuorum.

In duodecimo: *Æneas juvenis* ſenem patrem geſtat, cum dicto: HIC REGIT, ILLE DIRIGIT ſignificans ad perficiendas res arduas reqviri conſilium ſenum, robur juvenum. Emblema 195. à Virgilio acceptum.

In decimo tertio: Bellerophon in eqvo alato chimæram occidit, cum dicto: VIS ET VIRTUS ſignificans Principem, qvi populorum ſuorum vitia velit reprimere, & potentia & virtute inſtructum eſſe oportere, ut Bellerophon, eqves erat armatus, & adeò integer, ut à calumnia mallet opprimi, qvam ſcelus admittere. Emb. 14. qvod Alciatus accepit à Scholiaſte Homeri.

In decimo qvarto: Canymedes ab Aqvila in cœlum fertur, & canes terreſtres fruſtra eum allatrant, cum dicto: LATRANT NON LACERANT, qvo invidi notantur, qvi maledicere qvidem poſſunt, nihil autem nocere ei, qvem virtus evexit. Emblema 4. qvod Alciatus à Statio accepit, & iſte ex ſympoſio Xenophontis.

In XV. Phaëton currum regere neſciens incendium in omnes partes ſpargit, cum dicto: INCENDIT QVOCUNQVE INCEDIT, ſymbolum eorum, qvi mala adminiſtratione Reipubl. & ſuos & alienos populos perdunt. Emb. 36. ab imaginibus Philoſtrati translatum.

In XVI. Syrenes prætemavigantes invitant, qvos poſtea devorent, cum dicto VORANT QVOS VOCANT Symbolum meretricum, Embl. 116. ex Odyſſea Homeri petitum.

In XVII. & extremo ſpatio: Circe venefica dulcem liqvórem heroibus in poculo porrigit, qvo in beſtias mutentur, cum dicto: IN BENEFICIO VENEFICIUM. Symbolum eorum,qvi aliis benefaciunt, ut eos opprimant. Embl. 76. qvod Alciatus à Plutarcho accepit ex libello de Vita Homeri.

Sed hic etiam puto te exſpectare arcanum aliqvod præceptum, qvo ſimulac in mentem veniret emblema qvoddam in thema propoſitum conficere, ſine ullo labore argumenta fabuloſa aut hiſtorica ad ſymbola conſtituenda, dicta item arguta ad illa explicanda reperire poſſis: Sed viam qva eundem ſit demonſtravî jam ſupra, cum de heroicis ſymbolis præcepta darem. Qvare finem hic poſſem huic commentationi de Emblematis imponere, & tranſire ad DEFINITIONES reliqvorum ſymbolorum. Sed ut obſeqvar ei, qvi jubere poteſt, ſubjiciam qvædam *emblemata*, qvæ qvondam exornando *horto Raconiſio* inveni. Cum enim Thomas Princeps deſideraret, ut omnes anguli areolarum, qvæ erant 61. ſtatua qvadam myſteriis plena ſupra baſin erecta terminarentur: qvod hortus ille videretur ineunte vere cœlum qvoddam florum ſtellis diſtinctum, in mentem venit in ſingulis ſtatuis *aſtrum* qvoddam *cæleſte* repræſentare, qvæ numerum illum prorſus æqvant, videlicet *ſeptem Planetæ*, *duodecim ſigna zodiaci* unus & viginti *aſteriſmi boreales*, & totidem *auſtrales*, ea qvidem forma qvam ipſis Poëtæ in fabulis ſuis tribuunt. Ex unaqvaqve igitur ſtatua formavi *emblema* cum epigrammate in baſi ſubſcripto, qvod fabulam declarabat & ad morale aliqvod documentum transferebat. Cum igitur Planetæ in fronte, & duodecim ſigna in medio tanqvam Zodiacus, imagines verò boreales ex una, & auſtrales ex altera parte cernerentur: qvisqvis hortum tranſibat, cœlum in terra, & omnes qvaſi fabulas poëtarum cognoſcere & utilia vitæ humanæ documenta addiſcere poterat, ut ſeqvitur.

Digitized by Google

HORTI RACONISII

PLANETÆ

1. Saturnus ſive Tempus.

Falcatus ſenex infantem devorat.

Annorum dirus Pater, annorumqve necator
Qvacunqve ediderit Tempora, Tempus edit:
Magnarum largitor opum, largitor honorum
Omnia qva donat, devorat iſte ſenex.
Heu qvid opes! qvid regna! tuum nihil eſt niſi virtus,
Hic vorat illa ſenex, hunc vorat iſta ſenem.

2. Jupiter.

Nudus fulmina ſtringit adjacente Aqvila.

Munera cum toto diffuderit omnia mundo
Rex Superum nudus fulmina ſola tenet.
Et licet Archetypa tot pinxerit arte volucres
Fulmineam rigidus diligit ultor avem.
Nam pauci officiis, plures terrore moventur
Fac, ut amet populus, fac tamen ut metuat.

3. Mars.

Armis horridus acinacem rotat.

Hic licet infeſtis nusqvam penetrabilis armis
Securus propria conditione Deus.
At caput Æthneo munit pectusqve metallo
Ceu mortem impavidus terreat ac paveat.
Conſilium cauto Princeps à Principe carpe,
Sint tibi cuncta licet proſpera, cuncta time.

4. Sol ſive Apollo.

Radiatus Lyra ludit.

Una Chelys Cœlum eſt: ſeptenaqve fila Planetæ:
Lux plectrum, numeri tempora, vita melos.

Hanc Sol concordi citharam modulamine ſolus
Tangit & aſtrorum ducit in orbe choros.
Una neqvit gemino tangi lyra cœlica ſole
Unica nec Reges perferet aula duos.

5. Venus.

Cupidinem complexu fovet.

Deciduum alternis reparat qvid fœtibus orbem?
Fertilis hac cœlo nata favente Venus.
Qvid mentem viresq; virum lethalius haurit?
Hac eadem pelago nata furente Venus.
Qvid Venus eſt igitur? lethalis vita, lucroſus
Jactus, barbaries blanda, bonumqve nocens.

6. Mercurius.

Caduceo inſtructus & avolaturo ſimilis.

Qvadruplici excellit, qvem cernis, dote miniſter
Velox facundus, callidus atqve latro.
Hujus ab ingenio Regum fluxere Miniſtri
Qvos & Mercurios aula diſerta vocat
Tres poterant ſolidum dotes formare Miniſtrum
Sed nunqvam, ſi adſit tertia, qvarta aberit.

7. Luna.

Dianæ inſtar Lunata fronte.

Candida fraterna ſectatrix Cynthia lucis
Non eadem atqve eadem nunc fugit inde redit.
Hac procul à Phœbo pleno micat integra vultu
At propior phœbo cornua fronte gerit.
Virginibus ſpeculum: ſplendent ſi ſplendida vitant
Si dant ſe in lucem, deficit integritas.

SIGNA

Digitized by Google

SIGNA ZODIACI

I. Aries.

Lanigerum inſidet Phryxus.

Impia clamoſa fugientem regna noverca
Auratus Phryxum per freta vexit ovis.
Poſt ubi conſedit ſecuro in littore Phryxus
Velleris ut pretium vellat, ovem jugulat.
Qua potes arte ſtude cupido ſervire tyranno
Talia ſervitii pramia, crede, feres.

2. Taurus.

Europam rapit.

Latus Agenorio ludit dum littore taurus
Taurus furtivo qui locat ora jovi:
Inſidet hunc redimitq; roſis Europa juvencum
Neſcia raptorem ſe redimire ſuum.
Quid tibi raptor opus, taurinos ſumere vultus?
Litterulam tauro detrahe, plus rapies.

3. Gemini ſive Caſtor & Pollux.

Mutuo complexu impliciti.

Sunt hi Tyndarides fidiſſima pectora fratres,
Qui duo corporibus, corde ſed unus erant.
Unanimi regnum ſtudio geſſere paternum
Turbavitq; piam nulla querela domum.
Sic olim Gemino cor unum pectore fratres
Nunc uno gemina in pectore corda gerunt.

4. Cancer.

Retrogradus à Nympha tenetur.

Sylveſtrem Proteus Dryadem per aperta petebat
Aſt avidum pavido fugerat illa pede.
Verſus ad inſidias refugus fit Cancer, & illa
Retrogradum ſequitur, dumq; capit capitur.

Nove-

Digitized by Google

Noverat ingenium Proteus. Hoc fœmina more eſt
Si ſeqveris fugiet, ſi fugias ſeqvitur.

5. Leo.

Super aram immolandus.

Africa ſidereo ſqvalebat hiulca vapore
Non imber miſera, non dabat amnis aqvas.
Horribilem Phœbi monitu mactare Leonem
Conſulitur, populi qvi Leo terror erat.
Conſilium ſapiens: latum vis copia regnum
Atqve qvies recreet? Talia monſtra qvate.

6. Virgo ſive Aſtræa.

Alata ſpicam læva, dextra gladium tenet.

Impia cum ſuperis inferrent bella gigantes
Una omnes Virgo perdidit aligera.
Hinc eadem Virgo fixis numeratur in aſtris
Fida laboranti qvod tulit arma Jovi.
Non mirum eſt mulier, qvod tantos perdidit, at qvod
Fixa ſtet aſtra inter res volucris, mulier.

7. Libra.

Venus ancillari ſpecie bilancem & poma defert.

Ridebat Venerem Juno qvod florea ſemper
Serta gerens frugum ſemper inanis erat.
At Venus aſſumta famula ſimulamine Libra
Vendidit ignara non ſua poma Dea.
Qvot modo conſverunt frugi ſe fingere ſervi
Qvi Domino vendunt, qvæ Domino rapiunt?

8. Scorpius ſive Nepa.

Mars caudam Scorpionis flammis armat.

Diffiſus Getico Titanas figere telo
Hanc Stygio Mavors imbuit igne Nepam.
Sic genus indomitum, qvondam ferroqve manuqve
Diſſipat exigua flammea cauda fera.

Scilicet

Scilicet in ſuperos ubi perfida ſecta rebellat
Parcendum gladio, bella gerenda face.

9. Sagittarius ſive Chiron Centaurus.

Biformis alatus arcum intendit.

Cur humeris alæ? quod mente ad ſidera ſurgit
Miſſile cur telum? mentis acumen habet.
Cur equus eſt partim? frenis obtemperat æqui.
Cur & homo? humanum docta Minerva facit.
Talem igitur magni Reges meruere Magiſtrum,
Quos non eſſe feras edocet iſta fera.

10. Capricornus ſive Capri piſtrix.

Pallas hoc monſtrum irritat.

Prælia Phlegræi cælo indixere Tyranni,
Queis hominum cervix, cauda Draconis erat.
Objicit hoc monſtris monſtrum ingenioſa Minerva
Caprea cui cervix, caudaq; priſtis erat.
Nimirum extremis extrema pericla periclis
Atque malum pelles deteriore malo.

11. Aqvarius.

Ex urna fluvium fundit.

Hunc juvenem capulo fundentem flumine prono
Conſtituit ſummo ſummus in axe Pater.
Ut cum diluvio trepidet formidine tellus
Obruat innocuus crimina ſola pavor.
Sic oſtentatis clementia faſcibus inſons
Ut mala devitent hac mones arte malos.

12. Piſces Gemini

Venus maritimæ bigæ alligatos regit.

Ut venerem veherent Triton Auriga ſubegit
Hac duo cæruleo lubrica monſtra jugo.
Hos Dea victores exacto Cypria curſu
Grata per æthereas ludere juſſit aqvas.

Digitized by Google

Præmia rara: duos tantum Venus alma miniſtros
Dat cælo: reliqvos Tartarea ima trahit.

IMAGINES BOREALES.

1. Urſa Minor.

Jovem lactans.

Hirſutos effœta ſinus ſcabramqve papillam
Gnoſia lactenti præbuit urſa Jovi.
Hinc tenuit primam prima inter ſidera ſedem
Navibus irato ſuſpicienda mari.
Sit vilis, ſit inops, ſit agreſti agreſtior urſo
Qvem Regum extollit gratia, ſidus erit.

2. Urſa Major ſive Calliſto, ſive Helyx.

Nympha prægnans erecta urſino capite & plantis.

Me caſtam caſta ſacraram ſponte Dianæ
Sed mea furtivus vota fefellit Amor.
Senſit teſte utero miſerandum Cynthia crimen
Senſit & ex Nympha protinus urſa fui.
Diſcite vel nulli qvicqvam ſpondere potenti
Vel qvam ſpondetis non violare fidem.

3. Draco.

Circa pomiferam arborem contortus erecto capite.

Circuit Heſperidum flavos Draco pervigil hortos;
Ne cupidè rapiant aurea mala manus.
Paſcitur ipſe tamen ſervatis frugibus horti
Qvasqve alios prohibet mandere, mandit opes.
Qvam ſimiles vigilant angves! Qvam ſæpe ſeverus
Raptorum plectens crimina raptor erit?

4. Cepheus.

Rex æthiops ingens & deformis.

Mempheos hic fuerat nigriq; Dynaſta Canopi
Ore niger, vaſtus corpore, crine brevis.

Pul-

Digitized by Google

Pulchræ igitur ſobolis turpis Pater atque peroſor,
Innocuam monſtris obtulit Andromeden.
Hos cave deformes: Nam reſpondere vicisſim
Mos ori, os mori, nomine req́ ſolent.

5. Bootes ſive Arcas.

Bubulci figura cum ſtimulo.

Qvid facit iſte boum ſacra inter ſidera ductor?
Aula Deum caula eſt? Arva per aſtra colit?
Calliſto hunc pellex genuit rigidumq́ procaci
Cuſtodem matri præpoſuere Dii.
Lubrica res mulier: rigido cuſtode remoto
Caſta nec in cœlo vivere poſſet Helyx. Helyx & Caſtillo eadem.

6. Corona Ariadnæ ſeu Borealis.

Ariadna coronam gemmis inſignem porrigit cœlum ſuſpiciens.

Florentem baccis crebroq́ adamante coronam
Hanc Bacchus ſponſæ ſponſa dedit Superis.
Fronte puellari nimis ambitioſa ſupellex
Dignior eſt divum cingere viſa comas.
Sola decet caſtas pudibunda modeſtia: Sed nunc
Hæc gemma eſt gemmis rarior, Inde, tuis.

7. Hercules.

Qvieſcenti ſimilis inverſa clava.

Hic habet Alcidis qvam neſciit ante qvietem,
Qvaqve humeris tulerat, nunc premit aſtra pede.
Nempe qvod infeſtum Junonis numen haberet,
Supra Junonis hunc tulit aſtra Pater.
Principis egregia eſt, virtutem attollere virtus
Surgat ut inviſus celſior invidia.

8. Lyra & Vultur.

Orpheus lyram tractat vulturiformem.

Hæc Lyra Caucaſii qva ficta eſt Vulturis inſtar
Sitne rapax Vultur, neſcio, ſitne Lyra.

Digitized by Google

Orpheus hac rapuit Neptuno monſtra; Leones
Saltibus, aſtra Jovi, manibus Euridicem.
Quam ſimiles videt aula lyras! quam ſæpè ſuavi
Qui tibi blanditur carmine, Vultur erit.

9. Cygnus.

Ledam rapit.

Se Cygnum ſimulans Aqvila inſectante fugacem
Ledeum refugit Juppiter in gremium.
Candidulum rapuit Virgo, ſed candidus illi
Candorem rapuit luxurioſus olor.
Quid ſatis eſt cautum? qvæ non præſentia fallet,
Si niger in niveo corvus olore latet.

10. Caſſiope ſive Sedes.

Æthiopis Cephei conjux mirè ornata ſedet.

Hic ſedet illuſtris luxu radiata Pyropis
Nigrior at nigro Caſſiopea viro.
Prava virago qvidem potiusq; inferna vorago
Sed qvia dives erat, diva repentè fuit.
Turpibus inſignes turpe eſt conſcendere ſedes,
Fœdius aſcendit Simia, qvam jaceat.

11. Perſeus vel Caput Meduſæ.

Eqves angvineum Meduſæ caput oſtentans:

Protinus horrenda prætendens ora Meduſa,
Frigida ſpectantum Perſius ora facit.
Sqvammigero hoc monſtro lapideſcere monſtra coëgit,
Nexuit hac vivos mortua forma Duces.
Rex fuit hic ſapiens, armis jura omnia cedunt;
Omnibus at ſapiens imperat armigeris.

Oenomaum doloſè curru præcipitant.

12. Auriga ſive Myrtillus.

à Pelope præcipitatur.

Proditor hic Domini curruſq; auriga doloſi
Nomina Myrtoo liqvit & oſſa mari.

Nec

Nec ſatis, in cælum raptus rapeatur in orbem
Ut qvoties cælum vertitur, ille ruat.
A Pelope hanc retulit, Dominum cui vendidit, arrham
Proditio grata eſt, proditor eſt odio.

13. Serpentarius vel Phorbas.

Rex Lyræ concentu ſerpentes excantat.

Theſſalus hic dulci docuit modulamine Princeps
Ad ſua vipereos currere juſſa greges.
Vidiſſes humili criſta poſitoqve veneno
Sibila regales lambere monſtra pedes.
Mollia verba domant angves: pariterqve feroces
Blanda viros plus qvam verbera verba domant.

14. Æſculapius ſive Serpens.

Barbatus togatusqve ſerpentem tenet.

Regia Phæbi ſenem juvenem cur cingit abolla?
Eſt medicus: Vitæ jus habet atqve necis.
Docta veneniferum cur dextera porrigit angvem?
Eſt medicus: miſeros ſæpè medela necat.
Cur pater imberbis, barbato filius ore?
Eſt medicus: plures qvi necat, ille ſapit.

15. Sagitta vel Prometheus.

Aqvila Promethei jecur depaſcens telo figitur.

Jupiter exardens rapti ſibi fulminis ira,
In mea mordacem viſcera miſit avem.
Sed qvia me nimia vindex feritate ſecabat
Herculea meruit cuſpidis eſſe labor.
Namqve reos avidè nimium qvi ulciſcitur, æqva
Ultio ſit qvamvis, ultor iniqvus erit.

16. Ganimedes.

Ab Aqvila rapitur.

Olim fida Jovi nectar libaverat Hebe:
Hoc juvene accito juſſa miniſtra fuit.

Hunc tulit empyream rapidus jovis ales in aulam
Cœpit & ignota fundere mella manu.
Delicias cupidi ſitiunt, mutantqve cupitas:
Vita ſed heu citius, qvam ſitis illa perit.

17. Delphin ſive Arion

Cytharœdus Delphinum ineqvitat.

Jonium dives pelagum dum ſulcat Arion
Arma miſer comitum perfidioſa pavet.
Confugit ad Cytharam, cythara modulamine captus
Per medias Delphin de nece ſervat aqvas.
Divitiæ damno, virtus fuit una ſaluti,
Qva ſine ſunt inopes, qvas colit orbis opes.

18. Eqvus Minor ſive Cyllarus.

A Polluce inſeſſus.

Fraterno ut junxit Pollucem Jupiter aſtro
Teqvoqve ſidereis, Cyllare, junxit eqvis.
Atqve ibi toe feſſum ſtadiis belliqve cruentum
Pulvere, cum Domino te qvoqve nectar alit.
Turpe eſt emeriti ſenium non paſcere ſervi:
Non eget hoc Dominus, aſt eget hic Domino.

19. Eqvus Major ſive Pegaſus.

Cum Bellerophonte præceps.

Argolica tumidus palma domitaqve chymæra
Summa per Iſtmiacus ſidera ſaltat eqves.
Jupiter in præceps eqvitem deturbat; & aſtris
Sacrilegi teſtem criminis addit eqvum.
Sic avidos ſua ſæpe duces victoria perdit
Qvi cum vicerunt plurima, plura petunt.

20. Andromede.

Vinculis à Perſeo exuitur.

Hæc inviſa nigro genitori candida proles
Irreparanda feræ præda natantis erat.

Perſeus

Perſeus hanc ſ. mmo delapſus ab æthere ſolvit
Atque ſibi vinclo nobiliore ligat.
Scin miſeris qvando ſint allatura ſalutem
Numina? Spes qvando nulla ſalutis erit.

21. Delta vel Triangulus.

Ægyptius cum triangulo ſtellis angularibus illuſtri.

Æthereum triplici radiatur ſidere Delta
Inſula Niliaca qvod fuit alma plaga.
Omnibus hoc Delta felices influit auras
Omnis ab hac triplici lampade vita calet.
Aſtra ſuum Delta, ſed habent quoq; Tartara dirum
Delta: Divitias, Dæmona, delicias.

IMAGINES AUSTRALES.

1. Balæna ſive Priſtis.

Andromeden ſcopulo alligatam voratura

Hanc qvoqve in Andromeden vetito fraudatus amore
Rex Pelagi undivago miſit ab orbe luem.
Sed neqve blanditiis, neqve monſtro virgo movetur
Ut ſcopulum in ſcopulo dixeris Andromeden.
Dum Deus ille feram mittit, dum virgo reſiſtit:
Digna Deo virgo eſt, & Deus ille fera.

2. Orion.

Venator cujus talum figit Scorpius.

Tot mihi montivaga perierunt monſtra Diana
Prætulerim telis, ut mea tela Dea.
Uſa perexiguo Dea vindice, Scorpion armat
Qvi mihi vix calcem pungit & intereo.
Heu qvam magnorum veneranda potentia Regum!
Tam facilis qvibus eſt ultio, & ira gravis.

3. Pha-

Digitized by Google

3. Phaëton vel Eridanus.

E curru deciduus.

Frigida dum vitat ſumma inter ſidera torret
Hic juvenis media neſcius ire via.
Hinc ſubito lapſu Taurinum fuſus in amnem
Stultitiam flebit, dum fluet unda, ſuam.
Summa vel ima fuge: extremum deflebis utrumqve:
Sors nimis alta ruit, ſors nimis ima jacet.

4. Lepus.

Caſtor leporem jaculo configit.

Unica fœta lepus tot fœtibus implet Hieram
Ut pavidos lepores inſula jam paveat.
Viſa eſt magnanimo victoria Caſtore digna,
Tam viles jaculis exanimaſſe feras.
Nil magis eſt audax timidis denſo agmine junctis
Opprime diviſos, Caſtore major eris.

5. Canis Major ſive Lelapa.

Cephalum venatorem ſeqvitur ſolutus.

Non minus hic aſtris catulus, qvam nomine clarus
Aurora in Cephalum pignus amoris erat.
Non jaculi non retis egens, qvemcunq; ſagaci
Nare procul legeret, dente tenebat aprum.
Tam fidos trabeata canes ſi curia paſcat
Nullus aper populi depopulabit opes.

6. Canicula vel Syrius ſive Procyon.

Flammas exſpirans ab Orione loro tenetur.

Patria veſanus ſuper aſtra vocatus Orion
Hoc ſine veſano noluit ire cane.
Theſiphone hunc aluit, facibusq; implevit Averni
Qvas vomit & rauco territat aſtra ſono.
Nimirum ſimiles ſociat ſibi qvuq; miniſtros
Talis erit catulus, qvalis erit Dominus.

7. Jaſon

Digitized by Google

7. Jaſon ſive Argo Navis.

Erectus nautico gubernaculo innixus.

Ut trucibus raperet pretioſa pericula Colchis
Per non tentatas primus hic ivit aqvas.
Hinc ubi victrici contraxit vela carina,
Fulſit in æthereo ſacra carina tholo.
Mergi dignus erat, docuit qvi primus amicos
Qværere tam fragili non ſua regna trabe.

8. Chiron.

Centaurus cum flagello Achillem puerum docet.

Diva Thetis puerum Chironi miſit Achillem
Ut mores docili flecteret arte feros.
Strenuus hic igitur peritèrq; diſertus alumnus
In labris nectar, fulmen in enſe tulit.
Eſt qvadrupes puer, inde bipes vir, poſtq; tripes fit:
At ſine Chirone ſemper erit qvadrupes.

9. Patera vel Demiphoon.

Rex tria filiarum capita in patera tenens exhorreſcit.

Qvod famuli ſobolem Rex iſte necarit iniqvè
Neqvior hanc plectit neqvitiam famulus.
Nam Regis ſobolem lauta inter fercula Regi
Condiit & vultus obtulit in patera.
Vel memor illatæ non eſt mens regia noxæ
Vel Rex ante epulas ebrius iſte fuit.

10. Corvus.

In arbore ſeſſitat.

Qvod malè commiſſos Dominæ vulgavit amores
Hæc avis ex nivea nigra repente fuit.
Debuerat teneræ catulum memorare Corinnæ
Qvi Dominæ fidus, furibus aſper erat.
Vera qvidem narra, ſed non narra omnia vera,
Vel lauda Domini facta vel illa tace.

Digitized by Google

11. Hydra.

Erecta ſeptemplici capite.

Colla quot extulerat Lerneo ſordida cœno
Herculea toties concidit Hydra manu.
Nunc cœlum rediviva tenet quam proximus hoſtis
Communi ſociam non vetat axe frui.
Herculis eſt vicîſſe feros at parcere victis
Herculeo eſt major quoq; labore labor.

12. Ara.

Flore ac lemniſcis redimita gliſcente flamma.

Angvipedes poſtqvam perjura caterva gigantes
Montibus exuſti ſuccubuere ſuis:
Hanc aram ſtatuere Dii, cum mutua pacti
Fœdera juratas conſeruere manus.
Si prius in ſuperis concordia tanta fuiſſet,
In ſuperos nullus verterat arma gigas.

13. Lycaon ſive Lupus.

Rex lupino capite corona decorato.

Iſte per Arcadios irato numine lucos
Rex ferus ut fuerat fit ferus ecce lupus.
Auſus hic humanis fœdare cruoribus aras
Terruit horribili relligione Jovem.
Qvi malus eſt, ubicunq; mali veſtigia ſignat:
Erumpet media de pietate ſcelus.

14. Corona Auſtralis.

Hanc auſter ventus complectitur.

Cum Polus indueret Boreus borealia ſerta
Ambiit Auſtralis talia ſerta polus.
Sic Polus inſigni decoratur uterqve corona
Nomen & à ventis bina corona tulit.
Ah miſera ambitio! qvid ſunt regalia ſerta
Pro qvibus arma moves? Ventus & aura levis.

15. Pi-

15. Piſcis Notius ſive Memnon.

Memnon Rex cum Piſce colludit.

Ultima Memnonii ſunt credita ſidera piſces
Non homines ultra vivere, nonne feras.
Ut tamen auſtralem ratis Auſtria reperit axem
Perdidit ignavam fabula priſca fidem.
Noſtra hac errores priſcorum, ſecula rident:
Ridebunt noſtros poſtera: nemo ſapit.

IMAGINES IN AUSTRALI POLO A NEOTERICIS REPERTÆ.

16. Pavo.

Junoni adhæret.

Hac ſtellas cauda, Solem alis, vertice lunam,
Collo Irin, Cœlum pectore, geſtat avis.
Jure avis hac igitur cœleſtis reddita cœlo
Auxit priſca novus ſidera ſideribus.
At pede turpatur fœdo tam pulchra volucris
Ultima ſunt cœptis ut mala ſæpè bonis.

17. Indus.

Indico more nudus cum telo & arcu.

Abdidit aurifero natura hac aſtra ſub orbe
Magnaqve pars orbis merſa latebat aqvis.
Cuncta ſagax faſto numeravit ſidera gyro
Et dum qværit opes invenit aſtra Ligur.
Ipſa ad virtutem (qvis credat) crimina ducunt
Sola tot aſtronomos fecit avaratia.

18. Manucodiata ſive Avis cœlis.

Sine pedibus ſupra nubes volitans.

Hac qvoqve ad aſtronomos alto venit ales ab axe,
Syrmate fulva humeros, ſtemmate flava caput.

Hæc ſomno pedibusqve carens, non otia pennis
Non oculis reqviem, non capit ore dapes.
Conſimilis Regum volucris, qvorum integra laus eſt
Cura vigil, fiſcus ſobrius, haud reqvies.

19. Phœnix.

Stellata ſuper aëra radiis flagrans.

Illa Arabum Phœnix fragranti gramine nidum;
Nidum ex ſideribus conſtruit iſta ſibi.
Illa redit Phariam poſt ſingula ſecula in urbem:
Hæc procul ignoto ſemper in orbe latet.
Illa ubi conſpicitur felicia ſecla reducit:
Conſpecta hæc ſeclo deteriore fuit.

20. Piſcis volans.

Jupiter avolantem arripit.

Et pelagum pinnis & pennis aëra ſindo
Aër me piſcem: me mare credit avem.
De me inter geminum lis eſt contermina Numen
Juno ſuum dicit, me Tethys ima ſuum.
Me interea cœlum rapuit: nam ſæpè minores
Dum certant prædam tertia dextra capit.

21. Chamæleon.

Viridi ſuper ramo viridi colore imbuitur.

Hæc qvoqve in oppoſito comperta eſt axe volucris
Qvæ præter ventos pabula nulla capit
Una colore carens omnes trahit una colores,
Candorem tantum diſſimulare neqvit.
Sic & adulator vento nutritus in omnem
Se vertit ſpeciem: candidus eſſe neqvit.

DEFI-

DEFINITIO ET NATURA.

Reliqvorum omnium SYMBOLORUM FACTI.

Cap. XXVI.

SYMBOLUM *eſt Metaphora ſignificans ſententiam aliqvam beneficio alicujus figuræ conſpicua.* Hoc genus eſt, qvod omnem artem ſymbolicam complectitur, diſtingvens illam ab arte lapidaria, qvæ in literis & verbis eſt poſita.

GESTUS *eſt Metaphora ſignificans aliqvam ſententiam beneficio corporea cujuſdam actionis oculis ſubjecta.* Neceſſariò igitur in omni geſtu duæ metaphoræ concurrunt, altera attributionis, qvatenus ex *actu* illo colligitur internum principiũ, unde *actus* ille derivatur: ut ex *manuum comploſione* lætitia: altera eſt *hypotypoſeos*, qvatenus *actus* ille ad vivum oculis ſubjicitur. Sed hunc voco *ſimplicem ac naturalem geſtum*, qvalis eſt PantoMimorum. Alius eſt *argutus & ingenioſus*, in qvo latet aliqva ex octo figuris ingenioſis: videlicet metaphora *proportionis*, *homonymia*, *hyperboles*, *laconiſmi*, *oppoſitionis*, *deceptionis*, ex qvibus argutiſſimi geſtus lepidiqve & faceti naſcuntur. Huic verò arti, utpote liberali & ingenioſæ, Virgilius Numen *Urania* majus propoſuit:

Signat cuncta manu: loqvitur Polyhymnia geſtu.

SALTATIO *eſt metaphora actuoſa geſtu & motu ſignificans vel affectus interiores vel exteriores actiones humanas.* Et his qvoqve Virgilius Muſam propoſuit, qvando nimirum arte & ingenio peraguntur:

Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.

Tales ſunt *ſaltationes* metaphorâ *proportionis figuratæ* ut apud Ariſtophanem chorus *nubium*, *veſparum*, *ranarum*, qvibus varias reipublicæ perturbationes ſignificat,

Digitized by Google

LUDI EQVESTRES *& ipſi ſunt metaphora ad factum aliqvod militare actionibus eqveſtribus reſpicientes.* Et horum qvoqve alii ſunt plani & ſimplices, alii arguti & ingenioſi ex eruditione, fabula, myſterio ridiculo aut ſerio aliqvid trahentes. Sunt enim qvidam ridiculi, veluti in feſto qvodam ludicro Buphalmacus Eqves ſtultus Plutoni literas miſit, qvibus fortiſſimos inferorum heroes provocabat, qvi ad ipſum ablegavit illos, qvi urnam rapuerant, Margiten, ranarum Regem apud Homerum, Qvicſotum de Mancha, atqve omnes ignavos aut ſtultos fabulis celebratos, qvi armis, ſymbolis, chartis provocatoriis ſibi convenientibus, id eſt, ridiculis, comparuerunt.

PERSONATI LUDI *ſunt Metaphoræ ſententiam aliqvam beneficio veſtitus & perſonarum ſeu larvarum repræſentantes.* Et horum qvoqve alii ſunt ſimplices & graves, veluti cum *heros* aut *Numen* decora ſpecie repræſentatur, alii ſunt ridiculi & ficti, qvi ſpeciem qvandam mirificè referunt, aut res abſurdas & imaginarias repræſentant.

TRAGOEDIÆ *ſunt Metaphoræ actiones heroicas, habitu, voce, geſtu, & harmonia repræſentantes.*

COMOEDIÆ ſunt Metaphoræ actiones familiares privatorum habitu, voce, & actione repræſentantes.

PICTURÆ ET SCULPTURÆ ſunt metaphoræ rem aliqvam imitatione colorum in tabulis aut lineamentorum in eminentiis repræſentantes. Et harum qvoqve aliæ ſunt propriæ & naturales, aliæ hyperbolicæ, ut *Coloſſi*, aliæ ingenioſæ aut præter rationem inventæ, ut imagines ex variis rebus conflatæ. Huc referuntur *veſtimenta, tapetia, acu picta, ornamenta item architecturæ & vaſorum.*

APPARATUS ET MACHINÆ THEATRALES ſunt metaphoræ locum aliqvem ſeu verum ſeu fabuloſum vel maria fluctuantia vel ſylvas nobiles vel corpora volantia, externa ſpecie repræſentantes.

HIEROGLYPHICUM eſt metaphora ſignificans rem ſimplicem per figuram pictam aut ſculptam tanqvam vocabulum. Hæc verò aliqvando poſita ſunt in *metaphora proportionis*, ut *ciconia* pro vigilantia, aliqvando in *metaphora attributionis* ut gladius pro bello, aut *in homonymia*, ut herba, qvæ *ſemper vivens*, dicitur pro eo, qvi ſemper vivit.

INSIGNIA GENTILITIA ſunt metaphoræ ſcuto expreſſæ ſignifican-

ſignificantes vel actionem vel ſententiam ad totam aliqvam familiam pertinentem. Nunc qvidem *figuris* tanqvam *hieroglyphica*, nunc *coloribus*, qvi tunc propriè conſtituunt, qvas vocamus *Diviſe.* Scio Gallum qvendam in libro, qvem inſcripſit *de vera arte heraldica* definitionem hanc meam ut falſam reprehendere, qvod inſignia non ſolum in ſcuto figurentur, ſed etiam in thoracibus aut vexillis: Sed ne reſpondendo ipſi perdam tempus, rejicio illum ad ea, qvæ ſupra dixi capite V. Et alio loco, ubi de ſymboli heroici origine egimus.

TROPHÆA ſunt metaphoræ attributionis, quæ in memoriam revocant victoriam qvandam beneficio ſpoliorum, inſtrumentorum bellicorum, & armorum inimicis ereptorum ingenioſe compoſitorum vel erectorum, ut faſces, vel encarpum pendentem referant. Qvorum imitatione etiam alia conſtruuntur ex *libris & inſtrumentis doctrinæ*, vel ex *dignitatum inſignibus*, item alia ridicula ex *inſtrumento ruſtico* aut *rebus contemtis.*

INSIGNIA HONORUM ſunt metaphoræ attributionis inſtrumenta & circumſtantias honoribus conjunctas repræſentantes, veluti *coronam*, *ſceptrum*, pro dignitate regia, qvibus rebus utpote ſignificantibus dignitatem regiam iidem honores habentur, qvi Regibus: pariter *inſtrumenta ſenatoria*, *faſces*, *ſecures*, *trabeas* & inſtruſtrumenta *natalium*, *nuptiarum*, *funerum*, qvo referuntur *torqves*, *gladii*, *annuli*, pro ſymbolo eqvitum Romanorum, qvi poſtea ſenatoribus pares ſunt habiti. Item hodierna inſignia *ordinum eqveſtrium*, ſeu *religioſorum* ſeu *ſecularium*; veluti *collare Sabaudicum*, qvod primum fuit ſymbolum ordinis *ſecularis & crux S. Lazari*, qvod primum fuit ſymbolum ordinis religioſi, ſed in multis ejusmodi inſignibus metaphoræ attributionis torqvium & armorum conjuncta eſt metaphora proportionis in ſimilitudine fundata; ut *vellus aureum & igniarium* Burgundiæ, *Periſcelis* Angliæ, *hiſtrix* Galliæ & aliæ ſimiles.

FIGURÆ ICONICÆ *ſunt metaphoræ hypotypoſeos oculis ſubjicientes rem abſtractam & non videndam, ut virtutes, vitia, ſcientias, affectus, corporibus humanis: aut imagines temporis, ut qvatuor anni temporum, æternitatis, temporis alati, aut locum repræſentantes, ut qvatuor mundi partes, aut provincias ſpecie mulierum.* In his figuris præter *hypotypoſin* adhibetur *metaphora attributionis* inſtrumenta & alias circumſtantias rei conjunctas repræſentans, & *metaphora proportionis* in *ſymbolis* ingenioſis

nioſis, in *ætatibus* in *coloribus veſtimentorum*, in *humana aut ferina corporis ſpecie*, & in *actionibus* aut *ſitu* perſonæ. His verò figuris exornantur conclavia ingenioſis eruditis, myſticisqve alluſionibus ſeu gravibus ſeu ridiculis, in qvibus tamen *popularitas* retinenda eſt, hoc eſt, ut ſine interprete à mediocriter eruditis adhibito cogitandi ſpatio intelligi poſſint, in qvem finem ipſis adjiciuntur *dicta arguta* qvæ lumen ipſis & acumen afferant.

NUMMI SIGNATI *ſunt metaphoræ monetæ eum in finem inſculptæ, ut ſententiam aliqvam in laudem viri magni ob aliqvod factum, dignitatem aut animi virtutem ſignificent, idq; beneficio figurarum iconicarum, fabularum, hieroglyphicorum, ſimplici dicto, qvo res & perſona indicatur adjecto.* Horum alii ſunt planiores & *ſimpliciores*, ut *mulier catenis vincta & mœſta ſub palma ſedens* cum dicto: ARMENIA CAPTA, alii *ingenioſiores*, *capricornus* cum *cornu copia* & navis *gubernaculo*, cum nomine AUGUSTUS, qvibus ſignificabatur menſis Januarius, qvo Octavianus Cæſar, terra & mari victor in urbem reverſus imperium depoſiturus nomen AUGUSTI recepit. Sed hæc ſymbola in nummo vulgo proponuntur, atqve adeò clara eſſe debent.

EMBLEMA eſt metaphora ornamento conclavium vel apparatuum feſtivorum ſerviens, ſignificans præceptum aliqvod morale aut doctrinam eruditam beneficio figurarum iconologicarum aut fabuloſarum aliorumqve ingenioſarum atqve eruditarum imaginum majori qvam in heroicis ſymbolis libertate, qvibus adjicitur dictum clarum aut plures verſus, cum eruditio eſt aliqvantum recondita. Etſi verò multam explicationem non reqvirat *figura ſymbolica*, excitanda tamen eſt *epigrammate*, qvodam, aut *dicto acuto*, ut argutia & ſvavitas duplicetur.

Deniq; SYMBOLUM HEROICUM *eſt metaphora Proportionis ſcuto, aut galea, aut inſignibus inſertum ſignificans ſententiam aliqvam ſingularem & heroicam beneficio figuræ aut proprietatis peregrinæ, cui dictum argutum adjicitur.*

INSI-

INSITIONES VARIÆ ET INGENIOSÆ OMNIUM INTER SE SPECIERUM, ARTISQVE ADEO LAPIDARIÆ & SYMBOLICÆ.

CAP. XXVII.

OMnia SYMBOLA de qvibus actum eſt, inter ſe diſtingvuntur aut *forma*, aut *materia*, aut *fine*, aut *cauſa efficiente*. Sed fœcundiſſimum ingenium, cui nihil non permiſſum eſt, ingenioſa *inſitione formam* unius ſpeciei cum *fine* alterius aut materia, aut plures inter ſe permiſcens novam ſpeciem producit, ut argutiæ & voluptas ſpectantium augeatur.

Primum igitur ex *pictura non ingenioſa* fit interdum emblema ingenioſum, veluti in domo Patris mei, cum pictor in fronte conclavis alicujus inter alias res ſuo arbitrio pinxiſſet *januam fictam & hominem*, qvi illam aperire laborat, avus meus adſcripſit hoc dictum poetæ ſatyrici: DECIPIMUR RECTI SPECIE, ut ſignificaret *qvi de homine ex primo aſpectu judicare vellet, ſæpe falli.* Sic *horologia* etſi ad alium uſum condita, ſimplici *dicto dogmatico* adjecto fiunt emblemata, veluti hac voce: PAULATIM, alluſum fuit ad hoc Ovidii:

Tempus edax rerum tuq; invidioſa vetuſtas
PAULATIM lenta conſumitis omnia morte.

Aut verſu magis perſpicuo: *Tempora ſi fuerint nubila, nullus erit*, ſignificante *amicos ſimiles eſſe umbræ horologii, quæ non apparet, niſi tempore ſereno.*

Ingenioſum qvoqve inſitum erat *ſymbolum Auguſti Delphinus anchoræ* implicitus, cum dicto FESTINA LENTE: qvod erat ſimul *hieroglyphicum, imago nummi, emblema, ſymbolum heroicum.* Ut hiero-

Digitized by Google

glyphicum anchora ſignificabat tarditatem, *Delphinus* velocitatem. Ut *nummo inſculptum* conjungebat duas iſtas dotes cum imagine Auguſti in moneta: ut *emblema* reſpicit celebre hoc præceptum Demoſthenis: *Lentè deliberandum, celeriter exſeqvendum.* Ut *ſymbolum heroicum* ſignificat ſententiam ipſi propriam: *Diu deliberabo, cito exſeqvar.* Sed in hoc genere artificioſiſſimæ erant *notæ literarum*, qvas eadem Roma vidit & laudavit in curru *Mauritii Principis Sabaudi*, qvo tempore adhuc Cardinalis cauſam protectionis maturabat. Tribus enim characteribus inter ſe implexis videlicet duplici M. & uno S. indicabat primum *nomen ſuum*, deinde *argutum dictum* innuebat, qvod literis illis initialibus continebatur: MORA SINE MORA, qvod ſimile eſt illi Auguſti FESTINA LENTE. Porrò ex ipſo curru faciebat *corpus emblematis*, in curru enim qvieſcimus & proficiſcimur, qvæ eſt *mora ſine mora.* Deniqve tanqvam ſymbolum heroicum ſignificabat ſententiam ipſi propriam: *in maturando hoc negotio ero lentus, in eodem ſuo tempore exſeqvendo velox.* Vides igitur non ſolùm *ſymbolum ſymbolo* inſeri, ſed etiam ſententiâ tantùm mutatâ *ſymbolum* commutari nulla accedente mutatione.

Eadem ratione tota ars SYMBOLICÆ arti LAPIDARIÆ variis modis inſerta varios qvoqve & gratos profert argutiarum ramuſculos. Sic eadem *ſententia* nunc formam induet *ſymbolicam*, nunc *lapidariam*, & promiſcuè tractata ut Proteus ingenioſus à ſpecie ad ſpeciem tranſibit, ſemper eadem & ſemper diverſa. Unum modo exemplum afferam, qvod intellectum tuum excitet, ut in majoribus atqve ingenioſioribus argumentis idem experiatur.

Thema. Propono THEMA hoc: *Vir ſapiens & prudens magna & honorata ſibi proponens, invidorum calumniis à curſu ſuo non revocatur.* Hæc propria eſt & plana ſententia, qvam figuratè efferre poteris primum *fabula* GANYMEDIS, qvi ſua lingva ſignificat CONSILIUM PRUDENS. *Iſte enim ab Aqvila in cœlum ſublatus latratu canum ſuorum non retinetur.*

Fabula. Et primum qvidem narrare poſſis *ſimplicem fabulam* ut Statius:

Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis

Stant

Stant mœſti comites fruſtraq́ ſonantia laxant
Ora canes, umbramq́ petunt & nubila latrant.

Porrò *fabula ſimplex* converti poterit in *allegoriam*, ſi ita dicas: *Dum prudentia Ganymedem virtutis aqvila prepetibus ingenii pennis ad gloria cœlum extollit, fruſtra invidia canis convitiorum latratibus aures & auras exterret.* *Allegoria.*

Allegoria mutari poteſt in *apologum* ita: *Dum Aqvila Ganymedem in cœlum raperet, horribili latratu canis minabatur, cui aqvila ignave, inqvit, latras, & humi jaces?* ubi rebus rationis expertibus ratio & intellectus tribuitur, qvod eſt *apologi.* *Apologus.*

Apologus fiet argutum *epigramma* hoc modo: *Epigramma.*

Perſonat horriſonis catulus latratibus auras
Lucida dum Phrygius ſcandit ad aſtra puer,
Invide, qvid ſonitu ſcopulos obtundis inani?
Implumem volucris non pavet iſta feram.

Eadem hæc ſententia concludi poteſt præcepto morali figurate prolato: *Latrante licet catulo pergere ad aſtra debet Ganymedes*, & argutius erit accedente æqvivoco: *Stultum eſt GANNIRE GANYMEDI.* *Sentētia.* *Æqvivocum.*

Hinc naſci poteſt dictum acutum, qvod Græci *ſcomma* vocant: ut ſiqvis dicat, *Ganymedes tu es*, ſtatim reſpondere liceret: ET TU CANIS, hoc eſt: *tu invidus es, qvem nihili facio.* *Scomma.*

Hinc etiam *proverbium* in invidum, qvi fruſtra viro bono aſcenſum ad honores occludere conatur: CANIS GANYMEDIS. *Proverbium.*

Idem poſſet eſſe *teſſera*, qvomodo Caligulam tribuno ſuo illuſiſſe diximus: GANYMEDES. *Teſſera.*

Hinc etiam *ænigma* fieri poteſt, *hirſutus qvadrupes vocali tonitru fruſtra verberat nondum virum volucribus remis aëra verberantem.* *Ænigma.*

Hinc *epiſtola arguta & Laconica*, ut ſi invido gloriæ tuæ hæc ſola verba mandares literis majoris formæ: VIRTUS ME ATTOLLIT, LATRA CANIS. *Epiſtola Laconica.*

Etiam *epitaphium argutum* in invidum: GANYMEDIS CANEM AQVILIS OBLATRANTEM STRAVIT HIC LAPIS. *Epitaphium.*

Digitized by Google

Pictura & ſculptura. In plures alias LAPIDARIÆ ſpecies ſine labore THEMA hoc per te ipſe commutare potes; Sed idem SYMBOLICA exornaturus *pingere*, *ſculpere*, *aut texere* licet fabulam Ganymedis eo modo, qvo Statius illam deſcribit, ita ut in ſublimi cernatur *venator* ab *aqvila* alis expanſis geſtatus, infra *ſylva* cum arboribus & rupibus, & *canem* in terra, aqvilam rabioſè allatrantem: qvodlibet corpus ita exprimendum, ut in actu occupatum ſit ſicut de celebri ſculptore Locra ſcripſit Plinius: *Aqvilam fecit ſentientem, qvid recipiat in Ganimede, & qvid ferat.*

Sin eandem fabulam in veſtibus *acupictis* aut architecturæ *encarpis*, aut tapetiorum *belluis* repræſentaveris: efficies genus illud ſymbolorum metaphoricorum, qvod generatim Græci vocant *emblemata* ſed à Latinis propriè *Parerga* hoc eſt *ornamenta præter rei ſubſtantiam adjecta.* Sic Virgilius *veſti* ab Ænea donatæ Cloantho victori ludorum navalium, eleganter intexuit ornamenti loco hanc *Ganimedis* fabulam.

Intextusqve puer frondoſa regius Ida,
Veloces jaculo Cervos, curſuqve fatigat,
Acer anhelanti ſimilis; qvem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit jovis Armiger uncis.
Longævi palmas nec qvicqvam ad ſidera tendunt
Cuſtodes: ſævitqve canum latratus in auras.

Hieroglyphica. Hinc etiam naſcitur *hieroglyphicum*, qvod (ut monui) periodum figuris eo ordine, qvo Ægyptii ſapientes in Pyramidibus ſolebant, ſculptis, complet. Et ſic pingere poſſes duas *alas aqvilæ & inferius Pharetram & arcum venatoris*, & ſub his caput *canis* rictu diducto, & deniqve *rupem* ex qvibus hæc ſententia naſcitur: *Dum aqvila venatorem attollit, canis allatrat rupes.*

Spectaculum. Eodem modo ſententia hæc metaphorica explicari poſſet *perſonis comicis*, ut ſi occultis machinis in theatrum adduceres ſylvam *arboribus*, *rupibus*, *fontibus* inſtructam, *Ganymedem* porrò *cervum* telo perſeqventem, qvi repentè ab *Aqvila* rapiatur & in ſublime evehatur, unde *cuſtodes* admiratione & deſperatione ſtupefacti & *canes aqvilam* nihil curantem allatrantes conſiſtant. Hoc ſpectaculum rapti Ganymedis ſpectatores certè etiam ſine verbis ſolius metaphoræ virtute abripiat.

Qvod

Qvod ſi verò ad exprimendam hanc ſententiam SYMBOLICAM artem inſeras LAPIDARIÆ, *figuras* nimirum *conſpicuas* cum *dictis argutis* copulans, & argutias & voluptatem duplicabis. Hæc igitur fabula eo qvo dictum eſt modo picta ſi transferatur ad *præceptum morale*, hoc *ſymbolum* erit, qvod eruditi hodierni propriè vocant *emblema.* Tale eſt theologicum hoc Alciati, alludens contemplationi rerum divinarum:

Aſpice ut egregius puerum Jovis alite pictor ***Emblema.***
Fecerit Iliacum ſumma per aſtra vehi.
Qvis ne Jovem tactum puerili credat amore?
Dic hæc Mæonius finxerit unde ſenex.
CONSILIUM MENS atqve Dei cum gaudia præſtant,
Creditur in ſummo raptus adeſſe Jovi.

Sed hoc THEMA fundatum eſt in Xenophontis & Ciceronis interpretatione, qvæ à noſtra diverſa eſt, ad hanc vero retinendam documentum ita licet commutare:

Cernis ut æthereas puerum Jovis ales in arces
Dum rapit Iliacus territet aſtra canis?
Scilicet ad celſos Virtus qvem tollit honores,
Latratum rabidæ non pavet invidiæ.

Eadem applicatio fieri poteſt *ſolo dicto ſtatuæ* aut *picturæ canis Ganymedem* allatrantis ſubſcripto, invidum aliqvem his verbis Virgilii pungente: VANIS TERRORIBUS OBSTAT. ***Inſcriptio.***

Unde & *nummum* ſignare poſſis *Ganymede ab Aqvila rapto* cum dicto: SPRETA INVIDIA. ***Numiſma.***

Deniqve ſi eandem figuram *heroicæ ſententiæ tibi propriæ* applices ſignificans *te non obſtantibus invidorum allatrationibus non intermiſſurum ad arduas & honoratas actiones contendere* ex numiſmate ſymbolum heroicum feceris, picto cane Aqvilam Ganimedis allatrantẽ, cum eodem Virgilii dicto: VANIS TERRORIBUS OBSTAT. ***Argumẽtum heroicum.***

CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

TAndem igitur, Lector benevole, ad FINEM pervenimus, tu legendi, ego ſcribendi has qvalescunqve meas de ARGUTIARUM ARTE obſervationes. Hæc verò parens eſt omnis ingenioſi operis, atqve adeò totius *Rhetoricæ elocutionis*,

Cum igitur jam duos libros ſatis ſpiſſos confecerim *rhetoricis divini Ariſtotelis* illuſtrandis, alterum de PERSVASIONE, alterum de AFFECTIBUS, poſtremus hic ELOCUTIONI deſtinatus eſt, qvam in fontibus ſuis philoſophando inqviſivi. Sed ultimus hic fœtus, utpote magis popularis primus etiam populo exhiberi debuit, ſicuti Thamare enitente poſterior partus prior lucem aſpexit. Hunc igitur tueri debes ut *minorem*, ampleĉti ut *voluntarium*, ferre & tolerare, ut *imperfectum judicio* etſi *corpore ita magnum*, ut fortè infans tibi Fraſinonis videatur, de qvo apud Livium eſt, eum gigantem eſſe natum, & citius ad juſtam ſtaturam, qvam ad rationis uſum perveniſſe. Ipſe certè non potui illum nec conſiderare, nec ponderare, priusqvam impreſſus fuit. Qvamvis enim de *argutiis* & ſymbolis heroicis diu ante duos commentarios alterum latinum alterum Italicum ſeorſum ediderim, hoc tamen volumen ea forma & mole, qva nunc conſpicitur, non prius expreſſum eſt, qvam impreſſum. Profluxit enim rapido curſu de *mente* in *pennam*, de *penna* in *typographiam*. Unde multa peccarunt *penna*, *typographia & mens*, qvæ in feſtinata hac exſcriptione nec legere nec emendare licuit. Dices igitur hanc meam de ſymbolis tractationem verum eſſe *temeritatis* ſymbolum, qvoniam de argumentis ingenioſis agit ſine ingenio, de acuminibus ſine acumine, docet bene dicere nec benè dicit, detegit *conſpicillo Ariſtotelico* maculas ſymbolorum & totum maculis eſt obrutum, ita, ut ſymbolum huic libro conveniens excogitaturus pingere poſſes *librum apertum*, qvi alios docet, qvod ipſe neſcit. Sed ſi verum eſt hoc Plinii Majoris, qvod teſte ejus nepote, dicere eſt ſolitus: *Nullum librum eſſe tam malum, qvin aliqvid boni contineat, qvod opera pretium fuerit legiſſe*, ſi verum qvoqve eſt hoc autoris noſtri pronunciatum: FINIS HABET RATIONEM OPTIMI: qvisqvis totum hoc volumen perlegere non pigrabitur, rem certè optimam ac jucundiſſimam in eo reperiet, videlicet

FINEM.

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus paginam indicat.

A.

Æ*Nigma:* ſcripta ænigmatica 371
Ratio optimi ænigmatis 455
Deſcriptiones & inſcriptiones ænigmaticæ 454
Affectus inde naſcuntur argutiæ furoris 88
AFFLATUS inde naſcuntur argutiæ furoris 90
Allegoria, eſt metaphora per integram propoſitionem continuata 478
tot habet ſpecies, qvot ſunt metaphoræ 478
Ejus exempla ex metaphora proportionis 478
continuationes allegoricæ in reſponſionibus 480
& in apologis & in deſcriptionibus argutis 480
roſæ deſcriptio ſub allegoria Reginæ cum præceptis ſimiles conficiendi ope categoriarum 481
Attributionis & aliarum *metaphorarum* 482
Alliterationes, earumqve exempla 381
Alluſiones in cavillationibus naſcuntur à Laconiſmo & qvomodo 435
Alterationes ſeriæ & ridiculæ verſuum & ſententiarum celebrium unde naſcantur 464
Amatoria fabula argumentum homonymicè per omnes categorias variatum 391
Amedeus Magnus Sabaudiæ Dux inſcriptiones in heroicas ejus actiones 609
Anabola vid. figuræ Anabolæ.
Anagrammata literalia aut numerica eorumq; exempla 376
Animadverſio argumentoſa 405
mirabilis, tertia ratio arguta enthymemata conficiendi 493
adjicitur qvibusdam è decem propoſitis exemplis, eorumq; acumen auget 494
Animalia ſunt cauſæ efficientes argutiarum 77
eorum argutiæ & exempla 78
eorum voces, qvare gratæ ſint aut moleſtæ 166
miracula lingvæ ipſorum 169
Apparatus theatrici. 726
Apes Platonis 78. duodecim theorem

Digitized by Google

remata in apem electro exſtinctam 544. & ſeqq.
Applicatio eſt pars integralis argumenti concionatorii 534
verſuum celebrium ad diverſum ſenſum eſt proles homonymiæ 388
ingenioſa ad omnes res, qvæ oculis objiciuntur 98
fabularum 99
dictorum qvæ leguntur 100
Apologi, horum allegoriæ 480
Architecti eorum argutiæ & exempla 85
Argumenta inexſpectata qvæ enthymemata faceta condiunt 468. naſcuntur à deceptione 468. ingenioſa non omnia ſunt enthymemata arguta 585. ſunt partes integrantes concionum argutarum 534. metaphorica ſunt veræ & maximæ argutiæ 283. ſunt veræ argutiæ & ingenioſa enthymemata ſummæ in mente regionis 483. decem illorum celeberrima exempla 483. horum examen 486. proles 493. & qvæ ſeqvuntur.
Arguté dicendi vis & argutiæ, qvæ ſint, ejusqve laudes admirabirabiles 1. earum nomen apud Græcos, Latinos, Italos 3. & ſeqq. earum proles 8. & ſeqq. cauſæ inſtrumentales 14. cauſæ efficientes 57. cauſa finalis & materialis 536. vide *finis & materia* accipit omnem materiam ab indice categorico 106. cauſa formalis 120. vim acqvirit à figuris patheticis 210. earum legitimæ filiæ ſunt figuræ ingenioſæ 238. parens eſt metaphora 284. vera eſt argumentum metaphoricum 283. ejus unica radix eſt metaphora ſimplex 284. ſunt vera ingenioſa enthymemata 483. ſunt lepida poëtarum mendacia 487. *angelicæ* qvæ ſint 64. *animantium* cum exemplis ſuis 78. *archetypa* 15. *architectorum* cum exemplis 85. *compoſita* ex archetypa & vocali 38. ex voce & geſtu 40. ex geſtu & figura 41. ex figura & verbis 41. corporis artificialis aut naturalis & verborum 44. verborum & perſonæ veræ 48. verborum & perſonæ fictæ 52. actionum & geſtuum cum perſona ficta 54. *corporum figuratorum* 51. *depictæ* cum ſimplicibus coloribus 28. cum imaginibus 29. *divinæ* 58. Deus eſt harum cauſa efficiens 58. earum ſpecies ſunt tropologicæ, allegoricæ 59. anagogicæ 56. mixtæ 60. *concionatoriæ* 63. 496. *excercendarum* earum qvot ſint modi 94. *fundata* in ſignificatione peregrina 257. *furoris* unde naſcuntur

tur 90. *heroica* vide Symbola heroica. *humana* cum diviſionibus ſuis & exemplis 80. tria adjumenta qvæ ſint 80. *lapidaria* qvæ ſit & ejus proles 8. & ſeqq. *mentalis* 15. *muta* geſtuum 22. *naturæ* 71. exempla in variis rebus 71. *optica* 87. verborum 253. exemplum in omnes argutias verborũ transformatum 730. *perſonæ figuratæ* 35. *prototypi* mortui aut vivi 33. *ſculpta* 30. *ſcripta* 18. in *ſignificationibus* peregrinis 257. ſymbolica qvæ ſit & ejus proles 11. & ſeqq. tranſitio ab argutiis verbalibus ad ſymbolicas in facto & figura 611. ejus tot ſunt ſpecies, qvot verbalium argutiarum. 612. qvicqvid in picturis, ſculpturis, perſonatis ludis, feſtis, actionibus humanis aut divinis jucundi eſt aut lepidi, id eſt ab octo metaphorarum aliqva 613. exemplum ſingularum ejus ſpecierum 613. exemplum thematis in omnes argutias ſymbolicas commutati 732 *verbalis* qvæ ſit & ejus proles 8. & ſeqq. *vocalis* 16.

Ars ſymbolica vide Symbolum. *lapidaria & ſymbolica* 14. earum cauſæ inſtrumentales 14. earum variæ & ingenioſæ inſtitiones 729

Artifex qvomodo differat à docto & ingenioſo 81

Artificium argutum ut aves conticeſcant 82. iis pictura decepti 82. rerum pingendarum, qvæ videri non poſſunt 83. mutos docere loqvi 169

Actiones humanæ & divinæ vide Argutia delectant vi alicujus metaphoræ 613

Attributio vide metaphora Attributionis 341

ejus allegoria 482

Aves argutum artificium ut conticeſcant 82

Autoritas ſacri ſcriptoris ad confirmandum pars eſt concionis ingenioſæ 534

B.

Barbariſmus delectat 462. naſcitur à deceptione 462

Bytontus 497. antiqvus ejus ſtylus concionatorius argutiis excitatus. 497

C.

Cacophonia Periodi, unde naſcatur 175.

Canis Lucii Pauli 79

Cantio Luſciniæ in verſus redacta 169

Caraffa idea argutorum Concionatorum 534.

Carolus Sabaudiæ Dux, ejus arguta reſponſio ad Regem Ludovicum 487

Cavillatio, cur Dialecticæ qvædam ſint facetæ & ridicula earum exempla 491

Cauſa argutiarum inſtrumentalis 14. Efficiens 57. Formalis 120. Finalis & materialis 536
Characteres cauſæ inſtrumentales argutiarum 14. alienorum velox & arguta interpretatio 437
Clauſulæ mirabiles Epigrammatum 452
Comœdia harũ Eſſentia & definitio 726. hyperbolicæ militũ glorioſorum 430. nodi Comici 390
Conceptus loqventis in alium ſenſum traductus 388. *Archetypus* cauſa inſtrumentalis argutiarum artisqve Symbolicæ & Lapidariæ 15
Conceptus argutus & ingenioſus vid. *argutia*, *argumentum Metaphoricum*, *enthymema urbanum*, ejus exacta definitio 490
Concionatorum arguta enthymemata 63. 496. eorum definitio 63. 496. excitant ſtylum priſcum concionatorum, qvalis erat Bitonti & Panigarolæ 497 nata ſunt in Hiſpania 498. Neapolim delata 498. tot ſunt eorum ſpecies, qvot Metaphoræ 499. eorum exempla per omnia genera Metaphoræ, videl. proportionis 499. Attributionis 503. Homonymiæ 506. Hypotypoſis 512. Hyperboles 517. Laconiſmi 520. Oppoſitionis 523. Deceptionis 526. iſta excogitandi ratio 533. Eorum partes integrales 534
Concinnitas arguta reddit Epigrammata 205
Concluſio hujus operis 731
Concluſiones inexſpectatæ condiunt argumenta ingenioſa 468. hyperbolicæ vid. hyperbole.
Congruentia animat deſcriptiones ſeu ſcriptas ſeu pictas 406
Conſonantes vid. literæ Conſonæ.
Continuatio Allegorica in reſponſis 480
Contrapoſitum dicta vilia & vulgaria facit videri mirabilia 438. Diſcrimen inter harmonicum & ingenioſum 438. modus ex omnibus categoriis eruendi 438. uſus qvis in exornandis verſibus latinis & Italicis 440. *argutum* variæ ejus formæ 441. ab eo proficiſcitur *mirabile*, pulcherrimus ingenii partus 442. vid. Metaphora oppoſitionis.
Corpora terrena ſunt argutiæ Naturæ 75

D.

Dactylus ſcanſionem veluti virga incitat 146
Deceptio h. e. Metaphora Deceptionis ſeu inopinatum, Rhetoribus ignorata 457 Ejus definitio 457. parens lepidarum facetiarum & argutorum ſalium 457 Ejus exempla per ſingulas Categorias

Digitized by Google

gorias 458. Conſiſtere poteſt in una voce 462. ab ea proficiſcuntur Barbariſmi & ſolœciſmi delectandi gratia prolati 462
Et plures alii venuſti partus 463. & ſeqq. ejus exemplum in elogio continuo, cujus poſtrema vox laudem in opprobrium convertit 476
Moralis 473. *Rationalis* 471. *Pathetica* 474
Definitiones mirabiles, naſcuntur è fonte admirandi 451
Dementia arguta & ridicula 91. arguta & atrox 93
Deſcriptio & Deſcriptiones, vid. *Inſcriptiones*.
Arguta earum Allegoriæ 480. Praxis illas conficiendi ex qvaqve Categoria 481. Roſæ ſub allegoria Reginæ 481
Ænigmatica ex verbis æqvivocis 385 ex oppoſitis 454
Hyperbolica vid. Hyperbole *Verbales* aut pictæ, ex congruentia & ſingularibus circumſtantiis animatæ 406
Earum enumerationes argutæ 412
Deus, cauſa efficiens argutiarum & qvarum? 58
Dialectica cavillatio qvando & qvatenus ab Oratoria differat 488 & ſeqq.
Dialogiſmi Tragici & Comici, eorumqve arguta reſponſa 436
Dictum vid. Lemma.
Dicta ſententioſa è Contrapoſitis excitata 454
Difficultas pars integralis argumenti concionatorii 534
Doctus ut differat ab ingenioſo & Artifice 81
Doctrina, *doctrinalis* vid. materia doctrinalis.

E.

Echo ex omnibus Categoriis deſcripta figura *Mirabilis* 442
Elogium vide Inſcriptiones Argutæ & ingenioſæ.
Emblemata 691. horum definitio 728. revocantur ad genera Rhetorica 542 in qvo cōveniant vel differant à ſymbolo Heroico 692. Exempla bonorū 694. Partes eſſentiales perfectorū ſunt Thema, figura & inſcriptio 697. Eorum differentiæ 700. mixtura cum aliis ſymbolis argutis 704. Exēpla in omnes imagines cœleſtes in ſtatuis horti Raconiſii 709
Enthuſiaſmus divinus & poëticus, à qvo argutia & furor 91
Enumerationes argutæ in deſcriptionibus earumqve ſpecies 412
Epici nodi 390
Epigrammata concinnitate redduntur arguta 205. Eorum clauſulæ mirabiles unde naſcantur 452. vim habent argumenti ingenioſi 485
Epitheta vid. verba. Nova methodus nobilia & illuſtria ex qvacunqve Categoria eruendi implendis Periodis 155. Propriorum & ludicrorum acumen 414 Exemplum multorum argutorum in fœminam defor-

deformem ex omnibus Categoriis 417
Etymologica argutiæ,earumq́ve exempla 380
Exercitatio eſt adjumentum argutiarum humanarum 80. Ejus argutiæ 94. qvot modis fiat 95. praxeos 94. lectionis 96. meditationis 98. indicis Categorici 106. imitationis 114.

F.

Fabulæ earum applicatio 99
Fabula amatoria argumentum, per omnes Categorias variatum 391
Facetiæ lepidæ, filiæ deceptionis 457
Fallaciæ urbanæ & argutæ differunt à Dialecticis, & qvomodo 488. iis conficiendis neceſsè non eſt ſcire Logicam, ſed ſatis eſt noſſe qvæ ſit Metaphora ſimplex 492. ſunt argumenta ingenioſa & qvomodo 489
Feſta horum inſcriptiones admittunt, ſtylum lætiorem & irregularem 601. fiunt lepidæ octo Metaphorarum aliqva 613
Figuræ vid. *Metaphora*, *Periodus*. Pars eſſentialis perfecti Emblematis 697
Symbolorum Heroicorum vid. ſymbolum
Anabolicæ ſeu Clauſulæ prolixæ 124 ingratæ ſunt 124 Thraſymachus illas primus diviſit 125
Iconicæ earum definitio 727
Rhetoricæ earum nova Genealogia 122. vera definitio 123. ſunt vel harmonicæ vel Patheticæ vel ingenioſæ 123
Harmonicæ 123
Ingenioſæ vel ſignificationis ſunt filiæ artis argutiarum 238. male intellectæ à Rhetoribus 238
Patheticæ vel *Concertativæ* 210. Rivuli illarum cogniti, non fontes nec nomen genericum. 213. Num rivulos illarum cognoverit Ariſtoteles & qvales! reliqvos in volvens τῷ &c. 215. Nova ſubtilitas ex iſto &c. eruendi ſummum genus & Definitionem 215. Vim addunt argutiis 210. earum definitio. 215. diviſio in duas ſpecies ſummas, cognitionis & appetitus. 216
Patheticæ Cognitionis, earum præcepta & exempla in Inſcriptionibus 217.
Pathetici appetitus cum præceptis & exemplis 22:. Curioſa præceptio Inſcriptionem jacentem omnibus figuris concertativis excitandi 232. iisdem & alia ſcripta jacentia excitantur veluti Orationes, Panegyrici. 237. *Iconicæ* earum eſſentia & definitio. 727
Fines argutiarum tot ſunt, qvot Rhetoricæ videl. Demonſtrativum, Deliberativum & judiciale, eorumqve effecta. 536. Tractantur vel Logicè vel Ethicè vel patheticè 538.
Flores eorum varietas eſt argutia naturalis 71
Fœmina deformis epithetis deſcripta per omnes Categorias 417
Formica Midæ 78
Fulmina ſunt argutiæ naturæ 74
Furor eſt adjumentum humanarum argu-

argutiarum 80. Ejus argutiæ 88

G.

Geſtus cauſa inſtrumentalis argutiarum 22
Gracchus ejus ſerpentes 78
Gratiani illorum verba inverſa & contorta naſcuntur à deceptione 463
Gryphi verbales eorumqve exempla 375

H.

Hieroglyphica eorumqve definitio 726. Grammatica eorumq; exempla 372
Hiſpani inventores arguti enthymematis concionatorii 498
Hiſtrix RegisLudovici XII. cum lemmate Eminus Cominus cur ſymbolorum pulcherrimum 630 id ſymbolum licet cæteris perfectius cenſuram non effugit 683
Homo cauſa efficiens argutiarum humanarum 57
Honos ejus tituli unde naſcantur 419. ejus inſignium definitio 727
Hortus Raconiſius. Emblemata in ejus ſtatuas 709
Hyperbole ejus exemplum per omnes Categorias variatum, amori nimis vehementi ſignificando. 423
Examen duarum deſcriptionum Hyperbolicarum Martialis in ſingulis Categoriis 425. Oratorum & poëtarum clauſulæ hyperbolicæ exprimendis argutis ſenſibus, & ratio illas condendi 428. Vide *Metaphora Hyperbola*

I.

Jeſuitæ lingvæ latinæ uſum revocarunt 243
Imago vel ſimilitudo acuta brevis & ingenioſa eſt fructus hypotypoſis, ejusqve exempla. 399. ab Ariſtotele *Icon* 399. eſt mater ſymbolorum etiam ridiculorum. 399. varius ejus & argutus in oratione uſus. 400. erudita qværit 402. Ab illa naſcuntur arguta argumenta in picturas, ſculpturas, eorumqve exempla 402
Imitatio ejus exercitatio 114. docet omnia ibid. qvæ ſit vera. 115. nova ratio ex ſimplici metaphora infinitas metaphoras & argutias eruendi 115. & ſeqq.
Index Categoricus, ejus exercitatio 106. methodus illam conficiendi ordine Prædicamentorum 106. exemplum particulæ hujus indicis 107. ratio ejusdem beneficio argutandi 110
Inductiones præter opinionem aliqvid concludentes ſunt proles Deceptionis 470
Ingenium humanum eſt argutiarum humanarum adjumentum 80. in qvo conſiſtat. 80. à prudentia qvomodo differat 81. ejus nobilis partus eſt *Mirabile* 412. captum ejus excedit perfectiſſimum condere ſymbolum Heroicum 689
Ingenioſi ut differant à doctis & artificibus 81

Inſcriptio eſt pars eſſentialis perfecti Emblematis. 698.
Inſcriptiones. Doctrina jacentes excitandi figuris appetitus 225. & omnibus agoniſt cis.232. confici posſunt lingva Italica 248. diſcrimen ſtyli oratorii & lapidarii in Inſcriptionib' 597. corrūpitur à recentiorib' imitatione phraſis Tullianæ 597
Argutæ ſeu elogia. 593. Exemplum pulcherrimi elogii à Cicerone periodis rotundis in continua oratione expoſiti 593.
Argutæ feſtivæ populares lætiorem & irregularem ſtylum admittunt 602
Breves reqvirunt in verbis ſummam perfectionem 185
Conciſæ earumqve exempla 207. celebris Bononiæ inſcriptio concinnitate lepida, ſenſu obſcura. 297. Elogium forma conciſa expreſſum 595. aliud Taciti elogium ad formam inſcriptionis conciſæ revocatum, nullo verbo mutato 596
Ænigmaticæ ex oppoſitis 454
Italicæ 248. cenſuræ ſunt expoſitæ 248. pulcherimum inter eas exemplum. 250. *verbis propriis contextæ* non tam laudantur, qvam vitio vertuntur impuræ 239. *populares* in proſa debent accedere adverſum Jambicum, utpote magis popularem 603.
Rotundæ pulchræ 195. qvomodo reddantur conciſæ cum exemplis 207. Ideæ perfectè rotundarum 186
Ridiculæ profectæ ab Homonymia 374. à Deceptione 463. plura harum exempla 592. argutè ridiculæ, ne intelligantur 208
Succinctæ eleganter concluduntur diſticho arguto 607
Singulares Arcus Auguſti, idea perfectè rotundarum 186. eadem variata ſecundū regulas propoſitas multiplici forma inſcriptionum ingenioſarum 598
Comparatio & cenſura illius in Conſtantinum M. 193
Pauli V. & Urbani VIII. pulchræ & rotundæ 197. in actiones Amedæi M. qvæ extant Rivoli 609. Ludicra è verbis priſcis in fontem 256
Inſignia Honorum, eorum definitiones. 727
Interpretationes argutæ & veloces alienorum verborum vel characterum 437. *peregrinæ*, proles Deceptionis 466
Ironia proles Homonymiæ 385

L.

Laconiſmus vid. Metaphora Laconiſmi.
Lapidarius ſtylus ejus differentia ab Oratorio 597
Lemma ſeu *dictum* praxis ejus componendi 95. beneficio lectionis 97. in qvodcunqve argumentum ibid. dictorum, qvæ leguntur, applicatio 100
Lemmata æqvivoca, eorum exempla 731
Symbolorum heroicorum ex antithetis 454

perfe-

perfectiſſimo ſymbolo adjuncta, qvalia eſſe oporteat 660. & ſeqq. Symbolorum ex Laconiſmo naſcuntur eorumq; exempla 435

Lectio ejus exercitatio ſymbolis dictisq; componendis 96. & ſeqq.

S. Leo unde rotunditas in ejus periodis 151

Leporius Exemplum ingenioſi Concionatoris 534

Lingua ejus admiranda in animalibus 169. in luſcinia 169 Qvæ ſit maximè propria & emendata 240. *Italica* à latina exſpirante excluſa 243. Pueritiam & juventutem egreſſa ad firmam virilemq; ætatem hodie pervenit 245. Inſcriptionibus inſervit 248. ejus pulcherrimum exemplum 250. cenſuræ obnoxia 249. *Latina* magis propria 240. Ejus qvatuor ætates, infantia &c. 240. extincta Longobardorum ævo. 243. Non eſt hodie eadem niſi imitatione: licet à Jeſuitis videatur reſuſcitata 243. Italicam peperit 243

Littera ſeu Epiſtola figuris agoniſticis excitatur 237

Littera Conſona earum novum examen 169. ſympathia & antipathia 174. Vocales velut chordas plectrum percutiunt 163. *Vocales* earum novum examen & ſonus 164. nova obſervatio & illarum harmonia 165

Logica non eſt neceſſaria urbanis argutisqve fallaciis fabricandis 492

Lucius Paulus ejus canis 97

Ludovicus XII. Rex Franciæ Ejus ſymbolum hiſtricis qvam perfectum ſit 630

Ludovicus XIII. Reſponſio illi facta à Carolo Emanuele Sabaudo. 487.

Ludi eqveſtres eorum definitio 726. *perſonati* gratiam acqvirunt ab octo Metaphorarum aliqva 613. Eorum definitio & eſſentia 726

Luſcinia cantus ad verſum revocatus 169.

Luſus in nominibus aut cognominibus detortis 381.

M.

Magnificus, titulorum, qvi Principi conveniunt, maximus, etſi hodiè ad ſutores delatus 420

Materia Argutiarum tribus generibus continetur, Honeſto Utili, Jucundo horumqve contrariis 540 *Dogmatica* veſtiri poteſt argutiis Rhetoricis vel poeticis, at revocatur ad demonſtrativam qvantum ad modum licet ſuâ natura ſit ſcholaſtica 541. *ſcholaſtica* Exempla materiarum ſcholaſticarum argutè veſtitarum 541

Mauritius Princeps Sabaudiæ, ejus ſymbolum idea ingenioſorum 675

Mendacia Poëtarum ſunt argutiæ 487. ſine his argutiæ ſunt nullæ 487

Metaphora vid. *Figura* maximè ingenioſus peregrinus, acutus mirabilis ingenii partus 270 niſi nimis ſit audax

audax 277. exempla præter decorum audacium. 278. in ridiculis data opera contra decorum fit translatio. 280. parens eſt omnis argutiæ 283. Ejus tres differentiæ in tribus intellectus regionibus natæ, & qvæ illæ ſint. 283. illarum allegoria 478 *Continuata*, ſeu *propoſitiones Metaphoricæ & Allegoricæ 478.*

Simplex unica radix omnis argutiæ 284. Ejus vera genealogia Rhetoribus ignorata. 284. nova doctrina ad illam inveniendam 284. ejus definitio. 303. nova ratio è ſimplici Metaphora infinitas alias eruendi beneficio imitationis. 115. & ſeqq. continet octo ſpecies adæqvatas & qvæ ſint. 299. Exemplum unius vocis argutè per octo ſpecies Metaphorarum ductæ, 300. Typus ſpecierum Metaphoræ oculis ſubjectus. 305. ſpecies Metaphoræ, veluti

Proportionis aut *ſimilitudinis* ejus definitio 305. Nova methodus illas ex omnibus Categoriis eruendi 307. Exemplum unius vocis hujus Metaphoræ ope per omnes Categorias variatæ. 339. Exemplum argumenti concionatorii ex hac Metaphora 499.

Attributionis ejus definitio, & qvomodo rem ſubjectam ſignificet. 341. ejus exemplum per omnes Categorias 341. & ſeqq. Ejus uſus in dictis, Ænigmatis ſymbolis &c. 360. & ſeqq.

Homonymiæ ejus definitio 362. Ejus exempla in ſingulis Categoriis 362. Ejus ingenioſiſſima & pulcherrima proles 371. & ſeqq. Exemplum argumentorum Concionatoriorum ex hac Metaphora 503.

Hypotypoſis qvæ ſit ejusqve è ſingulis Categoriis exempla. 393. Fructus ingenii ex ea provenientes. 399. & ſeqq. Argumenta concionatoria hujus Metaphoræ 512.

Hyperboles vid. Hyperbole. velociter extollit aut minuit orationem. 423. Exemplum argumenti concionatorii ex hac Metaphora 517

Laconiſmi. Ejus unum genus, aliud dicere, aliud tectè ſignificare 432. exemplum dicti injurioſi Laconici per omnes categorias variati 432

Alterum ejus genus paucis multa dicere alludendo ad id, qvod reticetur. 434. ejus fructus 435. & ſeqq.

Oppoſitionis. Mirabilis & contrapoſiti Ejus definitio. 437. Vid. *Oppoſitum Contrapoſitum* Exemplum argumenti concionatorii ex hac Metaphora. 523. Excitat dicta ſententioſa 454

Deceptionis ſeu inexſpectati ejus definitio. 457. vid. *deceptio*. Rhetoribus ignorata. 457. hinc naſcuntur verborum inverſiones & detorſiones. 462. Argumentum Concionatorium ex hac Metaphora. 529

Meteora ignea argutiæ naturæ 72
Midas ejus formicæ 78
Miles glorioſus ejus hyperbolæ in Comœdiis 430
Mirabile vid. Oppoſitum mirabile. Pulcherrimus ingenii partus, Rhetoribus ignoratus, in qvo conſiſtat 442. exemplum ejus in deſcribenda *Echo* per omnes Categorias 442
Muti Artificium novum mutos docere loqvi 169

N.

Natura cauſa efficiens argutiarum. 57
Nodi Epici, Tragici, Comici &c. 390
Nomina per luſum contorta & inverſa 381
Nota Grammatica 377
Nubes Argutiæ naturæ 72

O.

Objectum Exemplum orationis nobilis & illuſtris ex objectis 161
Obſervatio ejus exercitatio. 98. obſervationum index 104
Oda illarum Strophæ cur dictæ Periodi 125
Oppoſitio, oppoſitum mirabile ejus qvatuor fontes eorumq́; exempla 443 ab his fontibus prodeunt ænigmata 454. 455. definitiones mirabiles 451. conflictus mirabilium oppoſitorum in oratione 452. reſponſa arguta 453. ſententiæ antithetis excitatæ 454. dicta ſymbolorum heroicorum. 454. Vid. etiam *Contrapoſitum*, *Metaphora Oppoſitionis*, *Mirabile*.
Optica argutiæ 87
Oracula ſunt argutiæ angelicæ 65
Oratio nobilis & illuſtris ex rebus ſignificatis 161. in continua oratione interdum peccatú eſt non peccare 184. ejus duo genera Hiſtoricum & concertativú, iſtud mortuum hoc vivum 213. uſus imaginis in oratione 400. in eadem conflictus antithetorum mirabilium 452. Eam velociter auget aut minuit hyperbole 423. unde naſcantur verba, qvæ orationem excitant, & arguta ratio illa ex omnibus Categoriis eruendi 420
Oratorius ſtylus ut differat à Lapidario 597
Orthographia ejus diverſa ratio in inſcriptionibus 177. *Italica* ad latinam exigitur 178
Oſtenta ſunt argutiæ Angelicæ 68

P.

Panegyrici. Figuris agoniſticis excitantur 237
Panigarola ſtylus ejus Concionatorius argutiis excitatur 497
Parentheſes argutæ 409
Paronomaſia eorumqve exempla 382
Periodus unde dicta? 125 *Harmonica* duum generum Conciſa & rotunda 126. *Conciſa* vel *concinna* conſiſtit in æqvalitate membrorum, oppoſitione rerum, & ſimilitudine conſonantium 127. nova doctrina pulcherrimas hujus generis conficiendi, earumq́; exempla 133

Rotunda 143. Nova methodus illam inſtandi epithetis 155. eam tres virtutes reddunt harmonicam, & qvæ ſint 143. Ejus qvantitas ſecundum Ariſtotelem & Ciceronem 143. Ejus ſcanſio vel dimenſio 145. unusqvisqve naturaliter eam metitur 145. non eſt ex pluribus membris compoſita ut conciſa 148. ſed ex pluribus interpunctionibus veluti intervallis Muſicis 184

Exemplum ejus ex Cicerone, ejusqve anatome 148. nova præceptio rotundandi periodum pro imperito Proſodiæ ex ſola obſervatione verborum jacentium & ſaltantium 151

Pulchritudo & nobilitas verborum in periodis unde naſcatur 154. & ſeqq.

Rotunditas Periodi S. Leonis unde naſcatur 152

Periodi à Tacito & Saluſtio abruptæ & qvare 153

Ciceronis periodus in exemplum & ideam propoſita, in qva perfectiones illæ è verbis jacentibus oſtenduntur 183

Aſpera mollis & temperata 177. ejus Cacophonia unde naſcatur 175

Compoſita ex rotunda & conciſa eſt jucundiſſima 198. revocata ad fabulas metricas 198. pulcherrima periodus Taciti in tabulam metricam redacta 204

S. Petrus licet à Pauli ſiniſtra olim pictus honoratiorem locum occupat 325

Pictura ejus definitio 726. Argutiæ in eam unde naſcantur & earum exempla 402. pictura qva aves deceptæ 83. artificium pingendi res, qvæ videri non poſſunt 83

Plato ejus apes 78

Poëta eorum mendacia ſunt argutiæ 487

Prædicamenta decem argutiis materiam ſuppeditant 106

Praxis conficiendi ſymbola & lemmata 94. 95

Proportio vid. Metaphora Proportionis.

Proverbia è Laconismo nata & qvomodo? 455

Prudentia ut differat ab ingenio 81

R.

Raconiſius hortus. In ejus ſtatuas Imaginum cœleſtium emblemata 709

Rex Moloſſi, ejus ſimia 97

Ludovicus Franciæ vid. Ludovicus.

Rhetores rivulos figurarum Patheticarum, non fontem ipſum ſummumqve genus cognoverunt 213, ignorarunt Metaphoram Deceptionis 457

Rhetorica eosdẽ habet tres fines, qvos ars argutiarum 539. qvomodo tractentur 538. ejus Differentia à Dialectica 488

Ridiculum hujus gratia de induſtria contra Decorum verba transferuntur 280

De

Digitized by Google

De his doctrina è duobus Ariſtotelis verbis, qvæ hac in re omnia dicunt eruta 582. in qvo ſit fundatum 582. Si dictum ſit mordax, erit gratioſum à Metaphora qvadam 589. qvot metaphorarum, tot ridiculorum ſunt differentiæ 590. Exemplum ridiculi thematis variati per octo ſpecies Metaphorarum 590. Exempla ridicularum inſcriptionum 592

Reſponſa allegorica continuatione excitata 480. *arguta* Dialogiſmorum Comicorum & Tragicorum 436. ex anthitetis 453

non categorica naſcuntur ab æqvivoco 385. Faceta incongrua unde naſcantur 467. argutum Caroli Sabaudi reſponſum ad Regem Galliæ 487

Rivoli inſcriptiones qvæ ibi extant in heroicas actiones Amadei M. Sabaudiæ Ducis 609

Roſa ejus deſcriptio ſub allegoria Reginæ 481

Rotunditas Periodi. vid. Periodus rotunda.

S.

Sales & argutiæ in dialogiſmis 436

Saltatio ejus definitio. 725

Scanſio Periodi difficilis 146. qvibus regulis contineatur. 146. ſufficit ultimum pedem clauſularum metiri. 148. ſcanſionis frenum eſt ſpondeus 146.

Scholaſtica materia exempla qvarundam qvæ argutè ſunt veſtitæ 541

Scripta ænigmatica proles ſunt homonymiæ eorumqve Exempla 371

Scriptores ſacri. Eorum autoritas eſt pars integralis argumenti Concionatorii 534

Sculptura: Ingenioſa in eam argumenta unde naſcantur eorumqve exempla 402

Senſus occulti in verbis conjunctis vel abruptis vel adjectis poſiti ſunt proles Æqvivoci, eorumqve exempla 372

Sententiæ Cratianorum mutilatæ diſtortæ inverſæ 463

Celebres. Earum immutatio ſeria vel ridicula 464

Sermo proprius non magnæ laudi datur, ſed tanto gravior cenſura impuritatis. 239. præcipuè in Inſcriptionibus 240

Serpentes Gracchi 78

Simia Regis Moloſſi 79

Similitudo vid. Imago.

Sol ejus Phænomena argutiæ naturæ 73

Solœciſmus qvi delectat naſcitur à figura Deceptionis 492

Solutio pars integralis argumenti Concionatorii 534

Somnia ſunt argutiæ Angelicæ 97

Sonoritas verborum vid. Verba.

Spiritus cauſæ efficientes argutiarum 57. eorum argutiæ dictæ Angelicæ qvæ ſint 64

Spondeus frænum ſcanſionis 146
Statua mobiles 86
Stylus Oratorius & lapidarius qvid differat? 59-.
Stropha Thraſymachus illas primus diviſit & qvare? 125
Symbolum vid. *Argutia Symbolica*, *ars ſymbolica*. argutorum definitio. 725
Exemplum Thematis in omnes Argutias ſymbolicas converſi. 732
Revocantur ad tria genera Rhetoricæ 542
Praxis illa componendi 94
Lectio illis componendis 96
Eorum optima dicta ad Laconismum ſpectant & qvomodo! 435
Eorum mixtura cum Emblematis 704
Symbola Heroica Italis impreſe 624
Eorum definitio 682
Eorum mater ſimilitudo ingenioſa & acuta ſeu imago 399. etiam ridiculi 400
Illorum optima dicta ex Laconiſmo, eorumqve exempla 435
Illorum dicta ex oppoſitis 454
Ad tria genera Rhetoricæ revocantur 542. ſunt argutiæ heroicæ ex facto & verbis. 624. eorum convenientia aut diſcrimen ab Emblemate 692
Ars illorum difficillima 625. doceri non poteſt niſi propoſita perfectisſima idea 624
Archetypum ſeu *perfectiſſimum* ejus definitio 682
Methodus inveniendi ejus definitionem ex nomine 628
Ejus nomen 628. proprietas ſit apparens & actuoſa 651
Eſt argumentum Poëticum 640
Eſt compoſitum ex corpore ſignificante & anima ſignificata h. e. corpore & ſententia 641. Corpus ſit verum & reale 642. Nobile & pulchrum 643. naturale 645. non humanum 647. non obvium ſed admirabile 648. novum ſed noſcibile 649. repræſentatu facile 653. ſpatio adæqvatum 653
Ejus figura ſit unica 654
Sententia ſit particularis 657. heroica 657. unica 659
Lemma ſeu dictum figuræ adjiciendum 660. ſit acutum breve 662. homonymicum 665. autoris claſſici 666. cum qvadam antitheſi 667. latinum 667
Ideale perfectiſſimum eſt Metaphora Proportionis 637. ſpecie argumenti ſimilitudinis, qvod dicitur imago 638. ſit populariter ænigmaticum 669. conveniens 672. ingenioſum 675. ejus exemplum 675. reſpicere debet finem Rhetoricum 677. ſervare decorum 679.
Celebrium cenſura generalis & ſpecialis 683. captum ingenii excedit perfectiſſimum condere & qvare? 690
Minus perfectum ejus definitio 682.
Singulares laudatiſſima velut Regis

Ludovi-

Ludovici XI. hyſtrix cum lemmate, eminus & cominus. 630. Communes opiniones de perfectionibus ſymboli & qvæ de his ſint controverſiæ 634. Mauritii ſabaudiæ Principis eſt ingenioſorum ſymbolorum exemplar 675. omnium etiam illus de hiſtrice cenſura 683. Autoris unum ab ipſo notatum. 688.

T.

Tabula metrica fabricandis pulcherrimis Periodis conciſis, earumqve arguta exempla 133. Ejus argutæ rationes tres miſcendi periodum compoſitam 198

qvæ viſu gratiſſima, periodum reddit auditu jucundiſſimam. 203. novum ejus exemplar notis mutis contextæ, qvæ verbis impleta periodum harmonicum concinnamqve formabit. 203. pulcherrimæ periodi in Tacito 294

Theatrum apparatus & machinæ Theatrales 726

Thema eſt pars integralis argumenti concionatorii 5:4. pars eſſentialis Emblematis perfecti 697

Theoremata practica duodecim fabricandis in qvodcunqve thema enthymematis argutis cum perpetuo exemplo Apis in electro extinctæ 541. & ſeqq.

Tituli honorum unde naſcantur 419. Magnifici titulus, qvo Princeps honorari poteſt, ſummus etſi hodiè abjectus habeatur 420

Tragici nodi 390

Tragœdia ejus eſſentia & definitio 726

Thraſymachus primus diviſit longiores clauſulas veluti ſtrophas odarum 125

Trophæa eorum eſſentia & definitio 727

Tubi optici inventio 87

V.

Verba qvæ vividam reddunt orationem unde naſcantur. 420. arguta ratio illa ex omnibus Categoriis eruendi 420

eorum pulchritudo naſcitur ex nobilitate rei ſignificatæ & ſono vocis ſignificantis. 154. nova præceptio inveniendi verba nobilia & illuſtria implendis periodis 155. eorum ſonoritas in Periodis unde naſcatur 164. eorum granditas 178

longa & grandia magis ſonora qvam brevia 181. ſuperlativa & compoſita ut & jacentia magis qvam ſaltantia. 181. eorum dotes expenſæ in Periodo Ciceronis ideali 183. exempla verſuum una voce grandi inflatorum. 181. qvomodo ad periodum rotundandam ab eo adhiberi poſſint, qvi leges metri ignorat 115.

illorum ſenſus mutatus 381.

illorum inverſiones & depravationes naſcuntur à Deceptione 463

ſignificantia ſunt vel propria vel ingenioſa & hæc vel Grammatica vel Metaphorica 238

Propria qvæ ſint 239. & ſeqq

Digitized by Google

Grammatica ſeu grammaticè ſignificantia 253. eorum differentia & qvalis 253.
Priſca cum exemplo inſcriptionis ludicræ in fontem 256.
Peregrina cum ſuis exemplis 257
Metaphorica 269. Vid. Metaphora.
Aliena illorum interpretatio velox & arguta 437
Arguta Exemplum Thematis in omnes argutias verborũ mutati. 730
Verſus inflati uno verbo grandi & jacente. 181. eorum applicatio ad ſenſum diverſum 388. *Latini & Italici* ex antithetis venuſtatem acqvirunt 440.
Eorum immutationes ſeriæ vel ridiculæ 464
Jambicus eſt popularis 608
Vocales vid. literæ vocales.
Vox cauſa inſtrumentalis argutiarum & artis ſymbolicæ 14. & lapidariæ 14.
Animaliũ cur grata vel ingrata 166
Latina ad eam recurritur cum de orthographia Italica dubitatur 178
fundata in ſignificatione peregrina cum exemplis 257.

Z.

Zacchias idea argutorum Concionatorum 534

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google